IOANNIS IVELLI SARISBVRIENSIS IN ANGLIA EPISCOPI, ADVERSVS THOMAM HARDINGVM *volumen.*

In quo XXVII. quæstiones & Scripturis, & omnium Conciliorum ac Patrum monimentis, quæcunque sexcentis à nato Christo annis antiquiora sunt, disceptantur, atque explicantur.

Ex Anglico conuersum in Latinum, à GVILIELMO WHITAKERO, *Collegij Sanctæ Trinitatis apud Cantabrigienses socio.*

Huic operi præfixa est AVCTORIS VITA & MORS, eiúsque veræ doctrinæ defensio, cum refutatione quorundam obiectorum, THOMAE HARDINGI, NICOLAI SANDERI, ALANI COPI, HIERONYMI OSORII, PONTACI BVRDEGALENSIS.

LAVRENTIO HVMFREDO, *S. Theologiæ apud Oxonienses professore Regio, auctore.*

EIVSDEM IVELLI
APOLOGIA ECCLESIÆ ANGLICANÆ.



GENEVÆ,
APVD PETRVM SANCTANDREANVM.
M. D. LXXXV.

REVERENDISSIMIS IN CHRISTO PATRIBVS, EDMVNDO GRINDALLO ARCHIEPISCOPO CANTVARIENSI, Edvvino Sando Archiepiſcopo Eboracenſi, Ioanni Ælmero Epiſcopo Londinenſi, Ioanni Whitgifto Epiſcopo Vigornienſi, Edmundo Freko Epiſcopo Nordouicenſi, & Alexandro Novvello Decano Paulino, viris doctrina & pietate præſtantiſsimis, & Dominis ſibi vnicè obſeruandis, Guilielmus Whitakerus S. D.

QVAE præſtantiſsimus ille, nec ſatis vnquam pro ſua dignitate laudatus Epiſcopus, Ioannes Iuellus, Anglico ſermone bina contra Thomam Hardingum, Papiſtarum Anglolouanienſium facilè principem, pro Chriſtiana ſynceráque religione conſcripſit volumina, ea ſemper doctiſsimo cuique viſa ſunt eiuſmodi, vt digniſsima eſſent, quæ non ab Anglis duntaxat hominibus legerentur, ſed Latinis mandata literis, cum exteris etiam populis communicarentur. Nam ea eſt rerum, quas tractat, magnitudo excellentiſsimarum, & ſcribendi genus quoddam rarum ac propè ſingulare, vt in ſummis huius memoriæ ſcriptoribus, qui pro vera Chriſtianáque pietate contra Antichriſtum, atque Antichriſti ſatellites propugnarunt, meritò numerandus videatur. Cùm enim ſinguli penè in ſingulis cauſis verſati ſint, non multi verò reperiantur, qui magnam controuerſiarum varietatem perſequuti fuerint, rariſsimum autem genus ſit illorum, qui vniuerſam emendatæ & purioris religionis defenſionem ſuſceperint, atque integrũ hæreſeos Papiſticæ corpus exagitarint, noſter hic eximius Iuellus, vel eo nomine ſummas laudes mereatur, quòd non vnum aut alterum caput peruerſæ ſuperſtitionis oppugnarit, ſed Papiſticam ſimul omnem diſciplinam ex innumeris ſacrilegiis, & nefandis hæreſibus conflatam diſcuſſerit, atque cõuulſerit. Huc etiam accedit, quòd ſuſceptam ſemel pro veritate propugnationem nunquam intermiſerit, ſed tanta diligentia atque contentione ad extremum vſque ſpiritum produxerit, quantam & ſocij admirarentur, & hoſtes inuictam experirentur, & ipſa cauſa poſtularet. A quo enim tempore primùm Thomas Hardingus, qui propter religionem ex Anglia Louanium profugerat, volumen quoddam ſuum, quod contra Iuellum noſtrum nominatim ſcripſerat, in lucem edidit, nunquam deinde ſcribendi ſtudium remiſit Iuellus, ſed quaſi perpetuum ſibi ſumpſiſſet veritatis patrocinium, ita defenſionem hanc inuicta animi conſtantia ad mortem vſque propagauit. Nam primùm ad librum Hardingianum illum, qui contra ipſum editus eſſet, reſpondere fuit omnino neceſſe, quando & eius ſcribendi occaſio ab ipſo Iuello eſſet profecta, & illum vnicè peteret. Deinde eo labore ſingulari perfunctus nouum ſtatim non minorem aggreditur, in quo impugnatam ab eodem Hardingo Eccleſiæ Anglicanæ Apologiam, paucis antè annis à Iuello Latinè ſcriptam elegantiſsimè, & Anglicè poſt ab ornatiſsima, ac veris

virtutis, atque nobilitatis insignibus præstantißima fœmina DOMINA BACONA, *purißimè conuersam incredibili & doctrina, & copia tuetur. Reliquum verò tempus, quod inter horum librorum editionem, atque obitum suum intercesßit, in hisce vtrisque perpurgandis atque expoliendis pro maxima parte consumpsit. Qui duo libri, & varietate mirifica referti, & doctrina exquisita elaborati, siquidem fuissent ab ipso authore ea lingua conscripti, qua à doctis omnium gentium hominibus legi possent, minimè profectò dubito, quin vehementer probati, & in maxima admiratione habiti fuissent. Quò minùs autem ab ipso Latinè scriberētur, in causa fuit aduersarius, qui priùs vno deinde altero vernaculè edito volumine Iuellum ad respondendum prouocauit. Itaque & aduersario occurrendum fuit, & eo sermonis genere vtendum, quo prior ipse vsus fuerat, ne causam popularem, & ad vulgi rationes accommodatam, quemadmodum ipsi fingebant, à populari sensu ac notitia remouere videretur. Proximum ergo fuit in votis & secundarium illud, vt quæ ab ipso fuerunt plebeia lingua, sed genere quodā scribendi minimè plebeio edita, ea in Latinum sermonem conuersa, ad communem Ecclesiæ vtilitatem diuulgarentur. Neque enim erat consentaneum tam diuinum ingenium, támque excellentem & perfectam in omni genere doctrinam, vel solis Anglorū literis comprehendi, vel angustis huius insulæ finibus contineri. Ego verò cùm ista mecum animo sæpiùs reputarem, & multorum hominum doctißimorum desideria cognoscerem, exarsi quidem studio, & cupiditate quadam tentandi, quid ego possem in hoc genere præstare, & quousque facultas mea progredi valeret. Sic enim planè statuerā, mecúmque ipse deliberaueram, si, quando essem in exigua operis parte vires meas expertus, non ineptus omnino ad tantam rem aut spe suscipiendam, aut industria perficiendam viderer, vt hanc mihi prouinciam assumerem optimi authoris interpretandi, & in linguam transferendi Latinam. Itaque feci periculum primò in paucis paginis, deinde procesßi longiùs, atque breui tam multa sum complexus, vt ex iis verum posse de toto opere iudicium facere viderer. Neque tamen meo sensu niti, atque de me ex me ipso iudicare volui, vt tantum me in posterum ingenio & diligentiæ meæ confidere deberè putarem, quantum opinione mea iam antè essem consequutus, sed aliorum in primis, quos ego iudicio valere scirem, explorandas esse sententias duxi, vt eorum vel cohortatione pergerem, & quod institueram perficerem, vel dissuasione desisterem, atque leuem exigui laboris iacturam facerem. Ita nimirum feci, cogitationes meas quibusdam meis doctißimis amicis exposui, quid inchoassem ostendi, quid ipsi sentirent rogaui. Illi verò & voluntatem pro sua humanitate collaudare meam, & pro summa in religionem pietate à me contendere, vt quod bonis auspiciis, & non inuita Minerua essem aggressus, id omni studio persequerer atque absoluerem. Quorum ego crebris & penè asßiduis hortationibus atque monitis ita vrgebar ac impellebar, vt nisi susceptum munus explerem, &* Spartam, *quam nactus eram, exornarem, nec illis satisfacerem, & in crimen hominis ignaui, otióque suo nimiùm indulgētis incurrerem. Itaque iam mihi videbar, vt ille loquitur, tanquam sorex meo iudicio periisse, vel lupum, vt est in prouerbio, auribus tenere. Nam neque quod semel proposueram, atque in me recepera honestè abiicere, neque progredi sine maxima molestia, & diuturna conflictatione potui, quorum alterum ne facerem, officium & amicorum authoritas prohibuit, ab altero ipsa operis magnitudo, reique difficultas deterruit. Tamen in hac animi dubia atque ancipiti iactatione, quæ me nunc in hanc, nunc in illā voluntatē impulit, vicit ad extremum diuina ope, constantia molestiā, industria defatigationē, ratio mollitiā, vt quē susceperā laborem, sæpe intermißum, sæpéque renouatū perficerē aliquando, atque ad exitū perducerē. Conuerti itaque tandē ex Anglico in Latinū alterū Iuelli nostri integrū vo-*

lumen, quod accuratissimam viginti septem quæstionum, & summorum religionis capitum explicationem continet. Istuc autem potiùs, quàm alterum eligendum esse duxi, in quo elaborarem, quod & priùs editum esset, & cum altero nulla penè in re inferiùs, tum quibusdam etiam nominibus superiùs videretur. Aut enim ego fallor, quod hac in re minimè puto, aut habet iste liber nouam quandam, & antea inauditam causarum tractationem. Cùm enim plerique, qui cōtra Papistas aliquid scripserunt, rerum omnium, quæ in controuersiam vocantur, disceptationem solis Scripturis definiant atq; circunscribant, Concilia verò antiqua, & veteres doctores parciùs ad hāc diiudicationem adhiberi oportere censeant (quorum ego quidem prudentiam minimè reprehendo, quanquam eam magis forsan timidam, quàm est necesse) noster hic Iuellus, quò Papistarum nefariam impudentiam conuinceret, qui non modò Scripturas sceleratissimè cōtaminarunt, sed ab omni etiam puriore antiquitate desciuerunt, non tantùm ad ipsas Scripturas prouocauit, sed Cōciliorum etiam omnium authoritate, atque patrum iudiciis discerni causarum maximarum magnam multitudinem voluit. Neque verò breue spatium, aut exiguū tēporis & annorū decursum præfiniuit, sed totos illos, qui Christi memoriam proximè consequuti sunt, sexcentos annos proposuit, in quibus & illa Generalia celeberrima Concilia habita fuerunt, & omnes Ecclesiæ illi insignes Doctores floruerunt: vsque adeo amplum Papistis campum concessit, in quo euagari atque excurrere possent. Atque hoc nimirū illud est, quod multis incredibile fore scio, hanc Papisticam corruptelā, ita nouā & recentē esse, vt ne vnus quidē ex eo omni doctissimorū patrū numero, qui intra hunc sexcentorū annorum ambitum vixerunt, reperiri possit, qui vel voce adeo vlla ei fuerit vnquā suffragatus. Ex hoc itaque libro intelligi potest causam esse nullam, quamobrē vel Papistæ de sua vetustate tam intoleranter glorientur, vel nos antiquitatis iudicium pertimescamus, atque subterfugiamus. Quem ego librum ex Anglico à me conuersum in Latinū, Reuerendissimi patres, viri omni doctrina atque virtute præcellentes, vestris sanctissimis & præstantissimis iudiciis libentissimè permitto, petóque à vobis, vt meam bene de Ecclesia nostra merendi voluntatem in optimam partem accipiatis, siq; efficere aliquid in hoc genere potuit industria mea, quod Ecclesiæ quoquo modo prodesse posse videretur, vt illud vestra humanitate complecti velitis. Iuellum omnes & viuum vnicè amastis, & mortuum charissima recordatione prosequi, quousque viuitis, non desinetis: quò magis meum hunc laborem in eius viri monimentis ad omnem posteritatem propagandis susceptum vobis fore gratissimū confido. Nō insistam hîc, vt quibus de causis meas hasce vigilias, vobis potissimùm consecrarim, exponam. Et longam ea res, & non necessariam postularet orationē. Nec verò dicam, quibus & quàm magnis sim vnicuique vestrûm nominibus deuinctus, ne cui fortè non tam vetera commemorare beneficia, quàm noua elicere velle videar. Illud autem mihi maximi beneficij loco erit, si probatam esse vobis operam meam intellexero, nec verò maius omnino aliquod laboris huiusce præmium postulo, quàm vt non malè vobis de Ecclesia nostra meritus esse videar. Quod si fuero consequutus, tum & ex posito bene in re præclara studio magnam voluptatem cœpero, & omnem deinceps cogitationem meam ad Ecclesiæ commodum approbante Deo, contulero. Deum obtestor vt amplitudines vestras Ecclesiæ suæ quàm diutissimè conseruet incolumes. Valete Cantabrigiæ, è Collegio summæ Trinitatis sacro. Decimo Calend. Maij.

Interpres Lectori. S. D.

ETSI nostrorum hominum propè neminem esse iudico, qui grauissimam illam, longéque acerrimam de religione contentionē, quæ clarissimo Episcopo, & synceræ pietatis propugnatori Ioanni Iuello cum Thoma Hardingo singulari Papisticæ sectæ vindice fuerat, vel fama atque auditione non acceperit, vel eius omnē rationem penitus perspectam ac cognitam non habuerit: tamen cùm hunc librum latinè conuersum editúmque ad exteros etiā homines esse peruenturum suspicari facilè liceat, officium esse nostrum sentio, illius controuersiæ & susceptæ primò occasionem, & continuatæ deinde circunstantias illustriorem explicare, paulóque altiùs repetere. Quod eò etiam faciam libentiùs, quò cū causa ipsa hoc idem postulat, & tua, Lector, voluntas atque studium efflagitat, tum Papistæ hanc omnem memoriam penitus delatam, tenebrísque sempiternis obrutā esse cupiunt. Breuitate autem tanta quidem in istis rebus commemorandis vtar, quanta possum, quantámque vel rerum narratio patitur, vel tibi non ingratam fore arbitrabor. Initium autem ab eo tempore ducam, quo Mariæ morte, ipsi quidem immatura, Ecclesiæ verò opportuna sublatæ, in regno Angliæ Elizabetha, soror, princeps & religionis veræ studiosissima, & omnibus eximiis virtutibus præstantissima successit, quæ quasi de cœlo delapsa, atque ad reipub. gubernacula diuinitus admota patriam in summum discrimen adductam seruauit, Ecclesiam afflictam & oppressam recreauit; pietatem iamdudum exulantem reuocauit, pristinísque sedibus restituit. Ea igitur ad imperium maximo Dei beneficio euecta, religio, quæ fluctibus Marianis miserè iactata fuerat, quæque nullum in Anglia locum, in quo consisteret, inuenire poterat, in portum aliquando tutū ac tranquillum venit. Tum quos tempestas superior in longinquas oras eiecerat, atque in exilio vitam traducere luctuoso coegerat, ij hac lætissima rerum conuersione nunciata ex omnibus partibus atque regionibus, è Germania, Italia, Polonia, Dania, Subaudia, Belgio, in Angliam redierunt. Erant autem illi ex omni genere innumerabiles homines, nobiles, plebeij, docti, rudes, viri, fœminæ, qui patriam, amicos, domos, bona omnia amittere atque abiicere, quàm infanda superstitione contaminari, conscientię vulnus inferre, pietatis iacturam facere maluerunt. In primis autem ab exilio rediit hominum certè longè doctissimorum magna frequentia, qui ex illis incendiis Marianis erepti, ad aliquod externę nationis perfugium peruenerant, in quo & Deum sanctè coluerunt, & in literis ac libris tempus omne posuerunt. Quibus in patriam reuersis, princeps Episcopos papisticos, qui temporibus Marianis rebus sacris præfuerant, & plurimum authoritate potuerant, reliquósque doctrinæ opinione celeberrimos sacerdotes euocauit, in certamen cum aduersariis descendere, arma deponere, furorem dimittere, flammas extinguere, argumentis, ratione, doctrina decertare voluit, vt vtri meliorem verioremque causam defenderent, ex hoc partium congressu & quasi conflictu cognosci posset. Certè deliguntur ex vtroque genere viri, locus designatur, tempus notatur, iudex constituitur, quæstiones & capita disceptationis describuntur, omnes suspensis animis rei exitum finémque expectant. Nostri causæ ipsa æquitate confisi, & laudatissimo principis studio morem gerere cupientes, ad diem adsunt, in curriculo consistunt, veritatis defensionem alacres lætíque suscipiunt, nullas partes, nullas conditiones, nullam disputandi rationem defugiunt, & institutæ veritatis confirmationi, & omnium expectationi satisfaciunt. Illi contrà veterani suis partibus diffisi tergiuersantur, queruntur, aliquid semper causantur, præscriptas leges contemnunt, nihil explicant, nihil ordine agunt, à re atque à proposita disputatione & iudices, & aduersarios, & auditores ad alienas quæstiones abducunt, vt suam sententiam proponant atque defendant adduci non possunt. Itaque illorum importuna nimis & morosa pertinacia factum est vt indictum colloquium abrumperetur, conuentúsque, celeberrimos, qui ad viros vtriusque partis lectissimos de religione disputantes audiendos confluxerat, subitò dimitteretur, nec magnus ex re, nisi illorum improbitas obstitisset, longè vtilissima futura fructus consequeretur. Quanquā illum hinc vel maximum fructum boni omnes cœperunt, quòd deploratam Papistarum causam esse sentirent, quæ nulla arte defendi, nisi sæuitia atque immanitate posset, nec se ad calculos reuocari, atque ad viuum resecari pateretur. Princeps horum hominum iniquitate commota, illos quidem pro ipsorum merito accepit, & tanquam illis locis, quos tenerent, indignissimos cedere iis viris coegit, qui fide synceriore Ecclesiam gubernarent, Euangelium propagarent, populos in

vera

vera pietate informarent. Ita & perniciosi falsitatis magistri deiecti, atque in custodiam traditi, & fidelissimi pastores in diuersas ecclesias ac διοικήσεις distributi sunt, & Iuellus noster Episcopus est institutus, creatúsque Sarisburiensis. Qui cùm illam Ecclesiam prudentissimè administraret, gregémque suum summa diligentia pasceret, atque in iis peruersæ doctrinæ seminibus, quæ Mariana sementi sparsa fuerant, euellendis assiduè elaboraret, suam omnibus fidem, integritatem, eruditionem, industriam probauit. Erat enim in docendo perspicuus, in refutando acutus, in reprehendendo grauis, in exhortando diuinus, verbis amplis, sententiis densus, omni denique boni pastoris virtute cumulatus. Sed ne cæteras illius in hoc genere laudes consectemur, quæ certè mirificè & propè incredibiles fuerunt, ad eam nunc concionem veniamus, quam è suggesto Paulino ad populum Londinensem habuit Anno domini 1560. Dominica altera ante Pascha. Illius enim inprimis repetenda est memoria, quandoquidem ea occasionem, iis contentionibus dedit, quæ postea ad maximum Ecclesiæ nostræ beneficium eruperunt, quæque sempiternis ad omnem posteritatem monumentis commendantur, atque in hoc libro continētur. Locum illum Scripturæ tractauit, qui in priore Pauli ad Corinthios epistola scribitur, cap. 11. *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, &c.* In ea autem pro temporis ratione quædam Missæ horrenda flagitia proponit, in quibus exagitandis atque refutandis maximam sermonis partem consumit. Nam & factas incognita lingua preces, & Communionem altera parte diminutam, & sacramenti adorationem & Missam priuatam reprehendit, quæ omnia, & quidem multò etiam plura, in Missa Papistica insunt scelera. Neque modò Scripturarum sentētias adhibet, quibus tamen contentus esse potuit, cùm illæ perpetuam atque certissimam fidei regulam ostendant, sed priscorum etiam patrū, & Conciliorum veterum monumenta profert, atque hæc religionis portenta antiquitatis testimonio conuincit. In extrema autem concionis parte acriùs instat, atque aduersarios vehemētiùs vrget, eámque tum verissimam & planè diuinam vocem emisit, qua Papistis omnibus bellum indixit, eósque ad certamen prouocauit. Hæc autem denuntiatio eiusmodi fuit, vt si quisquam ex omni doctissimorum Papistarum numero, qui vita fruerentur, vel ex scripturis ipsis, vel ex vllo antiquo Concilio, vel vetusto patre, vel omnino exemplo aliquo Ecclesiæ purioris, quæ sexcentis à Christo nato annis fuerat, in omni orbe aut priuatam aliquam Missam, aut Communionem vna duntaxat specie procuratam, aut preces publicas sermone peregrino recitatas fuisse, aut Pontificem Romanum Episcopum vniuersalem, vel Ecclesiæ vniuersalis caput appellatum esse, & quæ deinde reliqua Papistici erroris capita complexus est, numero viginti septem, si quis (inquit) horū aliquid euincere atque confirmare, vel vna luculenta sententia atque testimonio posset, tum se cessurum, atque ad Papistas transiturum, & in illorum potestate futurum spopōdit, fidémque dedit. Quæ cum dixisset veritatis diuinus præco, concionem suauissima exhortatione conclusit. Hæc tā inaudita, támque libera oratio Papistis, præsertim qui doctiores habiti sunt, ingentem dolorem atque iram iniecit, maximè verò D. Henricum Colum, qui temporibus Marianis Decanus fuerat Paulinus, iámque in carcere varios de illa rumores audiuerat, concitat atque incendit. Is cum Episcopo per literas agit, expostulat, huius mirificæ prouocationis causas quærit, manus se daturum, si doceretur, simulat, nihil se fictè cogitare profitetur. Episcopus ad literas Coli humanissimè respondet, eandem illi sponsionem, quam è Paulina cruce ferebat, obtulit, si quid habeat, vt edat monet. Atque hoc modo scripta quædam inter Episcopum atque Colum vltro citróque commearunt, quæ & lecta à multis priuatim, & vt quisque studio propendebat, probata fuerunt, ac tandem in lucem typis mandata prodierunt. Sed hæc vmbratilis tantùm pugna, & leuis armaturæ prima quodammodo excursio fuit. Etenim quatuor pòst annis Thomas Hardingus noster, qui initio regni principis Elizabethæ Louanium transfugerat, magnámque doctrinæ & multiplicis lectionis opinionem habuerat, iustam emisit huius publicæ, quam diximus, denuntiationis refutationem, atque Iuellum acri quodam orationis genere concidit: & sigillatim ad omnes partes, seu articulos respondit. Huic etiam tanquam laboris particeps atque æmulus accessit Thomas Dormannus, qui quatuor quæstiones ex eo numero, quem Hardingus integrum edidit, quas ipse voluit, selegit, in eísque refellendis elaborauit: in quo omnes illum sibi meliùs consulturum fuisse iudicant, si ad aliam potiùs causam ac materiam tractandam animum trāstulisset, hanc peritioribus & doctioribus reliquisset. Effudit etiam Martialis quidam homo nimiùm superstitiosus suam cōtra Iuellum crucis defensionem, libris decem absolutam, multis erroribus, fabulis, mendaciis refertam: & quisquis ferè fugitiuus esset Anglus Louanij, aliquid contra Iuellum scriptitauit, vel suum ipse contexuit, vel alienum transtulit in Anglicum, vel scriptis aliorum suum nomen prætendit, nullus otiosus fuit, omnes in Iuellum tanquam canes rabidi furioso impetu irruerunt. Volitabant vbique Papistarum libri: in manibus plerisque, in ore cunctis, in mente multis erant: Iuellus vnus omnium mortalium miserrimus, perditissimus, desperatissimus videbatur, vt vix salus ipsa, si vellet, hominem seruare posset. Suum Papistæ Hardingum, suum Dormannum, suos cæteros venditant, prædicant, in cœlum efferunt, nullúmque insolentiæ, loquacitati, impudētiæ Papisticæ modum statuunt, actum denique de nobis esse iudicant. Verùm hæc præpropera lætitia, atque hic insolens ante victoriam triumphus non fuit Papistis nostris aut fortunatus, aut diuturnus. Nam Dormannum primò, veterem histrionem, nouum Theologum Alexander Novvellus D. Pauli Decanus, meus Auunculus, cui ego vni secundùm Deum plurimum debeo, iuueniliter exultantē repressit, eiúsque fractum impetum retudit, & primus contra Papistas Louanienses librum edi-

dit. Iuellus Novvellū breui interualllo subsequitur, eodémque anno, scilicet 1565. Non. August. integram ad omnem Hardingianum librum responsionem euulgauit, industria singulari, doctrina incredibili, arte mirabili elaboratam, quam ille refutationem, seu Replicationē forensi nomine inscripsit. Hanc ego nimirum, Lector optime, in Latinum sermonem conuersam nūc tibi ostēdo, tuæque lectioni accommodatam fore confido. Martialem verò, qui crucis desertū pene ab omnibus patrociniū suscepit, Iacobus Calfhillus Doctor Theologię, homo & ingenio & doctrina, & eloquentia excellēs ita fregit atq; obtriuit, vt iam annis tredecim obmutuerit, & nullū hominis viui & spirantis signū ostenderit. Atque ita Louaniensium proclamatorum compressa ferocia est, ita rumores triuiales refutati, ita profligata, ita veritas defēsa ac stabilita. Neq; tamē desistunt Louanienses, sed morbo quantumuis deplorato nouam subinde medicinam comparant. Itaque post annum Hardingus rescripsit, alterúmque σύνταγμα Louanio remisit, in quo ad vnicū articulum de Missa priuata, eúmque non integrum ac continuatum, sed truncatum atque à reliquis partibus diuulsum respondit: longóque deinde interuallo aliud etiam opusculum pertexit, in quo illam de sacrificio quæstionem, quæ Articulo 17. continetur, suo more, id est, insigni perfidia ac vanitate tractauit. In his libris Iuellum Hardingus quadam ex parte imitari voluit. Quòd enim Iuellus in suo volumine, in quo Hardingi librū complexus est, quæ passim Hardingus falsa sparserat, ea in margine seposuit, omniúmque oculis subiecit, ille hac agēdi ratione offensus, quādo ad diluendam Iuelli responsionem accedit, idem sibi faciendum putauit: quód etiam inaudita impudentia præstitit, qualem certè Hardingum decuit. Nihil enim à Iuello affirmatum est, quātumuis & verissimè & scripturis, priscísque patrum monimentis conuenientissimè, quin illud Hardingus cera illa sua miniata, vel nigro potius carbone notauerit, falsúmque esse falsissimè cōtēderit. Ita omnes Hardingus margines suas huiusmodi criminibus compleuit, eadémque etiam sæpius iterauit, & repetiuit, & variis subinde locis reposuit. Hāc hominis importunam & iniquissimam petulantiam Edouardus Deringus, vir pietate & eruditione singulari, minimè tulit, sed eas aspersas Iuello maculas summa diligentia eluit atque abstersit. Interim alij proueniunt repētè oratores noui, stulti Louanienses, Rastallus, Stapeltonus, Saunderus, qui suas ad subleuandum Hardingum operas conferunt, & causam communem acriter defendunt. Rastallus libellum composuit, quem hoc inscripsit mirabili titulo, *Caue à Iuello*, in quo Lectorem scilicet cautionibus quibusdā suis præmunire voluit, ne à Iuello circūuentus in fraudem incideret, atque à fide Catholica aberraret. Sed ille propter insignē ingenij tarditatē & cordis stuporē ab omnibus sēper contemptus fuit pro merito suo, nec cuiquā vel mediocriter sapienti fraudem vllam facere potuit. Stapeltonus cùm librū ipsum Iuelli attingere non auderet, marginales quasdā quatuor duntaxat articulorum notas cōsectatus est, in quibus refutandis omnes suas maledicēdi, mentiēdi, calumniādi artes exercuit, quibus certè suis omnibus collegis Hardingum vnum excipio, præstat. Itaque illius scripta nec legūtur à multis, & præter conuicia impudentissima, nihil omnino afferūt quod quenquam magnopere mouere possit. Saunderus illam de sacramēto causam sibi perpurgādam esse duxit, quādoquidem eam ab Hardingo parùm luculentè defensam esse cerneret. Quare grande volumē de cœna Dominica confecit, illúdque singulari consilio atque exēplo corpori & sanguini Christi sub panis ac vini formis latēti dedicauit. In eo autem Saunderus & Hardingū à Iuello, & Dormānum à Novvello defendit, & vtrūque aduersarium homo cōfidens oppugnat. Quintum enim Iuelli articulum perstringit, qui Realis præsentiæ monstrum exagitat, & Novvellum in certamen prouocat, quod is in sua ad Dormannum responsione dixisset nullam omnino causam afferri posse quamobrem his potius Christi verbis, *Hoc est corpus meum*, Trāssubstantiationem Papistæ suam effici defendāt, quàm his eiusdem Christi, *Ego sum vitis*. Hāc Saunderus orationem reprehēdit, & multas causas ostēdit, quibus tamē quod voluit cōcludere nunquam potuit. Nam cùm has inter se duas Christi sententias cōfert, ita semper argumentatur, vt quādo fieri nō potest, vt vlla sit in altera naturæ mutatio, ideo in altera fieri colligat, quod & sophisticum est, & ineptum, & planè puero, nedum tanto doctore indignū. Sed has Saunderi captiones Novvellus facilè discussit, edito ad illas causas doctissimo & diligētissimo respōso quod Saūderus decē nunc annis in manibus habuit, nec vel morbo refutauit, quanquā antè, si Novvellus fortè in illis causis nō acquiesceret, ei se nouo scripto cumulatè satisfacturum magnificè promiserat. Sed hactenus nihil persoluit totus nimirū in sua informāda Monarchia occupatus. Neq. verò interea Dormānus penitus dormiuit, & Spartam quā fuerat nactus, deseruit, sed bellū redintegrauit, tātóque audaciùs in eum, à quo lacessitus fuerat, incurrit, quāto ipse fuit dux omniū imperitissimus. Nā quū viribus & sciētia minùs potuit, subsidio sibi confidētiam & loquacitatē cōparauit, cui homini Græcorū illud verissimè profectò congruit, ἀμαθία μὲν θράσος, φέρει. Quis enim illo fuit indoctior, quis ineptior, quis minùs in scripturis, atque veterū Ecclesiæ patrū libris exercitatus, qui cùm maximam vitæ partē in fabulis agendis cōsumpsisset, subitò Louanium profectus, & Theologiæ Baccalaureus inauguratur, & libros de religione præclarus author conscribit? Quod quidē ei facilè fuit, quando eā scribēdi rationē instituit, vt quicquid ille suo nomine ederet, aut ab Hosio Cardinali, aut à Pigghio Cāpēsi, aut ab ipso Hardingo, aut ab aliquo eiusdē scholę magistro, si fatetur, sumeret, si negat, surriperet, & totidē pene verbis trāscriberet, atque pro sua vēditaret. Quod cùm furti genus quoddā singulare sit, eo tamen cōmuni proberbio factū homo

stolidus

ſtolidus defendit, *Nihil dictum, quod non dictum prius.* Itaq; cuperem, vt quando illum Novvellus, qui erat cum valentiore aduerſario cõferendus, reſponſo dignari voluit, Dormanni mentionem nullã faceret: Hoſio, Pigghio, & reliquis à Dormanno in Anglicum cõuerſis reſpondere ſe in titulo libri ſignificaret. Sic enim & verè profiteri, & maiorem ſcriptis authoritatem conciliare potuiſſet. Sed hunc Dormitantium, cuius vltimi libri Novvellus ſupra decem annos refutationem dedit, quando quidem in viuorúmne, an mortuorum numero ſit, ignoratur, quietum eſſe patiamur. Iuellus verò quia nouo Hardingi volumine quod ille contra Anglicanam Apologiam ſcripſerat, vrgebatur, ad ſingula ſuperióra, quorum meminimus, reſpondere non potuit, nec omnino cum quoquam aduerſario, præterquam ſuo Hardingo, congredi voluit. Eo autem morte abrepto Louanienſes ab hoc genere ſcriptorum deſiſtunt, & quia hac via parum ſucceſſit, alia aggrediuntur: nimirum tumul tus & ſeditiones concitant, coniurationes contra patriam plerique faciunt, externis ſe principibus addicunt, perdere denique & delere omnia neſariè moliuntur. Quorum & hactenus irriti conatus fuerunt, & vt perpetuò inanes eſſe poſſint, faxit clementiſſimus & benigniſſimus Deus. Sic & huius de religione contentionis primordia expoſui, & quaſi breuem eiuſdem hiſtoriam ad exitũ ipſum perduxi. De mea verò huiuſce libri conuerſione nõ multa dicã: eam omnem iudicio, Lector æquiſſime tuo permitto. Hardingum planè & ingenuè tranſtuli, eiúſque nec ſententiam malitioſè corrupi, aut deteriorẽ feci, nec ab ipſis verbis magnoperè diſceſſi, & quantum potui, ſermonis Latini puritatem ſeruaui. In Iuello liberiùs aliquanto ſum verſatus, & quòd ita mihi facere licere putarem, & quòd dignus, in quo maiorẽ operam ponerem, videretur. In quo tamen ſi minùs cuiquã ſatisfacio, ſiue certos locos parum fœliciter interpretari videor, ipſa me operis magnitudo, atque difficultas apud Lectorem non iniquum defendet. Si enim in tanta rerum varietate explicanda, ſi in tam innumerabilibus, ſcripturarum, Conciliorum, patrum, ſcholaſticorum teſtimoniis excutiendis aut voculam aliquam perperam poſuero, aut ſententiam perturbatè reddidero, ſi denique interdum aliquod ingenij tam diuturnis moleſtiis quodammodo oppreſſi ſignum dedero, neminem fore tam inhumanũ, qui non id excuſandum potiùs, quàm exagitandum eſſe cenſeat, confido. Quòd verbis Theologicis & longa conſuetudine tritis, cuiuſmodi nulla apud probatiſſimos Latini ſermonis authores reperiuntur, vtor, in eo & exemplum doctiſſimi cuiuſque ſequor, & iuſtam reprehenſionem minimè pertimeſco. Malo enim cum præſtantiſſimis noſtræ memoriæ Theologis obſoletus, quàm cum nõnullis putidus videri. Qui verò tam moroſi, difficiléſque ſunt, vt omnia in peiorem partem accipere ſoleant, ſuáſque laudes alienis contumeliis ſtabilire cupiant, horum ego proterua nimis ingenia non magnopere morabor. Quemamodum autem Romanum illum non ignobilẽ Senatorem, quando in equo arundineo cum filiolo equitaret, ei à quo fortè aſpectus eſt, precepiſſe ſcribũt, ne priùs hoc eius factum enunciaret, quàm filium ipſe proprium haberet: ita cuperem, vt qui tam ſunt ad carpendos alios propenſi ac præcipites, hanc inſitam reprehendendi libidinem cohiberent, quouſque ipſi ſuo aliquo documento æquiores eſſe didiciſſent. Vale.

Tuus in Chriſto, GVIL. VVHITAKERVS.

I. B.

ROBERTVS BENETTVS CANTABRIgienſis ad Lectorem.

QVOD ego tacitus apud me ſummis iamdiu votis contenderam, vt Iuelli noſtri inſigne κειμήλιον *non tãtùm Anglicanæ Eccleſiæ anguſtiis deliteſceret, ad quam tantæ gloriæ hæreditas iure optimo ſpectabat, verùm etiam ad reliquas Eccleſias tranſmitteretur, vt exterorum in aures & oculos incurreret, quò Euangelio fructus longè vberior accreſceret, & Antichriſti ſatellitio os obſtrueretur: id tandem veritatis ſtudio non vulgari, ſingulari fide, exquiſitáque induſtria VVhitalzerus præſtitit. Habes ergo in quo bonas horas optimè colloces, opus verè aureum, Iuelli nomine, loco & munere, quod adeptus eſt, Epiſcopali, artificio ad miraculum vſque exquiſito, & VVhitalzeri mei, ſtudiorum vitæq; neceſſitudine coniũctiſſimi fide longè digniſſimum Si quiſquã enim veræ religionis capita fortiter aſſeruerit & Herculi ipſi Romano fuſtem extorſerit, ſi quis Papaſello illi Cumano* τὴν λεοντῆν *detraxerit, & Antichriſti technas & verſutias deprehenderit: vt deinceps vel apud imperitum vulgus ſuás ineptias, læſiq; cerebri deliria fruſtra blateret, & ſycophanthias venditet. certe Iuellus is ipſus eſt. Ita enim rerum pondere & momentis grauis eſt, verborum aculeis & deliciis inſignis, rerum varietate & copia ſuauis, ſermone caſtus & integer, ſui ſemper ſimilis, ad laceſſendum ſtrennus & neruoſus, ad ictus excipendos promptus & expeditus deniq; ſcientiarũ* ἐγκυκλοπαιδείᾳ *(ſi quem ætas noſtra vſpiam locorum tulerit) maturus & expolitus vt magnum Anglicanæ Eccleſiæ lumen & ornamentum dicere non reformidet oratio. Qui cum egregiam*

*indolem, quam à primis vnguiculis spiraret, studio & industria, qua apud suos Oxonienses neminem non fre
gerit, & multiplici lectione excoluisset, & emenso multorum annorum curriculo quicquid vspiam scriptorũ
Græcorum, Latinorum, veterum, neotericorum, comparari potuerat inuicto animi robore, & indefesso stu-
dio peragrasset: & regno Pontificio præter effrænem dominandi libidinem, frontem & fucum meretricium, i-
nanem nominum sine re subiecta iactantiã, confictam & ementitam antiquitatis speciem, efficaciam illusio-
nis, in Christum contumelias, nihil subesse probè animaduertisset: tandem re deliberata, consilium iniit Eccle
siæ proculdubio salutare, & suo nomini imprimis gloriosum Nam cùm Ecclesiæ semper quam optimè consul-
tum vellet, & propagandæ veritati se suáque omnia deberi cogitaret, & multis nominibus indignissimum iu
dicaret, plebem Domini in tanta luce tam turpiter hallucinari, spurcitie mentis & plusquam sontica barba
rie cæcutire, ludicris ineptiis, & anilibus fabulis diutius adhærescere: tandem, non elato aliquo animi impetu
(quippe qui omnium ingenio esset mitissimo) concione satis frequenti, loco celebri vniuerso regno pontificio
bellum indixit, litem intentauit, aduersariorũ agmen classico in puluerẽ prouocauit, si quid afferrent, in quo
tutò consisti posset, cessurũ esse dextrã præbuit. Prosiliit demũ nescio quis emissarius, homo audax & furibun-
dus, sycophanta malè perditus, & nequid ad omnis ornamentũ desit, in patriã sceleratus, in religionẽ apo-
stata perfidus, facie & fiducia fretus, lingua celeri & exercitata, magnus conuiciorũ artifex, egregius menda
ciorũ Vulcanus, singularis Eckiorum Pigghiorũ, Hosiorũ rapsodus, in quẽ suada papistica omnes suas opes
& ornamẽta coniecerat, vt summus catholicæ fidei propugnator, quiq; Iuello iugulũ obstringat, & tanto operi
extremã manũ imponat, aptissimus haberetur. Qui cũ ætate parũ adulta, scelere tamen consenescens, petulã
tiæ ac procacitatis præcepta vnà cũ frontis iactura primum perdidisset, vnde sibi vberẽ facundiæ suæ prouẽ-
tũ segetémq; polliceretur, solũ vertere, & in ea se loca recipere statuit, vbi tantæ virtutis honos delatus, præ-
miumq́; propositũ perhibetur. Vbi scurrili priuilegio donatus, quàm citò in istã maledicendi petulantiã ado-
leuerit, res ipsa loquitur. Quantũ verò muliebri dicacitate & debacchandi proteruia profecerit, tantũ (mihi
crede) in hoc opus, ingenij sui & papisticæ superstitionis specimẽ, tanquã in sentinã effudit. Vim verò & ner
uos, rerumq; supellectilẽ si quæras, tã infœcunda sunt eius argumenta omnia, tã ieiunus & aridus est, vt famẽ
ei matrẽ extitisse pro certo iuraueris. In rebus enim implicatioribus, vt subdolũ artificẽ & insignẽ veteratorẽ
decuit, tanquã ad cuniculos respectans, furtim dilabitur. In leuibus verò, crebris de nihilo concitatis exclama
tionibus adeò multus & molestus est, in coniecturis confidens, apochryphis patrũ scriptis tã importunus, vt tã
deploratæ causæ tam insulsus orator reperiri neutiquã potuerit. Qui cũ primum Iuellũ sibi stylo lacessendũ &
lacerandum sumpserit, quò sacrosanctæ veritati tenebras offunderet, nominis sui immortalitati cõsuleret, &
Louaniẽsi Eleemosinæ gratiã referret aliquam, in suipsius exitiũ, & sempiternũ nominis dedecus iurasse cre
diderim. Eũ enim falsitatis crimine primo quoque verbo Iuellus ita irretitum tenet, fucum & fallacias vbi-
que excutit remissas εἰκονομαχίας argumentaq; tanquã scopas dissolutas ad rhombum exigit, nothos patres
& ementita cõcilia, coacta patrũ suffragia tanta facilitate deprehendit, ambages ad Lectorẽ adducendũ cõ
positas rescindit, in rebus iis, quarum est in profundo magis demersa veritas, tanta testimoniorũ nube misel-
lum hominem premit & opprimit, vt docti omnes indoctiq; inuictã veritatis vim, & venerandã eius canitiẽ
revereantur, obuiis vlnis excipiãt, exosculẽtur, Iuelli ingeniũ fœlix, & immensos pro veritate inuestiganda
susceptos labores attoniti suspiciant & admirentur, fani omnes (nostros dico) propè à scribendo deterreantur,
papistæ ne hiscere quidẽ deinceps, aut tantillũ oggannire audeãt, vniuersos quidem desertæ causæ & profligati
oratoris misereat maximè. Quæ in re si quid Euãgelio præstitũ sit, eã pietati suæ relatã esse gratiã voluit: si
quid Ecclesiæ nostræ emolumenti aut ornamenti accreuerit, totus in id studij etiã vitæ dispendio incubuit: si
nomini suo propter solidã & multiplicẽ eruditionẽ dotesq; fœlicissimas sẽpiternũ decus pepererit, cui nunquã
vel leuissimã maculã vniuersus papatus asperserit, Dei Patris est in senescentẽ iã Ecclesiã munificentia, vt
quæ primũ singulari spiritus effusione nata & quasi è puluere excitata sit, eadẽ pari propè donorũ mensura
ab ipsis papismi inferis quibus penè demersa iacuit, reuocetur. Si Hardingus, olim noster, tantã nutanti pa-
pismo plagam inflixerit, quantæ sequutura ætas nunquam medebitur, si hominis in Deũ nefanda impietas,
in sacris literis stupor, in aduersarium scurrilis vrbanitas deinceps in fabulam exierint: ea veritatis vis &
virtus est, ad quam si tenebras tanquam ad Lydiũ lapidẽ exegeris, necesse est omnibus innotescere, & singu-
lorũ odiis & ludibriis excipi. Istæ verò diuitiæ cùm ad aures vestras VVhitalzeri opera perferantur, non du-
bito quin apud bonos & pietatis amantes magnam gratiam reportabit, & maiores ad maiora molienda cõ-
cipiet animos. Qui artiũ peritia & multiplici lectione consequutus fuerit, si hactenus tibi ex eo, quod non ita
pridem edidit, specimine non satis innotuerit, vel istinc coniectura augurari poteris. Si quisquam enim purè
& tersè complicatam animi notionem euoluere, & mentis sententiam expedita facilitate dicendo
complecti poterit, aut rerum momenta norit fœlicius: certè VVhitalzerus is ipsus est.
Sume ergo istinc (si me audies) ex hoc nectare quantum poteris: & quan-
tum delibaueris, (mihi crede) nunquam pœnitebit.*

IOANNIS IVELLI EPISCOPI SARISBVRIENSIS, ad Christianum lectorem præfatio.

LEGENTI mihi quoddam Hardingi nomine nuper editum σύνταγμα, Christiane Lector, eiúsque argumētum,& partes diligentiùs expendenti,illa Socratis Philosophi de accusatoribus suis habita quondam,cùm se ad Iudices defenderet,oratio veniebat in mentem: *Quemadmodum vos, Iudices, accusatores mei affecerint, nescio. Ipse quidem penè sum ab iis inductus, vt mei oblitus essem: vsque adeo nimirum probabiliter perorarunt. Quanquam vt ingenuè dicam, nullam omnino verā vocem miserunt.* Hoc modo de suis tum accusatoribus Socrates:idem nunc mihi de Hardingo licebit vsurpare. Ambo enim cùm causæ veritate,tum dicendi ad probabilitatem comparato genere pares sunt. Aristoteles de rerum,causarúmque naturalium obscura & dubia ratione sic scribit: *Quædam falsa probabiliora sunt quibusdam veris.* Veritas enim nonnunquam simplex ac nuda, & tenui vestitu amicta incedit:falsitas autem vt apparatu vndiq; conquisito & suis vniuersis se coloribus exornet est necesse. Itaque sæpe fit,vt fallamur,& pro vero falsum amplectamur. Atque hæc miseranda est hominum imperitorum conditio:neque enim aut ipsi se instituere atque informare possunt,aut quò de suis magistris iudicent,habent. Nulla vnquam nata est tā tetra ac pestifera hæresis,quæ non persuasa fuerit imperitis:nullum tam exitiosum venenum, quod non perpotarint ignari. Quare Hieronymus ait: *Nomine fidei infidelitas scripta est:* & Antichristus pro Christo coletur atque adorabitur.

Plato in Apolog. Socratis.

Hieronym. cōtra Luciferianos.

Vt ad ipsam autem rem controuersiæq; statum veniamus,quòd ego iustissimis rationibus inductus,& sola veritatis conscientia fretus,in frequētissimo cōuentu aliquando dixi in hisce causis,quæ nūc tractātur,nullā omnino luculentā nostris aduersariis vel scripturarū,vel Cōciliorū, vel priscorū patrū clausulā atq; sententiā,vel Ecclesiæ primitiuæ cōsuetudinē & exēplum suppetere, Hardingus nūc nō vnā dūtaxat alterámve sententiā,verū quēadmodū & ipse profitetur, & multi opinātur, crebra Scripturarū,Conciliorū,doctorum Græcorū simul & Latinorū testimonia,multáq; antiquitatis illustria exēpla,quibus cōtrariū euincatur,in mediū attulit. Loca notātur,& describūtur,verba perspicua sunt,miniméq; dubia:nec negari debet,& dilui,vt multis videtur,nūquā possunt. Cū hęc ipsa,tū cætera vniuersa Romanæ Ecclesiæ dogmata atq; instituta ab ipso Christo, suísq; Apostolis perpetua quadā cōtinuatione ac serie deducta esse,& annis mille quingētis triginta plus minùs inueterasse & obtinuisse omnes iā ferè verissimū certissimúmq; esse iudicāt. Itaq; nostrā in verbis cautio rē quādā moderationē,attentionémq; nōnulli sæpe desiderarūt. Hoc nimirū est, quod Aristoteles *Falsitatē nōnunquā veritate probabiliorē* esse dixit. Nulla re citiùs indocti,q̄ antiquorū patrū nomine atq; authoritate fallūtur. Ariani hæretici vetustū illū patrē Origenē, Nestoriani Nicenū Cōciliū, Donatistę Cyprianū,Pelagiani Ambrosiū,Hieronymū,Augustinū citarūt. Dioscorus hæretic⁹,Gregoriū,Cyrillū,Athanasiū improbæ suæ sententiæ authores fecit,atq; in Cōcilio apertè, nec minùs æquè,quàm nūc Hardingus,cōquestus est ad hūc modū: *Ego defendo dogmata sanctorū patrū: ego illorū habeo testimonia, non obiter nec in trāscursu, sed in ipsorū libris posita. Ego cum patribus eiicior.* Si se Diabolus in angelū lucis cōmutare,siq; in Christi nomine pseudoprophetæ venire possunt, multò quidē magis certorū patrum nomina venditare,& eorū se fuco oblinere quibusdā hominibus ludus est. Verùm vt istud cuiusmodi sit certius tibi cōstare possit, Christiane Lector, id te scire oportet,ne fortè in errore sis,hæc,quibus est vsus Hardingus,testimonia nec noua,nec inaudita,nec incognita esse cuiquam vel mediocriter in his causis exercitato:sed & à multis sæpe introducta ac obiecta,& penitus excussa,atque examinata,& copiosè iampridem à nostris refutata fuisse. Apparatū quidē nonnullū orationis,& verborū exquisitā supellectilē adhibuit Hardingus:nō tamē aut tantā, aut talem, quin ea,licet nō pari eloquētia (illa enim in hac causa minimè est necessaria) at maiore certè veritate repelli possit. Neq; verò dubito,quin postquā æquo iudicio,quid nostrū vterque scripserit,expēderis,facilè tu quidē antiquos patres,partim qui nunquā extiterunt ab Hardingo fictos, atque suppositos,partim insigniter ementitos,partim vitiosè conuersos,partim malitiosè expositos, partim ineptè & fallaciter adhibitos:illorū autē verba nunc contracta,nūc producta,nūc immutata, nunc celata:postremò commentitia & obscura testimonia,nuper ex tenebris eruta:argumenta puerilia ridiculè conclusa:innumeras denique notissimásque falsitates confidenter asseueratas esse perspexeris. Cuius quidem rei ratio Augustinum impulit,vt exclamaret, *O rerum naturæ obscuritas, quantum tegmen est falsitatis?* Proinde Socrates, *Non cuiuis argumento statim, vbi fuerit propositum, fidē adhibere, sed illud expendere atque penitus excutere oportere dixit.* Sæpenumerò namque aliter videtur,ac est. Extra firmum apparet,intus imbecillum existit.

In Con. Calced. Act. 1.

August. de morib. Manic. lib. 2. cap. 16.

Agesilaus Lacedæmoniorū rex cùm hostes suos,vt & corporum breuitatem imbecillitatémque tegeret,& proceri atque robusti viri videretur,tunicas sibi dēsas ac talares comparasse animaduertisset,eámq; fraudem ipsius militibus terrorem nonnullum iniecisse sensisset,victis illis ac in prælio occisis vestiměta detraxit,& nuda corpora militibus suis spectāda proposuit:quorum macie,tenuitate,gracilitate,& dissimili prorsus ei,quæ videbatur,habitudine perspecta,ad suos tum milites orationem conuertit: *Hi nempe sunt,quos adeo extimuistis:hæc illa sunt vasta corpora,hæc ingentia ossa.* Simili ratione(Lector optime) siquidem hæc pertimescis Hardingiana testimonia atque argumenta,eáque formidolosa inprimis & inuicta esse iudicas,vt pote distenta, atque artificio quodam elaborata singulari:illa in manus sumito,dissuito,euoluito,explorato,expendito,enudato,excutito,cū locis ipsis,vnde sunt petita,comparato:causas atque circunstantias examinato:temporis illius historiam obseruato:aliorum patrum iudicia consulito:mihi crede,causam fuisse,quamobrem ea vel reformidares,vel inexpugnabilia duceres,miraberis.

Optandum profectò,votísque omnibus à Deo expetendū esset,vt cœlestis eius veritas nullis discrepantium iudiciorum dissensionibus impedita, vbique facilè obtineret,& omnes ad se mortales conuerteret:quod autem secus accidit,id multos pietate & sapientia præstātes homines vehemēter habet solicitos. *Luca.* Ita tamē ab ipso rerum initio semper vsuuenit: Cainus Abelo, Iacobo Esaus hostis fuit:imperium tenebrarum cum lucis regno bellū ἄσπονδον perpetuò gessit.Scribæ atque Pharisæi Christum oderunt:Euangelij splendorem Celsus,Porphyrius, Iulianus, Symmachus ferre non potuerunt.Christus ipse offendiculi lapis est,in multorum & resurrectionem,& ruinam positus. His interim scandalis atque dissidiis fit,vt diua veritas erumpat, & multò illustriùs ac splendidiùs elucescat.

Quare Dei nomen immortaliter laudetur,qui hanc nobis ansam dedit.Planè enim mihimet persuasi fore,vt ex hac necessaria conflictione aliquam Deus pro sua clementia eliciat scintillam, quæ ad ipsius gloriam faciat.Quemadmodum enim Mosis virga virgas Magorum deuorauit, ita etiam terrorem veritas diuina absumet atque conficiet.Lucem enim tenebræ fugiunt. Tertullianus scribit: *Scriptura diuina hæreticorum fraudes & furta conuincit,& detegit.* Et Nehemias ait: *Magna est veritas & praualet.* *3.Esdr.4.*

Atqui prædixit nobis Hardingus,idque minaciter responsionem nostram(siue vera, siue falsa foret)celeriter refutatum iri.Quanquam si voluerit apertè ingenuéque agere,& integra nostra proponere,atque ad integra respondere,quod me in suis fecisse videt, plus aliquantò forsan temporis sumpserit ad refutandum.Sin autem scripta mea delumbauerit,& verba seposuerit,& sententias selegerit,nec vllam vel antecedentium,vel consequentium rationem habuerit: siue eiusmodi nobis commentariolos transmiserit,quales nuper vnà cum rebus Turcarum in Malta recens gestis conscripsit atque edidit,præmoneo mihi nō satis esse ad respondendum otij. Veruntamē priusquā ad secundi voluminis cōscriptionem aggrediatur,consilium ei dederim,vt prioris libri vitia atque errata diligenter animaduerteret,sibíque in posterum persuaderet,quicquid tandem scripserit, examinatum,suísque momentis ponderatum iri.Sic autē statuat,non iam satis fore, vt nos sacramētarios atque Hæreticos appellet:nostráque scripta tanquam sordes, & quisquilias, & mendaciorum cumulos antè damnet,quàm ea vel legerit.Nō enim ista deinceps pro argumētis valebunt. In primis autem nulla posthac falsa conscribat(nam falsorum satis,supérque iam priùs edidit:) scripturas ne torqueat:patres sanctissimos ne ementiatur,ne perperam interpretetur,ne corrumpat, ne peruertat:Cōcilia,Canonésque antehac inauditos ne fingat:Amphilochiū,Abdiam,Hippolytum, Clementem,Leontium,aut quenquam huiuscemodi puerilem, suppositìtiúmque authorem ne introducat:Coniecturas,visa,insomnia,fabulas ne adhibeat:alterum pro altero ne afferat: denique pugnātia sibi ipsi & contraria ne dicat.Cæteroqui quantò vehementiùs contenderit,tantò magis causam suam prodiderit.

Iam verò,Christiane Lector,quò facilius posses tum tuæ ipsius in hisce controuersiarum fluctibus satisfacere conscientiæ:tum & quid obiiceretur,& quid ex alterutra parte responderetur,certò cognoscere,Hardingianum tibi librum ipsum nulla ex parte diminutum,plenum atque integrum, quemadmodum est ab ipso Hardingo diuulgatus,proposui.Deinde ad singulas eius particulas nostram,qualem scilicet facultas præstare mea potuit,adiunxi responsionem:luculentámne, an secus, tuum erit iudiciu m.Tibi dedicatur,tua causa perscribitur.Hic te iisdem verbis affari placet,quibus suum lectorem Hieronymus in simili causa affatus est: *Quæso, Lector,vt memor tribunalis Domini,& de iudicio tuo te intelligens iudicandum,nec mihi,nec aduersario meo faueas,néve personas loquentium, sed causam consideres.* *Aduersus erro. Ioannis Hierosolymitani.*

Deus tibi intelligentiæ spiritum largiatur,quò integrè iudicare possis. Deus tibi oculos donet, quibus lætissimum,gloriosissimúmque Diuinæ veritatis aspectum cernas,vt bonam,benignam,perfectámque Dei voluntatem intelligas, vt in virum in Christo Iesu robustum adolescas, nec quouis deinceps inanis doctrinæ vento iacteris,sed vt vnicum,verum,viuentémque Deum,& eius vnigenitum Filium,Iesum Christū cognoscas, cui cum Spiritu sancto omnis honor & gloria in perpetuum tribuatur.Amen. Londini 3.Nonas Augusti. 1565.

Ioannes Iuellus Sarisburiensis.

IOANNIS IVELLI ANGLI, EPISCOPI SARISBVRIENSIS VITA ET MORS.

EIVSQVE VERÆ DOCTRINÆ DEFENSIO, CVM REFVTATIONE QVORVNDAM OBIECTORVM,

Thomæ Hardingi,
Nicol. Sanderi,
Alani Copi,
Hieronymi Osorii Lusitani,
Pontaci Burdegalensis.

Laurentio Humfredo S. Theologiæ apud Oxonienses Professore Regio, Autore.

Loci communes & præcipui, qui in hac Iuelli vita & morte tractantur.

REVERENDISSIMIS IN CHRISTO PATRIBVS, D. MATTHÆO PARKERO, ARCHIEPISCOPO CANTVARIENSI, ET D. EDVVINO SANDO EPISCOPO LONDINENSI, LAVRENTIVS HVMFREDVS. S.D.P.

IVstus perit, ait diuinus propheta, & nemo aduertit: Iuellus certè obiit, & non ita multi attendunt. Siquidem magna est iactura, amissio Iuellorum, & in terra clarissimorum virorum occasus est quasi maximorum in cœlo luminum extinctio aut obumbratio, perinde ac si ex anno ver, aut è mundo tollas lucidissima sydera. Non quòd illis obscuratis & obũbratis, CHRISTVS verus Sol, aut Ecclesia Luna amplius non maneant, aut quòd illis sanctissimis hominibus defunctis malè sit, qui meliore iam & amœniore conditione fruuntur, sed quòd ex illo luctuoso sanctorum hominum interitu Respub. graue detrimẽtum, & Ecclesia pestiferum vulnus accipit. Ego verò in hoc tempore non constitui Iuelli mortem deplorare, quia ille post obitum & funus est & dici debet beatus: & vlcus refricare serum est, maximè cùm dolor ille quem omnes in recenti plaga sensimus, iam diu in animis multorũ resederit. Quatuor autem potissimùm, obseruandissimi Patres, agenda mihi & tractanda esse in hoc primo orationis meę ingressu animaduerto: Primum cur de Iuello omninò scribendum videatur: Deinde cur serò cœperim & paulò tardius absoluerim, tum cur vestro nomini in primis hunc qualemcunque librum inscribendum existimarim: Postremò, vt quid nos in hoc mortui hominis speculo contemplari, & quid vtilitatis inde capere oporteat, aperiatur.

1. De Iuello quę causa scribendi.

Non hominibus placeo, & vt omnibus non dormio, ita neque seruio: nec cuiusquã mortalis Apotheosin compono, nec sanctos canonizo: hæc enim vel palponum vel Paparum sunt priuilegia. Me verò ad scribendum nonnullæ nec leues causæ impulerunt. Non minimum calcar est vestra, ornatissimi præsules adhortatio, qui Iuellum viuum, vt germanũ in Christo fratrem amplexi estis, & mortuum vt præclarum cœlorum ciuem honoratis. Ita nec vestrum in illum officium non laudari, nec meum in eius virtute concelebranda studium vituperari rectè potest. Sapientissimè monuit sacrorum Prouerbiorum author, Memoria iusti benedicetur, sed nomen impiorũ sordebit. Altera causa est Iuelli propria & priuata, quoniam nefas videri possit, vt qui omnibus suis diurno & nocturno labore pro-

desse studuerat, tam citò ex animis omnium elabatur: & planè iniquum, vt cuius vita & monumenta hominibus nostris magnum adiumentum attulerant, is totus vt ignobilis & inglorius sepeliatur. Cur enim homo tantus ceu canis, aut vt è multis vnus, aut vt planè nullus obscurè moritur? Cum Homerus suum Achillem & Vlyssem Prędicarit, Hesiodus deorum suorum genealogias descripserit, Balæus noster illustrium scriptorum in Britannia Cẽturias ediderit, aliíque alios summis laudibus extulerint, cur nomen Iuelli nostra culpa in hoc albo non recensebitur, cuius scripta causæ communi plurimum ponderis & splendoris addiderunt, & qui Ecclesiæ nostræ decus & ornamentum extitit? Quamuis autem suis ipse scriptis viuet, eiusque fama toto hoc orbe Britannico diù & latissimè & longissimè vagabitur, hoc tamen ipsius meritum est, non nostrum beneficium. Est & alia causa & præcipua & publica, vt doctrina, quàm verbi diuini inductu & spiritus sancti instinctu, & Regiæ Meiestatis iussu & auspiciis, Ecclesia Angelicana profitetur, & quam omnium Anglorũ nomine Iuellus amplissimis voluminibus acerrimè propugnauit, etiam hęc memoria teste & viua & vera suffragatrice comprobetur: & quoniam doctrina illa digito Dei animis piorum impressa, Doctorum voce cõtinuata, in hoc etiam opusculo nostro defenditur, non obfuerit, credo posteritati hunc rerum Iuellicarum commentariolum legere.

2. Causa morę.

Hæ sunt causæ scriptionis: & cessationis non pauciores nec minus iustę reddi possunt. Si in occupationes priuatas & publicas, quibus sanè districtissimus fui, culpam conferrem, peruulgata fortassis & putida nonnullis causatio, sed his qui me & res rationésque meas propius aspexerunt, honesta & necessaria videretur excusatio. Quid enim cõmentari animus in mille curas distractus, aut quid scriptis mãdare potest is, cui iam diù vix aliquã partem cogitationum aut tẽporis licuerit ad huius operis & muneris perfunctionem seuocare? Qui meum otium tanquam segne & iners damnabunt, & hanc cunctationem crimini dabunt, ne illi, si ad ea quæ foris sunt, & quę longo interiecto interuallo vident eminùs, aliquantulum conniuerent, & domi seueriores & paulò vigilantiores oculos circumferrent: & hîc minus esset quod agerent, & amantiùs facerent, & illic operam suam collocarent meliùs. Illud, credo, nemo non confitebitur, antequam de genere, patria, vita, obitu, moribus, & aliis & eiusmodi, maximè in locis disiunctis, & in rebus à cognitione nostra remotissimis aliquid certũ & exploratum haberi posset, maximam anni partem præteruolare, & tempus ipsum velox esse & fugax, & nos homines lentè festinare: & nisi vos operam vestram interposuissetis, nisi D. Parkhurstus Episcopus Noruicensis, nisi Ægid. Laurentius, Ioan. Iuellus frater, & I. Garbrandus, & alij me de quibusdam certiorem fecissent, non tam facilè nec tam fœliciter, quãuis in vtroque nonnihil claudicatum est, inchoato operi extremam manum imposuissem. Quinimo præterquàm quòd literæ ad me vestræ aliquantò tardius correptarunt, pestis etiam Oxoniæ longè & latè populata nos dispersit: itaque cùm Musæ rusticari & peregrinari, imò & feriari cogerentur, non potui soluto & vacuo animo in eam cogitationẽ incumbere, libraria præsertim supel-

ſupellectile destitutus: & conuenientius esse ducebã, aliquam viuentium λοιμῷ καὶ λιμῷ periclitantium curam habere, quàm commendare mortuos: quibus temporibus exulceratiſſimis multorum beneficentiam experti ſumus: & tuorũ imprimis Londinenſiũ, ornatiſſime Sãde, tũ ardentiſſimæ charitatis viſcera, cõdolendo, tũ etiã officia largiẽdo ſenſimus. Statueram etiam alia longiore via rem aggredi, & vnà cum hac hiſtoriola ſcholaſticę vitæ ſpeculum coniungere, quòd eius tota vita & ſtudioſorum calcar, & ſtudiorum norma, & indefeſſæ cuiuſdam diligentiæ ſingulare ſpecimẽ eſſe potuiſſet. Sed dum in ea re aliquid temporis inſumptum eſt, mutaui ſententiam, gratius Lectori futurum arbitratus, ſi continuam & ſimplicẽ hanc Narrationẽ vno intuitu videret, quàm ſi Iuellum per partes, & per interualla deſcriptum aut potiùs diſcerptum cerneret. Cogitabam præterea exorituros quoſdam qui defuncto inſultarent, quæ coniectura me non fefellit, quorum ego cauillis hac eadem opera aliquo modo occurrendum iudicaui. Hi ſunt mores & morſus Sycophantarum, qui cùm caput petere & vitam adimere non poſſunt, exiſtimationi tamen noſtrorum in aſſerenda Religione Principum obtrectare non deſinunt. Sed bene ab illo dictũ eſt, Mendax infamia non polluit virum integrum.

Bernardus.

Vt autem Iuellum vobis dedicarẽ, optimis & maximis rationibus ſum adductus. Quò enim rediuiuus iam ſe conferret, niſi ad vos? quorum beneficio & opera quodammodo in vitam ac lucem reuocatus eſt? à quibus ſcriptionis huiuſce meæ cauſa & occaſio profecta eſt? qui teſtes locupletiſſimi, intimi, & propè domeſtici eſtis, quam ille operam, fidem, ſtudium, patriæ, Eccleſiæ, Reip. nauauerit? Cùm etiam non ignorarem Momorum & Criticorum plena eſſe omnia, & hunc meum laborem in varias multorũ reprehenſiones incurſurum, in veſtrum præſidium quaſi in portum me recipere volui, vt vos qui propter prudentiam & authoritatem poteſtis, & propter officij & dignitatis rationem debetis, me, imò Iuellum, imò Iuelli doctrinam, imò Chriſti cauſam multis vndique procellis iactitam veſtro patrocinio tegatis, & ab omni maledicarum linguarum petulantia vindicetis. Ego ſi onus quod impoſuiſtis, non pertulero, ſi ſuccubuero, vos culpam & pœnam præſtabitis, quòd artificem delegeritis, & parum ſcientem & minùs otioſum, qui nec auſus fuiſſet ſuſcipere propter quarundam rerum in tali opere neceſſariarum ignorationem, nec ſatis dignè aut ornatè conficere potuit per negotia. Hiſtoriam ſcribere, vt pulchrum, ſic difficile & periculoſum, quòd rariſſimus ſit qui alicubi nõ offendat: & Iouius à Sledano, & Sledanus à Surio, & Surius à multis, & nuper Polydorus Virgilius à Ioanne Priſeo in hiſtoria Britannica reprehenditur. Sic & mea cenſores aliqui notabunt, & alius aliud carpet, vel moroſus, cui nihil placet, vel curioſus, qui nodum in ſcirpo quærit, vel inuidus, qui Themiſtoclem perperàm æmulans, nullum præconium aut acroama, nullius vocem libẽter audit, niſi eius, à quo ſuas laudes prædicari intelligit, vel cæcus, qui de coloribus nõ iudicat, vel fortaſſis etiã perſpicax, qui meã in aliquib. cõniuẽtiã, vel me abſente nonnullã operarũ dormitationẽ aut oſcitantiã deprehẽdet. A quo, itémque à vobis illud enixè peto, vt aut candidè iudicetis, aut amicè iudicetis. Etenim cùm ſcribẽdo graue temeritatis vitiũ, ſilẽdo grauiſſi-

3. Cauſæ dedicationis.

Scriptor.

mam ignominiæ labẽ subiturũ me prouiderẽ, vt qui fidem vobis datam non liberarem, & cùm ex duobus malis minimum semper eligere sapiẽtes moneant: malui loquax quàm mutus, ineptus quàm ingratus, temerarius & audax, quàm omninò leuis & perfidiosus videri.

Iuellus. Iuellus quoque vestræ defensionis vmbrã implorat, quem mortuũ & immeritum non solùm vocis conuitio, sed etiam scriptorũ aculeo quidam concidere erubuerunt. Non dicam omnia quę disseminarunt, quoniã ipsi authores & suo & aliorum iudicio reuincũtur, & multas vanitates tempus ipsum iamdiu refutauit, & nos quædam in Historia attigimus. Nuper autẽ famosi libri quasi sturni aut infaustæ aues horrẽdo stridore, magno agmine prouolarunt, contra hunc singularem veritatis assertorem garriẽtes. Euolauit N. Sanderus Louaniensis scholę nimiùm diligens auditor, obstridens, hunc nostrum esse pseudoepiscopum Sarisburiẽsem, in suggestu iuueniliter exultasse, quòd affirmarit nullum locum è sacra Scriptura, in quo Pontifex Romanus vniuersalis Ecclesiæ caput diceretur, proferri potuisse, Tho. Hardingum eum viriliter repressisse, & ea protulisse quæ Iuellum eò tandem redegerunt, vt per edictum Regium curaret, huiusmodi libros interdicendos & abdicandos: adiecta etiam mulcta, & minis terrore plenis, si quis eos tenere apud se deprehenderetur. Euolarunt etiã & alij transmarini cuculi eandem raucam Sanderi vocem imitantes & vanissimam cantilenam occinentes, & inprimis ille graculus Burdegalensis Pontacus, declarans & denuncians, Iuellum esse Hęresiarcham, Superintendentem, Pseudoepiscopum, hunc magna volumina mendaciis refertissima bis scripsisse, huius calumnias Hardingum, Sanderum, Heskinum, Alenum, Rastallum, Dormerum (Dormannum dicere voluit) Martialem & alios ita detexisse, vt hactenus ipse & asseclæ siluerint, & iam prorsus obmutescere videãtur.

Religionis defensio contra aduersariorũ calumnias. Cęterùm istorum obiectionibus in libro respondimus: quem nostrum conatum & studium, vestræ, Patres, censurę, & Iuellum, eiúsque Catholicas assertiones vestræ approbationi & protectioni commendo, nec illum solũ, sed vniuersam religionis nostrę causam, eoq́; magis quòd huic quoque obstrepunt: contra hanc, contra doctores nostros, contra Episcopos, contra Principem, imò contra Christum omnia probra promiscuè & procaciter congerunt: quibus satis est cum Pilato dicere, Quod scripsi, scripsi, aut cum malis Rhetorculis pessimè concludentibus, dixi. Olim istuc, olim dixit Zoilus, se ideò malè dicere, quia nescit aliter malè facere. Olim istuc dixit sceleratus Parasitus Alexandri Medius, Quoduis crimen in quemuis sine fronte intendendum, vt licet vulnus eius qui delatus est sanetur, cicatrix tamen maneat. Euolauit & alia Pica Lusitana Hieronymus Osorius, qui sibi musica luscinia videtur, dum aduersus nostra Sacramenta, nostram Ecclesiam, nostram fidem, nostros proceres, ferales & funestas voces emittit: dum cãtillat nostros Episcopos homines infimos ex triuiis & tabernis arreptos esse, non vitę castitate, non sacrarum literarum eruditione, non eloquentię gloria commendabiles, indignè in ista dignitate cõstitutos, Buceri aut Martyris tantùm discipulos, & à Caluino institutos, sine vlla ceremonia consecratos, Põtifices obscuros & tenues, Theologos prorsus ignaros, ideò electos, vt vectigalium parte contenti, reliqua omnia magnatibus

& au-

& aulicis,fisci nomine diripienda concederent. Has crocitationes isti homines nostri status imperitissimi, & audacissimi contra nos demurmurāt: vnde non solùm professores nostros in odium & contemptum vocāt, verum etiam ipsi rei Ecclesiasticæ & religioni quasi securim iniiciunt. Exauditi sunt & alij garritus istarum auicularum contra HENRICVM 8. EDOVARDVM 6. & ELIZABETHAM serenissimam Reginam, multósque præterea nostrę religionis excellentes patronos & columina. Vidit quoque prudentia vestra & magno cum dolore vestro, & malo nostro vidit, quomodo iamdiu papismus extrema quæque tētarit, libris, suggestionibus, coniurationibus, armis, Bullis, & vt verbo vno scelera omnia complectar, omni Satanæ artificio & tormentis: Vidit quomodo Maiestatem Regiam lædere, & nuperrimè prudētissimos & fidelissimos quosdam eius Consiliarios virulento scripto iniustissimè proscindere non exhorruerit: vt iam ipsa pericula vos expurgefaciant & extimulent, laborantem causam omnibus manibus & humeris suppositis fortiter erigere & subleuare: ne si purissima Christi religio meliùs ac meliùs, vestra ope ac arte constituta & fundata non sit, ventis aduersis flantibus, & inundatione erumpente concutiatur & labefiat.

Papismi ars & mars.

Equidem dum singularia erga nos Dei beneficia, vineæ culturam, torcularis fœcunditatem, turris amplitudinem, speculatorum quorūdam vigilantiam, sepimenti securitatem, omnium colonorum pacem & beatum otium animo & cogitatione verso: vberem vindemiam & suauissimas vuas & spero & Angliæ ominor, & Dominum loquentem audire videor, Quid erat faciūdum Vineæ Britannicæ, quod ei non fecerim? Rursus cùm Apri syluestris callidissimas & creberrimas incursationes, operariorū multorum & imperitiam & desidiam, & acerbas nostrorum hominum labruscas & sentes ratione & mente perlustro: alia rerum facies se oculis obiicit, aliæ prædictiones se auribus ingerunt, ex Esaia, Festinabunt ædificatores tui qui te euertunt: ex eodem, Speculatores eius cæci sunt: & ex Esdra, Rehum & Simsai Scribæ properè Hierosolymam iuerūt, vt Iudæos opus Dei facientes brachio & vi impedirent: & apud eundem alij dicūt, Ædificabimus vobiscum. Scilicet hi sunt ab omnis temporis æternitate diuini Templi oppugnatores, aut insidiosi hypocritæ, qui clanculū surrepunt, & quod dextera extruxerunt sinistra destruunt: aut manifesti hostes non aurū non gemmas, vt Iuellus, sed fœnum & stipulas, vt pseudoapostoli, inædificātes, aut otiosi & imperiti architecti seu spectatores potiùs, qui nec promouent nec mouent pedem, nec materiam ad domum Dei manibus comportant, nec saxa incidunt, nec ligna dolant, nec quicquam opis Ecclesiæ extruendę afferunt: sed eorum omnes nerui in hoc intenti semper fuerunt, vt religionem nostram vel nascentem resecarent, vel adolescentem peruellerent, vel etiam iam maturescentem extinguerent. Hos omnes Romanę Curię assectatores & hic & infrà & sæpe & semper hortor & hortabor, siue hîc lateāt domi, siue degant peregrè, vt vocationis suæ & talenti concrediti memores sint, nec velint ampliùs populo imponere, non ampliùs cōtra Esaiæ vaticinium pro auro æs, pro ęre ligna, pro argento ferrum, pro ferro lapidem offerre, non Gibionitarum more fingere, nō putridis vtribus, detritis pan-

nis, mucido pane, id est, antiquitatis suæ prætextu & fucis ac fabulis Ecclesiæ Dei insinuare: sed potius relicta Moabitide cum Rutha conuersa in agro Dominico spicas legant, & nobiscum huius terræ sanctæ bona comedant, & Petri Romani ficta & fragili nauicula & humanis retibus abiectis, Christũ cum vero Petro sequãtur. Vos autem reuerendissimi Præsules, his Pseudoapostolis sub iugũ missis, Iuellos aut istis certè meliores præficite, qui vt Vates scripsit, terras instaurẽt, tribus Iacob erigant, vastitates Israelis reducant, qui dicãt vinctis, Exite, & his qui in tenebris sunt, Reuelemini.

Esa. 49. Exemplar ministrorum Iuellus est à nobis hoc loco propositus, sed ille animo optimè constitutus, secunda fama fœlix, ingenio præstans, literarũ opibus cumulatus, maximis optimorum ciuium suorum studiis & gratia beatus, decessit. Sint, sint si non pares, at non multò peiores qui succedãt, qui legitimè fœnerentur, vt quamuis Aristotelicè nũmus nummum non gignat, tamen Christianè Gemma gemmam, & Euangelici patres etiam alios atque alios Ecclesiæ patres semper pariant. Cur enim homo natus & editus est, nisi vt Deo imperante & verbo subseruiente alius populus ex ipso renascatur? nisi vt fratri demortuo semen sanctum suscitet? nisi vt sui patris cœlestis nomen ab interitu, memoriam ab obliuione, gloriam à calumnia, Ecclesiam ab incantatrice hæreticorum fistula vindicet? nisi vt filios Euangelicos verbo per spiritum generet? Sat vixit, quisquis naturæ benè ad saturitatem, sibi beatè ad salutem, aliis vtiliter ad solatium, Deo gratè ad gloriam vixerit. Non vixit qui nullam ex se reliquit sobolem, qui arbores alteri non serit sæculo, qui populo futuro sermonem non annunciat. Ecclesiæ propagatio quædam & quidem singularis est perpetua veræ doctrinæ ex cathedra Christi successio. Etenim vt nos hodiè propterea in fide confirmatiores & magis fundati sumus, quòd eam à Christo, ab Apostolis, à patribus, & ab ipsa prima & nouissima hac Ecclesia quæ syncerita-tis & veritatis discipula fuit, imbibimus: ita discent posteri ab hoc nostro sæculo & à maioribus suis, nostrámque in religione consensionem, & mutuam fidei confirmationem libenter audient. Quanquam Osorij reprehensio quàm friuola sit, & pòst dicemus, & D. Haddonus ostendit, & omnes qui omnem pudorem non abiecerunt, nobiscum testari possunt: & ipsa res loquitur, Angliam non ita esse infœcundam, quin Zephyro diuinę bonitatis afflante possit non modò flores sed etiam gemmas & Iuellos producere: quę etiam nunc doctissimis ministris & Episcopis, aliisque clarissimis viris abundant, qui & differendo domi & scribendo publicè valeant, non modò cuniculos domesticorum hostium perspicere, verumetiam externorum hominum consilia & Enthymemata euertere, & quid monstri Tridentina Synodus alat, quid struat, maturè cognoscere, & prudẽter declinare: qui Romano Baali genua non curuabunt, qui Arcam Dei Palæstinis inuitis reuerenter portabunt, & fortiter sustinebunt, & stercora solennitatum & ceremoniarum Tridentinarum, in quibus circumscripti illi patres seu scarabæi se & suos quotidie volutant, proiicient, & rursus in facies ipsorum spargent.

At enim, ô patres, quò plures Iuelli similes hæc terra nostra protulerit, eò ma-

eò magis veſtra in gubernanda naue ars & fœlicitas deprecabũtur,& Euã-
gelij fulgur Chriſtíque gloria fuſiùs propagabuntur, & Romanæ Hydræ
capita magis ac magis amputabuntur. Atque ô térque quatérque beatos E-
piſcopos,ſi fideles in domo Domini famuli,ſi docti in Chriſti Gazophyla
cio trapezitæ,ſi in grege paſtores vigilantes, & in agro excubantes, & ſe-
cundum aduentum Seruatoris expectantes,& Angelicum & Euãgelicum
carmen audientes & annuntiantes,ipſorum ſedulitate, dexteritate, & ſa-
pientia conſtituantur. Ibi enim breui non ſolùm Dagon ille vt truncus ia
cebit,ſed & manuum palmæ,& pedes ſi qui reliqui ſint, abſcindentur, &
religio non modò defæcata reddetur, ſed ſtabilis & inconcuſſa perſiſtet.
Aureum eſt dictum illud Solomonis, Argento ſcoria & rubigo ſi auferan-
tur, vas puriſſimum euadet, Ibi cæca hæc Papiſticarum viperarum proge-
nies Ioannis Baptiſtæ prædicatione & doctorum ſermonibus rectiùs in-
formata reſipiſcet: ibi ſimplex popellus illum magnum Archiſynagogum
Romanum admirari deſinet. Quanuis enim ad intuitum Cameli inuſitato
colore & magnitudine,& ad aſpectum monſtroſi hominis bicoloris, cor-
pore partim nigro, partim candido, æquabiliter diſtincto, quas duas res
nouas Ptolomæus in Theatrum ad captandam beneuolentiam aduexerat,
Ægyptij primùm quidem attoniti obſtupuiſſent: pòſt tamen non ſolùm
non admirationi ſed riſui fuerunt,& contemptui ſpectantibus. Ita futurũ
valdè confido, Domino plures Iuellos & prophetas in vineam ſuam ex-
trudente, vt bicolor, imò tricolor hic & triceps Papa omniũ ſannis è thea-
tro Eccleſiaſtico eiiciatur, omnéſque eius Cameli & merces, quas huc ſecũ
importauit, ſummoueantur & vileſcant. Scilicet vehementer illi quidem
hallucinantur, qui Euangelicam margaritam ſine æneis Romaniſtarum
calculis non poſſe ſatis exſplendeſcere arbitrantur: etſi Pontifex ipſe credit
ſe Anglicanæ Eccleſiæ Atlantem eſſe, & illam hac ludicra negotiatione
ſua vel ditari vel conſeruari: næ ille Phrenetico cuidã videtur ſimillimus,
qui, vt proditum eſt, continuè erectas in cælum manus tenebat, nec ad ho-
rulam comedendi quidem cauſa demittere volebat, ne cœlum rueret, cùm
tamen curatorum ipſius prudentia, illo inſano abducto, & columna ſup-
poſita, cœlum non minùs quàm priùs ſtetiſſet. Enimuerò ſtolidè imagi-
natur ſine ſe & ſua mercatura nec Eccleſiam noſtram poſſe cõſtitui rectè,
nec Deum coli purè, nec hoc cœlum Anglicanũ diu conſiſtere. Deus opt.
max. concedat, vt ſicuti ex filice non viua aut creſcente, ſed in puluerem
redacta vitrum conficitur, ſic ex Iuelli cineribus noui Phœnices, & diuina
inſpiratione,& veſtra diligentia, fide, monitis continua doctorum ſeges
exoriatur.

Quartus locus eſt, huius Hiſtoriæ vtilitas. Primò, ſpeculum eſſe poteſt
ſtudioſorum & Academicorum, vt cùm viderint à quibus initiis Iuellus
exorſus ſit, quam viam inierit, quam ſtudiorum methodum & rationem
obſeruarit, quàm grauiter & acriter inſtiterit, & omnia perſequutus fue-
rit, quàm fœliciter & ſine vlla penè offenſione & ſcopulo ipſum ſcopum
attigerit: eodem modo, iiſdem velis & remis ſibi contendendum & con-
nitendum putent, qui ad eandem excellentiam & ad eũdem portum aſpi-
rare cupiunt. Non illum ab inſtituto voluptatum illecebræ auocarunt, &

4. Vtilitas triplex.

ab illa sua studiorum contentione vix aliquid temporis ad vires redintegrandas seiunxit, ita vt licet mors citato gressu in nos omnes insiliat, ille se laboribus macerando pedibus eius quasi alas addidisse, & eam propemodum accersiuisse videretur. Et quid mirum est, eum hominem citò mori, qui nouos subinde ingenij fœtus edit? quippe cùm perspicuum & compertum sit, homines qui nihil pariunt succulentiore & vegetiore esse corpore, quàm qui se studiis & curis conficiunt, & arbores quoque infœcundas his quæ fœcundæ sunt esse firmiores?

Secundò, Speculum est Theologorum, vt non malè labores & cogitationes suas ponant, nec in res inutiles, nugatorias aut impias, operam conferant, nec animos infirmos & ægrotos in deteriorem partem applicent, sed vt in solidæ cognitionis indagatione versentur, & veritatem Iuelli exemplo fortiter contra omnia inimicorum iacula defendant, & Britanni cùm sint, illum clarissimum Scythicarum Ecclesiarum gubernatorem Britannionem imitentur, qui dogmatum impietatem & Valentis Imperatoris furorem in Christianos coarguit, diuinissimi Dauidis vocem vsurpans, *Loquebar in testimoniis tuis coram Regibus, & non confundebar.* Etenim nisi veritas continuata docentium successione propagetur, nisi errorum in dies gliscentium multitudo diuini verbi acie, tam voce quàm scriptis retũdatur, illa ab eloquentibus patronis deserta & derelicta, vix aliquem locum, in quo requiescat, inueniet, & hi in dies singulos, in hac decrepita & delira mundi ætate augescent & magis inualescent. Tertiò, Speculum est omniũ mortalium, in quo pallidæ mortis imaginem intueantur, quæ pauperum tabernas, diuitúmque turres pulsat æquo pede, scilicet communis & eadẽ senibus, iuuenibus, doctis, indoctis, singulis, vniuersis. Nam & ipse Papa qui nec homo est, nec Deus, tamen nõ immortalis in hoc sæculo, sed mortalis est, illi generali & capitali sententiæ subiacens, Terra es, & in terram reuerteris. Quod ceremonia quædam Romana suggerere ipsi & in mentem reuocare poterit, dum Papa Ecclesiam ad solennem missam celebrandam intrante, stupa accensa, Minister clamat, *Sic transit gloria mundi.* Vt enim flamma ascendit & consumitur, ita sæculi huius scena abit, omnísque Pontificalis pompa euauescit. Non est igitur contemnendum pij cuiusdam consilium quod studioso Bononiensi dedisse fertur, vt in molli lecto iacens, de illo duro Esaiæ lecto cogitet, *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermiculi.* Vt enim in naue existens siue comedat, siue bibat, siue ludat, siue laboret, siue gaudeat, siue doleat, ad portum semper fertur: sic mors omnis nostri cursus meta est, & omnium rerum humanarum extrema linea.

Esa.14.

Sed vt garrulæ epistolæ finis aliquando imponatur, & argumentum infinitum aliquo tandem fine terminetur, oro vos, Colendissimi Patres, vt Iuellum hunc meum excipiatis, erranti mihi veniã detis, Iuellum non meo sed suo pede metiamini, Deo omnium donorum inexhausto fonti gloriã tribuatis, qui nostros gressus in hac peregrinatione dirigat, vobis præluceat, sanctos conatus semper secundet, Ecclesiæ vniuersæ optimam benedictionem impertiat, vt cælestis patriæ hæreditatem cernamus, ductore & sospitatore vero Iehoua nostro Iesu Christo, cui cum Patre & Spiritu sancto

cto

cto sit omnis laus, honor, maiestas in omnem omnium seculorum perpetuitatem. Amen.

OXONIAE, Anno M. D. LXXIII.
Septembris. 28.

PRO REGNO ANGLIÆ, R. MAIESTATE, CONSILIARIIS, MINISTERIO, LAVRENTII HVMFREDI PRECATIO.

O Deus altitonans Mundi, cœlique Monarcha,
Qui mare, qui terras, infera quique regis.
Prospice de cœlo, Regnum spectato Britannum
En nunc confligunt spésque metúsque simul.
Quid non speremus, quid non timeamus amantes?
Spes metus, huc illuc, hæc vocat, ille trahit.
Anglia cincta mari est, circumfluit vndique potus.
Est spes nonnullo concomitata metu.
Hactenus afflauit Zephyrus, fuit aura secunda:
Spes est: mox portum, qui bene soluit, habet.
At mare fluctisonũ est, Syrtes, Pirata, Charybdis,
Saxa latent, scopulos nolle timere, furor.
Hæc, hæc vita mare est peramarum, nauigat omnis,
Qui viuit, sperat plurima, multa timet.
Nunc mare sulcamus, mare nũc ingressa Carina est,
Flatibus aspires, ô bone Ioua, bonis.
Sis prora & puppis, nostræ sis ancora nauis,
Et peregrinantis dirige vela ratis.
Ecce pius rector cecidit, cecidítque Iuellus,
Ecce alij multi iam cecidére duces.
Suffice nunc alios, qui clauum ritè gubernent,
Ne ruat in tumidas naufraga puppis aquas.
Præfice ductores populo, verbique ministros,
Ne desint ouibus pabula sana tuis.
Tales falce secas: tamen vt noua plantula surgat,
Annue, succrescant germina sancta precor.
Ampla tua est bonitas, grauis at maledictio nostra
Culpæ pœna comes, sic meruére mala.
CONSILIVM *Regale foue, sacrúmque Senatum,*
Qui semper CHRISTI *flagret amore tui.*
Quòd clemens pater es, speramus: deinde timemus,
Quòd iustus iudex atque seuerus eris.
Serua REGINAM *Pater, ô mitißime serua,*
Vt tua sit semper, sit quoque nostra diu.
Fœmineámque manum dextra fulcito potente,
Ne quasset teneram Scylla maligna ratem

Auspice Reginâ Diuinum Manna dedisti,
Spes est, at causa est nausea nostra metus.
Floret Relligio, spes est: sed marcet in horas,
Est metus: hanc solùm labra librique sonant.
Spes est, quandoquidem regnat lectissima princeps,
At quia mortalis, iam subit ecce metus.
Regnat iam prudens Princeps, sed fœmina regnat:
Viribus haud orba est, spes: metus, orba viro est.
O virgo ELIZABETH, *Phœnix & gemma regentum,*
O flos, ô patrij stella decúsque soli.
Heu cur non liceat semper producere filum?
Heu cur non semper viuere fata sinunt?
Heu fera Parca rapit proceres, non parcere cuiquã,
Nouit, præda huius Crassus & Irus erunt.
En fuit, en non est Babylon, nec Persica pompa,
Nec Græcum imperium, nec Latialis honos.
Spes est quòd fuerint, sed nunc non esse, timendum:
Spes est, esse quidem, porrò fuisse malum.
Quòd valet & viuit, tua magna potentia sola est:
Si moritur, nostrum est promeritum atque scelus.
Quòd populo præsit, quòd sit, iam spero, sed oro,
Vt semper iubeas esse, vel esse diu.
O vtinam viuat, viuat, serò vt moriatur,
Mortua pòst viuat, ne moriatur, Amen.

Cœlum & terra præteribunt, verbum autem Domini manet in æternum.
Dictum CHRISTI, & Symbolum Ducum Saxoniæ, & Georgij Marchionis Brandeburgensis, carmine redditum per LAVRENTIVM HVMFREDVM.

OMNIA transibunt, tellúsque polúsque liquescent,
Mundi pompa, decor, gloria, πάντα σκιαί.
Omnia transibunt, reges & regna peribunt,
Vires, castra, viri, fœmina, πάντα ἀνοδός.
Omnia transibunt, hominum sapientia, linguæ,
Scripta patrum, Canones, iuráque πάντα λόγοι.
Sermo Dei viuax, omni florescit ab æuo,
Hic erat, est & erit, cætera πάντα πόνος.
Sermo Dei viuax, flammas furiásque retundit,
Infringit Stygij tela cruenta Dei.
Dux patriæ, comes est vitæ, post sæcula iudex,
Lex morum, fidei lux, via, norma, salus.
Hoc cape, semper ama, sic te redamabit Iesus,
Hinc disces rectè viuere, ritè mori.
Hoc cape, sit cordi, sit curæ, sitque voluptas,
Hoc cape, crede, time, perlege, viue, vale.

Prolegomena.

QVI ex corporis huiusce vinculis & ergastulo liberati hinc decesserunt, non eodem modo omnes ab his qui superstites sunt accipiuntur. Etenim vel immodici & immeriti honores adhibētur, vel iniustæ pœnæ infliguntur, vel digna præmia laudis & gloriæ tribuuntur. Primum est hominum superstitiosorum & Idololatrarum, quales fuerunt gentes olim & Pontificij ethnizātes hodiè, qui vita functos religioso cultu & veneratione prosequūtur, eos in sanctorum numerum ascribunt, eorum nomen opémque quos ipsi crearunt implorant, his delubra condunt, aras construunt, imagines statuunt, anathemata suspendūt, suffitum faciunt, sacrificia offerunt, vota nuncupant, genua flectunt, horum anniuersaria & festa celebrant, loca & sepulchra inuisunt, reliquias colunt & magni æstimant. Quod eorum facinus eò detestabilius piis omnibus videri debet, quòd relicto viuo fonte, cisternas contritas & putidas sibi fodiūt, honorem à creatore ad creaturam transferunt, cùm id nec cum fidei Christianæ articulis, nec cum forma dominicę precationis, nec cum sacrosancto Decalogo cōueniat.

Fides est, vt in Deum solum credamus, in beatam scilicet Trinitatem, non in Ecclesiam siue militantem siue triumphantem, non in homines vel sanctissimos: & fidei præstantissimus Doctor Paulus affirmat, fidem & inuocationem ita inter se iugata & copulata esse, vt ad se mutuò referantur. Quomodo (inquit) inuocabunt in quem non crediderunt? vt in quo nostra fides conquiescit & recumbit, ad eum solum hoc priuilegium inuocationis pertinere concludat.

Forma orationis quam Christus omnium precum nostrarum quasi idæam & effigiem perfectissimam reliquit, iubet nos orantes non Matrem, sed Patrem nostrum cœlestem adire, ipsum appellare, rogare, vt ipsius nomen, non aliorum hominum sanctè colatur, ipsius regnum veniat, ipsius voluntas fiat, quoniam ipsius est regnum, & potentia, & gloria in omne æuum.

Decalogus habet: Ego sum Deus tuus qui eduxi te è terra Ægypti, è domo seruorum: Non erunt tibi Dij alij coram me, non facies tibi sculptile, neque vllam similitudinem eorum quæ sunt in cœlo sursum, neque eorum quæ sunt in terra deorsum, neq; eorum quæ in aquis subter terram: non incuruabis te iis, neque coles ea: Ego enim Iehoua Deus tuus, Deus zelotes, visitans iniquitatem patris super filios &c.

Quamuis autem nonnulli suum commentum de Polytheia antiquitatis colore fucare soleant, tamen Augustinum, Lactantium, alióśque sanioris iudicij priscos huic nostræ opinioni de vnius Dei inuocatione suffragari certum est, & in aliquot Patribus spurij non pauci nonnulla affinxerunt: quale est illud, quod in vita Cypriani à quodam neoterico & notho successore ineptè adiectum est: Nos ergo fratres oremus Omnipotentem Deum pro serenissimo Imperatore Carolo, quatenus qui per beatum Cornelium Papā & martyrem de Romanis partibus ob munimen sui cunctorumq; fidelium sibi proximare fecit, ac nos de tam magno patrono honorauit, per suffragia huius incliti martyris, beatitudine perennis vitæ sibi concessa, sanctorum omnium quos venerabiliter excoluit, consortia adipisci mereamur.

EXISTVNT etiam alij nimium crudeles & phrenetici, qui vel huius superstitionis suæ velut œstro perciti, vel zeli & choleræ suæ facibus inflammati, vel odio quodam bonorum hominum incitati, mortuis non modò benè non precantur, sed omni conuitiorum & contumeliarum immanitate configunt, nomen calumniæ morsibus, bona

prædæ & fisco, cadauer tormentis, animam orco addicunt. Quod sanè hominibus clarissimis splendidissimóq; ingenio præditis, & quadam inter cæteros præstantia eminẽtibus accidere solet, vt quemadmodum viui infinitis ærumnis & calamitatibus iactabantur, ita etiam mortui quietis portum vix inueniant, illius fœlicitatis quæ est apud poetam minus compotes, vt saltem, Molliter ossa cubent. Idque inter tragicas diras & execrationes numeratur, vt est apud Euripidem, vt funus lachrymis non decoretur, imò vt omni sepulturæ honore careant. Origenes iam vita defunctus, ab ingratissimis quibusdam, vt creditur, adeò malignè exagitatus est, vt qui in vita maximas calamitates hauserat, idem etiam pòst libris genuinis abolitis, adulterinis suppositis, existimatione miris & fœdissimis modis commaculata, pessimè tractaretur. Vt etiam Augustinus à Donatistis, Athanasius ab Arrianis, Chrysost. ab aliis, Hieronymus à multis cùm in viuis essent notati sunt, & adhuc etiam momos suos & censores, vel æquos vel iniquos habent: ita Phœnice rarior est, qui sycophantici dentis morsum effugerit. Leuia ista, alia sunt & maiora & crudeliora, quæ Pontifex Maximus martyrum malleus non semel factitauit. Papa fuit, qui Formosum etiam antecessorem suum effodit, effossum habitu pontificio spoliauit & deformauit, deformatum veste seculari induit, induto digitos quibus consecrare solebat abscidit & in Tyberim proiecit. Papa fuit, qui sanctissimi viri Ioannis VVicliffi Oxoniensis Academiæ quondam alumni ossa exhumanda decreuit. Papæ authoritate & auspiciis nobilis ille Gulielmus Thracæus Glocestrensis iam sepultus exturbatus est & combustus, quòd in vltimo Testamento suo doctrinam Iesu Christi in nouo Testamento consignatam professus fuerat, & se fide sola in illum crucifixum saluum fore scripserat. Papæ fuerunt, qui Mart. Lutheri, & Tho Crammeri Archiepiscopi Cantuariensis picturas incendio Romę adiudicarunt. Horum Paparum phalarismo factum est, vt lectissima fœmina Catharina Petri Martyris vxor Oxonię, vt doctissimi & innocentissimi patres Bucerus & Phagius Cantabrigiæ è tumulo, è terra extraherentur: qui placidè in domino obdormiuerunt: citarentur, qui non audiuerũt, publicè accusarentur qui nihil responderunt: damnarentur & rogum subirent, qui nihil mali commiserunt: ipsa denique templa vbi paulò prius honorificè humati sunt, cõtra ius & fas omnibus sacris interdicerentur: ad quam ridiculam fabulam peragẽdam Nicolaus Ormanetus Datarius aliique Papæ legati sacris vestibus amicti confluxerũt, sancta cruce, aqua lustrali solennibus missis, occursationibus, ouationibus, declamationibus, carminibus, concionibus, viscerationibus, ab illa Academia magnificè accepti: quos tamen postea regnante Elizabetha, vtraq; Vniuersitas (vt par est) & existimationi & sepulchro restituit. Hoc Papale spectaculum non modò Anglia nostra olim dedit, sed & Gallia ac quidem multò iniustius & truculentius nuper exhibuit, quando sanguinarij quidam homines non modo Aug. Marloratum & P. Ramum doctissimos viros, cui hominum generi ipsius humanitatis & literarum causa ab Ethnicis semper parsum est, sustulerunt, verum etiam Admiralium & bellicis laudibus domi & foris abundantem, & in toga prudentissimum senatorem, & Regiæ Maiestatis iã fidissimum Consiliarium indicta causa, præter æquum & bonum, contra edictum, in pace, in nuptiis, in lecto, inermem & nudum, multis ictibus transfigere, etiam enectum transuerberare, distrahere, suspendere, omnia viscera & membra raptare, omnes vitæ quasi reliquias dilacerare & discerpere non dubitarunt. Ad cuius facti defensionem, nuper subornatus est quidam nouus & personatus histrio, Catholicos illos sicarios excusans, Protestantes oppressos Euangelij causanotans & Causarios nominãs. Quo genere crudelitatis, quam omnes papistæ communiter exercent, nec barbara Scythia aut Sarmatia nec monstrorum altrix Aphrica, nec syluestris Hibernia aut Hircania, nec sol ipse quicquam aspexit prodigiosius, fœdius, tetrius. Si factum respicimus, nihil atrocius, si cõsilium & causam spectamus, nihil odiosius, si euentum & successum consideramus, nihil stultius. Nam sæuire in mortuos, & communi omnium sermone contritum prouerbium stultitiæ & vecordiæ coarguit, & omnes leges grauissimè prohibuerunt, & ipsis semper authoribus cessit pessimè. Quid illæ vulgi voces sonant, cum vmbris dimicare, cum laruis luctari, Manibus bellum indicere, mordere mortuos? Nimirum esse nihil ab inuicta rationis authoritate magis abhorrens, quàm vt homines malè feriati & efferati, stimulis inuidentiæ & furiis agitati maledicant aut malefaciant mortuis, aut belluino more in corpora omnis sensus expertia perbacchentur, quæ iam & latratus ca-

Necromachia papistica.

Carpentarius.

tus canum,& coruorum morsus,& animalium omnium lanienas, & hominum ictus, & tyrannorum omnium diritatem & carnificinam quasi pulicis aut culicis insultum contemnunt.Iam vero vt omnia sacræ scripturæ dicta præclarissima, exempla luculentissima prætermittam,quibus docemur non modo non turbare, sed piè & officiosè honestare mortuos,illisque quasi iusta persoluere:Attica lege cautum est sapienter etiam contra hanc maledicentiam, vt scilicet capitale crimen haberetur. Plato in Rep.sua scripsit:illiberale quiddam & angusti & ieiuni pectoris esse mortuos vexare & expoliare,ideóque ab eiusmodi rapinis & spoliis temperandum. Rectè Agesilaus, qui Ephori cuiusdam senis consilio obtemperans,Lysandrum sepultum refodere noluit.Quò magis Romanistarum nostrorum miranda est stupida immanitas, cùm Romæ ne vmbris quidem parcatur,quod illorum non modo crudelitatem,sed etiam fatuitatem atque ignauiam arguit.Licuit homunculo in ipsum Achillem peremptum irruere. Et quiuis Thersytes Hectori iacenti insultare, & Ciceroni iugulato vel Antonij vxor muliebriter obgannire potuit.Scilicet quercu prostrata quilibet lignum colligere audet,vt habet Græcorum Adagium.Præterea qui Dei seruos & sanctos ita tractant malè, illis esse benè non poterit. In quos enim illorum gladius stringitur? quorum latera mucrones petunt,nisi eorum qui professione Christiani,creatione homines,literatura humani,excellentibus factis sæpè benè meriti,natione ciues,quandoque etiam communione sanguinis coniuncti?quos vbi vel lædunt vel tollunt,suum Deum offendunt, suam patriam vastant,se & vires suas imminuunt & atterunt.Vtinam moderationem & prudentiam vel ab Ethnico Imperatore vellent discere,qui cum accepisset suorum Spartanorum paucos occidisse,Corinthiorum verò & Atheniensium aliorúmque Græcorum & sociorum complures in bello periisse:O infœlicem(inquit) Græciam, quæ tot viros intestinis dissidiis amisit, quot vniuersis Barbaris domandis sufficere potuissent. Quin & ipse Dominus armipotẽs tela in capita ipsorum retorquebit,& suo fine quem imaginationis suæ errore sibi proponunt frustrabuntur.Si enim Phocionis Athenienses proditores,Si Iulij Cæsaris percussores, Si Antonius Ciceronis interfector Diuinæ iræ iustam seueritatem euadere non potuerunt:quid fiat de illis qui Christianis fratribus non modo violentas & cruentas manus afferunt, & subitò post lætos Hymeneos quasi in conuiuio Lapitharum opprimunt, sed etiam fidem hominibus & Deo datam violant,& insontes non vna morte,at sexcentis tormentis conficiunt?Aberrant etiam à scopo quem sibi præfixerunt,nec sacrosanctam religionem,quam illi homines profitentur & defendunt,vlla vnquam vis aut fraus humana aut Satanica delebit. Cœlum & terra præteribunt,verbum Domini manet in æternum,& eius cultores & confessores instar montis Sionij non commouebuntur: quando illa arenosa Romanorum petra,aut tempestatibus quassata,aut fulminibus de cœlo contacta deiicietur. Martyres hanc futilem & fragilem Romanæ sedis causam è cineribus oppugnabunt fortius, & Christi gloriã sanguine suo illustrabunt efficatius,& in auribus Domini Zebaoth iam mortui sub altari clamabunt vehementius quàm cùm apud nos viuerent,tantum non vociferantes & obtestantes,vt tandem aliquando vindicem suam dextram exerat, & Ecclesiam suam sub crucis vexillo militantem asserat. Viderint illi parricidæ patriæ cœlestis,sanctorum & domesticorum Dei,ne in manus viuentis incidant.Quid?nullæne animis cœlestibùs iræ?nullus sensus,nullus motus aut affectus? nulli clamores,nulla communio aut sympathia mortuorum?Nihilne Ioannis Baptistæ obtruncati recordatio animum Herodis perfodit?nihilne Petri aut Pauli vmbræ Neronem turbarunt?Nihil Boetij & Symmachi manes Theodoricum Gotthorum regem commouerũt? cũm piscis capite allato,horrenda facies quasi toruis oculis obtuens, & nihil non minitans cœnanti appareret?Nihil Ziscæ Bohemorum Ducis fortissimi excoriatum cadauer,hostes Pontificios exanimauit? cùm ex pelle ipsius tympanum conflatum truculento aspectu,terribili sono,eos in pedes ac fugam coniiceret,vt non potuerint consistere?Scilicet,vt hæc exempla communi experientia teste confirmentur,tympanum etiam ex Ericij marini pelle confectum omnia reptilia procul fugabit,vbicunque locorum sonitus eius exauditus fuerit.Et pellis leonina omnes alias pelles consumet,& pennæ Aquilarum pennas aliarum auium corrodent.Ita sancti in morte vincent ac triumphabunt & quantumuis disiecti aut dissecti,aduersarios suos quasi deuorabunt,& virtus virescet vulnere,nec statim causa vnà cum corpore occidet. Est & erit sanguis martyrum

Procop.

Cornel. Agrip.de occult.Phil.

ſemen Euangelij,& ſeges Eccleſiæ. Crudelitas veſtra gloria noſtra eſt, nec vnquam deficiet hæc ſecta,quæ tunc magis ædificatur,cum magis cæditur, vt pulchrè ante nos ſi non iiſdem verbis,at eodem ſenſu dixit Tertullianus.Et Auguſtini tempore Chriſtiani cædebantur,& tamen multiplicabantur:vt olim ſub iugo Pharaonico,& in fornace Ægyptiaca Iſraelitæ creſcebant. Quare niſi fruſtra furere, niſi cum ratione inſanire, niſi cum ſtulto catulo lapidem non hominem arrodere,niſi contra ſtimulum calcitrare velint,nobis & ordini credentium parcant, immo ſibi, ne ipſi verberando magis quàm nos vapulando delaſſentur.

Etsi verò vt illi ſuperiores non debemus eſſe ſuperſtitioſi, nec vt iſti poſteriores furioſi,tamen eſſe poſſumus officioſi,vt media quædam via & regia & diuina,& æquabilis teneatur,quod defunctis honores debiti non denegentur.Nam celebres & vſitatæ ſunt panegyres atque Epitaphia,quibus heroes meritis encomiis exornantur. Hinc conſequimur vt grati videamur erga mortuos, dein quoad nos ipſos cautiores ſimus, præterea etiam viri meliores.Eſt enim planè ingrata poſteritas quæ res bene geſtas obliuioni non eripit,quæ homines optimè meritos ſilentio contegit, vt vnà cum corporibus præclara dicta & facta ſepeliantur. Cum Athenienſes Hippocratem ob peſtem profligatam,Euagoram ob ciuitatem libertati reſtitutam,Theſeum ob taurum Marathonium interemptum ſtatuis decorarint, cùm omnes Ethnici mortuos ſuos, inter deos retulerint,cùm Papiſtæ ſanctulos ſuos Calendario inſerant, & cùm diuorum immortalium laude coniungant,cùm exteri homines ſuos qui inter ipſos vixerint,claruerunt,obierunt,laudibus in cælum efferant:cur nos moroſi noſtrorum hominum clariſſimorum virtutem vel incolumem odio habeamus,vel ex oculis ſublatam dignis laudibus nunquam veſtiamus?Eſt ergo grati animi meminiſſe mortuorum, & cum officio coniunctum poſteritati commendare,vt tales aliquando fuiſſe & profuiſſe intelligatur,iuxta dictum ſapientis:Laudemus viros illuſtres,& vt Herodotus ait, Ne res geſtæ ex hominum memoria vllo tempore exoleſcant. Reddimur hinc etiam cauti & prudentiores:Cùm enim dominus lumina reip.extinguit, nobis minitatur tenebras & caliginem temporum, peccata noſtra flagellans, & ipſe apud Eſaiam, Fulcimenta noſtra,Oratores diuinos,prophetas,Conſiliarios,duces,Senes ablaturũ ſe denuntiat. Percuſſit Iſraelem,cùm patrem eius & currum & Equitatum Eliam,Italiam cùm Ambroſium, Hipponem cùm Auguſtinum,nos omnes cùm Zuinglium, Lutherum, Melancthonem,Bucerum,Phagium,Martyrem,Muſculum,Caluinum,Hiperium,Crammerum,Latimerum,Ridlæum,alióſque Eccleſiaſticos Politicóſque viros noſtræ ætatis Principes tolleret.Etenim non ſolum per eluuiones,Eclipſim ſolis & lunæ, Cometas,Oſtenta aliaq́ ſigna mortalibus iraſci ſe teſtatur dominus, ſed etiam multò magis cùm ſanctos authoritate,doctrina, nobilitate cõſpicuos è terris ad ſe reuocat: vbi nos infinitæ plagæ, vaſtitas, ruina omnium rerum manent, illi non interitum ſed tranſitum, non mortem ſed vitam ſuauiſſimam & ferendam conſequentur. Quę dum fiunt, non decet nos eſſe in illo luctuoſo occaſu ſtupidos aut incogitantes, ſed oculos & animos aduertere,vt unuſquiſque tacitus apud ſe cogitet, Manus Domini tetigit me: ex eóque diſcamus mores deprauatos emendare,ad nos redire,ad Dominum conuerti & reſipiſcere.Profuerit quoque nobis hæc hiſtorica commemoratio, cùm inde exempla ad viuendum & moriendum ſumimus. Vt enim Sampſonus ex mortui leonis cadauere mel exuxit:ita nos è monumentis & narrationibus huiuſmodi quod nobis ex vſu ſit colligere poſſumus: vt & hic quoque locum habeat illud in eodem capite Iudicũ, De comedente exiuit cibus,& de forti egreſſa eſt dulcedo. Nã ſi bellatoribus vtile eſt, ſtratagemate acta,victorias fortiſſimorum regum & ducum intueri: cur non etiam è re noſtra futurum iudicabimus,hanc doctorum hominum imaginem expreſſam & eminentem in libris contemplari?Xenophon Cyrum,Plato Socratẽ, Cicero Craſſum, Curtius Alexandrum Magnum, Iſocrates Nicoclem, alius Alexandrum Seuerum, alij alios Imperatores,& literatos homines depinxerunt, vt ſtudia hominum propoſita effigie incenderunt. Puta Achillem Homericum Alexander & Scipio imitari voluerunt, Irenæus Polycarpum, Polycarpus Ioannem Euangeliſtam, vt & hic verum eſſe poſſit illud Heſiodium, Vicinus vicinum æmulatur. Hiſce ego rebus adductus, ſtatui aliquid de vita & obitu Ioannis Ivelli ſcribere, ne vnà cum humato corpore, ſancti viri obruatur memoria, vt nos hoc ſiue pietatis ſiue amoris officium

ficium defuncto præstemus, alij formam & faciem hominis præstantissimi, quasi in tabula descriptam propius aspicere & admirari possint. Vtque olim Chrysostomus optauit aliquem fuisse qui nobis Apostolorum historiam diligentissimè traderet, non tantùm quid scripserint, quidue dixerint, sed vt sese per omnem vitam habuerint, quid & quando comederint, quò ierint, quid diebus singulis gesserint, & in quibus partibus vixerint, quam introierent domum, quò nauigauerint, vbinam applicuerint, vbi vincti fuerint, quòd omnia illorum eximia quadam vtilitate referta esse cognouit: ita vtinã mihi contigisset, omnia etiã intima, etiam infima huius viri facta, Apophthegmata, totius vitę cursum peruidere, vt possem eum omnibus membris & numeris particulatim expingere. Tum enim & Academicum hominem, & elegantem oratorem, & venustum scriptorem, & pium Ecclesiastem & venerandum præsulem omnes facilè cernerent. Venio autem ad hãc historiam pertexendam, non spe assequendi quod cupio, aut fiducia exequendi quod nequeo, sed animo narrandi quantum scio, & voluntate efficiendi quantum valeo. Grandes materias ingenia parua non sustinent, vt perscitè Hieronymus. Hoc solum polliceor me & in exquirendo diligentiam, & in percensendo fidem præstiturum, & nihil in illius gratiam ex meo cerebro affictūrum, quod non multorum memoria teste innotescat, nec maiora quàm sunt reipsa verbis facturum: vt omnibus appareat, me dum virtutes prædico, hominem celebrare, non Deum consecrare voluisse.

ERVNT autem huius Tragicocomœdiæ (sic enim vita humana rectè dici potest) quinque Actus præcipui, & primus quasi rudimenta & initia pueritiæ, secundus Academiæ studia, Tertius exilium, Quartus reditum & Episcopatum, Quintus mortem & vltimam vitæ catastrophen, vbi omnes mundi ciues iussit valere & plaudere, continebit. *Diuisio.*

Prima Pars & Pueritia.

VT ab ipsis incunabulis proficiscatur narratio, & ita cursum prouehente Domino perducatur ad vltimum: nomen, patria, genus educationísque tyrocinium, vt aliis persæpe, ita huic nostro commendationis & splendoris nonnihil afferunt. Est enim Nomẽ omen, & commonefactio non inutilis. IOANNES dictus est à gratia Dei vt admoneatur, gratiam solam per Christum Iesum in se & in aliis agnoscendam & prædicandam: & vtendum esse illa voce & Pauli & omnium sanctorum, qui à Ioanne Baptista fuerunt, vt Augustinus non malè adnotauit ad Bonifacium, Gratia Dei sum quod sum: quòd nomen ei erat cum Proauo, Auo, Patre & fratre commune. IVEL idẽ est nostra lingua quod gemma latinè, & Grecè Keimelion: verè siquidẽ appellari possit Gemma rara & pretiosa, qualem terra nostra non sæpe progignit. Quid ergo incommodi fuerit, si his posthac ut Latinè, planè, verè loquamur, IOANNES GEMMA nominetur, sicuti nuper quidam eruditus scriptor Gemma Phrysius? Celebre est & fuit semper, nomina patria in peregrinam linguam siue Græcam siue Latinam concinniùs transfundere propter maiorem compositionis elegantiam atque adeò significantiam, tum etiam quia ingentes addunt stimulos non modo cæteris, sed & ipsis, ad eas linguas imbibendas, à quibus sua nomina mutuantur: vt sunt hodiè multa, Bibliander, Hosiander, Xylander, Neander, Dryander, à viro aptè deducta, Reuchlinus Græcè Capnio à fumo nomen habet, homo fumorum & fucorum omnium hostis acerrimus, idque Hermolaus Barbarus in Italia sic mutauit, quemadmodum Capnio ipse Melancthonem à nigro solo Tubingæ quantum memini primus vocauit. Idem factitarunt Ioannes Herbstus diligens quodam & doctus Typographus Basiliensis, & Robertus VVinterus, eius in typographica negotiatione socius: quorum ille Oporinus appellatus est, alter Chimerinus, fortasse occasione ex Poeta arrepta, *Nomen.*

Si daret autumnus mihi nomen, Oporinus essem,
Horrida si Brumæ sydera, Chimerinus.

DEVONIAM habuit patriam, regionem ingeniis, opibus, optimis & nobilissimis hominibus affluentem, satis amplam, benè cultam & sanè fructuosam. Hic natus est Budenæ in Parochia Berinerberensi, anno Domini 1522. Maij 24. in prædio *Patria, & Deuoniæ laus.*

patrio & auito, quod maiores ipsius, annos ferè ducentos (vt dicitur) tenuerunt. Cùm Athenæ Platone suo alumno, Sicilia Empedocle ciue suo non immeritò lætẽtur, cùm Homerum hominem cæcum & Poetam permulti vendicarint, Colophonij suum esse dixerint, Chij suum confirmarint, Smyrnæi suum affirmarint, Salaminij repetiuerint, aliíque inter se hac de re pugnarint acriter & contenderint, cùm Appion Grammaticus eum ab inferis excitatum, de patria solum interrogare voluerit: & patriam viro, & virum patriæ decus atque ornamentum conciliare credendum est, & Deuonia nostra Iuello suo abs re gloriari poterit, cuius eximia virtute, pietate, doctrina magis inclarescit. Quanquam quod in Martyribus laudat Basilius, id ego in nostro hoc Confessore iudicandum censeo: non eum vsque adeò solitam & integram laudem ex patria vbi in lucem editus est petiisse, sed ex ea quam omnes pij habent, Ecclesia Dei, quæ verissima est patria sanctorum, cuius ciuem eum iam esse non dubito.

Genus. Ortus est honesta sanè, perantiqua & haud ignobili familia Iuellorum, Patre Io. Iuello, Matre ex stirpe Bellamiorum, seu Bellamicorum, in cuius amorem & memoriam, priuatum quoddam sigillum sibi confecit, apposito in medio amantissimæ matris Bellamiæ Bellissimo nomine. Hi ambo cùm ad venerandam senectutem peruenissent, & annos plus minus 50. in coniugio placidè & laudabiliter transegissent, decem liberis maribus & fœminis relictis, sub festum Georgij ex hac vita ad cœlitum contubernium sanctámque societatem migrarunt. Benè nasci præclarum est, & Aristoteles εὐγένειαν quasi fœlicitatis partem haud infimam commemorauit, & filius sæpe gerit similitudinem patris, & habet domesticum exemplum sibi propositum quod intueatur, & ad quod vitæ suæ rationes componat. Est enim in iumentis patrum virtus, nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam, & equis dignitatem affert parentum generositas, & in maximas arbores excrescunt, quæ ex præstantissimis seminibus coalescunt. Quanquam non sic generis splendorem & claritatem extollimus vt cum Iudæis deliremus, qui Abrahamum patrem iactarunt, sed operibus non expresserũt: nec vt Græcorum amentiæ affines, qui Cecropidæ, Pelopidæ, Alcmeones, Æacidæ, Heroes, Heraclidæ, semidei, Dij, Iouis, Solis & Lunæ filij dici voluerunt: nec vt vani ac falsò nominati nobiles qui genus in ore habent, ipsi nec generosi nec ingenui: sed vt Christiani qui scimus nec ex semine nec ex voluntate viri, nec ex carne procreari Dei filios: qui confitemur cum Gregorio Nazianzeno longè turpissimum esse, equos non aliundè quàm ex seipsis, nos ornatum ac pulchritudinem extrinsecus quærere, & aliunde mutuari: qui tamen cum eodem dicimus naturaliter sæpe Deo sic volente contingere, vt ex bonis bonus fructus edatur: sicuti ex Basilio patre & sacerdote, & Emmelia matre sanctissima Basilius magnus & sacerdos & sanctissimus procreatus est, ita ex Iuello & Bellamia hic Iuellus & bellus Episcopus ortum traxit. Omissa autem prosapia & cunis ac crepundiis quasi primæ ætatis breuiter sic percursis, de prima educatione & studiis pauca delibemus.

Pueritiæ tyrocinium. PVER admodũ septẽ annorũ à parentibus, cùm essent re satis lauta, ad disciplinas capessendas adhibetur, & auunculo Ioanni Bellamio Hantonensi pastori commendatur, vt statim principia bonarũ artiũ disceret: Hinc Brãtonæ apud Thomã Strotæũ, dein Southmoltonæ apud Antonium Simoniũ, ad hæc Barnestapulæ apud Gualterum Bovvinum tyrocinium posuit. Hunc Bovvinum vita functum, ita amore & honore prosequutus est, vt aliis ad eum iam designatum Episcopum, qui eodem nomine erant, accedentibus, & de magistro suo peramicè & libenter confabularetur, & omnes Bovvinos illius Bovvini causa beneficiis cuius posset per se & per alios affectos dimitteret. O rarum gratitudinis exemplum in discipulo! Puer hic variolis siue exanthematis laborauit, alioqui nunquam vllo grauiore morbo conflictatus, nisi quem postea ingrauescentibus annis immodico & intempestiuo studio accersiuit. In hac tenellæ ætatis cultura & parẽtes ipsi suo functi sunt officio, & pręceptores sequacẽ & optimã nacti materiã, bonã nauarũt operã, & ille eam de se iã tũ spẽ excitauit, vt nõ modo amicorũ votis responderit, sed omniũ animos sui expectatione impleuerit. Nã Deus præstãtissimũ ingeniũ largitus est, ad q̃ excellentẽ naturã, cũ educatio & doctrinæ cõfirmatio accederet, ita se gessit, vt in eo pręceptores nõ morũ licẽtiã, nõ audaciã, nõ leuitatẽ, nõ voluptatũ illecebras, nõ vllũ insolentię aut contumaciæ vestigiũ in animo impressum cernerent. Adeò statim in ipsa herba vbertatẽ quandã futuræ messis, bona hæc indoles ꝓmiserat.

Secunda

Secunda pars, Academica.

IAm verò annum decimumtertium egressus, non rus olens (quod aiunt) sed ad maiora aspirans, sub festum diui Iacobi Oxoniam amandatur, quo ingenium illud ad literas natum & factum, in florentissima vniuersitate omnium musarum sede & arce magis excoleretur. Comitatus itaque altero socio ac commilitione suo Deuoniensi, ad Petrum Burrꝙum hominem mediocri literatura præditum, vicarium postea Croydonensem ablegatus, diuina tamen prouidentia, voluntates hominum & vices rerum moderante, rogante etiam hoc Burræo quòd ambos habere non posset, in tutelam & disciplinam Ioannis Parckhusti, veræ sanctimoniæ ac liberalis doctrinæ commendatione spectatissimi, est receptus. Vterque magister artium & Collegij Mertonensis socius fuit, quod apud nos peruetustum est, à Gualtero de Merton, non à Guilielmo Martono, vt Polydorus Virgilius lib. 17. historiæ Anglicæ scripsit, institutum, Edouardi primi temporibus, cuius ille Consiliarius, regníque cancellarius extitit. Annus erat 1274. cùm operi huic suo extremam manum imposuit, sic enim manuscriptus liber testatur, licet scriptores paulò aliter annum assignent: ex quo gymnasio posteà tanquam ex equo Troiano complures proseminati, Reipub. & Ecclesiæ plurimum emolumenti & ornamenti attulerunt. Quid enim ego Vvallingfordum, Baldocum Episcopum Londinensem, Gattisdenum, aliàs Ioannem Anglicum, aut Strodum, quem Chaucerus noster sub finē Troili sui, poëtā Anglicū appellat, aut Mablesfildum, aut Redingū, alíósve nec inelegantes nec indiligentes scriptores cōmemorem? Quid Sheltonū, aut Rhœdum insignem Mathematicum, quorum ille vniuersitati cistam centū marcarū, hic cē tum librarum dedisse fertur, referā? à quo etiam Mertonēsis Bibliotheca cōstructa est. Quid Peccamū, Vvinchelsꝙum, Islepū, Mephamū, Ioannem Kempū, omnes Archiepiscopos, aut alios illustres Episcopos, Doctores, Theologos, Iurisperitos, Medicos recēseā? Quid Rogerū Baconum multis voluminibus Theologicis & Philosophicis celeberrimū? quid Gualterū Burlæum qui doctor planus? quid Thomā Brodvvardinū qui profundus? quid illos nominaliū & realiū autores, Ioannē Duns aliàs Scotū, qui subtilis, & Guilielmū Occamū, qui Inuincibilis à Papa declaratus est, aut quid Nicolaū Gorramū nominē? Nā de Ioāne Vvicleuo aliàs erit fortasse dicēdi locus. Huius collegij alumnus & pēsionarius, ab hoc quē dixi Parckhursto factus est Iuellus, vulgò Postministrū, aut Postmagistrum aut Portionistā vocāt, cuius beneficii autor & inchoator Ioānes Vvalliotus Theologiæ Doctor & Cancellarius Oxoniensis, Vvicleuo adhuc viuente perhibetur. qui etiam nonnulla alia sub Edouardo tertio Collegio donauit. Sub Parckhursti ferula primū studiorum cursum alacriter ingressus, & à metis progressus est, vt æquales suos facilè præcurreret. Nam eleganter nouit Epistolas & latinas exercitationes componere, & scienter potuit varia carminum genera contexere, & diligēter voluit Oratores, Historicos, Poëtas euoluere, & in arena Dialectica subinde virium suarum periculū facere, ingenio ita acuto, memoria adeò pꝙclara, industria tam indefessa, vt quicquid magister prælegeret fideliter, id ille perdisceret fœliciter: Ita auidus vt omnia cuperet, ita solicitus vt nihil negligeret, ita docilis vt mox caperet, ita per omnia gnauus & officiosus, vt nunquā ei pœnas, (sicuti ipse retulit, nisi semel dederit, idque non quòd à libris, sed quòd à templo abesset. Mores probi & modesti, vultus non toruus sed hilaris, gestus non inconcinnus sed compositus, bonis charus & iucundus, exosus nemini, ita vt in hoc primo pueritiæ limine, odor quidam nascentis virtutis statim fragraret. Parckhurstus etiam tunc cœpit Papisticum fermentum & feces subodorari, prius in Collegio Magdalenensi educatus, & optimorum virorū saluberrima institutione edoctus. Vt ergo Iuelli præceptor, sic Christi discipulus & germanus Vvicleui successor, omnibꝰ modis studuit pietatis semina in tenello animo instillare, sæpe cū Burrꝙo de religione disputat, superstitionē, cui ille fuit addictior, oppugnat, & peste tū Oxoniæ desꝙuiēte, Cuxamā migrans, translationes Anglicanas noui Testamēti confert, Iuello Guilielmi Tindalli clarissimi martyris versionē legente, ipso interim Milonis Couerdali sanctissimi senis interpretationē inspiciente, quò diuersitatem examinaret & obseruaret. Cùm autem ad finem tertii capitis Apocalypseos peruenisset puer, & ad illa verba: Quia tepidus es euomā, nescio quid apud se cogitās subrideret, atq; id alias subinde

Mertonēse Collegium.

factitaret, & in hac tenera ætate in latino sermone Barbarismos, in Romana Religione errores quamprimùm deprehenderet: re sic animaduersa Parckhurstus quasi prophetans, Næ hic puer (inquit) aliquando ad Diui Pauli crucem concionabitur.

QVADRIENNIO penè integro hîc confecto aliam diætam sortitus est: ab hac enim tenui portiuncula Mertonensium ad aliam mensam paulò lautiorem vocatur. Siquidem anno Domini, 1539. Hẽrici Octaui 31. Augusti 19. circiter festum Simonis & Iudæ, ipse iam annum agens decimum septimum, hinc velut optimæ spei nouella & generosa plantula desumptus, Collegio quod à corpore Christi nomen habet inseritur, Slatero, Burræo, & Parckhursto id enixè petentibus, quò adhuc indolis & naturæ prestantiam magis ornaret, & ampliorem ingenij cultum capesseret: Quippe,

Collegium corporis Christi.

Debile principium melior fortuna sequuta est.

Nam statim in prima seniorum Dialecticorum classe plantatus, licet esset natu minor, tamen scribendi, declamandi, disputandi in libera & pedestri oratione se exercendi assiduitate, eam facultatem est consequutus, vt breui tempore & multa & fœlicissimè exararet, & socios suos multùm superaret, & eum ipsum seniorem à quo prius didicerat, gradu præcedens doceret. Cùm in prandio nonnulla, vt fit, memoriter recitaret, splendidè oraret, seu vt ipsi vocant narraret, omniáque sua accuratissimè elucubraret, ea omnia Præsidi aliísque magistris vehementissimè placuerunt. Poëtis dies & noctes interdum impendit, & vt Erasmus puer Terẽtium non secus tenuit quàm digitos suos, ita noster Horatium iterum ac sæpius relegendo ad vnguem calluit. Præfuit isti Collegio tum Robertus Moruentus, qui paulò antè socius Magdalenensis, propter fidem & prudentiam in rebus gerendis ad huius domus gubernacula ascitus est: Homo non tam ipse doctrinæ laudibus abundans, quàm doctorum fautor & Mœcenas. Hic cùm insignem canem haberet, quo valdè se oblectabat senex, Iuellus in laudem eius scripsit versus nouo anno ineunte, ita vt omnes & carminis venustatem, & ordinis concinnitatem, & in re tantilla ingenij vbertatem, rerum & verborum gratiam & copiam admirarentur. Hæ virtutes vt amicos parauerunt, sic odium quorundam pepererunt. Non enim vt ille fœlix Pamphilus Terentianus, sic noster sine inuidia laudem inuenit: vtque inuidia seu fumus virtutis comes est, ita ille apud condiscipulos & æmulos cœpit odio & inuidia grauiter laborare, sic vt eius scripta non propalàm lecta, sed non rarò suppressa fuerint. Pupugit hoc illius animum nonnihil, sed non ita fregit, vt de gradu (quod aiunt) deiiceretur.

Libris & literis inde vsque à pueritia deditus, vt iam ostendimus, & assiduè certo quodam annorum curriculo, in logicis & humanioribus studiis contritus, tandem anno Domini 1540. Octobris die vigesimo laboris velut præmium, Baccalaureatus gradum adeptus est, summo cum applausu & assensu totius Academiæ. Non eum nouus honor à labore, non otium à negotio reuocauit, nõ libertas ad licentiam, ad lusum, ad luxum rapuit: ad quæ vitia procliues sunt adolescentes, maximè cùm ex ephebis excesserunt, nec eos vllus metus aut magister in officio continent. Nostro huic postquam liberiùs viuendi potestas data est, quò magis licuit, eò minus libuit otiosè tempus trãsmittere: sed quò erat impunitas maior, & fenestra ad peccandum apertior, eò inerat ardor discendi vehementior. Consueuit enim manè hora quarta surgere, & serò sub decimã cubare, totos verò dies in bibliothecam se abdere. Cato aliquis aut Erasmus quispiam habitus est, quorum ille librorum helluo nominabatur, hic in libris indefatigabili studio versatus dicebatur. Si authores quos legit, si studij genus quod est secutus commemorarem, illis percensendis neque mea neque cuiusquam satis esse possit oratio. Rhetoricæ studium & eloquentiam hoc tempore diligentissimè coluit: Erasmi quidem opera triuit, Chiliadas Adagiorum imprimis, & volumen Epistolarum, Deinde postea omnes Tomos, cuius dictio quia non solum verborum & figurarum quasi stellis insignita, sed & argumentorum neruis & rerum varietate conuestita, & fabularum iucunda accommodatione commendata est, lectores valdè allicit & inescat. Ciceronem verò familiarissimum habuit, quem ipse imitari, & aliis imitandum proponere maluit. Fertur æstate in syluam Shotouerianam Oxoniæ proximam, aut in alium aliquẽ secessum proficisci cõsueuisse, ibíq; in solitudine quasi in theatro declamitasse,

Baccalaureatus.

Cic. lib. 3. de Finib.

Studium.

auditores

auditores candidissimos oratione Græca, Latina, sua, aliena, Ciceroniana, Demosthenica compellasse: gestum, pronunciationem, vocem, vultum, omnia ad grauitatem, & decorum attemperasse: vt non Iuellum sed alterum Demosthenē in antro Rhetoricātem, & literam caninam sonare conantem fuisse affirmares. Curiosam & affectatā eloquentiā in concionatoribus semper damnauit, & ipse deuitauit. Rhetor esse quàm haberi maluit, tantúmque tēporis & operæ in eo studio cōsumpsit, vt ex tempore cōmodis verbis sensus animi exprimere, subsidio autem diligentiæ & alicuius temporis adhibito, copiosè, aptè, Ciceronianè dicere potuisset. Quid de historicis, Suetonio, Polybio, Sabellico, Liuio, in quem etiam scripserat Indicem. Quid de studio Dialecticę, Philosophiæ ac Mathematicæ dicam? Adhuc Baccalaureus sacra attigit, & Augustini quędā delibauit, vt Bucherus regnante serenissima principe Elizabetha, eius Collegij quōdam Præses referebat. Linguæ Græcæ quàm studiosus & peritus fuerit, alio loco fortassis commodiùs dicetur, itidem de incredibili vi memorię qua certè maximè polluit. Mores suauissimos & amabiles non est opus hic iterū laudare, quos ipsa calumnia nunquā potuit iustè reprehendere, imo quos hostes ipsi nunquā desierunt prædicare, adeò semper Amoris magnes est modestia, & candida, & mansueta ingenia etiam inimicos conciliant & amicos faciunt. Ioannes Morenus ibidē socius & morum cēsor morosus, & testis domesticus, homo Græcè doctus, sed idem Græcorum more leuiculus & bibaculus sæpè hæc & similia in ore habuit, Amarē te Iuelle, si non esses Zvvinglianus: Et, hæreticus fide, vita certè videris Angelus: Et, Honestus es, at Lutheranus. O mores, ô candorem, ô vitam, quam ne Momus quidem ipse possit carpere. Hoc imitētur studiosi, vt sic studeant, & sic viuant, vt eos esse verè studiosos, vitæ honestas & morū elegantia declarent. Quare nihil ad laudē præclarius, nihil ad decus elegantius, nihil ad iucunditatem suauius, nihil ad studia hominum colligenda validius, nihil ad inimicorū ora obturanda fortius, nihil ex omni parte firmius aut munitius. *Mores.*

Sed enim non erat satis huic apiculæ (ita namque Richardus Foxus Vvintoniensis Episcopus & huius gymnasij fundator suos & nominauit & esse voluit) per omnes dulcissimos flosculos, per omnia librorum viridaria volitare, nisi etiam in aluearium congereret ac conueheret, nisi mel conficeret & fauos fingeret. Vt ergo legit cupidissimè, ita scripsit laboriosissimè, calamo subinde arrepto, ad id pensum quotidiè vnam aut alterā horā præfiniuit, memor illius, Nulla sine linea prætereat dies, dictitans nō multa legendo sed stylum exercendo doctos fieri, & grauiter accusans magistrorum in hac parte desidiam & oscitantiam, qui & ipsi manum à tabula abstinuerunt, & suos exercere, & ad hanc scriptionem assuefacere noluerunt. Laboris enim magnitudinem fructus amplitudo compensat. Hunc ad modum noster in vmbra, domi & priuatim, in musæo se gessit, legendo, studendo, scribendo, vigilando, vt valetudinem suam non satis curarit. Etenim victus nimis Scholasticus & simplex fuit, corpus macilentum & perimbecillum, vt mireris tot laboribus exhauriendis potuisse sufficere. Iurasses aut Chrysippum aliquem fuisse, cui opus esset Melissa quapiam, quæ cibum meditanti in os ingereret, aut Carolum illum Pragensium disputationum auditorem, qui illa Academicorum exercitia suam esse cœnulam purpuratis suis diceret. Solent hi Somatochristiani (liceat enim quæso sic huius Collegij studiosos appellare) si quādò pestis Oxoniæ grassatur, Vvitnæam se recipere, vbi illis si non optimè, vt domi, at non pessimè, vt ruri est, prospectum, quo diuertens cum aliis, non otiosè rusticatus, sed libris immodicè immoratus, & cubiculi fortassis commoditate destitutus, frigore cōtracto, altero pede laborauit & subclaudicauit, quæ debilitas cum ætate non decreuit, sed eum, licet alioqui satis firmum, ad mortem vsque prosequuta est. *Richardus Foxus.* *Stilus.* *Discendi labor.*

Ostendi quid & quanta auiditate didicerit: nunc quomodo docuerit alios, intelligendum. Non enim talentum in terra defodit, non in sudario reposuit vt ignauus & piger seruus, sed exposuit vt fœneraretur & lucrifaceret. Prælegebat domi suæ quibusdam discipulis priuatim & aliis demum in Collegio publicè. Confluxerunt vndique ad eum multi nobilium Generosorum & Mercatorum filii, Gilfordus, Phetiplacius, Tounsendus, Cursonus, Morus, Dolmannus, Dentonus, Hicfordus, Vvalbæus, Prinnus, Annus, & alii, multos enim nōn admisit sed aliis commisit, vt suis studiis vacaret. Antonius quidem Parckhurstus à Ioanne Parckhursto, de quo *Docendi cura & discipuli.*

viro suprà paucis & infra pluribus dicendum est, ei in disciplinā fuerat traditus, à quo optimè & in literis, & in religione institui posse non nesciebat, tamen pòst à Roberto Serlso eum adire prohibitus est, quē alij eius amici Tutorē puero, lupum scilicet agno assignarunt. Hic cùm sancti Petri Oxoniæ vicarius esset & Romanista, sed prorsus illiteratus, non aliis, non Musis, non sibi canēs, veritus est homo linguarum rudis, ne Græcam linguam disceret, quam tum hæreseos causam esse autumabat, & ne fortè noua hæresi, (sic illis noua & salutaris doctrina Iesu Christi sonat) à Iuello protestante inficeretur. O Petri vicarium, ô Petri domus Pastorem: discipulos vt pater vnicè amabat, vt præceptor sedulò docebat, vt speculator assiduè obseruabat, ne tempus nugando tererent, ne vspiam à libris feriarentur, ne à vulgo & fæce Scholasticorum vitia cōtraherent, ne præsentes otiarentur, ne absentes Deum aut quenquam dicto aut facto offenderent. Præter publicas lectiones, in cubiculo audiuerunt Ouidii Metamorphosin, & alios Poëtas, quos soluta oratione reddiderunt, Titum Liuium & eius notę classicos authores, quos suo more enarrabant & exponebant, Partitiones Oratorias sibi & suis vt opus exquisitissimum proponebat, Dialogum etiā ipse componebat, quo summam artis Rhetoricæ complexus est. Noctu omnia repetebant quæ interdiu prælecta sunt: singulis septimanis in laudem vel in vituperium declamabant, semper aliquid prosaicè aut metricè scribebant vel pronuntiabant. Ad pœnam iratus rarò aut nunquam accedebat, sed cum Philosopho minitans, Cęderem te si non essem commotior: Vacuus ira & liber affectibus, lenius aut asperius, leuius aut durius pro delicti ratione quos dilexit castigabat. Nunquam vero se magnoperè recreabat, nisi ambulando, sed & tum vel secum meditans, vel pueros docens, vel cum aliis Aristotelicè disputans.

Publica lectio.

In hac domestica & vmbratili puerorum institutione magna cum laude & bona fide aliquandiu versatus, aliam Spartam publicam, nimirum prælectionem humanitatis & Rhetorices in eo gymnasio nactus est, consensu Præsidis & Electorum omnibus aliis prælatus: quam ille non sine labore suo & fructu suorum egregie integrum ferè septennium ornauit, librum de Inuentione, Orationes pro M. Marcello, Cn. Plancio, & Ciceronis alia opera explicans. Lectionem autem auspicatus, prima sua oratione ita suos inflammauit, ita se suis probauit ac commendauit, vt & alios Academicos ad audiendum euocarit. Prælegit diligenter sed & suauiter, iuxta illud,

Omne tulit punctum qui miscuit vtile dulci.

Sic enim legit vt doceret, sic docuit vt delectaret, sic delectauit vt optarint sui ipsum legentem audire, potius quàm se ludere. Non hîc illos auditores (de quibus Cicero,) cerneres, qui discum maluerunt quàm Philosophum audire.

In his Oratorum spatiis multum & diu se suósque exercens, ad Poëtarum lectionem animum adiecit, Virgilium & Horatium interpretans: quem Scholiis ab eo illustratū fuisse, oculatus testis esse possum: in quibus ex intimis Ethicorum, Poëtarum, Historicorum monumentis depromit, quæcunque ad eum authorem explanandum quoquo modo facere posse viderentur, Præfationis in hanc prelectionem exemplum aliàs fortassis apponam, quò ex vnguibus leo, ex hoc vno prӕludio Iuellus aliquo modo conspiciatur. Sic enim eloquentiā exagitauit, vt ipsa se eloquentia sua vi & impetu expugnasse, & suo se telo iugulasse videretur.

QVVM multi ad eum audiendum accurrerunt, tum inter alios Ioannes Parckhurstus, dignissimus tum pastor Ecclesiæ Cleuensis, hanc ob causam venit Oxonium: qui lectione finita, & officio salutationis mutuę humanissimè facto in hoc distichon subito erupit,

Olim discipulus mihi, chare Iuelle, fuisti,
Nunc ero discipulus, te renuente, tuus.

Iuelli Mecænates. D. Parckhurstus.

Hic vt puerilia eius studia docendo adiuuit & promouit, sic pòst dādo fouit & prouexit: Cleuensi enim sacerdotio opimo sanè & opulento in Clocestrensi diœcesi donatus, non desiit suum Iuellum beneficiis prosequi, ad se singulis annis semel atque

iterum domũ inuitare,muneribus affectũ dimittere, pecuniã & alia ad vsus Scolasticos necesseria suppeditare. Huc & alij non pauci comites Iuelli confluxerũt, Simũdus Mertonensis Collegii medicus,Doctor Vuilsonus, nunc serenissimæ Reginæ supplicũ libellorum magister:qui huc cum Iuello profectus,nõ solum opiparè tractatus est, sed iam illis discessionem parantibus,Parckhurstus in cubiculum eorum ingressus, inspectis crumenis, Ecquid nummorum,inquit, habent isti miselli & mendicissimi Oxonienses?quas cùm inanes & penè vacuas inuenisset,pecunia largiter ingesta & iniecta, eas paulò turgidiores reddidit. Hermanno etiam pauperculo bibliopolæ Germano, aliísque multis piis beneuolum ac beneficum se præstitit:qui quo die nihil erogasset,eũ se perdidisse cum illo Vespasiano exclamauit. Huius opera & liberalitate inauguratus est Iuellus magister artium,plenis & publicis Comitiis,quæ tum circa festum purificationis diuæ Virginis habebantur nono Februarii anno Domini 1544. cùm Henricus octauus regnum suum triginta sex annos iam fortiter & fœliciter administrasset.

Iuellus Artium Magister.

Defuncto Hẽrico patri successit EDOVARDVS filius,sui seculi phœnix: qui ad tẽpli collapsi sartatecta instauranda,præstantissimos architectos ex Germania amplissimis præmiis accersiuit:inter alios Martinum Bucerũ,& Petrum Martyrem, vt ille Cantabrigiæ,hic Oxoniæ Theologiã Regio stipendio profiteretur: cuius animus in Iuellum qui fuerit mox apparebit. Vtrumque Parckhurstus semper fecit maximi,Petrum Martyrem vt patrẽ suum coluit,Iuellum vt filium dilexit, vtrũque ad se multis literis Cleuam pertrahere & pellicere voluit: sed Martyr variis negotiis distractus non potuit: Qua de re Iuellus ad eum scripsit pluribus & sæpius,vicesimo autem octauo Februarii in hanc ferè sententiam:Hesterna nocte chartã defuisse,nunc etiam ad scribẽdum argumentum deesse,quoniam tamen nũcius oblatus erat,nihil scribere, & planè tacere non posse,hoc ergo scripturũ se,nihil esse cur scribat. Nam pyream Domino Martyri non dubitat quin sua sponte summa sit diligentia curaturus: sic enim potum ex pyris confectum Glocestrenses & Vigornienses vocant:quem Martyr valdè tum febricitãs expetebat. Habuit in amicis,& alium quẽdam huius Collegii Somatochristiani sociũ Curtoppum,qui Canonicus posteà in æde Christi factus,& aliis dignitatibus Ecclesiasticis auctus,ei in singulos ferè annos quadraginta solidos dedit.Hic regnante Edouardo lectissimo principe,& stante apud nos religione,insignis fautor Euangelii,attentus auditor Petri Martyris,facundus verbi Domini præco & propagator, dignus profectò omni laude & prædicatione fuisset,si in eodem constantiæ gradu cõstitisset, si religione inclinata & mutatis temporibus,mentem ac sententiam non immutasset. Iuellus Tiguri fortè somniauit dentem molarem sibi excidisse: quod postridie cùm Petro Martyri aperuisset,Breui,inquit ille,de morte alicuius amici tui nuncium audies.Cùm autem Iuellus diem & horam in libello notasset,ex literis proximis cõperit, hũc amicissimum suum patronum Curtoppum in Anglia decessisse eodem omnino, quo ille somniauit,tempore. Vltimus sed nõ infimus Mecænas huic nostro extitit Richardus Chamberus:Deus bone,qualis vir,quàm Dei timens, quanta fide & authoritate apud suos,quàm munificus erga alios,quantus vindex oppressorum, quantus fautor literatorum:qui hoc tempore nostram Oxoniam & Cantabrigiam sæpè iterúmq; inuisit: à quo Iuellus sex libras nostrates quotannis ferè accepit,vt libros Theologicos coëmeret,& seriò in id studium incumberet. Etenim grandi pecuniæ summa à nobilibus & Londinensibus collecta,sic prouidit,vt studiis Sanctorum & Academicorum optimè consuleretur:& nemo quicquam acciperet, nisi qui sana dogmata manus subscriptione approbaret:inter quos Thomam Hardingum fuisse arbitror. Articulos quantum memini huiusmodi proposuit,quorum aliquot ascribam.

D. Curtoppus.

D. Chamberus.

PRIMVM se,Deo animi sui,& conscientiæ teste inuocato, syncera & integra fide, & casta religione credere & firmiter tenere, neque Papam neque quenquam alium sub Christo totius Ecclesiæ caput vniuersale vel esse,vel dici debere:eúmque doctrinæ Christi contradicere,qui se generalem vel vniuersalem Episcopum nuncupauerit, vel nuncupari se passus fuerit.

Articuli veræ Religionis.

Secũdo loco,totã illã Trãsubstantiationis opinionẽ à Scholasticis defensam, impiã esse & diabolicã,itémq; crassam illã ac realẽ corporis Christi in Sacramẽto præsentiã.

Tertiò Missam non esse sacrificium propitiatorium pro viuis & mortuis,vt Papistæ somniarũt,sed merum humanũ inuentum, horrendis blasphemiis plenũ ac refertum.

Quartò misericordiam Dei,promissionésque diuinas,Christique iusticiam fide sola apprehensam,& per eandem nobis applicatam,iustificare nos, nobisque vitā & salutem æternam conferre,quam quidem fidem viuam & efficacem, sequi bona opera, non quæ salutem mereantur aut iusticiam, quippè quæ iam sint collata per fidem in Christum,id est,operante in animis fidelium sancto Spiritu, sed quæ non aliter quàm veri & genuini fructus, nos veræ vitis veros ac germanos esse palmites testificentur: quæ obedientiam Deo & Christo debitam & gratam præstent:quæ etiam bonitatis & sanctitatis suæ splendore hominibus præluceant:quę cùm videant, glorificent patrem nostrum cœlestem.

5 Opinionem illam de igne Purgatorio esse ridiculam & superstitiosam, quæstus causa,& ad homines simpliciores pecunia emungendos dolosè à Papistis confictam.

6 Sanctis Dei hominibus,qui ex hac vita ad beatas sedes emigrarũt,non esse supplicandum,sed preces omnes solummodò Deo per Christum mediatorem effundendas,qui & potest & vult cum fide petentibus subuenire.

7 Imagines & simulachra non esse in templis habenda: eósque gloriam Dei imminuere,qui vel fuderint,vel fabricati fuerint,vel finxerint, vel pinxerint, vel fabricãda & fingenda locarint,si eis iam factis aliquid honoris,& diuini cultus præbuerint.

8 Publicas preces patrio sermone & vulgari lingua habendas:eos verò qui contrauenerint,à Paulo & Scripturis Dei plurimùm dissentire.

9 Integram cœnam Domini Laicis ac imperitæ multitudini concedendam, eósque præceptum Domini turpiter violare, qui poculum, vel alteram partem ademerint, &c.

FVERVNT & alij articuli,qui iam ad manus non sunt, & hos idcirco libuit inserere,vt quam doctrinam sequutus sit Thomas Hardingus hoc tempore, omnibus pateat, & vt Chamberum pretio imperitos adolescentes, in nullum errorem induxisse, quod tum Papistæ fabulabantur,appareat. In hoc pio opere non solum Thomas Sampsonus multos iam annos eruditissimus Ecclesiastes,Chamberi intimus Achates& indiuiduus comes laborauit, verumetiam Thomas Hortonus, verè Apostolicus Diaconus,hîc operam suam nauauit,nullis parcens laboribus, nulla fugiens pericula, nullas vitans insidias,quæ vndique collocabantur: quo afflicta Ecclesiæ membra iuuare, tenuioribus opem afferre,studiosis subuenire,& Chamberi in comportando fideliter,in distribuendo prudenter,voluntatem exequi possit: quorum vterque munere suo perfunctus,alter Sanctis subministrando, alter etiam suos Parochianos pro concione docendo,& peste laborantes cõsolando,suauiter in Domino obdormiuit.Solebat autem Chamberus non solum pecuniam,sed & doctrinam dispergere & dispensare, adhibito concionatore,qui populum institueret,quique studiosos, quibus aliquid datum est, officij sui admoneret.Quam prouinciam licet sæpius Petrus Martyr, pro sua in Deum pietate,& in nos amore libentissimè subiuerit, semel tamen, (illo absente) Iuello demandata est,qui tum hoc ferè modo auditores affatur:

Exhortatio ad Oxoniẽses.

SCIRE se nec ingenij esse,nec ętatis suæ,sententiã tantis de rebus pro concione dicere:se enim sibi conscium esse,quàm lõgè absit, non solum à maturitate,verumetiam à mediocritate literarum. Verum cùm alij, quos audiri ex eo loco par fuit,vel verecundia nimia,vel socordia dicendi laborem fugerent, onus quod volenti nolenti est impositum,omninò ferre decreuisse:laturum autem faciliùs, si auditores eos nunc esse,qui semper fuerunt intellexerit.Eam enim sperat causam oblatam esse, in qua oratio ne muto quidem deesse possit. Quid enim est facilius, quàm de literarum studio apud homines literatissimos,apud religiosissimos de religione dicere?Et de literis quidem in hoc ingeniorum atque artium præsidio, vbi Plato, Cicero, Demosthenes, luculentissimi scriptores atque optimi audiuntur, cur multa dicat haud se videre. Non enim dubitat,eorum esse neminem ita prorsus oblitum sui, vt non meminerit se Oxonij viuere:qua voce vna semper maiores nostri satis officij sui admonebantur, & diuinum illud lumen ingeniorum,non voluptatum, sed disciplinarum causa in nobis, à Deo optimo maximo accensum esse:Neminem esse ex hoc numero, quin id secum assiduè cogitet,in Academia se florentissima,in luce Reip.in ore, in sermone,in oculis omnium versari:Dignitatem & splendorem Academiæ non in substructionum,& ædificiorum

ficiorum magnitudine,sed in hominum studiosorum multitudine situm esse, nos postremò Collegia,nos scholas,nos gymnasium totum esse. Quapropter cùm ista secum quisque meditetur,quid opus est oratione, cùm res ipsa potius moneat? Ipsósmet videre, studiorum suorum cursum,summo Dei Optimi Max. beneficio concitari, videre insignem commeatum Londino vsque ad se aduectum esse, & bonos viros de ipsis dormientibus sollicitos atque anxios cogitare. Nam de his duobus cœlesti spiritu afflatis viris, etsi non satis verecundè multa in os dici possunt, tamen hoc facilè omnes intelligere, quàm difficilè sit his iniquissimis temporibus pecunias disciplinarum causa comparare: hos tamen duos non tantùm laborem cupidissimè suscepisse, sed etiam hyeme durissima & difficillimo anni tempore,tam procul huc profectos esse, vt ipsis domi manere & otiosos esse liceat,& ne quid ipsis curæ sit, illos se solicitudine, & curis enecuisse. Non illos mollities, non remissio animi,non conuiuia,non ludi reuocare ab instituto,non labor,uon cura,nõ rerum ipsarum difficultas,& magnitudo frangere ac deterrere potuit. Hæc tanta erga ipsos Dei Opt.Max.beneficia,& hominum bonorum benignitatem si diligenter & attentè,vt par est,considerabunt:& ad pietatem vehementer excitabuntur, & alacrius atque ardentius ad studia literarum ingredientur.

Iam verò de religione nec quid dicat,nec quid taceat, satis compertum habuit, ita ea partim ab apertis hostibus, partim à perniciosis fautoribus miserè laceratur. Alij enim hominum leuissimas nugas,& meras ineptias admiratur, æterni numinis stabile certúmque iudicium,& veritatem contemnunt, & quasi falli homines non possent, ita id tuentur vnum quod à proauis,& maioribus didicerunt. Ita errorem pro religione,consuetudinem pro veritate,opinionem pro pietate colunt. Eorum autem, à quibus in viam reuocantur,aditum congressúmque fugiunt:illis, qui salutem & vitam afferunt, pestem & perniciem machinãtur: eos qui omnia bona precantur, diris & execrationibus defigunt, quósque parentum loco venerari,& quorum innocentiam tueri,& tegere debebant, in eos omnia crudelitatis exempla excogitant. At sunt alij longè his infestiores hostes Euangelij,qui veritatem ore quidem profitentur,factis autem negant,& perditis moribus, & flagitiosa vita alios à religione deterrent. Ex hoc numero multi sæpe sunt,(quod sine graui suspirio,& gemitu dici non potest,)qui Christi nomen,& Euangelium,& pietatem prædicant,& aliorum cæcitatem atque ignorationem exagitant: Sed nimis otiosè, nimis securè viuitur. Religio,quam Deus Opt.Max.commendauit, quæque in omnem æternitatem fixa,& constituta videbatur,heu licentia,impunitate,omni flagitiorum genere, & vitæ turpitudine labefactatur. Itáne,inquit imperita multitudo, pietas ab impiis, religio à ganeonibus,æterna vita ab hominibus deploratis &mortuis,Deus à Diaboli mancipiis denuntiatur? Ita pietas despicitur,religio contemnitur,Ecclesia Dei laceratur,Deus ipse grauissima contumelia afficitur, Dei immortalis nomen & religio, nostra causâ ridetur & exponitur ludibrio.Hæc diligenter animaduertenda & seriò curanda, in hanc curam omni ope incumbendũ,& vocem omni contẽtione ceu tubam excitandam, vt hostes Euangelij,aliquando perfidiæ,& contumaciæ suæ pudeat.Huc nos parare, huc omni impetu ferri,huc studia,conatus,industrias referre oportere. O quanta messis, & quàm matura vbique est? Messores quàm pauci? quot oues, quàm miserè in rupibus vagæ ac dissipatę? pastores quàm pauci?quàm læta & fœcunda vinea,quàm pauci vinitores?ne pudeat Euangelij,ne pudeat seruatoris Iesu Christi.Hęc nostra est religio,hoc nostrum est munus, hoc suscipimus & profitemur: hac via diaboli vires minuentur, hac via Christi gloria in orbem terrarum vniuersum propagabitur. Quòd si cessatur & ad tantam scelerum licẽtiam conniuetur,Dei omnipotentis vindicta,& manus grauissima sentietur.Hac in causa nisi fidem & iudustriam præstiterimus,Deum ipsum immortalem infestum & vindicem experiemur. At quid experiemur inquit?iamdudum experimur,iamdudum esse numen, esse Deum immortalem,& nos ignauos esse ac desides experimur. Nam quæ maior calamitas nostris rebus accidere vnquam potest,quàm vt nobis bonarum artium cognitio & doctrina,ex hominum frequentia tolleretur? Fui olim Oxonium doctrinarum omnium domicilium,vbi se colere iuuentus & erudire posset. Hæ olim sedes erant, hæc sacraria literarum: à nobis cultus numinis purissimus, à nobis pietas, à nobis religio petebatur. Sed olim ista, olim ista viguere. Nunc enim nostro vitio & ignauia, ornamenta illa & lumina in tenebras & solitudinem reciderunt:nostro hæc omnia vitio & ignauia ceciderunt.

Quæ quãuis nobis videri debeant,vt sunt,acerbissima, toto tamen corpore atque ani-

mo cohorrescere se dicebat,cùm cogitaret, quantò Academiæ & omnium fortunis impendere videantur acerbiora: videre se quodammodò naufragium & funus literarum, cùm omnium bonarum artium genera,& studia destituentur, cùm omnis hæc spes melioris auræ quæcunque est,cùm hoc decus Britanniæ ac lumen extinguetur,cùm hæc disciplinarum omnium penetralia,plena inscitiæ,plena squaloris,plena barbariei, horrida, inculta,muta,deserta collabentur,& ruent.Sed quid hæc futura dicuntur?Nunc ea plaga accipitur,nunc illud vulnus infligitur,nunc barbaries studiorum omnium nostrorum spatia populatur.Nam quid verbis opus est,cùm ipsa id res apertè clamet?

At nunc,ô Deus bone,quæ nobis spes,quæ lux,quàm repentè affulsit?Videmus pietatem & literas,&Deo immortali & hominibus esse curæ,Deum Opt.Max.ad miserias nostras oculos postremò adiecisse:homines inopes ac tenues,qui antè ne viuere quidem satis commodè posse videbantur,ingenti salario in Academia retineri. Quæ cùm tantùm singulis profuerint,facile videre est,quantùm profuerint vniuersis.

Ita conuersa ad nos oratione,vehemeter & grauiter hortatus est,vt agamus Deo Opt. Max.gratias,quòd nostri misertus sit,& inopiam nostram tot beneficiis cumularit: vt exardescamus ad studia literarum, & veram pietatem, quantùm in nobis est, promoueamus, religioni quam profitemur, summa vitæ integritate atque innocentia respondeamus.Monere pudorem,monere religionis orbitatem,monere vindictam Dei. Hortatus est,vt meminerimus nos non deliciis,non otio, non conuiuiis,non licentiæ, non impunitati,sed studiis,literis,vigiliis,laudi, seueritati natos esse. Postremò vt mores & vitam omnem sic instituamus,vt videāt homines bona nostra opera, & laudent patrem nostrum cœlestem,&c.

Quinam hi duo fuerint quorum mentio facta est,non satis commemini,cùm nūc Hortonus,nunc Thomas Sampsonus,nunc alij atque alij Chambero se comites adiunxerint.

His ita peractis,cœpit eius laus & fama,non priuatis Collegij parietibus contineri,sed in vulgus emanare. Iam ex latebris in lucem,in agmen,in pulpita, in scholam protractus est,iam & alios audiuit diligenter, & ipse suas partes egit gnauiter. Cùm Petrus Martyr aduentu suo multorum studia commouisset, & prælectionibus publicis, & aures, & animos conciliasset, vt frequentes interessent: hic noster etiam adfuit. Quis enim abesse poterat,qui virtutem,qui doctrinam,qui prudentiam,grauitatem, humanitatem, pietatem,mirificam docendi,& eloquendi facultatem amaret,& admiraretur?Adfuit ergo ille,non vt nouarum rerum cupidus,quomodo curiosi ad spectandum, & audiendum exteros concursant,non vt oscitans spectator,vt illi quorum aures dicta statim præterfluūt, sed attentus & arrectus,calamo & atramento armatus,ne quid effugeret. Memini enim quàm celeres haberet articulos,quàm dextrè characteres, & notas quasdam suas formaret,sic vt annotationes,imò iustos ferè Commentarios in Epistolam ad Corinthios priorem,& multò absolutius in Epistolam ad Romanos scripserit.Erat semper ταχύγραφος, & πολύγραφος,vt multa citò & scitè pingeret:integras lectiones ad verbū ferè exciperet: vnde cum Martyre summa ei familiaritas intercessit,quæ pòst dulcissima consuetudine aucta, & domestica coniunctione alita,nunquam fuit intermortua: vt sequens narratio indicabit.Hic in epistola quadam ad Iuellum,integram eius,& incorruptam vitam,amœnū ingenium,eloquentiam,labores,certamina religionis ergò, modestiam atque temperantiam,synceram fidem,honestissimos mores, animum simplicem, candidissimum pectus, sanum iudicium se Oxoniæ expertum esse,& egregiè cognouisse,non dissimulauit.

Iuellus Pet. Martyris auditor.

Habuit hoc ferè tempore hic Petrus Martyr orationem seu concionem in Templo Beatæ Mariæ,coram Lincolniensi Episcopo & D.Coxo & aliis Regiæ Maiestatis inquisitoribus,sicuti tum iuuenis annotaui. Argumentum depromptum est,ex D. Ioannis capite decimo sexto, Amen Amen dico vobis,quæcunque petieritis à patre nomine meo dabit vobis,&c. Vbi summam contextus explicauit, primùm petitionem,pòst Christi à discipulis absentiam, deinde ad reuerendissimos auditores conuersa oratione, temporum calamitates declarauit, quæ semper ab initio mundi in deterius prolapsa sunt: reformationem verò tandem à piis hominibus expetitam, & à Deo semper adhibitam, nūquam Deum suam Ecclesiam se inuocantem deserere, aliqua semper organa electissima ab eo excitari qui disciplinam administrent, Ecclesiam & Scholas erudiant, & populum Dei in officio contineant:huc vocatos diuinitus Mosen,Iosuam,Ezechiam, Prophetas, Apostolos,nostrum serenissimum Principem Edouardum sextum, à quo ad nos hi præstantes viri missi sunt. Duo autem potissimum curanda dixit, vt magistratus bonas leges conse-

Concio Pet. Martyris.

rant,

rant, & in primis Scholas & Academias repurgent. Academiam siquidem esse radicem & partem Ecclesiæ, ibi aciem, ibi cuneum, ibi exercitum domini: Hoc à Deo enixè petendum, hoc visitatorum esse, hoc iterum atque iterum faciendum & perficiendum, alioqui Religionem in puluere, in cœno iacere. Quod idem, quantum memini, tractauit cum ex Haggæo Propheta copiosè, & ornatè de Templi diuini structura & architectatione dissereret.

Anno 1550. sub festum Magdalenæ, quod tum erat apud nos receptum & celebratum, Oxoniam visendi Petrum Martyrem & Academiã, causa, venit clarissimus sanctæ Theologiæ apud Cantabrigienses professor Mart. Bucerus, præter cęteros Ioanne Bradfordo, optimo viro, & constantissimo Martyre, qui ei ex intimis maximéque familiaribus erat, comitatus. Is in Collegio Christi concionatus est, seu vt ipse vocabat, prælegit, materia accepta ex Euangelio D. Ioannis capite decimo septimo: Sanctifica nos ô pater in veritate, & quæ sequuntur. Quod totum sic diuisit, vt tres potissimum partes ea lectio amplecteretur: Pro quibus orabat Christus, Quibus de causis, & quid. Die sabbati sequente ex Math. septimo docebat nos cauere nobis, & attendere à Pseudoprophetis. Præcipuæ partes erant de præcepto & propositione: vbi duo notauit, Quis & Quid moneret: tum de lupis rapacibus & ouium simplicitate: Dein de regula & canone, vnde Prophetæ veri à falsis ex doctrinæ, & morum fructibus discernantur: postremò de proprietatibus quibusdam seu consequentibus, de vuarum ex spinis collectione, & de arborum inutilium excisione. De Scripturis autem & prophetia, illud vtilissimè obseruauit, ad eam quatuor valdè conferre, Lectionem assiduam, precationem ardentissimam, conuentus publicos, & priuata colloquia. In Epilogo hortatus est vt veri prophetæ, pastores, reges, ministri, miseris animabus prospiciant, nec eas fame vel siti perire sinant.

Buceri aduentus & Concio ad Oxonięses.

Ab hoc Pet. Martyre, sacræ Theologiæ regio prælectore, in cœtu magistrorum, & in domo, vt appellant, Congregationis, Iuellus tanquam à patre filius, & tanquam à Magistro, & Doctore scholaris, vt vocāt, Theologiæ candidatus sistebatur, anno Edouardi sexti ferè quinto, vt in numerum Baccalaureorum sacræ paginæ admitteretur. Quod vt ab omnibus candidè est concessum, ita eorum omnium expectationi, & suæ nouę professioni disputando, concionando, tam Anglicè quàm Latinè, abundè satisfactum est. Cancellarius summus tum merito suo Richardus Coxus, Theologiæ Doctor, nunc Eliensis Episcopus, rexit Academiam, Scholasticas exercitationes, & disputationes solennes regia autoritate instituit, moderante in Schola Theologica Pet. Martyre, quibus semper Iuellus vt spectator, & actor se admiscuit. Qua diligentia effectum est, vt locos communes excerperet, in ordinem digereret, & multos inde libros chartaceos conficeret: ex quibus aliquot quæstiones, vt de ciborum delectu, & aliis controuersiis aptè selectas, pulchrè descriptas, Parckhursto veteri præceptori, & nouo Mecœnati dono miserat. Subintrauit nonnunquam in Scholam Richardus Smithus antecessor, & æmulus Martyris, Sophista magis quàm Theologus, homo omnium partium & horarum, animi tamen sui inductione, & opinione aliorum, Romanæ curiæ clientulus: non vt Christiana apis salutare mel exugeret, sed vt Papisticus araneus perniciosum venenum hauriret. Quoniam Martyr de cœlibatu Sacerdotum, & de votis ex septimo capite ad Corinthios, & rursus ex vndecimo de Eucharistia tractaturus erat, subingressus est, vt quidnam de his potissimum sentiret, & quam tueretur opinionem subauscultaret. Exeunt ex Smithina officina paulò pôst libelli non satis affabrè compositi, imo impoliti, & mendis referti, de traditionibus, & veritatibus non scriptis, de sacrificio Missæ, quos iamdiu parturierat: Petro Martyri hæreseos dica scribitur: tandem subitò prosiliens, eum iam in Schola Theologica prælecturum, ad disputandum tumultuosè & seditiosè prouocat, vt sua quæ asserebat illicò defenderet. Quàm verò prudenter, modestè, fortiter Petrus se gesserit, quàm memoriter, & promptè superioris lectionis suæ capita in illa turbulenta concione repetiuerit, quàm fœliciter imminens periculum, quod furiosa multitudo ab hoc fabro seu flabello seditionis concitata, intentare videbatur, declinarit, hinc Papistis conspirantibus, illinc Protestantibus conglobantibus, & præceptoris sui defendendi causa succenturiatis, omnibus ex omni parte submurmurantibus, inde Magistratu velut è cœlo in hac tanta confusione interueniente, & Petrum è faucibus aduersariorum eripiente, non attinet commemorare. Sed animosus iste Achilles, die ad disputãdũ cõstituto, cùm nõ cõpareret, sed ad D. Andreã in Scotiã profugeret, ratus eũ qui in hoc articulo benè lateret, bene viuere:

Iuell⁹ Theologiæ Baccalaureus.

Rich. Smithus.

Disputatio Oxoniēsis.

pro hoc transfuga, Threshamus, Chedsæus Theologiæ Doctores, & Morganus Sophista, & alii, nimirum pro vno multi successerunt, ne omnino causa cecidisse viderentur. Quæ disputatio de Sacramento Eucharistiæ, anno Domini 1549. edita est: in qua Iuellus electus est pro Pet. Martyre Notarius, vt litera scripta maneret, & vt verba vltrò citróque iactata, literis consignata in fumum aut in nihilum non abirent. Ita semper Iuellus & Pet. Martyri & veritati adfuit, ita nunquam in publicis huiusmodi congressibus officio suo defuit.

Iuellus notarius.

Iuellus concionator.

Sunningvvellæ deinde minister, (quod oppidulum ab Oxonia non procul distat) non magno salario inuitatus, sed cura pascendi gregis Dominici tactus, alternis septimanis ad minimum, pedibus licet ægris, eò iter fecit, vt Catechisten simul & Ecclesiasten ageret. Hoc concionandi munere & priuatim functus est in suo Collegio, & publicè in Academia. Priuatim habita est ab eo iussu Præsidis, exhortatio Anglicè, Anno 1552. Decembris vicesimo tertio, Themate ex Psalmo 112. sumpto, quo dicitur, memoriam iusti æternam fore & duraturam. Tractationem verò totam, quia perpolire non possum, saltem membra eius aliquot potiora, & quasi puncta quædam insigniora, breuissimè percurram.

Exhortatio in collegio corporis Christi: In memoria æterna erit iustus.

Concio in fundatoris Foxi commemorationem.

IN primo orationis suæ introitu proponit, omnes gloriæ studio duci: omnes etiam senio & ætate confectos, velle & vitam suam propagare, & nominis sui memoriam perpetuare: ac inde Philosophos immortalitatis nostræ argumentum colligere: omnes hoc vnum spectare, sed non vno omnes modo expetere: Alios maria ponte constrauisse, & Neptunum quasi captiuum suæ potestati subiecisse, Alios editissimos montes solo æquasse, Alios ingentes Pyramides, Arcus Triumphales, Obeliscos, Colossos, Arces, Castra extruxisse, Alia atque alia æternæ gloriæ monumenta, ac trophæa sibi erexisse: Non defuisse qui malis id artibus affectarunt, vt Pausanias, vt etiam Erostratus, qui celeberrimum Dianæ templum incendit, quò nominis claritatem aucuparetur: Cæterum hoc nomen in obliuionem venire, hanc famam extingui: Iusti autem memoriam æternitati consecratam semper durare, nulla sæculorum diuturnitate interire, fructum eius nunquam excidere. Iustum non in arena, sed in Petra, non in seipso, sed in Christo ædificare: fundamentum non in terra, sed in cœlo iacere.

Erostratus.

Ex omnibus vnum Richardum Foxum præclarissimum Fundatorem, cuius eo die cōmemoratio agitabatur, exemplum optimum esse posse, tempori consentaneum, loco cōuenientissimum, ipsis auditoribus aptissimum. De Foxi beneficiis non esse opus quicquam apud eos dicere, qui beneficiis iam fruerentur, qui illa in dies, in horas, viderent, sentirent, agnoscerent: illud tantùm dicturum, eius honorem, nomen, memoriam, laudésque, quàm diu vniuersitas, Collegium, literæ florebunt, semper mansura: non se amplificaturum, quod nullo modo extenuari deberet, non commemoraturum, quod nulla obliuione deleri oporteret. De officio autem ipsorum, cuius non semper erant memores, de studio literarum & diligentia duo aut tria verba facturum. Pertinax Imperator Romanos otio iam & pigritia languescentes, hoc Symbolo excitare voluit, Laboremus: ita illis sic agendum & peragendum, sic conspirandum & simili signo vtendum, STVDEAMVS: quod qui non intelligeret, non vsurparet, non præ se gereret, tanquam inutilis miles, imo tanquam proditor, aut explorator, aut exul haberetur. Musæ, vt Platoni visum est, ἀπὸ τοῦ μῶσθαι, à scrutando & studendo nomen obtinent. Musarum princeps Melete, à studio, cura: & diligentia: vniuersitas gymnasium dicitur: non desidiæ locus: sed exercitij palæstra. Prisci illi Romani Stimulam & Hortam tantùm non diuinis honoribus cumularunt: Otium autem seu Quietem inter diuas quidem recensuerunt: tamen in ciuitatem non receperunt: sed extra Collinam portam illi ignauo Numini templum dedicarunt: ne quis Romæ natus & liberaliter educatus: Quietem & Otium vllo honore dignaretur. Nihil agendo inquit Cato ille, homines discunt male agere: Ideóque quotquot literati fuerunt: & literarum gloria claruerunt: non otio: non somno, sed labore: sed studio ad illud literarum culmen peruenerunt. Putà Cicero: qui in dies singulos lineas aliquot duxit: Græcè & Latinè aliquid demum commentatus: Putà Arist. qui pilam ferream cubiturus manu tenebat, quæ profundo somno opprimente, & neruis solutis, delapsa in peluim aqua plenam, sonitum ederet, & somnum discuteret, qui etiam interrogatus vbinam Musæ habitarent, respondit, ἐν ψυχαῖς τῶν φιλοπόνων, in

animis

animis studiosorum. Demosthenes deformauit se capitis & barbæ capillitio abraso, vt pudore prohibitus in publicum non prodiret, sed domi se continens libris operam daret, & interrogatus quomodo tantam eloquentiæ laudem adeptus fuisset: Vigilando, inquit, & elucubrando, plus olei quàm vini insumendo. Plinius siue domi, siue foris, siue in balneo sedens, siue inambulans, siue cœnans aliquid semper lectitabat: Omne tempus perire dictitans, quod studiis non impartiretur. Exemplum quoque Apellis diligentissimi pictoris sequendum, vt non somnolentiæ, sed studiis se dederent: Cogitandum quorsum illud Collegium conditum, quorsum ille cœtus celebratus, quorsum illi tot sumptus facti sint: quocunque se verterent, quocunq; oculos versarent, omnes Reip partes, omnes Collegij anguli, ipsa aula, ipsa bibliotheca, parietes domus, ipsa cubicula, ipsæ columnę & lapides clamant, loquuntur, officium inculcant.

Olim eam domum, ait, nutricem literatorum & ornamentum Oxonię: olim illud corporis Christi Collegium, præstans membrum Academiæ fuisse: Laudem eam, hæreditatem, ius non amittendum, fundatoris nomen non obscurandum, non in eum finem eos ab illo ibi collocatos, non illum sic de illis malè meritum esse, maculam quæ ipsorum nomini, ipsorum culpa inusta erat, ipsorum solo studio, industria, sedulitate posse elui.

Excutiendum ergo veternum & soporem, antiquam dignitatem recuperandam, commune illud Symbolum, quo se mutuò norunt milites, & vigiles in excubiis, recipiendum, STVDEAMVS.

QVAM autem in templo Diuæ Mariæ concionem habuerit, quàm Latinè, quàm Cõptè, quàm Theologicè, me silente ipsa loquetur Oratio, cuius exemplum mutilum, vt potui, aliquantulum recognitum & correctius exhibere malui, quàm omninò supprimere, quæ & Concionatores multa vtiliter commonefacit, & pro gradu Baccalaureatus suscepto recitata videtur, verbis ex 1. Pet. 4. desumptis, dominica intra Octau. Ascensionis:

Si quis loquitur, tanquam sermones Dei, &c.

Concio Iuelli Latina in Templo D. Mariæ.

" DILECTISS. in Christo fratres, ex ea Epistola D. Petri quæ hodierno die ad populũ legi solet hæc verba potissimum delegi, quòd cùm pro huius loci ac temporis cõsuetudine Latinè esset perorandum, ea mihi ad hunc cœtum propriè pertinere viderentur. Quæ vt à vobis omnibus propius & melius intelligãtur, pauca mihi à principio totius Epistolæ sunt repetenda. Quapropter meminisse debemus, cùm primis illis temporibus Christiana religio, vt pernicies animorum & rerumpub. pestis vbique gentium exploderetur, & pietas erga Deum summa esse videretur, religionis nouatores extinguere, ne homines Christiani, & pij ea tempestate frangerentur, & spem omnem abiicerent, ita eos hac Epistola D. Petrum instituere, vt meminerint nihil nouum aut insuitatum accidisse, Christum ipsum longè acerbiora indignioráque pertulisse, ne quid animo conciderent, per afflictiones, & cruces aditum postremò esse ad gloriam: Eóque & populum monet seorsim, & Episcopos, docétque quid vtrisque curæ esse debeat. Quod ad populũ attinet, ait, satis antè datum esse nequitiæ, nunc cum religione vitam quoque mutari oportere. Pietatem autem non in fuco & titulis, sed in vitæ integritate ac morum innocentia sitam esse. Iniquum esse ore tantùm & lingua Deum colere, mentem autem atque animũ Diabolo addicere, & ab Idololatris non vita & moribus, sed verbis & professione discrepare. Quoniam autẽ à Maiorum suorum antiquissimis institutis & legibus discesserant, & pauci hominum omne genus in se cõmemorant, monet vt ipsi saltẽ omnibus officiis mutuam inter se charitatẽ colant, ne vlla vnquã animorum au studiorum dissensione distrahãtur. Hanc enim solã tesseram esse Iesu Christi, qua Diaboli mancipia internosci possint à filiis Dei. Ita futurum breui vt orbis vniuersus Euãgelium & cœlestẽ doctrinã amplectatur, & hostes atque inimici crucis Christi, quos mouere pietas nõ potuit, pudore ac verecundia vincãtur, & resipiscant. Episcopus autẽ monet, vt difficillimis tẽporibus munus suum omni industria studióque tueãtur, & diligẽter prospiciant ne quid Ecclesia detrimẽti capiat. Non enim ludicrã esse rem, sed onus grauissimum quod susceperint. Proinde si quãdo ad populum verba faciant, loquantur vt Sermones Dei, itaque se gerãt, vt alij nõ homines sibi audire videãtur, sed nuncios & interpretes diuinæ vocis. Hãc ego sententiã huic tẽpori locóque accommodatissimã esse iudicaui. Quoniã enim partim, in sacrum ministerium ingressi iã sumus, partim vti spero, studiorũ nostrorum cursum iãpridẽ eò direximus, docebimur hoc loco, queãdmodũ cœleste munus ornãdũ sit, vt opera nostrã Ecclesiæ Dei

" aliquando vtilissima esse possit,& sacrosanctum Euangeliũ quàm longissimè promouere."
" Verum vt agatur distributius, nec vagetur aut erret oratio, hæc mihi tria visum est
" paucis attingere:primum,Cõcionatori dicẽdum esse:Dein quid: Tũ quo pacto dicẽdum
" sit: vt intelligi possit primum,vix satis probum concionatorẽ esse,qui pro concione nihil
" vnquã dicat,dein nõ fabulas aniles,sed verbum Domini populo esse proponẽdum,postre
" mòq; illud ipsum verbum reuerẽter & magnificè pro rei dignitate tractãdum. Verum vt
" Deus Opt.Max.& vobis omnibus animos sacro afflatu,& mihi vocem accendat, fructus-
" que aliquis ex hac re ad omnes redeat, peto à vobis vt imbecillitati meæ vestra pietate
" suffragemini.

Partes cõcionis.

" In primis autem cõmendo pietati vestræ vniuersam Christi Ecclesiã per omnem ter-
" rarum orbem dissipatã,& vt nunc quidẽ est,multis in locis miserè habitã. Seorsim verò
" hanc nostram Anglicã & Hibernicam,in eaque Clariss.Regis nostri Edouardi maiestatẽ,
" Regis illustriss.sorores Mariam & Elizabethã,Sacrosanctum senatum,magistratus Eccle
" siasticos & politicos,omnẽque populum Britannicum,vtrámque Academiam,& hanc in
" primis Oxoniens.Cãcellarium,Vicecancellarium,Procuratores,Robertum Moruentum
" præsidẽ Collegij corporis Christi,Doct.Rainaldum præfectum Collegij Mertonensis, &
" omnem in vtroque Collegio studiosam iuuentutẽ.Agetis Deo Opt.Max.gratias de Hẽri-
" co septimo octauóque,Regibus clariss.memoriæ,Humfredo Duce Glocestrẽsi,&c.quòd
" ad alendas bonas literas & propagandã Religionem, ea lumina pro sua infinita bonitate
" voluerit accẽdere: Orabitísque vt & alios deinceps horum similes velit excitare, & nos
" omnes ad illorum societatem in Abrahami sinum aggregare.

Preces vsitatæ & solennes.

" Qui loquitur,loquatur vt sermones Dei. Vt horum verborum sententia melius intelli
" geretur,quoniã & de Pastoribus, & apud Pastores agendum erat, hac vsus sum distribu-
" tione,vt dicerem,Pastori primùm sępe,dein è sacris literis,postremò grauiter & modestè
" pro rei dignitate dicendum esse.Et de officio quidẽ Pastorum,equidẽ adhuc nec quid di-
" cã satis video,nec quid taceã.Nam dicere quod iam ante toties dictum sit,& odiosum,&
" importunum est:tacere autẽ tantam socordiã & ignauiam nostrorum temporum, nõ ni-
" hil vereor,ne hominis & socordis videri possit & ignaui.Certè si in hac causa Dei vox im
" mortalis audiri posset,hoc tẽpore voce opus non esset mea.Nam ne quid dicam prętereà
" omnes nos Scripturæ satis officij nostri commonent,Deus ipse nihil vnquã vel sæpius,vel
" grauioribus verbis imperauit, quàm vt populus ad sui cognitionẽ & pietatem instituere-
" tur.Fili hominis,inquit Dominus apud Esaiam,clama,ne cesses,vociferare,excita tanquã
" tubã vocem tuã,& denuntia populo meo scelera sua. Quoties clamat Christus,Ite,doce-
" te,prædicate Euangelium omni creaturæ. Væ mihi,ait Propheta,quia tacui. Væ mihi, ait
" Paulus,si non docuero Euãgelium. Verùm tãta nostra est vel securitas, vel mollities, &
" aures ad omne sanum consilium occlusimus, vt contumeliæ loco nunc ducamus, si quis
" nos officii nostri commonefaciat. Verum quicquid nobis videtur, hoc certè Deo semper
" visum est præsidium ad constituendam Ecclesiam, & firmissimum & maximum. Sic e-
" nim nos Deus è tenebris eduxit in lucem,sic mortuos vitæ reddidit, sic vinctos & capti-
" uos ex inferis in cœlum intulit, sic vires Diaboli comminuit, sic mundum vniuersum in
" potestatem & ditionem suam redegit,sic nominis sui famã in omnes terras propagauit.
" Nam si Christus,si Apostoli,si Prophetæ tacuissent, quæ nunc esset nostra conditio? quæ
" vsquam esset religio? quis cultus numinis? Quòd lucem aspicimus,quòd fugimus è vincu-
" lis,quòd Filii Dei numeramur & sumus,id omne debemus prædicationi verbi Dei. Ne
" ludamus fratres,ne ludamus ipsi nos. Non sunt ita constabilitæ res nostræ,vt non possint
" ruere.Nisi cauemus,nisi circunspicimus,nisi studium & diligentiam adhibemus,facilè o-
" mnia in pristinum locum labentur & ruent. Lucerna , nisi addatur oleum, facilè extin-
" guitur. Victoria eadem via retinetur qua paratur. Nam quos nunc arietes non admouet
" Diabolus, quas artes non experitur,qua via non grassatur ad euertẽdam Ecclesiam Dei?
" Semper agit excubias,nunquam defatigatur,tãtùm vitiorum,ignorationis,cæcitatis im-
" portauit,vt nihil vsquam loci sit, vbi concionator otiosus esse debeat. Quemadmodum
" autem,si Sol de mundo sublatus esset,omnia obscura , dissipata , confusa relinquerentur,
" ita sublata ex Ecclesia Pastoris voce,religio temeraria,cæca , turbata relinquitur , omnia
" errore,superstitione,Idololatria permiscentur.Tanti est,Procuratorem esse Domus Dei.
" Euangelium,religio,pietas,salus Ecclesiæ à nobis pendet solis.Hoc nostrum est officium,
" hoc suscipimus & profitemur.Hoc nisi facimus,nihil facimus,nullus est nostri vsus. Non
" enim satis est nescio quas nouisse literas.Dęmones norũt plura fortasse,q̃ quisquã nostrũ.

Officium pastoris, docere.

Pastoris est,non tam multa didicisse, quàm multùm docuisse. Pudeat autem vilissimum " genus hominum, cerdones & baiulos officium suum facere,nos autem,quos aliis omni- " bus prælucere oportuit, otiosos esse & nihil agere. Non enim nos Deus ventres otiosos, " sed suæ mentis interpretes,ministros Iesu Christi,populi sequestros apud Dominum Sa- " baoth,Lucem mundi,Salem,Angelos & filios Dei & appellari & esse voluit:Præficimur " autem non mutis pecudibus,non feris animantibus,sed gregi Domini, sed filiis Dei , sed " fratribus Christi.-Si quis horum nostro vitio perierit,sanguis eius è nostris manibus repe " tetur.Hæc si nobis sola in oculis atque animis versarentur,non ita fratrũ nostrorum,non " ita nostram salutem,non ita Sanguinem Christi securè & temerè proiiceremus. Nihil e- " nim est quod quisquam dicat:Surdis canimus,populus non audit,laberamus ingratis, ni- " hil promouemus,rem sanctam obiicimus canibus,margaritas damus porcis. Scimus ista " interdum verè dici,& vehementer dolet tã verè in homines Christianos dici posse. Ne- " que tamen nos idcirco reticere oportuit,sed tanto frequentius,tantóque acrius & incen- " sius dicere.Quantò enim periculosior est morbus,tantò magis opus est medico.Nec satis " iustè de populi contumacia queri possumus,si nos interim ipsi nihil agimus. Præstemus " nos operam nostram,successum Domino relinquamus.Tum illi,si animo ita erunt obfir- " mato vt audire nolint,in peccato suo morientur.Sed nihil est causæ quamobrem populi " salutem desperemus.Deus ipse coluit vitem,quæ pro vuis peperit labruscas.Deus ipse to- " tos dies protendit manus ad populum rebellem & contradicentem. Christus ipse quo- " ties dixit:Hierusalem,Hierusalem,quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum " gallina congregat pullos suos,cùm illi aures auertissent & audire noluissent?Hic morbus " facilè tolletur si adhibebitur medicina.Proferamus nos lucem,Dominus aperiet oculos: " pulsemus aures,Dominus dabit cor carneum:demus nos verbum , Dominus dabit spiri- " tum:plantemus,rigemus,Dominus suo tempore dabit incrementum. Nam vt nostrum " est,populum verbis instituere,ita Dei est,fidem dictis suis & robur adiungere. Ea autem " est vis verbi Dei,vt nihil efficere & nulli prodesse non possit.Multa in vepres, in viam,in " saxa cadent,& aliquid cadet in terram bonam & feret fructum. Quemadmodum enim " *Esa.55.* imber descendit de cœlo,& illuc non reuertitur,sed irrigat & perfundit terram , & eam " facit germinare,& dat semen serenti,& panem comedenti:Sic verbum meum dicit Do- " minus quod egreditur ex ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed conficiet quæcun- " que volui. "

2. Docendum Dei verbũ. Sed quoniã non satis est dicere,videamus nunc id,quod secundo loco polliciti sumus, " quid sit dicendũ.Alij enim interdũ dicunt quos præstiterat tacuisse,alij cùm magna cõtẽ " tione vociferantur & clamãt,nihil dicũt.Quapropter videndũ est, néue otiosè néue per- " nitiosè dicatur. Nõ enim omnia promiscuè pro concione ad populum dicenda sunt.Ha- " benda est ratio,quid populi religiosum silentium,quid loci reuerentia , quid muneris no- " stri magnitudo postulet. Vera dicenda sunt,non mendacia , scripturæ, non fabulæ , Dei " opt.max.præcepta,non hominum somnia : Non enim nostro iudicio instituenda est reli- " gio,sed è verbo Dei.Qua quidem in re si vel Mosen,uel Prophetas,vel Apostolos,velChri " stum,vel patrem ipsum audiemus,haud sanè multum aberrabimus.Moses enim cùm per " incultam & desertam regionem,populum exulem & vagum traduceret, in tanta solitu- " dine,quicquid vel dicendum vel agendum esset,semper consuluit dominum,nihil vnquã " attulit de suo.Prophetæ semper aiunt,verbum domini,visio domini,vox domini, hæc di- " cit Dominus,audite Dominum.Ego , inquit Paulus , Euangelium meum non accepi ab " homine neque per hominem:& nihil noui nisi Iesum Christum,& illum quidem crucifi- " xum.Et si Angelus è cœlo docuerit aliud Euangelium quàm quod didicistis , anathema " sit.Christus,omnia,inquit,quæ audiui à patre meo,tradidi vobis:& prædicate,inquit,non " quicquid inciderit,sed Euangelium omni creaturæ:& cùm quæstiones Pharisæi &Saddu " cæi de diuortio & mortuorum reditu ad vitam commouissent,nunquam ad Rabinos re- " currit,semper ad verbum Domini.Deus pater clamans é cœlo,hic, inquit,est filius meus " dilectus:Ipsum,non patres,non auos aut proauos,sed ipsum,inquit,audite. Suum enim fi " lium cœlestis pater,& verbum suum omnibus locis doceri & inculcari voluit.Neque cer " tè cuiquam dubium esse potest,quid quod & optimus,& Sapientissimus,& amantissimus " pater nostra causa nobis dedit,& optimum sit,& sapientissimum,& nostris rationibus vti " lissimum.Hoc illud est flumen aquæ scaturientis in vitam æternam. Hæc illa est caro,hic " ille sanguis Iesu Christi,hic vnicus est & suauissimus , & saluberrimus pastus animorum. " Hoc solo gladio Diabolus superatur,hoc solo lapide Goliah sternitur,hoc solo malleo ani "

morũ rigor & durities emollitur & vincitur. Hoc nisi esset, néq; Religio vigere, néq; fides cõfirmari neq; Ecclesia in officio cõtineri posset. Reuocate.n. ad memoriã, per Deũ immortalẽ, quoties verbũ Domini elanguerit, quoties & quàm graues in errores, & quantum in præcipitium populus vniuersus inciderit, quoties Deum opt. max. conseruatorem & patrem suum contempserit, quoties Astaroth, Belial, Solem, Lunam, vitulos, pecudes coluerit, séque ab omni religione & pietate auerterit, & in rebus inanissimis & fœdissimis spẽ omnem & fiduciam collocarit. Cùm enim suam sibi quisque religionem & sanctimoniã ex animo suo peperisset, ita repentè increbuit superstitio, & tanta nouorum Deorũ multitudo, vt Propheta coactus sit exclamare, Pro numero Ciuitatum sunt dij tui. Nam cùm veritatem, cùm uitam, cùm religionem deseruissent, quid relinquebatur, nisi vt in mendacia, in exitium, in impios cultus præcipites ruerũt? Hæc enim vetera commemorare malo, quàm exemplis vti viuis & recentibus. Nemo enim nostrum vnquam fuit, vel tam cæcus vt non videret, vel tam stupidus vt non intelligeret superiorum temporum calamitatem. Omnem enim non modo Iudæorum, sed etiam Ægyptiorum & Græcorum superstitionem & vanitatem multis partibus superauimus. Nam cùm Conciliorum autoritas, & aliquot Episcoporum & Monachorum conspiratio supra Scripturas Dei locaretur, cũ Romanus Pontifex homo ne an Deus esset, & peccare ne posset ambigeretur, cùm omnia ad hominum constitutiones, nihil autem ad Christi cognitionem reiiceretur, cùm Indulgentiarum, Votorum, Missarum auctiones publicè & sine pudore ac fronte venderentur, cùm Sacramenta miserè discerperentur, cùm verbum Dei pro fraude & hæresi damnaretur, cùm nihil à superstitione integrum & purum relinqueretur, cùm error omnia possideret, veritas audiri non posset, vbi tum, aut quæ vsquam fuit Ecclesia Dei? hæresis tum erat, non quod à scripturis, sed quod ab aliquot Episcoporum libidine discrepasset. Nam Euangelium in angulos abstrudebatur, nihil Christi iudicio relinquebatur. Nõ enim tum pro ciuitatum, sed pro vicorum atque etiam penè pro domorum numero dij numerabantur nostri. Ita omnia prorsus peruertebantur, cùm religio non verbo Dei sed hominum arbitrio niteretur. Hi nos horrendi casus fratres monere possunt, ne vnquam temerè discedamus à verbo Dei: Eáque de causa omnes Scripturæ nos toties & tam diligenter monent, vt néue addamus aliquid ad verbum Dei, néue minuamus, néue ad dextram vel sinistram deflectamus. Neque enim Dominus nos Aristarchos & Criticos esse voluit, sed nuntios & ministros vocis suæ. Nam quicquid ad salutem nostram & ad pietatem facit, id omne iam olim Deus ipse suis legibus occupauit. Sacra enim scriptura, vt ait Paulus diuinitus inspirata, vtilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionẽ, vt integer sit homo Dei ad omne opus bonum instructus: vt perfectus, inquit, & integer sit homo Dei, & quod vel ad pietatẽ vel ad mores faciat, omnib. numeris & partib. absolutus. Iã verò Dei Legato apud populũ Dei, quid potius proferendũ est, quàm verbũ Dei? In Ciuili negotio Legatus, si extra mandata quippiã fortè dixerit, accusatur παραπρεσβείας & malè obitæ legationis, vocatur in ius, iubetur capitis causam dicere. Cur nõ eadẽ fide tractamus verbum Dei? Sed nimis, ô Deus bone, nimis animo securo, fratres mei, nimis animo securo sumus. Quasi falli homines soli non possint, ita id tenemus vnum, id tuemur, id defendimus quod à maioribus nostris profectum sit. Multi erant apud Iudæos sicarij, latrones, adulteri, in nullum tamen genus hominum Christus vel sæpius vel acerbius inuehebatur quàm in Pharisæos & Scribas. Violatis enim, inquit, præceptum Dei propter traditiones vestras. Frustra me colitis, docentes doctrinas & præcepta hominum. Cæci sunt duces cæcorum. Meretrices & peccatores anteuertunt vos in regno Dei. Id quoties & quibus verbis conqueritur Dominus apud Prophetas? Obstupescite, inquit, cœli: Duo mala fecit populus meus, me reliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ aquas continere non possunt. Quid enim paleæ ad triticum? quid hominum temeritas ad æternam voluntatem Dei? Nam Basilius hominem, vel parum Christianum ait esse, vel insigniter arrogantem, qui Scripturis Dei, vel addere aliquid audeat, vel detrahere. Hominum enim inuenta ad verbum Dei ascribere, quid aliud videri potest, quàm mustum, non veteri cum vino, sed cum vappa fęcéque miscere? & lucem cum tenebris, ferã cum homine, hominem cum Deo coniungere? Non sunt cogitationes meæ cogitationes vestræ, neque viæ meæ viæ vestræ, dicit Dominus: Quantum enim abest cœlum à terra, tantùm absunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationib. vestris. Imò quantum abest homo à Deo, tantum abest sensus humanus à verbo Dei.

Nam quamuis patribus plurimum sit omnium iudicio tribuendum, tamen & homines

nes erant,& errare potuerunt.Certè,ne quid dicam præterea, maximis sæpe & grauissimis de rebus,parum inter sese conuenerunt.Dei autem verbum & fixum,& firmum, & certum est,& in omne tempus constitutum.Hoc doctrinæ genus Petrus populo pro Concione tradi voluit.Oportet enim eum qui cum populo acturus sit,prius ipsum instructum esse verbo Dei,vt tanquam ab afflatu numinis cœlestis proferat oraculum. O si Petrus nūc viueret.Quid ille diceret,vel quid potius non diceret,postquam religio, pietas,Scripturæ,omnia in hominum inuenta & somnia transierunt? Id enim solum hodie ambigitur, hominúmne potius consuetudines retinendæ sint,an leges Dei. Id solum has turbas edidit, id omnem terrarum orbem cōmouit,homini ne maior fides habenda sit,an Deo. Scio ego ista plærisque vestrum noua videri & incredibilia.Sed ponite,quæso,affectiones, fratres mei,& præiudicatam de rebus opinionem,& me nihil temporis causa fingere, sed rem ipsam dicere sentietis.Christus sacram Communionem in sui recordationem instituit:homines nec memoriam Christi vllam,nec Communionem retinent, sed rem omnem in ludicrum apparatum,& tragicum penè spectaculum commutauerunt. Christus ait:Pauperes semper habebitis vobiscū,me autem semper non habebitis:Relinquo mundum & discedo ad patrem:Expedit vobis vt ego abeam:atque hoc Christus non de numine suo, quo patrem æquabat,aut cœlesti natura,sed de corpore suo loquebatur: Homines aiunt,Christum nec mundum corpore reliquisse,nec abiisse ad patrē.Paulus ait,Christum in cœlo esse ad dexteram patris.Petrus in Act. Apost.ait,eum oportet cœlum capere vsque ad tempora restitutionis omnium:Homines aiunt,corpus Christi simul & in cœlo,& in terris esse,& in infinitam multitudinem locorum eodem tempore dissipari: Paulus ait,Christum semel ingressum esse in Sancta,& omnia vnico sacrificio & vna victima perfecisse:Homines aiunt se posse Christum ipsum denuò in singulos dies,non memoriæ tantùm causa,sed re ipsa,infinitis in locis sacrificare.Christus ait, Dominum Deum adorabis,& eum solum coles:homines Eucharistiam, nec Dominum nec Deum, sed Sacramentum Domini sine authoritate Scripturarum aut exemplo Apostolorum,prô dolor,adorant pro Deo.Nam per Deum immortalem,cogitate cum animis vestris fratres, quis vnquam non dico Apostolorum,sed Sanctorum,Eucharistiam vel adorauit ipse, vel aliis proposuit adorandam?video me ista non apud vulgus hominum, sed apud doctissimos viros dicere.Appello vestras omnium conscientias, vtar in hac re vestro ipsorum testimonio.Christus Eucharistiam integram tradi iussit:eam homines miserum in modum lacerarunt.Christus ad legem suam nihil ascribi voluit:homines non tantum ascribunt plurima,verumetiam ea præferunt verbo Dei.Sed quid plura commemoro?Lōgum esset omnia inter se componere.Hoc tantùm vno verbo dicam,Qui transubstantiationes,qui Missas,qui Diuorum inuocationes,qui cœlibatum,qui purgatorium,qui statuas,vota,nugas, ineptias,quisquilias in Dei Ecclesiam inuexerunt, noua tradiderunt & inaudita scripturis.Quicquid clamant aut crepant,ne apicem quidem proferunt è verbo Dei. Atque hęc: vt dixi,ea sunt,quibus hodie Ecclesia commouetur.Hic excubatur,hic prospicitur Ecclesiæ.Hæc Scripturarum colunt loco,& obtrudunt populo pro verbo Dei: hic homines salutem suam & religionis summam sitam esse arbitrantur.Quodq; multò est grauius,postquam hodie summo Dei beneficio, religio ad pristinā penè dignitatem & lucem rediit, miseri tamen homines & deplorati ista mirantur,ista repetunt, ista docent, quasi sine his Ecclesia salua esse non possit.O si inter tot clamores,& in tanto tumultu verbum Domini audiri posset!Si Deum ipsum per nos liceret in sua causa sedere iudicem,minus magno cum tumultu res transigeretur,faciliúsque de toto negotio conueniret. Quapropter si è verbo Dei omnis cultus numinis,omnis pietas,omnis religio petenda sit,si hominum instituta omnia omnibus temporibus miserè peruerterint, cogitemus,fratres mei, quibus docendi prouincia cōtigit,quàm sit periculosum plura dicere:omnes autem,qui se Christianos numerari,& esse volunt,meminerint quàm sit periculosum plura credere. Si quis autem est ex hoc omni numero,qui se ad aliud vitæ genus contulit,meminerit tamen ad se ista pertinere,vt si docere,aut non possit aut nolit,dicentem tamen diligenter & attentè audiat,& Deo gratias agat in ea se tempora incidisse, cùm verbum Domini liberè púréque audire possit.Ne nimium prudentiæ nostræ,ne nimium patrum & maiorum autoritati tribuamus.Ne temerè putemus homines ea fœlicitate natos esse,vt quicquid dixerint,errare non possint.Cùm ad horrendum illud tribunal sistemur,cùm omnia deflagrabunt,& Angeli Dei contremiscent,quos tum ad patres miseri, ad quæ maiorum decreta prouocabimus? Ad solum tum Christum refugiemus,Christi tum solius præsidio verbó-

" que vtemur. Quapropter ne simus animo tam securo in re tanta: Agitur vita, agitur ani-
" ma, agitur salus nostra. Pater cœlestis offert se nobis & vltrò occurrit, Iesus Christus incla
" mat, & appellat vnumquenque nostrum: venite ad me omnes qui laboratis, & ego re-
" ficiam vos.

" Quàm cæci sumus si non videmus, stupidi si non intelligimus, miseri si fugimus? Vbi
" autem audietur Christi verbum, si à Christianis audiri non possit? Si à Christianis audiri
" non possit, vbi audietur? Aperiamus aliquando fratres, aperiamus oculos, ne in contuma-
" ciam nostrã dici possit, Propterea vos non auditis, quia non estis ex Deo: néue in nos con-
" ueniat dictum illud Esaiæ, Incrassatum est cor populi huius, & auribus grauiter audierũt,
" & oculos suos compresserunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde in-
" telligant, & conuertantur, & sanem eos. Et de verbo Dei, apud homines Christianos & fi-
" lios Dei, non equidem video quid plura dicam.

3. Quomodo docendum.

" Nunc id superest quod vltimo loco erat positum, quemadmodum Scripturæ docen-
" dæ sint. Non enim prudentia tantùm & fides, sed etiam prudentia cautióque adhibenda
" est: Eóque Petrus, non loquatur, inquit, tantùm, sed loquatur, vt sermones Dei. Neque ta-
" men satis est, profiteri tantùm & præ nobis ferre, Dei Euangelium esse quod docemus, &
" vero vultu serióque occinere verbum Domini: Id enim Iudæi, Turcę, Pseudoprophetæ fa
" ciunt, omnes enim Christum, suum esse clamitant, & veram religionem ad se retrahunt.
" Horum etiam temporum Pharisæi & Scribæ, cùm sua commenta statuunt, & omnia ad
" Apostolos autores referunt, & vim inferunt verbo Dei, tamen nihil, vel sæpius vel impor-
" tunius occlamant, quàm verbum Domini. Verum simulationem & hypocrisin Christus
" non docuit. Id potius agit, vt Pastores meminerint Christi personam sustinere: vt rei ipsius
" magnitudine ac dignitate inducti, munus suum ita reuerenter administrent, vt omnes
" intelligant cœleste negotium esse quod susceperint. Nam in Ministro Dei, Dei oportet
" ipsius imaginem relucere. Quòd ni ita se Apostoli gessissent, nunquam illi religionis ini-
" tia constituissent: nunquam relictis, quisquam & aris, & sacris, & focis, & diis ipsis, in ali-
" quot piscatorum sententiam concessisset. Omnia illi sua pro nihilo ducebant præ Chri-
" sto Iesu. Cùm maledictis iactarentur, non regerebant maledicta, cùm carceribus & igni-
" bus damnarentur, nunquam intermittebant gratias agere, semper efferebantur gaudio,
" quòd propter Christum omni suppliciorum genere afficerentur. Ea erat in illis æquitas
" animorum, ea modestia, ea virtus, vt quicquid dixissent, alios puderet refragari. Sic fra-
" tres, nostram vitam lucere oportuit, vt quoties loquimur, loqui videamur sermones Dei.
" Nos enim sumus sal terræ, nos sumus lux mundi, nos ciuitas illa sumus in monte posita, o-
" mnium in nobis oculi figuntur: quicquid à nobis geritur, id statim in exemplum trahitur.
" Onus longè difficillimum & maximum est quod suscepimus. Hoc si omnes diligenter ex-
" penderemus, non ita Euangelij cursus impediretur, non ita negligeretur verbum Dei.
" Nam cùm Deum ore quidem profitemur, factis autem negamus, multitudinem im-
" peritam à religione, nostro exemplo deterremus, & rem vnam omnium diuinissi-
" mam, impuris, non manibus sed moribus contaminamus. Ita nostra causa pietas despici-
" tur, nostra causa veritas contemnitur, nostra causa Dei maiestas imminuitur. Hæc
" nobis fratres diligenter animaduertenda & seriò curanda sunt. Nam si turpiter & flagi-
" tiosè viuimus, & in suggestum nihil nisi linguæ volubilitatem adferimus & impudẽtiam,
" quicquid loquimur, non loquimur, vel vt oportuit, vel tanquam sermones Dei. Sed
" vt verbum domini pro dignitate tractetur, duo nobis in primis cauenda sunt: al-
" terum ne timore debilitemur, alterum ne laudis partem aliquam nobis ex Euan-
" gelio decerpamus. Aduersus vtrumque Concionatoris animum paratum & diligen-
" ter munitum esse oportet. Nam Euangelium & verbum Dei, nisi fortiter magnó-
" que animo asseratur, nec Euangelium videbitur esse, nec Dei verbum. Error e-
" nim timidus, supplex, meticulosus est, omnia formidat, omnia extimescit, aspe-
" ctum & lucem fugit: veritas autem, & veritas Euangelij Iesu Christi, nunquam se
" demittit, nunquam cuiquam adulatur, nihil simulat, nihil fingit, intrepida, libera, ere-
" cta, excelsa est. Quapropter dum verum dicimus, nulla nos cuiusquam vis & au-
" toritas perterrefaciat. Meminerimus nos Dei Legatos esse, meminerimus Deum no-
" bis fecisse dicendi potestatem. Quos enim nobis animos non facit Christus cùm se
" iniuriarum nostrarum vltorem & vindicem fore pollicetur? Qui vos, inquit, spernit,
" me spernit, qui vos lædit, lædit aciem oculi mei. Quare loquamur, nõ dissimulanter, non

obscurę

obscurè, vt Pharisæi, sed liberè ac apertè vt autoritate præditi, quemadmodum proferri " par est sermones Dei. "

Sed adhibenda tamen est moderatio, ne importunè aliorum nomen & famam tradu " camus. Tum enim conuitiari videbimur, & causam nostram facere potiùs, quàm docere " verbum Domini. Seruum autem Dei modestum & consideratum esse decet, neque teme " rè quicquam aut petulanter effutire: ne non è sacro suggestu, sed è plaustro loqui, néue " Euangelium, sed veterem comœdiam excitasse videamur. "

Proximum est, ne quid concionator de se magnificè sentiat, sed cogitet illud munus " à Deo sibi diuinitus contigisse, vt diligenter summóque cum timore officio defungatur, " cogitétque se in negotio non suo versari, sed Dei. Sic Paulus se nihil esse dicit: Ioannes se " indignum esse clamat, qui calceos Messiæ detrahat: Eóque ad minuendam arrogantiam " in sacris literis, non Principes, non Magistratus, non Præsules, non Reges, sed dispensato- " res, villici, præcones, Ministri, serui appellantur, vt quoniam alieno auspitio res gerimus, " ne de aliena laude insolescamus. Non enim idcirco Dominus nobis talentum suum con- " credidit, vt illud in rem nostram conuerteremus. Non enim nos ingenij nostri præcones " esse voluit, sed voluntatis suæ, neque aliam ob causam circumferimus hunc thesaurum in " vasis fictilibus, quàm vt splendor sit virtutis Dei. "

Non morabor vos pluribus. Audistis concionatori & assiduè, & è verbo Dei, & graui- " ter modestéque dicendum esse. Nos fratres, Concionatores aut sumus, aut esse volumus: " meminerimus ad nos ista pertinere, & D. Petrum nobis dicere, Qui loquitur, loquatur tã- " quam sermones Dei. Opus est, non tantùm sedulitate nostra, sed etiam prudentia & fide. " Quare quicquid à natura, quicquid à consilio, quicquid ab ingenio possumus, id omne ad " Christi Ecclesiam conferamus. Nos sumus dispensatores domus Dei: ne Domini familiã " dissipemus. Si Apostoli Dei sumus, præstemus animos Apostolicos. Si fratres Christi su- " mus, Christũ audiamus, pascamus agnos, pascamus oues, eamus, prædicemus, doceamus. " Mundus vniuersus Christum videtur iamdudum parturire. Circumferamus oculos, fra- " tres. Quanta vbique messis est, messores quàm pauci? Hæc autem ad eos dico in quibus a- " liquid est bonæ spei. Si qui autem sunt qui ista rideant quid eos me sperem audituros, qui " Christum ipsum non audiunt? Moueat nos fratrum nostrorum calamitas, Moueat nos " Dei execratio: Maledictus qui procurat opus Domini negligenter. Moueat nos grauissi- " ma interminatio: Sanguinem illorum de manu tua requiram. Paremus nos ad suauissimã " illam Christi vocẽ, Euge serue, ingredere. Loquamur, opportunè, importunè. Loquamur " verbum Domini, Loquamur tanquam sermones Dei, vt in omnibus celebretur Deus per " Iesum Christum, cui sit gloria & imperium in sæcula sæculorum.

Habuit & aliam eodem loco Concionẽ, sed quanto cum fructu & acclamatione audientium, præstat silentio contegere, quàm nimis ieiuna & exili oratione declarare. Monuit autem sapientissimè, & manuit grauissimè, vt verbum insitum suscipiamus, quod potest animas nostras seruare. Hunc enim D. Iacobi locum, nisi fallor, delegit interpretandum.

Denique his auspicatissimis Edouardi Regis temporibus, nullum non mouit lapidem, nullos labores, simultates, inimicitias suscipere detrectauit, quo Christi Euangelio amplificando inseruiret. Ludicrum penè & leue est quod dicam, tamen quia publicum est zeli eius testimonium, non preteribo. Liberato è carcere Edouardo Semero Duce Somersetense, quotquot religionis causæ benè voluerunt, & versus conscribere potuerunt, voluntatis suæ & facultatis specimen ediderunt, carmina gratulatoria valuis templi, quod Mariæ virgini sacrum est, affixerunt. Hinc quædam inter Protestantes & Pontificos (qui tum etiam in Ecclesia, vt in horreo paleæ, latuerunt) exorta est Poetica digladiatio: ibi inter alios, noster, quantùm memoria teneo, & coniectura assequi possum, aut illius certè auditor quispiam, aduersus Quinque vocum cauillatorem, qui in carminib. quibusdam quinque vocum quantitatem reprehenderat, sic lusit:

Velitatio Oxoniẽsiũ. Quinque voca. & Poetica.

Iam video peragenda mihi Quinquatria festa,
Esse cupressiferis tristia festa malis.
Zoilus insanæ vocat ad Quinquatria pugnæ,
Morsicat & quina carmina fixa nota.
Scripsit Porphirius voces quas quinque vocauit,

Quæ Peripateticæ sunt elementa scholæ.
Tu non quinque doces, sed quinque vocabula mordes,
Scilicet ista tuæ sunt elementa scholæ.

Quamuis enim Pontificij tum propalàm aduersus religionem grunnire, imò nec clã mutire auderent: tamen vt mures, ex insidiis chartarum voces & syllabas ac literas non dubitarunt carpere.

Nec solus hoc sanctum Euangelizandi onus sustinuit, sed habuit synergos & adiutores qui idem saxum voluebant. Cur enim infœlices Sisyphi quodammodo isti præpotentis Dei ministri & operarij dici non possent, cùm omnes voluãt lapides, sed ne hilum quidem proficiant? cùm eum quandoque moueant lapidem, sub quo dormitat Scorpio? cùm propter Euangelium ab ingratissimis huius maligni mundi ciuibus discrutientur, non minus quam ille Sisyphus (vt est in fabulis) & à furiis & Diabolis apud inferos? Voluerũt hoc saxum multi doctrina & pietate insignes Concionatores: sed quanta voluentium miseria sequuta sit, sermone hoc, qui mutationem temporum & exilium Iuelli continebit, paucis expediam.

Tertia pars, Exilium & aliæ persecutiones.

EDOVARDO Rege serenissimo, nostro quidem pessimo merito & maximo malo, anno Domini 1553 Iulij sexto nobis erepto, & Maria sorore eiusdem Mensis decimo septimo in eas vices suffecta, Oxonienses multi & piè eruditi, miserrimis modis vexati, expulsi, domo fortunisque suis exuti, aut instar auiculæ apud Dauidem in montes, in saltus, in syluas, refugij causa migrarunt, aut in aliquem nidulum ad gemendum & lamentandum Ecclesiæ sortem secesserunt. Quid ego hic nouam rerum conuersionem & repentinam Metamôrphosin deplorem? Quid triumphos Papistarum, lacrymas Protestantium, negantium Apostasiam, tergiuersantium, leuitatem fugientium metum, tortorum crudelitatem persequar? Quid superstitionem pro religione, Missam pro Communione, sacrificiũ quoddam, aut sacrilegum Sacerdotium pro Euangelico ministerio, pro lingua patria Romanum idioma, pro Christiano magistratu Antichristianum Papam, pro literatura & eloquentia barbariem & sophisticam, pro legitimis scholarchis iniustos dominos, pro bonis omnibus mala quæque substituta & supposita commemorem? Equidem domum reuersus ab exilio, facile intellexi quãtam pernitiem & cladem, non modo Oxoniæ, verumetiam alibi, rei Ecclesiasticæ & literariæ Mariani regni tenebrosa & impia periodus importarit, vbi vix repertus est, qui aut priuatim Græcè profiteri posset, aut qui Theologiæ scholam aperire, aut populum pro Concione docere vellet. Priuatum vlcus Magdalenensium breuiter liceat, quæso, (candide lector) attingere, vt ad Iuellum mox commodius redeam. Si omnes recenserem qui in hęc procella iniuriam passi sunt, nimis altè repeteretur oratio: si nullos, ingratus viderer, cùm in hac tempora ea narratio incidat. Omitto Ioannem Foxum Magdalenensem, Martyrum suorum monumentis, scriptorum varietate & elegantia, virtutibus: religione, & exilio in hac Mariana tempestate satis clarum. Omitto Ioannem Harlæum, præceptorem olim meum obseruandissimum, qui Henrico octauo tum primùm è viuis discedente, & Edouardo filio regnum suum iam ineunte, omnibus quonam res irent, quæue religio stabiliretur, suspensis animis vndequaque expectantibus, quòd in illo quasi interregno & iustitio, solam in Iesum Christũ fidem iustificãtem, in templo Diui Petri, solenni & quadragesimali Concione, disertè, intrepidè, validè, confirmarit: Doctoribus nouitate dogmatis vehementer perturbatis & frendentibus, aliis lætitia gestientibus, aliis euentum & pericula timentibus, Londinum à Procancellario tanquam hæreticus rapitur: sed Deo hominum consilia inuertente & dissipante, illi hiantes lupi, bolo erepto, vacui redeunt. Hic primùm illustrissimi Comitis VVaruicensis Concionator, eiusque liberorum institutor, pôst Regiæ Maiestatis Sacellanus, siue Ecclesiastes, postremò Herefordensis Episcopus designatur, quanquam nunc Maria imperitante, optimus & innocentissimus vir in syluis & secessibus Pastor oues consolans, & vitæ pabulo consolidans, in Anglia sua profugus moritur. Cui ego, vt mnemosynon & signum meæ erga eum obseruantiæ, hoc distichon olim consecraui.

Psal. 11.

Flos domui Harlæus, socius ludique magister,
Celsus deinde throno, celsior inde polo.

Exemplum

Exemplum Iulini Palmæri, Harlæi quondam discipuli, prætermitto. Illud tamen dicen dum, hoc Rege sanctissimo regnante, primùm auersum à religione fuisse, pòst mirabiliter exardescente hac Mariana persequutione, à Deo conuersum, Redingæ captiuum, & tandem Nuberiæ martyrem, vitam morte fœliciter commutasse. At enim his aliisque prætermissis, vnum solummodò vulnus nostrum hoc tempore inflictum refricabo. Cùm Stephanus Gardinerus VVintoniensis Episcopus, deputatis, præter ius publicum regni, contra statuta nostra & officium suum, quibusdam curiosis & superstitiosis Inquisitorib. Collegium hoc pro ea quam obtinet autoritate, visitaret & ante vllam legem de restituẽdo Papismo latam, etiam in summa libertate, edicto ipsius Mariæ, subditis ante Comitia indulta & promulgata, nos quasi legis præuaricatores eiicere statueret, ni in Catholicæ matris, vel potius nouercæ gremio recumbere vellemus: cùm tamen in eo Collegio nullus Minister qui sacra faceret, nullus puer qui Missanti responderet, nullus socius qui audiret, nullum altare in quo celebraretur, nullę vestes sacræ, quibus indutus sacerdos histrionicam fabulam suam ageret, vspiam reperirentur, ipsi Visitatores soli cum sui, Missæ choragi actores, & spectatores facti sunt: & qui à Papisticis precibus aberant pueri, virgis cæsi sunt. Alij plus minus quatuordecim, omne ius, fructum, possessionem Collegij amiserunt: reliqui vel tempori cesserunt, vel temporis progressu discesserunt. De me omnium eorũ exulum ferè minimo, nihil dico: alios certè amoris & honoris causa nominare iuuat, qui sub Edouardo in hac clarissima religionis & literarum Acropoli floruerunt, quos ferè omnes huius noui & aduersi temporis ira afflixit. Gualterus Haddonus huius Collegij tum Præses, & iuris ciuilis Doctor, orator dulcis & facundus, vltrò cessit, consultius esse ratus, ornamenta dignitatis & præsidia vitæ in ea Academia cum damno & præsente iactura perdere, quàm cum dedecore & sempiterna Dei offensione retinere. Quidam autem dura nouorum iudicum sententia eiecti, solum vertere coacti sunt, quò Deum salua conscientia & toto pectore & corpore securiùs & tutiùs colerent, & ceruices intentato gladio & imminenti periculo subtraherent. Thomas Bentamus ab istis ad Missificandum vocatus, cùm se hactenus plus satis peccasse Henrico regnante ingenuè confiteretur, & nolle iam peccatum peccato accumulare constanter responderet, nec adduci posset (quamuis Censor eo anno, & à Rich. Redo Equite, primario Legato iussus) vt de adolescente à Papisticis precibus absente pœnas sumeret, quòd non par esse nec æquum videretur, id in altero punire quod ipsemet sciens & sanus commisisset, non modo domo & Collegij emolumentis omnibus caruit, verum etiam in exilio honestè, sed laboriosè, laudabiliter, sed tenuiter vitam traduxit, & demum à fratribus quibusdam reuocatus, & Londinensis Ecclesiæ Superintendens electus, occultos, sed religiosos conuentus egit, quam trepidantem & loca subinde mutantem, & lupos rapaces vndique expectantem, tum verbi pabulo diligenter & purè confirmauit, tum disciplinæ virga seuerè & sobriè gubernauit. De quo cùm iam sub Elizabetha esset constitutus Couentriensis & Lichfeldensis Episcopus, Nobilis quidam, meus quondam discipulus, hoc carmen exarauit:

Clarus doctrina, clarus pietate fideque,
Benthamus Christi præsul & exul erat.

Thomas Biclæus nunc Mertonensis Collegij Custos, quòd Christianam religionem temporibus Henrici & Edouardi ex animo amplexus fuisset, & quodam spiritus ardore Deum illum Impanatum ab ara & pixide sustulisset, & præsente Doctore Oglethroppo Præside, omnibus etiam aliis tum ad vespertinas preces solenniter conuenientibus, ante publicam abolitionem papismi, manibus comminuisset & pedibus demum proculcasset, indignissimè tum exagitatus, Collegio tãdem sub Maria priuatus, in Gallia exulauit. Sub idem tempus consimili zelo motus Henricus Bullus, à D. Benthamo adiutus, palam in choro thuribulum manibus Symphoniacorum excussit, ne illi papistico Idolo suffitus fieret. Is pòst domi peregrinando & piè latendo, Mariani temporis æstum prudenter sed difficulter vitauit. Michael Rennigerus, cuius eruditionẽ singularem cum vera pietate coniunctam ego expertus noui, & tum Academia mecum cognouit, Collegium paulò antè, dein morum & temporum istorum pertæsus patriam reliquit. Ioannes Molinsæus Archidiaconus Ecclesiæ Paulinæ, qui nulli iniuriam fecerat, qui prodesse omnibus studuerat, qui Philosophiæ, Theologiæ, linguarum studio se totum tradiderat, qui nihil comme-

ritus est nisi quod, vt Aristides, iustus, vt olim Christiani veteres, bonus haberetur, & nũc Missæ interesse recusaret, eandem diram & ancipitem fortunam subire compulsus est. Quod idem Arthurus Saulus, Petrus Moruinus, docti & pij fratres, aliique nonnulli eodem tempore factitarunt, voluntarium in Germania exilium, turpi in Collegio remansioni præferentes. Liceret Hugonem Kircum & Lucam Puriphærum charissimos in Christo fratres, & alios quosdam numerare, qui turbulentissimæ huius visitationis sæuitiam senserunt, sed hæc ipsa fortassis nimis multa, & proposito nostro minus coniuncta nonnullis videbuntur: sed ideo adducta sunt, vt Magdalenensibus tum expulsis, si viuunt calcar adderem ad currendum in hoc pietatis stadio incitatius, & illorum successoribus qui ibi degunt, principalis zeli & constantiæ exemplum proponerẽ, si, quod metuendum est, propter peccata nostra similis tentatio diuinitus ingruat: & vt omnes, non in se sed in Domino glorientur: postremò vt Mariana hæc rerum omnium commutatio, aut verius conturbatio, in Oxoniensi Academia notaretur, in qua, & Petrus Martyr & eius auditores percussi & dispersi sunt, & vnà hi Magdalenenses, Iuelli familiares & amici, qui eandem cum eo causam propugnantes, similem pœnam incurrerent. Etenim Iuellus liber & immunis non fuit, sed quod Magdalenenses domi suæ perpessi sunt, id ei per suos inflictum est, quòd Pet. Martyrem diligenter audiuisset, quòd Dei sermonem religiosè & rectè secutus esset, quòd Christi sacris, non Papæ ceremoniis initiatus fuisset, Collegio & victu suo deturbatus. Cæterum abiturus valedixit auditoribus, at oratione admodum lugubri & voce lamentabili, qua lacrymas ipsis aduersariis extorsit, sic enim ferè inquit.

Vltima Iuelli eiecti è Collegio oratio.

Feci proximis hisce lectionibus, quod homines famelici solent: qui cùm epulas subitò & præter spem tollendas vident, se auidius & prolixius ingurgitant. Cùm enim „ hunc mihi legendi finem statuerum, & has dicendi mensas iamiam tolli intelligerem, „ non dubitaui præter consuetudinem nostram, vobis & multa, & insuauia, & semicruda „ proponere. Video enim me in aliquorum offensionem & oculos incurrere: sed quo meo „ merito ipsi viderint. Certè qui me hîc nolunt esse, si esset integrum, nusquam vellent vi„ uere. Ego verò cedo temporibus: & si quam illi è mea calamitate voluptatem capiant, „ eam nihil impedio quodque suis est precatus olim Aristides cùm iret in exilium & so„ lum verteret, id ego nunc Deum optimum maximum precor, ne mei posthac cuiquam „ in mentem veniat. Et quid volunt amplius? Ignoscite quæso iuuenes si dolet ab eo lo„ co inuitum distrahi, vbi initia ætatis posuerim, vbi vitam egerim, vbi aliquo loco & „ numero fuerim. Sed quid moror vno me verbo perdere? Hei mihi, quando, vt cum „ dolore meo dicturus sim, vt dicendum est, valeant studia, valeant hæc tecta, valeat se„ des cultissima literarum, valeat iucundissimus conspectus vestri, valete Iuuenes, valete „ pueri, valete Socij, valete fratres, valete oculi mei, valete omnes, valete.

Sed autores pòst facti sui fere pœnituit, quòd bonorum virorũ quàm vtilis & necessaria sit opera & præsentia, tum demum intelligimus cùm caremus. Robertus Moruentus hîc tum etiam Præses, Magdalenensis Collegij quondam, vt diximus, socius, & semper amicus, sed non eius quæ in Magdalenensibus Dei gratia tunc emicuit, fidei: Itemque VVelcheus, homo audacior quàm sapientior, & in religione sua magis feruens quàm recta via incedens, aliquando apud Brokseum Glocest. posteà Episcopum, & D. VVrightum & alios, de thesauro & ornamentis Ecclesiæ callidè repositis & prudenter reseruatis gloriati sunt. Quibus grauiter VVirghtus: At inquit, vnum ornamentum & magnum, quidem thesaurum volentes amisistis, istis omnibus pretiosiorem: Iuellum significans ab illis per fas nefásque paulò antè relegatum. Erat VVrigbtus Archidiaconus Oxoniensis, vno quidem oculo captus, sed tamen iudex oculatus & acutus: pòst rerum summa ad serenissimam Reginam Elizabetham, Dei prouidentia & bonitate deuoluta, repudio Papisticis fæcibus & sordibus misso, in Templo omnium Sanctorum, Christum non mixtum, non fermentatum, at simplicem & crucifixum, magno spiritu sed exili voce prædicauit: in qua Concione nostræ Ecclesiæ Liturgiam, precum & Sacramentorum celebrationem vernacula lingua plebeculæ propositam, apud Clerum commendauit, & ex Scriptura, ex Origene contra Celsum, aliisque scriptoribus solidè & doctè asseruit: & octiduo pòst elapso, hac pia confessione fidei publicè edita, & testamento condito, viribus eneruatis, sed memoria illæsa & integra, piè in Christo, multis astantibus & attestantibus & cum ipso precantibus, naturæ concessit, & vt spero, ex huius corporis gurgustiis liberatus,

D. VVrightus defensus contra Sanderum.

tus,ad Sanctorum triumphantem Ecclesiam commigrauit. Itaque quid Sandero veteri quondam amico meo, nouæ cuiusdam & visibilis Paparum Monarchiæ autori in mentem venerit,in hanc primatus Romani renunciationem, & Cygneam & Euangelicam cantionem venerandi Doctoris,subitæ mortis causam,& deliquij mentis (quæ sana fuit) initium & occasionem, homo rerum omnium tùm gestarum, & occultorum Dei iudiciorum ignarus scribere non erubuerit,equidem non satis possum mirari,cùm illum semper in rectiorem sententiam propensum fuisse,omnes animaduerterint, cùm is Pet.Martyrem in illo tumultu plusquam Ephesino,& in congressu Smithino,de quo supra dictum est,per confertam turbam,saluum & incolumem deduxit, cùm in visitatione Magdalenensi & Mariana,eum omnium aliorum in audiendo æquissimum, ad absoluendum promptissimum fuisse senserint,licet ad tempus propter tyrannidem illius quinquennij sententiam suam occultaret.

De thesauris sepositis,quod duo illi iactitarunt,illud nimirum estquòd tot vestimenta,calices,& alia idololatriæ vasa & monumenta in diem recondita & congesta seruauerunt,vt hæc papistica supellex aliis omnibus collegiis ad Missæ meretriciam pompam instruendam suffecerit.Hinc Pet.Martyr,cùm ad vespertinas preces in eo Collegio subitò pulsari,& studiosos ad hoc insolitum & theatricum papismi spectaculum certatim cõuenire audiret: tristis & suspirans,hominum leuitate perspecta,dixisse fertur, sicuti aliorum relatu didici, Hæc vna nolula omnem meam doctrinam euertit.

Ex hoc Collegio detrusus Iuellus, primum exulauit quasi in Aula Lateportensi, in qua priuatim more suo quosdam instituit, & multos sanè auditores velut Magnes attraxit : nam vt alij complures assectabantur, sic Discipuli præceptore fugato, amplius in Collegio manendum sibi non existimabant. Quod enim aliud expectarent poculum, quàm quod Magister prægustauit? quàm quod ipsorum condiscipulo Edouardo Anno, artium nunc magistro & verbi Ministro, VVelcheus ille rigidus censor propinauit? Nam cùm puer paruulus contra Missam bonum sanè carmen panxisset,tot plagis misellum affecit, quot ille versiculos confecisset: quorum aliquot ascribam, vt qualis carnifex etiam tenellorum puerorum sit Papista, cæcus & incredulus mundus, volens nolens aliqua ex parte videat.

Precatio contra Missam, Anno Mariæ primo, per Edouardum Annum, IVELLI ALVMNVM.

SVPPLEX *oro Patris veniant cœlestis ad aures,*
Ex animo paucæ quas recitabo preces:
Ecce patent aditus, patet alti ianua Cœli,
Ad summum votis iam penetrabo Deum:
Summe Pater, qui cuncta vides, qui cuncta gubernas,
Qui das cuncta tuis, qui quoque cuncta rapis,
Effice ne maneat longæuos Missa per Annos,
Effice ne fallat decipiátve tuos:
Effice ne cæcos populorum reddat ocellos
Missa docens verbo dissona multa tuo:
Effice iam rursus stygias descendat ad vndas,
Vnde trahit fontem, principiumque suum.

RESPONDET *Dominus spectans de sedibus altis,*
Ne dubites rectè credere parue puer.
Olim sum passus mortem, nunc occupo dextram
Patris, nunc summi sunt mea regna poli;
In cœlis igitur toto cum corpore versor,

Et me terrestris nemo videre potest.
Falsa Sacerdotes de me mendacia fingunt,
Missam quique colunt, hi mea verba negant.
Duræ ceruicis populus me mittere Missam
Fecit, & è medio tollere dogma sacrum.
Sed tu crede mihi, vires scriptura resumet,
Tolletur nequam tempore Missa suo.

Sic ab illis eiectus Iuellus, si cum suis repulsus, tamen sæpe desideratus est etiam ab ipso Præside. Cùm enim Collegium tali iuuentutis Magistro orbatum, & iuuentutem minus in literis proficere, & omnia in deterius labi perspiceret, eius discessum iniquo animo tulit, subiratus his qui ad expellendum instigassent: quanquam & ipse religione Iuelli offensus, eò facilius consensit, quod Pet. Martyris assiduus & obseruans auditor fuisset. Quin & ipsa Vniuersitas, si quæ literæ ad regni proceres aut Principem mittendæ essent, Iuelli opem & operam requisiuit, illum reuocauit, illum oratorem Oxoniensem, illum Amanuensem suum constituit. Ille nomine totius Academiæ, ad Mariam Reginam scribit, vt fœlix regni auspicium gratuletur: cuius Epistolæ summa, quantum colligere potui, hæc fuit: Quem dolorem non ita pridem de clarissimi regis Edouardi morte acceperunt, eum narrat proximis diebus lætissimam rerum à noua principe gestarum famam, vniuersum depulisse: Omnes grauiter doluisse cum illa indoles in ipso ætatis flore cecidisset: ita nunc demum tantò magis lætari, quantò ipsam grauiore & propiore è periculo ereptam & conseruatam viderunt: ipsius salutem qua vna reipublicæ salus continebatur, clam, palam, insidiis, armis petitam esse. Narrat affinitates, conspirationes, necessitudines, tormentorum vim, & pecuniæ magnitudinem: contra populi applausum, & honores amplissimos, quos ciues detulerunt. Narrat, non opibus aut potentia, sed virtutis prædicatione populi suffragia colligi: eam hostes armatos fregisse, eam effecisse vnam, vt regia Maiestas per medios hostes & enses ad auitam possessionem incruenta perueniret. Ita ipsam ius nascendi Reginam fecisse, Angliam totam renuntiasse, Deum ipsum comprobasse. Quia Deus dilexit populum suum, idcirco rerum summæ præposuisse, & tanquam signum ad benè sperandum excitasse. Ipsius triumphos ab aliis, & hominum frequentia & rerum apparatu magnificentius & opulentius concelebratos: Oxonienses, quibus fortunæ ornamenta desunt, quique omnia sua quæcunque sint, quæ præter animorum & literarum opes nulla sunt, semper ipsius Maiestati consecrauerunt, hunc ipsam virtutis fructum cepisse, vehementer gau ere: & quamuis minori cum strepitu, non minori tamen cum studio & pietate, & ipsam reip. & ipsi remp. gratulari, Deúmque precari vt qui rerum initia incruenta & fausta esse voluit, idem omnia regni tempora eadem fœlicitate prosequatur.

Sũma gratulationis Oxoniẽsiũ ad Reginã Mariam.

Cùm hæc scripsit Iuellus, apparet eum in optimam spem erectum esse, Reginam in causa religionis non ita omnia mutaturam: quod & alij Nobiles, Oxoniæ cùm esset Regina declarata, nobis persuaserunt, & ipsam Suffolciensibus & Northfolciensibus, qui perditis rebus & extremis temporibus præsidio ei fuerunt, sanctè promisisse, omnium sermone percrebuit. Dum vero hoc scriptum legit D. Treshamo Procancellario, animus illius vt delectari videbatur cùm recitantem attendit, ita vagari cœpit cùm magnam nolam Ædis Christi sonantem audiuit, quam ille vt ad Missam clarè vocaret, antè paucos dies reparatam nouo nomine donauit, & Mariam baptizauit: itáque lectionem illam literarum interrumpens, & subitò exclamans, O, inquit, bellam & suauem harmoniam, O pulchram Mariam, vt sonat musicè, vt tinnit melodicè, vt placet auribus mirificè? Quod quid aliud erat, quàm Sophoclem præposterè imitari? O pulchrum puerum Pericle. Est enim valde indecorum & sanè intempestiuum, Doctorem in re seria & seuera ludere, & cùm literas primo quoque tempore ad Principem transmittendas expendere debuisset, alienissimo tempore de Campanæ suæ musica ineptum sermonem inferre.

D. Treshami Campana Mariana.

Sed enim licet Iuellus bonis & Collegij commodis euersus, omnes iniurias sustineret, omnib. se dederet, omnium votis & iussis satisfacere studeret: tamẽ ne sic quidẽ furor istorum conquiescere, nec rabies expleri poterat. Sæpe ei D. Martialis Ædis Christi Decanus

D. Martialis.

Decanus struxit insidias, sæpe persequutus est, homo versipellis & verè Ecebolus, sub Edouardo publicè retractans, sub Maria reuersus ad vomitum, sub Elizabetha primùm vagus & erro, mox captus & Londini examinatus, iterum mutat sententiam, iterum ac tertiò aliam canit cantilenam, eam palàm in suggestu Paulino contestaturus, si vita longior superfuisset. In hoc Mariano regno etiam Martialis regnauit tyrannicè, & Iuellum si capere licuisset, Deo sacrificium, Papæ suo rem palmariam, & omnibus suis Papicolis gratissimam facturum se credidisset, &, perinde quasi magna veritatis columna deiecta, aut fortissima arce expugnata, seriò triumphasset. Verum enimuerò, in ipso articulo, cùm illum Bonero Londinensi Pseudepiscopo, publico Sanctorum malleo contundendum tradere decreuisset, Diuina benignitate ereptus est, ad meliora tempora conseruatus, vt non moreretur, sed viueret ac opera Domini enarraret, doctrinam prædicaret, gloriam illustraret. Hac consolatione, hac recordatione diuinæ prouidentiæ, & se, & alios in his angustiis sustentauit, dulcissimam illam sententiam subinde repetens, HAEC NON DVRABVNT AETATEM. Elapsus est enim eadem nocte, qua furiosus ille erat inuolaturus: qui spe frustratus, tanquam Herodes à magis delusus, fremit & insanit, dum Iuellus pedes, anhelans, lassus, non recta sed alia via Londinum proficiscitur. Quē in eo itinere humi iacentem & quodammodo expirantem reperit Augustinus Bernherus Heluetius, Latimeri primùm, post verbi diuini fidelis minister, eúmque equo impositum, tanquam bonus Samaritanus, ad D. Annam VVarcoppam viduam integerrimam deducit, quæ illum in prædio suo Anglicano honestissimè & peramicè tractatum, Londinum dimisit. Hæc est dextera excelsi & Armipotentis Iouæ, qua Lothum è manibus Gomorrheorum, Dauidem ab insidiis Sauli, Danielem & Paulum ex ore Leonis, Petrum è carcere, Sanctos omni tempore, ab omnibus hostium incursionibus & machinis eruit & defendit.

IVELLVM nostrum, diuina aura aspirante, ab Oxonia, Londinum, nimirum ex hac iactatione in portum quēdam perduximus: reliquum est, vt è portu in mare, & rursus è mari in Germaniam noua velificatione, & ventis secundis, pauca tamen præfati, prouehamus. Londini primùm in platea Tamesetensi occultatus, pòst per aliquot dies in ædibus honestissimi viri Francisci Aurifabri aliàs Goldsmithi commoratus, opera splendidissimi equitis Nicolai Throgmortoni, qui foris in Gallia amplissima sæpè legatione functus est, & domi honorificè & vixit, & obiit, commodè viaticum & nauigium nactus, totam rem procurante & conficiente Ægidio Laurentio, tum D. Arthuri Darsei clarissimi viri liberos nō procul a Turre Londinēsi instituente, si non securus, tamē tutus & sospes traiecit, & anno Reginę Marię secundo Francofortū fœliciter appulit: ad quod celebre Emporiū, Anglorum afflicta & disiecta Ecclesia, frequens, tanquam in Asylum sacrum & peramicū se recipiebat. Huius appulsus, quò erat minus expectatus, eò erat omnibus fratribus magis gratus. Honesta fuga quæ Christum non negat, sed confitetur, & qua non hasta prorsus abiicitur, sed vires ad pugnam integrandam renouantur. Vtinam hoc licito remedio, quo Elias, quo Prophetæ, quo Dauid, quo Christus, quo Apostoli, quo Athanasius & alii Sancti patres vsi sunt, maturius sibi consuluisset. Quod certè facturum eū arbitror, si Parckhurstum domi inuenisset, à quo vt auxilium & consilium expeteret, Cleuam niue & frigore penè enectus, longo & pedestri itinere delassatus, concessit: sed ille accepto de Missa rediuiua in illis partibus nuncio, & assumpto Guidone Etono Archidiacono Glocestrensi, pio & erudito comite, Londinum antea decesserat. Quòd nostrum pessimè habuit, vt qui nec quid ipse in re dubia consilii caperet, nec quò se ille proripuisset, cognitum & exploratum haberet.

Nic. Trogmortonus.

Iuelli traiectus.

Hinc tametsi Oxoniæ semel extrusus è Collegio iterum oberrans, & in patria per aliquot dies peregrinans, postremò in transmarinis partibus nouum quærēs diuersorium, cum hoc modo ter quodammodo exularet, tamen huius triplicis exilii gloriam & splendorem, dum mora traxit periculum, aduersus quidam infœlicitatis fumus nonnihil obnubilauit. Etenim æquo diutius Oxoniæ hærens, nouis legatis hæreticæ prauitatis Inquisitoribus derepentè superuenientibus, consensum in fide Romana ab omnibus subitò & seuerè exigentibus, ac contra recusantes dira fulmina Papaliter eiaculantibus, tandem in arctu augustúmque conclusus: Quid, inquit, subrideus, An me quoque scribere necesse est? & meam manum videre volupe est? & cordi vobis est periculū facere quàm eleganter sciam pingere literas? Ita præfatus, inuita & properante manu nomen scripsit, & Chirographo suo visus est certa Papisticæ doctrinæ capita hoc modo comprobare.

Lapsus Iuelli & Sanctorum.

Sic,proh dolor,Petrus in aula Pontificis aliquantò longius & plus satis se ad ignem calefaciens,Christum negauit. Origenes coactus, & ad aram à crudelissimis diaboli organis pertractus,Diis gentium Alexandriæ sacrificauit.Marcellinus Episcopus Romanus, metu Diocletiani,ac minis Carnificum,thus Idolis obtulit,& Deos alienos adorauit. Similiter Christiani milites,Iuliani Apostatæ per imprudentiam incensum adolendo, Christo penè renunciarunt. Thomas Crammerus, Henrici octaui, & Edouardi sexti fidelissimus Consiliarius, Archiepiscopus Cantuariensis, qui Pet.Martyri & aliis in defensione approbatæ & receptæ religionis operam suam condixit,qui Oxoniæ hanc ob causam in carcere Bocardico detentus fuit,qui cum hostibus acerrimè conflixit, suasu falsorũ fratrum inductus,terrore cruentæ legis adactus, blandis promissis illectus, post tot ac tantas dimicationes,non vtraque sed altera manu eàque vacillante, articulis quibusdam papisticis subscripsit. Cæterum Petrus exiuit,in lachrymas solutus est, in gratiam receptus est. Origenes flens & singultiens,ad docendum in Ecclesia Hierosolomytana inuitatus, ex Psalmo 49 proloquutus:Peccatori dixit Deus,quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum per os tuum, Complicato libro, aliis omnibus simul complorantibus,mœstus & animo prostratus consedit. Marcellinus,vt Platina scribit,puluerulentus & squalidus,flendo pœnam peccati luit. Milites Christi sub Iuliano, cùm obtentu legis ac priscæ consuetudinis decepti,thusculũ igni imposuissent,& munera ab Imperatore accepissent, quòd honorem politicum & rem indifferentem solum putarent, & manum, non mentem paganismum commisisse arbitrarentur,à commilitonibus postea melius edocti, Iuliano donariis redditis,ab eo vehementer contendunt,vt pro eo quòd dextera improuidè peccasset,toto corpore pœnas propter Christum soluerunt. Ita Crammerus Purgatorio igne Papistarum in hoc sæculo lustrandus, & rogo iam admotus, manu in flammam coniecta:Hæc,inquit,dextera peccauit, hæc prima patiatur. Ita noster Iuellus pœnitens, Francoforti degens,vt iam dictum est,factum recognoscit,& culpam agnoscit. Etenim à reuerendis fratribus de subscriptione,& vt publicam coram Deo,&Ecclesia Exomologesin haberet,admonetur. Manè igitur pulpito conscenso,præclara Concione habita,sub finem lapsum confitetur. Abiectus,inquit & ieiunus animus,& hoc timidum cor meum in causa fuit,quòd hæc infirma manus istud scelus admisit. Quæ cùm ex intimo summi doloris sensu flebiliter proferret, & à Deo quem offenderat,& ab Ecclesia cui scandalo fuerat, veniam suppliciter peteret: nemo omnium inuentus est, qui non cum flente fleret, qui compuncto non ingemisceret,cui lachrymæ vbertim non manarent: nemo qui post Concionem,eum vt charissimum fratrem,vt Angelum Dei,non amplexaretur. Tantùm valet energia & virtus Sancti Spiritus inspirando: tantùm valet disciplina,fraternitas, & charitas admonendo. Ad eam rem monitores habuit Richardum Chamberum,& Thomam Sampsonum,qui hoc suggerebant, & inculcabant. Quod cùm ille D. Sando reuerendissimo patri, Londinensi nunc Episcopo, eadem nocte exposuisset, quòd hi duo apud Dominum Isaacum,optimum & generosum virum ibidem exulantem, commune hospitium & communem lectum haberent:idem hic vrget,instat,ambit, orat vt seriò & simpliciter faceret. Cui noster,Libenter,inquit assentior,& alioqui mea sponte sine monitore eram facturus:nam diuina eludenda non sunt, nec Deus cordium & renum scrutator irridetur. Nemo itaque lapsum fuisse miretur,quod hominum est: omnes surrexisse & se collegisse lætentur,quod Sanctorum est. Sic Dominus in cœlo, & Ecclesia in terra soluit & remittit, sic Dominus in Sanctorum infirmitate glorificatur, & sancti post casum resurgunt audentiores & longè fortiores: quod profectò euidentissimè hîc voluit dominus, & ad sui nominis gloriam & ad piorum solatium demonstrare: Ab eo siquidem tempore, rectiore pede in Euangelij administratione perrexit. Chamberus hominem sic postea dilexit & suspexit,vt aliquã stipem ex illo suo ærario & Ecclesiæ fisco erogaret.

Epiphã.li.2 Tom.1.

Lapsus confessio.

Angli exules Francofordiæ.

Sub id tempus,in hac Anglorum Ecclesia Francoforti exulante,multi nobiles,& alioqui variis Dei muneribus illustrati,mihi tum in Tigurina vrbe peregrinanti non satis noti, conuenerunt. Nam præter eos, quos iam nominaui,exularunt ibi, non tam genere quàm pietate splendens Franciscus Knollus, nunc Regiæ M. Consiliarius & Thesaurarius,& Henricus filius natu maximus,virtute & animi dotibus non infimus, cum aliis liberis:D.Samfordus,Rob.Crovvlæus,& alij non pauci,qui iam mihi non occurrunt: quibus in officio prædicãdi,Robertus Hornus,iam reuerendissimus Episcopus VVintoniensis,& Dauid VVhithedus seu Leucocephalus,ac Thomas Leuerus,vna cum reliquis Symmistis,

mystis, diligenter, sancte, vtiliter ministrarunt.

Auocatus hinc humanissimis & crebris D. Martyris literis Iuellus, Argentinæ in ipsius ædibus plusquàm paternè tractatur. Vbi etiam Alexander Noellus, Ecclesiæ Paulinæ Decanus, Arthurus Sallus, Guilielmus Colus, Collegij corporis Christi quondam socius, nūc Præses, Iuelli semper, & in Academia, & in exilio obseruantissimus, multique alij communi mensa victitarunt. In hoc literatissimo Collegio, quis literarum ardor, quæ studiorum contentio, quæ laborum perpessio, quæ animorum coniunctio, ac præcipuè, quàm feruidæ ad Deum precationes, quàm profunda suspiria, quanta sermonum & colloquiorum festiuitas, quæ grauitas cum lepore condita? Audierunt etiam Petrum Martyrem, & Aristotelis Ethica & lib. Iudicum explicantem, Ioannes Checus, Rich. Morisonus, Anto. Coocus, Petrus Caræus, Thomas Vvrothus, Clarissimi equites, Ioan. Ponetus, paulò antè Vvintoniensis Episcopus, Edm. Grindallus, Archiepiscopus Eboracensis, D. Edvvinus Sandus paulò antè in Anglia Iesu Christi captiuus, Tho. Etonus Mercator Londinensis & communis hospes profugorum, & alij Angloargentinenses: Non enim omnes succurrunt memoriæ nec omnes nominari volunt, nec est necesse, & Ioannes Balæus complures numerauit, & numerum Sanderi confessorum facilè excederet hic exulum catalogus, si D. Catharinam Suffolciensem Ducissam in Germania, & Polonia cum marito D. Rich. Bartæo prudentissimo viro exulantem, si D. Dorotheam Staffordam, R. M. fidam & intimam Cubiculariam, si D. Elizabetham Barklæam, si alios Basilienses, & Geneuenses, qui tamen in hunc meum censum non cadunt, vbi Iuellus noster non vixit, si inquam alias fœminas, pueros, viros generosos, & eruditissimos recenserem, qui omnes Christi causa in exilium ire potiùs quàm domi, sua possidere maluerunt. In hoc numero si Henricum Knollum non reponerem, hominem religionis studiosissimum, & liberalissima literatura egregiè ditatum, silentium in hac parte meum & turpe, & putidum ipse reprehenderem.

Argentina, & catalogus quorundam Confessorum.

In editione libri Iudicum, Petrum Martyrem Iuellus plurimùm iuuit. Primùm enim lectiones quas quotidiè adiuit, & in Schola attentissimè audiuit, plenè & celeriter excipiebat. Ante prandium vtrinque allatis in medium notis, conferebant: à prandio Iuellus exemplum castigatum concinna litera describebat, sic ferè vt nunc impressum habemus.

Similiter etiam Tiguri fecit, comitatus eò Petrum Martyrem, à Tigurinis multùm diuque rogatum, vt Conrado Pellicano pio seni, ferè centenario Abrahæ filio, Sacrarum literarum peritissimo interpreti, & Hebraicæ linguæ primo ferè apud Christianos professori succederet. Hic quoque Iuello conuictore vsus est, & Anagnoste. Nam præterquam quòd studiis priuatis, vt ante, inuigilaret, & prælectionibus publicis, vt semper, vacaret, singula diligenter annotans: etiam tempore pomeridiano, Pet. Martyre audiente, aliquid ex patribus legit, maximè ex Augustino, quo doctore vterque impensè delectatus videbatur. Accessimus huc ante Pet. Martyris aduentum, Angli aliquot circiter duodecim: in domo Christophori Froschoueri, Typographi diligentissimi, & honestissimi, simul fraternè, & iucundè viximus, & ordinaria pensa, quasi in gymnasio quopiam persoluimus. Si hoc in loco Tigurini Magistratus raram beneficentiam, D. Bullingeri, Pellicani, Bibliand. Simleri, Vvolphii, Lauateri, Zuinglii, Gesneri incredibilem humanitatem, ciuium omnium omnia officia charitatis plenissima commemorarem: orationem pro meritis ipsorum longè breuiorem, pro instituti huius ratione paulò longiorem ponerem. Hanc munificentiam oblatam esse, sciebant omnes qui affuerunt, Iacobus Pilkingtonus Dunelmensis Episcopus, Tho. Benthamus, Tho. Leuerus, Tho. Spenserus, Robertus Bemundus, Cocrastus, Nic. Caruilus, & alii quorum supra nomina apposuimus: quibus in hoc loco congregatis, Chamberi ministerio & prouisione, Mercatorum autem Londinensium, Rich. Springami, Ioan. Abeli, Tho. Etoni & aliorum plurimorum benignitate, sumptus subministrabantur. Quorum enim liberalitatem erga nos clausam nunquam sensimus, eos nunquam omnes nec de nomine hactenus nouimus, quoniam ipsi innotescere aliis noluerunt, nec voluerunt sinistram suam nosse quid porrigeret dextera. Indignissimè ferebat Stephanus Gardinerus, in honore Pontificatus ipse exultans, nos duriter ex mica & mensa aliorum viuere. Caletum igitur cum Cardinali Polo & aliis missus, de pace cum Imperatoris & Regis Galliarum Legatis tractaturus, contra nos bellum spirat, minas iactans, & breui nos vngues nostros præ inedia arrosuros, vanus scilicet vates & verus Caiphas prophetans. Cùm itaque, amicis nostris in Anglia in carcerem coniectis, aliis aliter

Tigurum.

Londinensium erga exteros liberalitas.

miserandum in modum emunctis, subsidiaria illa pecunia iam nos penè deficeret, in tempore, quod omnium rerum est primum, non solum Christopho. Vvirtenbergensis Princeps per internuncium suum Vetgerium nos ad se inuitauit, verumetiam Tigurini Senatores & ciues, referente D. Bullingero, amplissimum subsidium obtulerunt. Cum istis doctissimis hominibus, & cum D. Martyre coniunctissimè vixit Iuellus vsque dum in Angliam rediret.

Princeps Vvirteb̄ergensis.

Neque verò solum Tigurini his erga nos charitatis muneribus functi sunt, sed doctissimi quique casum nostrum deflentes, & nobiscum ingemiscentes, societatem hanc nostram Anglotigurinam in hanc Heluetiorum Eremum, in hunc studiorum, & securitatis receptum secedentem, pluribus officiis ornarunt, & literas subinde quacunque occasione & opportunitate oblata, missitarunt, quibus & secessum hunc approbarunt, & grauiter monuerunt perseuerandum, & patiendum, D. Caluini, & D. Martyris literas festinanter ab ipsis ad nos scriptas, & à me tum, vt potui, celeriter descriptas adiicere placuit, quia hæc olim nos meminisse iuuabit, & alios legisse grauissimam istorum Patrum admonitionem non pigebit.

PIIS ET DOCTIS, QVI NVNC EXVLES AB ANGLIA, SE AD CHRISTI MINISTERIUM comparant, in Ecclesia Tigurina, fratribus charissimis.

D. Caluini literæ.

QVanquam propè superuacuum fore ducebam, proficiscente ad vos optimo fratre nostro D. Leuero, per literas à me tentari, quod ipse coram sermone longè melius & vberius præstabit: ego tamen vel frustra eiusdem rogatu ad vos scribere malui, quàm officio meo deesse. Duo autem mihi breuiter agenda puto, vt dolorem exilij vestri mitigem aliqua consolatione, & vos ad studia piæ doctrinæ, quibus incumbitis, persequenda exhorter. Triste per se exilium est, acerba res est patriæ calamitas, cumulus verò malorum est misera Ecclesiæ Christi dissipatio, præsertim vbi nullus apparet finis. Sed filiis Dei qui se agnoscunt mundi hæredes, exulare non adeò durum est: reipsa quoque assuefieri vt peregrini discant esse in terra, vtile est. Quum aduenis nuper receptaculum esset Anglia, Dominus vos in tempore illorum exemplo præmonuit, ne vobis molestum foret easdem obire vices. Causa exilij, vnde leuatio aliqua petenda erat, quodammodò mœrorem duplicat, quòd expulso Christo, Diabolica tyrannis in patria vestra grassatur, & illic trepidis ouibus lupi crudeliter inhiant. Sed cùm sciatis non esse nouum Christo sub cruce regnare, vt sibi ac suis ex mundi ignominia magnificos triumphos acquirat, vestrum est hoc probationis tempore colligere animos ad constantiam, donec è cœlo manum exerat. Certè suos tandem, quorum non exiguus est numerus, respiciet, & hostium compescet superbiam, qui adeò propterea insultant, vt non diu futurus sit tolerabilis eorum furor.

Nos interea sedulò operam dare conuenit, vt nostros quóque gemitus exaudiat. Porrò vos non arbitror multis verbis hortandos esse, vt in sancto isto cursu strenuè pergatis: vnum hoc ad vos stimulandos sufficiet, in quem vsum diuinitùs sitis repositi, exponere. Neque enim dubito, quin mirabili consilio Dominus vos in piæ doctrinæ studiis, quasi sub vmbra exerceri velit, vt in lucem paulò post, atque in seriam militiam producat. Acriter ergo ad perficienda incumbite, ac si rebus optimè compositis, patria nunc operam vestram flagitaret. Quamuis enim clausa sit Christi seruis ianua, breui tamen aliquem vestri vsum fore spero. Ad eam rem fidus vobis & idoneus adiutor erit frater & symmista noster D. Leuerus,

cuius

cuius doctrina & pietas vobis pridem cognita est, nobis autem sic probata, vt magnopere vobis gratuler, exemplar vobis Domi propositum quod imitemini. Valete mihi ex animo dilecti fratres. Dominus vos tueatur & gubernet spiritu suo, studiisque vestris benedicat. Amen.

Geneuæ idibus Iunij, 1554.
IOANNES CALVINVS *vester.*

OMNIBVS ANGLIS QVI TIGVRI DEGVNT IN SANCTA SOCIETATE, dilectis Deo, & mihi in Christo charissimis.

D.P. Martyris literæ.

CUm D. Hornus optimus frater hac transierit, plurima de vobis cum eo (charissimi atque in Christo desideratissimi) sum loquutus. Nam corpore licet à conspectu vestro absim, vobis nihilominus viuo spiritu quàm coniunctissimus. Ab illo audiui quæ volui, quæque me vehementer (Deo gratias) delectarunt. Retulit quippe vt pietatem in vobis ipsis, & foueatis, & augeatis, vt quisque vestrum doctrinæ ac studiis incumbat, vt denique inter vos innocenti conuersatione, vtilibus atque honestissimis exercitiis, laudabili æmulatione certetis. Benedictus itaque Deus, cui pro sua bonitate libuit adeò nobiliter fructum ex tanto naufragio colligere. Sic ille consueuit, is est mos diuinæ clementiæ, vt ex ruinis, admirando consilio quasdam reliquias ad gloriam sui nominis eripiat, quibus euersa instauret, & quæ suo vitio magnóque malo & scandalo desipuerunt, condiat. Proinde istum secessum mirificè gratulor, in quo vos audio sic degere, vt non vobis ipsis, verum vni Christo & membris eius ædificandis viuatis.

Restat modò vt quod cœpistis absoluatis, quia vt probè nostis, auspicari præclara, solet expectationem hominum excitare, quæ tandem euadet in vberem piámque gratiarum actionem, quando sanctè inchoata fortiter absoluuntur: quæ si deserantur imperfecta, piis amicísque dolorem iustum pariunt, & uicissim hostibus ac impiis risum mouent. Neque hæc eò spectant, ceu de vestra perseuerantia quicquam diffidam: de illo quippe mihi polliceor, qui cœpit in vobis opus bonum, eundem ipsum perducturum ad finem: & vos præterea diuinitùs donatos tanta fortitudine atque constantia video, vt vestrum ædificium non super arenam, sed supra firmam petram extructum non dubitem. Sed illa interponere volui, vt bene currentibus plausu solum faueam, & de fine vobiscum loquerer, quem vos proposuisse vobis in isto incœpto persuasum habeo, & expectari ab omnibus pijs intelligo. Neque operæpretium duco, vt vestrum sanctum consilium, & pium institutum collaudem, quia per seipsum est euidens eius vtilitas. Cùm enim vita sit breuis, & ob infirmitatem vitiatæ nostræ naturæ humanum consilium haud rarò cæcutiat, inde fit vt omnis ætas non sit satis ad omnia discenda, quibus Ecclesiæ idoneum Ministrum instructum esse oporteat, nisi delegerit sibi secessum ad tempus, vbi nulla impedimenta, nullæue aliæ curæ ipsum à studiis aut distrahant aut auertant, & nisi socios adiutorésque adiunxerit sibi ad opus, per quos à socordia naturaliter hominibus insita, frequenter excitetur, vtque dum vni mentis acies, vt sæpe fit, hebetatur, alter acutius monstret, & quæ alius qui tardior sit non per se ipsum assequitur, ea ex alio percipiat qui expeditiore præditus fuerit intelligentia. Ii sunt meo indicio secessus ac sanctæ societatis, quò ad studia, legitimi fructus. Mitto sanctioris &

purioris vitæ infinita propemodum adminicula, quæ in isto vitæ genere obueniunt, quoniam ea commemorando: exitum non facile inuenirem, ac viderer ea profectò vos docere, quæ ipsi quotidiana iam experientia percepta & cognita probè ac familiariter habeatis.

Quare ne vos diutiùs obtundam, vlterius mihi progrediendum non censui. Tantùm id vos oro, vt si verbosior fuerim visus, boni consulatis, ac meæ singulari erga vos charitati adscribite.

Deum oro, immortalem patrem Domini nostri Iesu Christi, vt, quæ illius bonitas est & clementia, quò ad omnia per ipsum opulenti euadatis, in omni sermone inquam & cognitione, quò testimonium Iesu Christi per vos confirmetur, vtq; ad finem vsq; in diem Domini nostri Iesu Christi constabiliamini, synceri atque inculpati. Vos etiam rogatos velim, vt vestris precibus meum ministerium Deo commendetis, ne in vanum curram, & absque fructu in Ecclesia laborem. Argentinæ 30. Septembris. An. &c.

Vester in Domino frater
PETRVS MARTYR.

LITERÆ PHILIPPI MELANCTHONIS AD FRANcofordienses.

SVborta est in hoc exilio Vesaliæ & Francofordiæ, leuis quædam inter nostros & ipsorum aliquot ministros, de re Sacramentaria altercatio, quæ tamen partim moderatione prudentiorum & Senatorum, partim Philippi Melancthonis autoritate & literis refrixit: in quibus ad Francofordienses, de nostris amicè & præclarè scribit. Si Gallica & Anglica Ecclesiæ quæ ibi sunt, fouerent errores Serueti aut Thameri, vel alias blasphemias contra Symbola fidei nostræ, aut Anabaptisticè quid sentirent contra Baptismum & similia, tunc suasurum se, & seuerum hortatorem futurum, vt quamprimùm inde expellerentur: ad Magistratum enim ciuilem pertinere blasphemiis & tumultibus huiusmodi obuiam ire, & delinquentes punire. Verum scire se, vtramque Ecclesiam de omnibus articulis Symboli, Catholicè & purè sentire, atque eos ab omni papistico errore alienos esse: & quod amplius est, audire se, ipsos Confessioni, quam repurgatam exhibituri erant Tridentinæ Synodo, in omnibus articulis adstipulari, eamq; amplecti, nisi quòd in vnico tantum verbo (substantialiter) sub titulo Cœnæ Domini hæreant ac quodammodo discrepent. Quapropter suadere & rogare, licet aliquid hic sit controuersiæ, vt quod Christianum est & pium, audiantur, doceantur, instituantur, non eijciantur. Hoc idem se à Vesaliensi Senatu petijsse, hoc ipsosmet petere, vt ex aliis locis, ciuitatibus, ac ditionibus quæ à piis reguntur principibus, docti ac pij viri ad hoc negotium conuocentur: in hac causa colloquium & disputationem esse necessariam, quòd homines nonnulli obscuris & peregrinis circa eam rem verbis vtantur: necesse igitur esse, vt ij qui Rebuspub. præsunt, in id inuigilent atque elaborent, vt syncera & vniformis ratio in declaratione Cœnæ Domini tradatur: Constare etiam nonnullos Principes in hoc nunc occupatos esse, vt Christianus fiat Principum & doctorum virorum conuentus: Id licet breui non fiat, necesse tamen esse quãdoque fiat: Hanc causam non in illo tantum loco, sed in pluribus ciuitatibus ac regionibus controuersam esse: Nonnullos existere qui Adorationem & Eleuationem non admittant: Non deesse fortassis aliquos rixarum atque turbarum amantes: istos tamen exules pietatem & re-

Lutherani.

& religionem veram amare, sequi, reuereri: Eapropter rogare se & obsecrare, vt patienter homines illos peregrinos ferant, donec audiantur, aut donec alij Principes & Ciuitates de hoc ipso inter se conueniant: Sperare se, si viri docti & pij conuocarentur, eos facillimè & hunc & alios articulos, de quibus controuersum est, compositur os: omninò necesse esse rem declarari. Scriptum, Iul. 13. Anno Domini. 1557.

Circumferebantur interim rumusculi de Maria moribunda, sed exibant sæpe in fabulas. Tandem volente Dominó, & mensura diuinæ erga nos iræ exhausta, An. 1558. Maria Regina moritur: de qua illud dici potest, nubecula fuit, sed transiit. Hæc est mirabilis diuini numinis clementia, religione tremefacta, bonis hominum bonorum accisis, libertate oppressa, seruitute aucta, rebus omnibus in summum discrimen adductis, non solum hoc flagellum suum auferre, sed vnà Cardinalem Polum, & nobiles aliquot, ac Episcopos numero plures, sæuitia pares, è medio tollere. Ita omnes illorum fumi euanuerunt, omnes flammæ extinctæ sunt, omnis spes frustrata est, quam in brachio suo carneo, in externis præsidiis, in clientelis, in stipatura, in nouo suo Principe collocabant, quem Mariã sex menses in vtero gestasse ferebatur, campanis vndique sonantibus, rogis Antuerpiæ, Londini, Oxoniæ, & in aliis regni oris luculenter accensis, supplicatione & Litania publicè pro illa mystica prole indictis: sed parturiuit tantùm, non peperit. Atque hic fructus & fœtus est totius Papismi, ventus inanis, crepitus vanus, & ridiculus musculus, vt qui nobis dogmata producit ἀνεμώλια, quæ genium non habebunt.

Maria nubecula, eiúsq. mors.

Adhuc peregrè degens, ad multos fratres scripsit literas, in quibus vel noua læta nuntiauit, vt de Munsono, qui primum in Collegio Magdalenensi, post in Æde Christi vixit & studuit, Postremò ibidem vicesimo tertio Aprilis è Pleuresi mortuus est, sed ita mortuus, vt omnes nos mori vellemus, cum summa & constantissima testificatione religionis, & grauissima detestatione Idololatriæ: vel si quos audiret studiis atque animis inter se distrahi, docuit oportere fratres esse coniunctissimos, dissensionibus inter se non laborare, ne animi bonorum hominum, quibus nos imprimis consulere oportuerat, nostris contẽtionibus, rixis, factionibus, offendantur: vel si quem intelligeret exilij acerbitate cruciari, aut vlla re aduersa durius premi, & conditionem nouam quærere, suasit patientiam, non debere illum è fumo in flammam fugere, ferri posse eam calamitatem, quæ vt ferretur à Deo iniecta est: cùm fratres nostri omnia extrema patiantur in Anglia, non esse consentaneum vt nos deliciemur, oportere aliquam partem ferre crucis Christi, à quocunque demum imponatur. Qua consolatione & se ipse erexit, & patris castigationes moderatè ac patienter sustinere didicit: atque sic miseriarum Epitasis & exilij Actus terminetur.

Quarta pars, Reditus & Episcopatus.

ELIZABETA Regina Nouembris decimo septimo, Mariæ demortuę surrogatur, cuius auspicatissimùm regnum in luctu & lachrymis iacentibus summam lætitiam conciliauit, vinctis in domino libertatem attulit, exulibus reditum patefecit, in tenebris ignorantiæ, in labyrintho superstitionis, in vmbra mortis versantibus, Euangelicę fidei ostium quinquennio toto clausum reserauit. Quamobrem Iuellus vita in Germania honestè, studiosè, laudabiliter transacta, tandem ab exilio reuersus est: non vt Iacobus è Mesopotamia, grege, armento, diuitiis onustus, sed aliqua libraria supellectile instructior, & mercatura bonarum literarum ornatior. Parckhurstus autem Iuello salutato, quòd insidias timeret, alia via rediit, nimirum vase suo, vnà cum Zuinglianis operibus & aliis libris, ac inprimis exemplo vno Epigrammatum suorum, quæ vt se liberali aliquo lusu reficeret & tempus falleret, composuerat, & nunc demum quasi iuuenilem fœtum senex edidit, ab emissariis quibusdam & scrutatoribus Germanicis prius sublato: de quibus non minus ille conqueri poterat, quàm Erasmus olim de piratis in littore Britannico. Noster autem sospes & saluus domum rediit, & ad ædes Nic. CuluerVVelli ciuis Londinensis, optimi viri diuertit, vbi perhumaniter sex ferè menses exceptus est, donec eum D. VVilliamus Tamensis morbo correptus ad se vocaret. Vicesimo die Ianuarii Comitia omnium ordinum habentur: quibus durantibus, disputatio VVestmonasteriensis instituitur, vt Protestantes quidam & Pontificii inter se conferrent, & liberè suam sententiam de religionẽ

Parckhursti Epigrammata.

profiterentur. Propositæ verò sunt tres Theses:

Disputatio Vveitmonasteriensis.

Prima, pugnare cum verbo Dei, & cum institutis antiquæ Ecclesiæ, vt preces publicæ, & administratio Socramentorum ignota lingua peragerentur.

Secunda, vnamquamque Ecclesiam habere potestatem mutandi, & submouendi ceremonias ac ritus, ad ædificationem.

Tertia, Sacrarum Scripturarum testimonio probari non posse, sacrificium illud Missaticum propitiatorium pro viuis & mortuis. Actores præcipui fuerunt vtrinque octo, tam Catholici quàm Protestantes, præsentibus Consiliariis Regiis, assidentibus quibusdam nobilibus, & aliis doctissimis hominibus vndique confluentibus & rei euentum expectātibus. Inter Protestantes, Iuellus non infimum locum obtinuit. At cùm Pontificij post aliquot dies tergiuersarentur, & scriptum suum vicissim exhibere, atque ordine & modo, vt conuenerat, agere recusarent, disputatio, vt autoritate Regiæ maiestatis publicata, & à nostris inchoata est, ita aduersariorum hac pertinacia, de possessione sua multa vendicantium, abrupta est. Ita olim Donatistæ, teste August. cùm omnes omnia suspensa expectarent in tanta collectione quid ageretur, vehementer instabant vt nihil ageretur. Quare hoc, nisi quia causam suam malam sciebant, & facillimè se conuinci posse si ageretur, dubitare non poterant? Itaque infecta re, discessum est, omnibus ad generale Concilium relatis: vbi singulari omnium ordinum consensione grauiter disceptatum & piè cōstitutum est, vt imaginibus Idiotarum libris, mutis scilicet ac mendacibus magistris è tēplo exturbatis, superstitione profligata, iugo & primatu Romani Pontificis excusso, Deo Opt. Max. suus honos, Regiæ maiestati sua prærogatiua & legitima potestas, populo diuinus cultus, Liturgia Anglica, boni Pastores, sacra biblia restituerentur.

Pontaci calumnia contra R.M. depulsa.

Ex hac vera & simplici rerum gestarum declaratione liquidum est, Pontacum Burdegalensem in sua Chronographia splendidè mentitum esse, qui scripsit Elizabetham Reginam, vetere religione ex regni totius finibus propulsata, Zuinglianismum & Caluinismum, contra totius Cleri ac Episcoporum planè omnium consilium consensumque stabiliuisse. In hac disputatione, non in Academia, non in doctorum corona, sed Londini, vt ille ait, coram omni circumfusa multitudine habita, Catholicos Antistites, partim circumstantium vndique Protestantium fremitu, partim nobilium quorundam qui aderant authoritate ita fuisse perturbatos, vt nec quietè audiri ab aliis, nec ipsi inchoatam orationem absoluere potuerint. Ad harum quæstionum determinationem adhibitos esse iudices, non Ecclesiasticos, non in sacris literis eruditos, non Patriarcham, Archiepiscopum, Metropolitam aliquem, sed homines planè laicos, ac tam ab omni Theologiæ cognitione, quàm ab ipsa Catholica fide alienos: facilè vllam religionem fœdissimam illis arbitris probari potuisse: Catholicis optandum fuisse, vt potius apud Turcas aut Iudæos alicubi dixissent causam, illos propensiores iudices futuros, & æquiorem laturos sententiam: Aliter cum Protestantibus dum regnaret Maria actum esse, in Academia tantùm atque in ipsis Theologorum scholis, facta solummodò Scholasticorum quieta audientia, in qua & argumenta proponere, & propositis respondere, non vno & altero die, sed pluribus simul liberrimè permittebantur.

Itáne voluit Pontacus Chronographiam, an potius Pseudographiam nobis dare? Historiam rerum veratum, an Rhapsodiam mendaciorum edere? Itáne debuit homo rerum nostrarū rudis, & hîc in nostra Repub. planè hospes, ea quasi exploratè cognita scriptis mandare, quæ ad eum nihil pertinent, & quæ hactenus parum intellexit, & quæ sunt ipsa vanitate vaniora? Errauit non semel in hac recitatione: non enim antiquauit Christianissima princeps veterem religionem, sed renouauit, satis memor illius Theologici Theorematis: Religiones non annorum spatio, non temporum intercapedine, sed veritatis lance & diuini verbi libra trutinari. Rancida est illa, & exoleta Symmachi impij Senatoris disputatio: Antiquissimas religiones esse semper verissimas. Non est noua, sed vetusta, non Caluiniana aut Zuingliana, sed Christiana religio: quæ factiones non agnoscit, quæ nos sub vno capite deuinxit, & tanquam vnius corporis membra, fidei & charitatis nexu firmissimo colligauit. Errauit qui Pontaco suggessit, Londini solum præsedisse Laicos, neque doctos, neque Catholicos. Aderant non solum homines Catholicissimi, id est Papisticissimi, qui spectatum venerant, sed alij eiusdem Catholicismi acerrimi propugnatores, quatuor Episcopi, totidem Doctores: aderant Patres conscripti, & sacer Regiæ M. Senatus, & D. Cancellarius, & Archiepiscopus Eboracensis, id est, Metropolitanus,

tanus, Dux Norfolciensis, aliíque nobiles, qui veritatem acutius videre & facilius inueni re possunt, quàm ille rasus grex Pseudocatholicorum, qui pietate, ingenio, doctrina cum illis eruditissimis & generosissimis proceribus non est comparandus. Nec ipsa Regina, vt isti fabulatori placet, vt mulier imperita habenda est: quæ ita linguarum & literarum perita est, vt quid Græcorum, Latinorum, Gallorum, aliorúmque scripta doceant, intelligat: ita ad omnem sapientiam instructa & condocefacta, vt nec à Pontaco circumueniri, nec à fraterculo illo subtilissimo Ioanne Garciano, quem iste ait cum Anglis solum congredi voluisse, vllo sophismate falli velit: ita in Religionis solida rupe fũdata, vt isti flatus inanissimorum librorum eam ab hoc piè suscepto proposito nequeant dimouere. At perturbati fuerunt, inquit. Credo, est enim facilè exanimari Catholicos, non solum populari strepitu, sed omni etiam foliorum crepitu, præsertim eos quorum causa mala est & cauteriata conscientia: cùm è diuersò, constantes veritatis amicos, etiamsi totus collabatur orbis, impauidos ruinæ feriant. De temporis contractione causari meritò non possunt: qui, cur tempus disputationum non protraheretur, ipsi in causa fuerunt: qui senatui parere & ordinem præscriptum obseruare detrectarunt: qui vt prouidi Thrasones, quia in pugna erant inferiores, post principia sibi cauerunt, & causa demum inuenta, subterfugere maluerunt. Addit, Maria imperante, omnia ordinatius acta & modestius, scilicet, vbi portentosæ quæstiones fuerunt, nec locus disputandi semper Academia, sed priuati Lares, Episcopi Londinensis domus Carbonaria & Carceres, vbi non omnes arbitri Ecclesiastici, sed indocti, nobiles, Legulei, Cancellarij, Commissarij, Officiales, Pseudotheologi, vbi personæ agentes & multi acres ad disputandum accesserant. Nam vt de illa Oxoniensi disputatione, quam iste attigit, dicatur, quid vnquam visum est geri tumultuosius vel Parisiis à Sorbonistis, vel in Aphrica ab Arrianis, vel in agro à rusticis? vt non tam collatio quàm coniuratio, non tam disceptatio Theologorum quàm cõgregatio Centaurorum dici mereatur. Disputatum est fateor, sed quomodo? Non moderatè sed turbulentè, non scholasticè sed confusè, non sine aliqua celeberrimæ Academiæ infamia: in qua cùm artes ingenuæ vigeant, forma esse debebat gregis, & speculum omnis eutaxiæ, placabilitatis, modestiæ. Conuenerunt verè aduersus Dominum & vnctos eius seruos & athletas, Crammerum, Ridlæum, Latimerum, Domini spirituales & Domini seculares, Domini Cantabrigienses, Vvatsonus Setonus, Glinnus, Yongus & alij doctores: Rursus, Domini Oxonienses, Vvestonus, Colus, Chadsæus, Oglethroppus, Smithus, Vvardus, Treshamus, Curtoppus: hi omnes ferè coniunctis viribus in vnum veritatis propugnatorem eodem fere tempore inuolant, pro argumentis adducentes contumelias, conuitia, ratiocinantes sine ratione, sine pudore, sine modo, sine figura, nisi forsan in Bocardo, aut Barbara, aut Ferio. Magnus chorus doctorum, sed nullus concors sonus aut harmonia. Alius disputat ridens, alius sibilans, alius Anglicè, alius Latinè, alius barbarè & sophisticè, alius incongruè, & parum Grammaticè, alius ita spinosè vt ad se ipsum intelligendum opus haberet natatore Delio, alius respondet, Paulũ in ea sententia: PROBET SEIPSVM HOMO, fœminam ab vsu Sacramẽti arcere, alius illum habere Græcè ἀνήρ, alius ὁ ἄνθρωπος, cum tamen Grammatistæ omnes norint, esse communis generis. D. Crammero interrogante quale tandem corpus Christi in Sacramento constituerint, organicum necne, erat vnus qui ex Damasceno respondit, alter ex Lanfranco, Salubriter credi posse, fideliter quæri nõ posse: tertius indignam esse quæstionem: quartus quæstionem quæstione eludit. Hic ait adesse corpus iuxta substantiam, sed non iuxta substantiæ modum: ille esse voluit præsens & naturale corpus sed inuisibile: nonnulli, corpus esse quantũ, sed nõ per modum quanti: alij dicũt, Quomodo adsit, Deus nouit, sed adest quomodo ipsi visum est. Vvardus homo semper nimium Metaphysicus dixit, Christum esse in Sacramento respectu totius, & Aristotelem in prædicamento de Situ allegat: alius negat minorem: alius statim maiori mauult respondere. Interea D. Prolocutor, qui maximè sobrius & omnium sapientissimus esse debuerat, ineptit maximè, nunc cachinnans, nunc minitans, nunc blandiens, nunc innocentissimis patribus insultans, nunc poculum manu tenens & egregiè potans, & exclamans, Vrge hoc: nunc applaudens his qui vociferati sunt, O blasphemias, blasphemias, & ad extremum ipse succinens, Vicit veritas, cùm potius dicendum esset, vicit vanitas. Quid auditores? certè non erat quietum auditoriũ, vt iste significauit, sed plenum tumultibus: vbi præter clamores, supplosiones pedum, sputa, screatus, & huiusmodi, nihil ferè audires. Dum isti histriones suæ Motoriæ fabulæ partes agunt, actores parum conuenienter scenæ seruiendo, auditores in varias affectiones distracti destomachando, quidnã

de reis actum sit,& quid ipsi egerint,scire est operæpretium. D. Ridlæus clamat, sicuti olim dictum est, Quales præsides,talis & disputationis exitus. Crammerus & Latimerus scriptam confessionem fidei suæ exhibent,sed eo tempore legi non potuit: omnes ceu lepores apud Leones concionantur,omnes ceu agni aquam turbantes,lupo indice & iudice causam dicunt,sic tamen dicunt vt aduersariis ora obturarint, etiamsi sophistica semper loquax,aliquid garrire non desinat. Disputarunt,aliis, vt dixi,reuerendos Patres sannis & scommatibus excipientibus,aliis miseram tragœdiam non sine lacrymis aspectantibus,aliis indignè hanc theatricam actionem ferentibus. Disputarūt,non vt Elizabethæ temporibus liberi & soluti, sed quasi catenati Molossorum dentibus lacerandi. Nam & carceris molestia,& librorum suorum,& rerum necessariarum inopia,& temporis angustia,& amicorum penuria afflictabantur,& non pro more in scholis quęstiones examinabant,sed pro capite & fortunis disputabant.Cùm ex tribus propositis quæstionibus vnam præcipuè omnes tractassent,quasi omnium rei,& planè conuicti, è schola in custodiā vnde prodierunt,redeunt:è custodia ad rogum,solennibus degradādi(vt vocant) & anathematizādi ceremoniis peractis,quasi mundo redditi,& Satanæ traditi,miserabiliter & violenter abripiuntur.Hæc sunt argumenta Papistarum, hi cruenti syllogismi,hæc Mariana moderatio,hæc quieta Academicorum,illa ætate, istis regentibus Ecclesiam , audientia. Atque hæc obiter,sed necessariò ad refutandum vanissimi Chronographi sycophantiā, dicta sint,maximè quòd Iuellus hîc in differendo suas vices suppleuerit.

Quoniam verò Deus Iuellum omnibus doctrinæ luminibus compleuit, Oxonia eum multiplici eruditione perpoliuit,totáque eius vita in literarum curriculo consumpta, vel illis condita est:aspirauit Regię Maiestatis serenissima aura & mitissimus Fauonius,& hominem tanta varietate literarum,tam elimato iudicio præditum, ad summæ dignitatis culmen,vt mox dicetur copiosiùs,euexit.Præuidit enim hunc in tanta opinionum diuersitate,in hac religionis noua quasi infantia,in hoc schismate &confusione,posse,qua erat indefessa nauitate & industria,titubanti rei auxiliatricem manum porrigere. Sic misericors Dominus miseris rependit,sic exules pios &se timentes ab omni ope desertos,omni re & spe quodāmodò destitutos respicit:sic Regia munificentia optimos quosque & sciētissimos artifices,ad diuini templi fabricam reficiendam excitat.Neque verò Reipub.incolumitati satis consulitur,nisi synceræ pietatis negotium,&manibus,& pedibus omniū, tam Principum,quàm aliorum Ministrorum promoueatur. Siquidem ab hoc perpurgatæ pietatis fonte,omnis vera dignitas ac gloria Regum & subditorum,Antistitum Ecclesiæ & Reipub.semper dimanauit,omnes verè clari & nobiles propter cœlestis sapientiæ studium & propagationem ad hominū notitiam ,& illustrē existimationē profluxerunt.

Quisquis autem ad hos sublimes in Ecclesia gradus subuolat,non iam pigritiæ,non inertiæ,non languori se dedat,sed quò est fortunis & dignitatibus magis honestatus, eò acriorem Ecclesiæ curam esse suscipiendam nouerit.

Perlustratio Ecclesiarū, & visitatio Regni generalis.

Decreuit Regia Maiestas statum Ecclesiarum regni sui inspiciendum,vt olim fecit Iosaphatus: quo Mariana persequutione oppressi , bona sua recuperarent, fidis Pastoribus Mercenarij ac lupi cederent,& plebecula ab vberibus piæ matris iamdudū ablactata,denuò salubri pastu frueretur,& vias Domini recognosceret.Occidentalem oram peragrauit Iuellus cum aliis Collegis, concionans,disputans,patriam suam,& dulce solum abundantissimis fontibus Scripturarum irrigans:in qua Inquisitione sua , non vt Sōnius ille Pseudoepiscopus Louaniensis,diuitum loculos visitat,non Bōbardis,non bellicis machinis concionatur,non sophisticis molitionibus cuniculos agit in Ecclesiasticum ærarium, sed beneuolentia sui omnium animos peruagatur , & ratione magis quàm autoritate ad fidei Christianæ synceritatem,quos potest allectat. Deuonia aliisque partibus ita perlustratis,Ianuarii vicesimo primo,Anno Domini 1559. Episcopus Sarisburiensis inauguratur:sed,vt coniectura potest colligi,reluctans,non semel dictitans,eum qui Episcopatum desiderat,(quem putauit aut neminem aut valde fatuum)opus desiderare,opus inquam, non vt vulgò loquuntur,operatum,sed multò magis operantis:

Iuel. Episc. Sarisb.

Unà Eurusque, Notúsque ruunt, creberque procellis
Aphricus, & vastos voluunt ad littora fluctus.

Quamuis ergo, qnod erat à Regia Maiestate impositum munus non detrectauit, nec subterfugit,quò minus vocanti pareret,tamen quid hic statuatur , diligenter cauendum & perattentè cogitandum esse significauit,quòd magnam deliberationem esse oporteat

in re

in re maxima.

In hac Sarisburienſis Eccleſiæ ſpecula conſtitutus, iam non obdormiſcit, ſed in excubiis eſt, & ſuſceptam perſonam grauiſſimè repræſentat, vt huius maximo lumine, omniũ maiorum laudes obfuſcatæ & opacatæ eſſe, non immeritò videantur. Etenim cùm illi Sarisburienſes Patres, vt in Papiſmo fit, aut nullas aut raras, eáſque rudes & ieiunas conciones haberent, & ſæcularibus curis impliciti Deo militare & Eccleſiam ædificare vix poſſent: hic præcipuum & proprium Epiſcopi munus eſſe ſtatuit, vel in Muſæo latere ſtudentem, vel in pulpito conſpici prædicantem. Nec è Tripode hominum deliramenta, traditionum, Conciliorum, Eccleſiaſticarum conſtitutionum, aut Pontificiorum canonum, nec ſecũdum vſum Sarum detonat, ſed ex præſcripto ſacrarum literarum, è ſcrinio Diuini pectoris cœleſtia myſteria depromit. Suſpiciat alius in docendo eius diligẽtiam, alius in expoliendo artificium, alius in citandis teſtimoniis varietates, alius in explicandis rebus abditis & difficilioribus perſpicuitatem, alius aliarum virtutum in concionando buccinator ſit: ego verò eius in tractando reuerentiam & religionem admiror. Nam quamuis extemporalis facũdiæ, & multiplicis doctrinæ, & egregię memorię adminiculis cõfiſus, ſubitò ad cõcionandũ potuiſſet exilire, & velut Gorgias alter de quouis themate vltra conſuetã clepſydrã declamare: tamen ita ſtudioſè, ita religioſè in hac ſacra functione verſatus eſt, vt nunquam niſi meditatò diceret: imò ſiue in Eccleſia ſua, ſiue ruri in parochiis, ſiue in ſuggeſtu Paulino Londini, ſiue in aula Regia, ſiue in Academia, ſiue alibi concionaretur, vel longius vel breuius temporis ſpatium ad deliberandum ſumpſit: & dicenda populo laborioſè excerpſit, & obſeruationes locorum, & rerum ipſarum quædam capita prius in charta deliniauit: quæ & diſpoſuit aptè, & ſtatim memoriæ commendauit, & leni ac dulci voce, & idoneis verbis pronuntiauit. Genus eloquendi non tã ſuaue quàm graue, non tam elatum quàm ſedatum, non tam rithmicum quàm patheticum fuit, affectibus mouendis omninò accommodatum, verbis benè bonis optimam & ſanam reponens ſententiam. Quid ego hîc luculentas & innumeras Conciones repetam? quid enarrationes in præcipuos veteris & Noui Teſtamenti libros? quid exhortationes crebras, & vehementes ad homines qui teſtimonium dicturi, qui ſacros ordines ſuſcepturi, qui Dominicam cœnam manducaturi fuerant? Quid tractationes de ſacramentis, in genere de vtroque, de cœna copioſè, vbi corpus? an verè ſumamus? ore an fide? quis ſenſus verborũ, Hoc eſt corpus meum? an panis maneat? qualem præparationem adhibere conueniat? Item de Sacramentis falſò nominatis & adulterinis: de matrimonio, de confeſſione & pœnitentia, de extrema vnctione, &c? quid abſolutas & continuatas expoſitiones orationis Dominicæ, Symboli Apoſtolici, decem Præceptorum, Epiſtolæ ad Galatas, primæ Petri, vtriuſque ad Theſſalonicenſes? quæ ferè in Sariſburienſi Eccleſia poſtrema ei cantio fuit: in qua de vſura, de Antichriſto, de Bulla, (quam tum Pius Quintus pro ſua pietate, contra Regiam maieſtatem & Regnum Angliæ ex Tarpeia rupe eiaculatus eſt) aliiſque locis cõmunibus diſſeruit? Quid proferam ea, quę ſparſim tractauit pro ratione temporis ex prophetis, ex Pſalmis, ex quatuor Euangeliis, ex Actis Apoſtolicis, ex Epiſtolis, ex Apocalypſi diui Ioannis? licet autem eas Epiſtolarum & Euangeliorum partes, quæ in Eccleſia Dominicis & feſtis diebus recitantur, ſæpe homiliis ſuis explicarit: tamen vnum aliquem librum integrum à capite ad calcem interpretari potius, quàm illa fragmenta conſciſſa, & non rarò malè diſcerpta auditoribus proponere maluit. Pro Concione de ritibus & adiaphoris, nõ niſi inuitus & rariſſimè dixit, quòd pietatis illuſtrandæ ſtudio omnes neruos intentos haberet, & Euangelium ſciret eſſe non dilutam & frigidam Ceremoniarum Concionem, ſed Chriſtianæ doctrinæ ſolidam tractationem. In hoc opere faciendo & in hoc torculari calcando fere ſolus fuit, nec multos habuit in ſua diœceſi adminiſtros, qui labores perferre vellent aut poſſent: Tanta erat fidelium Euangeliſtarum penuria, tanta in vinea Dominica operariorum inopia. Qua de re cùm aliquando ad eum ſcriberem, ſubmonens Iethronis conſilium, & ad Moyſen leuandum, & ad populum erudiendum fuiſſe optimum, & mirari pios, cur alios adiutores non aſciſceret, linguas & ora Epiſcoporum plura eſſe debere, Epiſcopum, & Geryonem & Argum, qui multa corpora habeat, multos oculos vbique circumferat, eſſe oportere, & ad eam curam doctos vndique accerſendos, qui operam conferrent, & particulares Eccleſias adminiſtrarent: reſpondit, ſe id quidem moleſtè ferre, & ei malo remedium afferre velle, ſed non poſſe, indoctis ſe non egere, nolle eos vel obulo conducere, doctos non poſſe, quòd nullum ſacerdotium penè reliquum eſſet, quo tales alerentur, quippe Capum deuoraſſe

Epiſcopi in concionando virtutes.

Præuentiones Papiſticæ.

omnia(antecessori enim suo hoc erat nomen qui Ecclesiæ dignitates & beneficia vel dedisset, vel vendidisset. Quid istiusmodi Capis voracius, si tamē verum sit, nihil enim compertum habeo, qui sic captant vt successoribus non multa capienda relinquant? At hoc quicquid est, non satis Euangelicè fit, nec sanè Papisticè. Euangelium namque eiusmodi interceptores, qui fraudant posteros, qui se & suos pulchre saginant, qui Ecclesiam non pascunt, qui Domini sponsam indotatam, vineam incultam, ouile desertum esse patiuntur, qui futuræ Ecclesiæ non serunt, qui sibi omnia metunt, tanquam Christiani fundi calamitatem detestatur. Quid autem Papismus? Successores beat, ditat, locupletat, & (si Papistis credendum) maiorum Paparū virtutes, Sanctitates, dotes transfunduntur iure quodam hæreditario in minores Papas & in posthumos. Cúmque illorum distinctio sic doceat, In Papa succedente, si desint bona acquisita per meritum, quæ à loci prædecessore præstantur, sufficere: cùm doceat illorum Glossator, Petrum fecisse Papam bonitatis suæ hæredem, quid sibi Papistæ volunt, qui sic præcedunt, vt ipsi crescant, alii decrescant? qui census & redditus Ecclesiasticos imminuerunt? qui præripiendo, anticipando, alienando, successores, non beatos, sed quantum in ipsis erat miseros, non bonorum hæredes, quæ exhausta sunt, sed malorum & dispendiorum quæ per ipsos Ecclesiis importata sunt, reddiderunt? Nec nostri quidem probandi sunt, si qui tamen sunt, quos ego esse nec nego, nec aio, sed esse audio & timeo, qui præoccupando, & patrimonium Ecclesiæ dissipādo, posteritati præiudicātes, hac fœdæ Papisticæ rapacitatis labe existimationē suā aspergūt.

Quò autem Iuellum pauciores in hoc opere iuuerunt, eò vigilantiùs ipse sibi prouidendum & elaborandum putauit, vt quanùtm posset, tantùm contenderet, sudaret, ac omninò caueret, ne illud meritò exprobretur, Præterii agrum hominis pigri, & vineam hominis stulti, & ecce totum obruerunt vrticæ, & faciem eius sentes contexerunt: Ideóque plātauit, rigauit, excoluit, ne, quod in tanta, tam spatiosa, tam dura prouincia fieri solet, omnia spinis horrescerent. Omnes hîc Conciones referre, numero infinitas, locis distantes, dignitate præcellentes, temporibus varias, genere dissimiles, hoc opus, hic labor est: tamen exemplum edam, & specimen dabo Concionis quam Londini è celeberrima Cruce Pauli, imò è cathedra Christi habuit, non quidem verbum verbo reponens aut singula reddens, sed omnia carptim delibans & strictim comprehendens quæcunque huic proposito meo congruentiora iudicauero, vt omnes eum sermonem, qui erumpenti posteà contentioni occasionem dedit, & futuræ narrationi lucem afferet, quasi per transennam aspiciant.

SVMMA CONCIONIS IN CRVCE Paulina Londini, Anno Domini, 1560. Dominica secunda ante Pascha, argumento desumpto ex prima ad Cor. Cap. 2.

Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratiis actis fregit, & dixit: Accipite & manducate, hoc est corpus meum, &c.

Exordium de Reformandis abusibus.

ARE ipsa exorsus, occasionem narrat: pseudoapostolorum in Ecclesia Corinthiaca lolium ostendit, vnde patriis traditionibus nimium tributum, populus in hæreses prolapsus, Resurrectio mortuorum negata, schismata suborta, Cœna deprauata, sic vt quisque despectis fratribus Cœnam suam præoccuparet: Omnibus proinde in deterius vergentibus, res ad primam institutionem reuocanda. Sic Christus templum nundinationibus prophanatum, sanctificauit: Scriptum est, Domus mea domus orationis. Item de diuortio, A principio non fuit sic: Scriptum est, Erunt duo in carne vna Sic Paulus, Quod accepi à Domino tradidi vobis. Hodiè gliscentibus & grassantibus etiam erroribus, cur non eodem modo reformatio instituenda? Optandum quidem hunc clarissimum solem diuino beneficio illucescentem, omnes videre. At Iudæi liberati, denuò ollas Ægyptiacas reposcunt. Apud Hieremiam vociferantur, Sermonem quem locutus es nobis etiam in nomine Domini, non audiemus ex te. Ephesii, licet iam Dæmonum ora obturata essent, & Diaboli obmutescerent, nihilominus clamarunt, Magna est Diana Ephesiorum.

Hiere. 44.

Hodiè eædem vociferationes & clamores circunsonant. Quantumuis restituta sit Sacra Communio, tamen cum Corinthiis diuinum institutum malunt violare. Magnum inquiunt, mysterium missa est: eam adorant, ad eam præcipites & supplices recurrunt, in

media

media luce tenebris gaudent. Obiiciunt, sacram Dei ordinationem labefactari tam diu non potuisse. Sacra res Serpens, Christi crucis typus: tamen Israëlitæ hoc Idolum tanquam numen quoddam sacrosanctum coluerunt: Euangeliũ sacrum, tamen quidam per contentionem prædicant. Quid nomine Dei sanctius? tamen quid aut vanius vsurpatum, aut sæpius prophanatum? Sacra res Baptismus, tamen hac ipsa Apostolorum ætate quidam abusi sunt. Baptizarunt pro mortuis, quos aqua perfuderunt, quibus manus imposuerunt, quos nominatim tanquam viuos euocarũt, quos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti tinxerunt: quod in Concilio Carthaginensi prohibitum est. Alij infantes nondum natos initiarunt, vt memorat Augustinus, & redarguit. Tempore Tertulliani & Cypriani Eucharistiam domum in sudariolis asportarunt, in arca reposuerunt, portiunculam manè ieiuni sumpserunt. Tempore Augustini infantibus dederunt. Tempore Hieronymi nouo sponso & sponsæ missa est, vt domi priuatim communicarent. Irenæus ait Marcum Magum fascinationibus spectantium oculos præstrinxisse, & calicem vino repletum quasi incantasse, vt statim eo rubrum aut purpureum appareret, & liquor cresceret ac multiplicaretur. Alij mutilatis & mutatis verbis dixerunt, Corpus Domini nostri Iesu Christi sit tibi ad purgationẽ. Alij ad pectus quasi Euãgeliũ Ioannis, aut Agnus Dei appenderunt, vt insidias & insultus Satanæ aliorúmque hostium depellerent. Sanctus Benedictus fœminæ defunctæ ministrauit: quod Concilio Antisiodorensi vetitum est. Non in hunc finem Christus Sacramentum hoc reliquit, sed dixit, Hoc facite in mei memoriã. Quid opus est verbis in re clarissima? Paulus testatur hoc loco vix quadraginta annis post Christi mortem elapsis abusus irrepsisse, quos etiam reprehendit. Obiiciunt deinde Missam rem omnium sacratissimam esse, fieri non posse vt corrumperetur: cum tamen Piggius & alij Missæ amici & paranymphi, Missæ errores agnoscant atque etiam conuellant.

Obiectio. *Solutio.*

De his Missæ abusibus profitetur se dicturum, non tamen de omnibus, non de Trãsubstantiatione, non de Reali præsentia, non de Sacrificio, non de Nundinatione, non de Ceremoniis vanissimis & infinitis, sed tantummodò de lingua peregrina, de Communione, de Adoratione, de priuata Missa: nec vt res ipsa poscit, fusè, sed vt temporis ratio postulat, breuissimè.

Propositio. *Diuisio.*

Locus Pauli, 1. Corinth. 14. monet, vt populus respondeat, Amen: vt non spiritu solum, sed & mente canatur, vt alius ædificetur, vt quinque verba mẽte loquamur, potius quàm Decem millia linguæ sono profundamus. Augustinus in Psal. Oportet nos humano more, non auicularum ratione cantare: nam & Merulæ, & Psittaci, & Corui docentur sonare quod nesciunt. Iustinianus dixit, vt Episcopi & ministri clara voce pronunciarent, quò populus acclamaret, Amen. Omnes veteres Christiani sic nota lingua orarunt: hanc nouam peregrinitatem ignorarunt. Non sic sensit antiquitas, vt autoritates patrum, vt exẽpla multorum planissimè demonstrant.

Precandum lingua nota.

Nostra causa, Sacramentum Christus instituit, in mysterium mortis suę, vt beneficium redemptionis nostræ, vt pretium sanguinis immaculati agni, perpetua recordatione colendum. Satis esset Christiano, Christi institutionem audire, Pauli verbis inhærere, post Christi ascensionem, intelligere vbique locorum, sub gemina specie Communionem fuisse celebratam. Quanquam & hoc ipsum Gelasius Episcopus Romanus, vetustus scriptor affirmat, diuisionem vnius eiusdémque mysterij sine grandi sacrilegio non posse prouenire. Canon verò ille ineptus & friuolus est, qui sine patre certo natus, & omninò ἀγενεαλόγητος. Cùm Paulus dicat, Scio cui credidi & certus sum: cùm Timotheum moneat permanere in his quæ didicerat, sciens à quo didicerit, isti Canonem recipiunt, cuius tamen autorem non inueniunt. Citant alii Alexandrum primum, alii Leonem nominant, alii ad Gelasium referunt, quidam Gregorium primum allegant, Gregorius ipse Scholasticum, nonnulli Gregorium tertium: Innocentius tertius sine omni controuersia remittit nos ad alios patres & inuentores, Christum videlicet & Apostolos. Mittamus autorẽ, de re agatur. Orat Sacerdos vt benedicat Christi corpori: Christum patri offert ac sistit, quasi peccatoris & miseri homuncionis ope aut prece Dei filius indigeret. Super quæ inquit, propitio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech. Et iterum orat, Iube hæc perferri per manus sancti Angeli, in sublime altare tuũ: Scilicet vt sanctus Angelus Sacrificuli minister sit & illo intercedente, Christi corpus in cœlum subuehat: quo quid stultius dici aut concipi potest?

Cõmunio. *Canon.*

Adoratio. An.D.1226.

Periculosa est, & superstitiosa Sacramenti sine præcepto, adoratio: cuius nec Christus nec Paulus, nec Veteres, Cyprianus, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronym⁹, Augustinus, mentionem faciunt. Honorius Papa, annis abhinc plus minus trecentis, eleuari primus iussit, & populum procumbere. Vrbanus pòst addidit festum corporis Christi, indultis relaxationibus innumerabilibus & largissimis. Nouum est, recens est, nuper natũ, ante hæc tempora nuspiam frequentatum. Quanquam enim quidam conentur fucare illo Augustini dicto, Nemo manducat nisi prius adoret: Et, non peccamus adorãdo, sed magis peccaremus non adorando, tamen artolatriam esse quodammodò idololatriam ipsi Scholastici non diffitentur, qui hîc cùm periculum idololatriæ subesse viderent, Transubstantiationem introduxerunt, vocabulum ante Concilium Lateranense, An.1215. inauditum: & Ioannes Scotus, & G. Durandus ideò panis substantiam remouendam censent, ne populus pro Christi corpore panem adoret, & diuino honore prosequatur: quem tamen remanere antiquissimi patres confitentur. August. in Sermone ad Infantes, Quod videtis in mensa panis est. Gelasius, Non desinit esse substantia panis vel natura vini, sed manent in suæ proprietate naturæ. Theodoretus, Christus ea Symbola quæ videntur, corporis & sanguinis sui appellatione honorauit, non naturam trãsmutans, sed naturæ adiiciẽs gratiam. Hæc prisci patres tradiderunt, licet neoterici patres aliter præcipiant. Sed O misellam plebeculam quæ sic docetur, quot modis accidentia sine subiecto esse possint? quomodo albedo fundetur in Sacramẽto? quid inter accidens & substantiã intersit?

Non hæc dicuntur, quòd existimemus Christi corpus non esse honoratissimum: Gloriosum esse, & ad dextram Dei in cœlis, imò supra omnes cœlos considere profitemur, & prædicamus. Huc vocat Sacerdos, Sursum corda: Huc Paulus ad Colos. Si vnà surrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est, ad dexteram Dei sedẽs. Hinc ad Philippens. Nostra conuersatio in cœlis est, vnde Seruatorem expectamus Dominum Iesum Christum. Hinc illa Augustini, Nemo manducat nisi prius adoret, in cœlo scilicet: Vt etiam Chrysostomi. Vbi cadauer ibi aquilæ: cadauer Domini corpus est, aquilas autem nos appellat, vt ostendat illum ad alta contendere, qui ad hoc corpus accedit: Aquilarum enim non Graculorum hæc mensa: Vt Hieronymus quoque, Ascendamus cum eo in cœnaculum magnum stratum, ibi accipiamus ab eo sursum calicem Noui Testamenti: Vt & Ambrosius, non super terram, nec in terra, nec secundum terram te quærere debemus, si volumus inuenire: Vt denique Eusebius Emissenus, Exaltata mente, adora corpus Dei tui. Hunc ad modum Catholici Patres Christi corpus venerati sunt: at Latriam exhibere in Sacramento, antiquis patribus ignotum est, & Scholasticorum confessione ac concessu, Idololatriæ materia & fomentum esse poterit. Quid enim si non consecret Sacerdos? quid si verba consecrationis non recitet, sed prætereat? quod à compluribus factitatum esse liquidum est: quid si nec intendat quidem consecrare, quid est: quid si nec intendat quidem consecrare, quid est quod populus adoret? Statuit itaque & definit alexander Rom. Pontifex, non esse locum adorationi in Sacramento, nisi hac lege & codditione, Si ille consecrauerit. Thomas Aquinas aliquantò latius & laxius extendit, Istam conditionem non semper actu requiri Rob. Holcot asserit laicum adorare hostiam non consecratam, istam fidem sufficere illi ad saluationem, tamen esse erroneam: quibus subiungit perabsurdè, Hominem posse mereri per fidem erroneam, etiamsi contingat vt adoret Diabolum. Verè istis illud Christi conuenit, Adoratis quod nescitis. Hiccine est honor Christo debitus? Hoccine est Dominum in spiritu & veritate adorare? At sunt hæ rationes leuiculæ & pueriles: audiamus Mathematicas eorum apodixes. Duo sunt luminaria magna, ergo sunt duæ potestates, Papalis & Imperialis. Vbi Glossator Papæ primatum supra omnes reges & Cæsares, infinitis gradibus & parasangis eminentem, Mathematicè demonstrat. Ita Innocentius tertius, In principio creauit Deus cœlum & terram, non in principiis: ex quibus Papæ Monarchiam volunt extruere. Multæ sunt aliæ ieiunæ & insulsæ conclusiones, vt suam putidam religionem nobis prostituant, quas non est opus me referre, aut operæpretium vos intelligere. Nos contra ex Paulo argumentamur & concludimus, cum Paulo dicimus: Quod accepimus à Domino hoc tradimus vobis: verbum Domini annuntiamus, rupem firmissimam, cui tutò innitamur, quæ nec concuti solet nec potest corruere.

Ad Col.3. Ad Phil.3. Ad Hebidiam. 5.Luc.1.2.4. 5.Mag. Sēt.

Missa priuata.

Quod attinet ad priuatam Missam, Christus eam non constituit, sed publicam Synaxin & Communionem nobis commendauit. Præcipit, Bibite ex hoc omnes. Præcipit, Hoc facite, sicuti me videtis facere. Paulus ait, Cùm conuenitis in vnum locum, non potestis

testis Dominicam cœnam manducare: vnusquisque enim præsumit cœnam suam. Et rursus, Alter alterum expectate. His addite Ecclesiæ consuetudinem Catholicam, quæ annos sexcentos & amplius obtinuit, & autoritates Patrum: Clementis ad D. Iacobum, Tot in altari holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant: Dionysij, Tum sacerdos ad sacram Communionem & ipse conuertitur, & reliquos vt vnà communicent, hortatur: Iterum, Sumpta demum atque omnibus tradita Cõmunione diuina, gratias referens, finem mysteriis imponit. Iustini Diaconus hortatur populum: vt illorum quæ proposita sunt, velint esse participes, & Diaconi distribuunt ad participandum præsentium vnicuique ex consecrato pane & vino & aqua: illis verò qui non adsunt, deferunt Domum. Ambrosius suos in communicando remissiores & frigidiores accusat, Si non es dignus quotidiè, ergo nec semel dignus es in toto anno: Et illa Pauli interpretans: Alius alium expectate, expectandum dicit vt multorum oblatio simul celebretur, & omnibus ministretur. Hæc non sapiunt priuatam aut siccam Missam, sed Communionem. Referunt historiæ Ecclesiasticæ, & Augustinus, & Hieronymus, olim vbique locorum, maximè Romæ quotidie esse communicatum. Leo Dioscorum Episcopum Alexandrinum monet, Vbi tota Ecclesia propter loci angustiam, & conuenientium multitudinem commodè non posset simul cõmunicare, ibi eodẽ die bis aut ter ministret, vt cùm percepissent, aliis cederet. Hieronymus disertè, Cœna Dominica debet esse cõmuni, quia ille omnib. discipulis suis qui aderãt, æqualiter tradidit. Sãcta hęc cõsuetudo, nõ Missandi sed Cõmunicãdi per totũ orbẽ Christianũ inoleuit, apud Indos, Mauros, Persas, Arabas, Gręcos, Ægyptios. Sed quorsum ista affero? Nobis ipsa Missa suffragatur, in Missa preces publicæ concipiuntur, tã populo quàm sacerdoti communes. Sacerdos in Missa dicit, Oremus: Populus, Amen. Sacerdos, Leuate: Populus, habemus ad Dominum. Sacerdos, Dominus vobiscum: Populus, Et cum spiritu tuo. Sacerdos, Orate pro me fratres & sorores. Ex quibus palam est, populum moueri ad comprecandum, & populum quid sacerdos dicat intellexisse. Hinc Iustinus, Vbi gratias egit Præpositus, vniuersus populus acclamat, Amen. Hinc Chrysost. Ne mireris si populus in mysteriis nostris cum sacerdote colloquatur. Et quanquam ineptè & absurdè hostiam in tres portiunculas diuidant, vt prima cedat cælitibus, secunda purgandis, tertia viuentibus, tamen non obstabit hoc phantasticum commentum, quin antiquæ Cõmunionis vestigium sapientes ibi videant, & distributionem agnoscant, ideóque fractio panis nuncupatur. Et quos tandem affatur cùm inquit, Accipite, edite? cùm inquit, Habete vinculum charitatis, vt apti sitis sacrosanctis mysteriis? Non enim, credo, se alloquitur, non vinum, non panem. Et quorsum illa: Hæc sacrosancta commixtio & consecratio corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, fiat mihi & omnibus sumentibus salus mentis & corporis? Sic in ipsa Missa, quæ norma est & regula omnium, non Missam sed Communionem inuenimus.

1. Cor. 11

Obijcitur, vera quidem esse quæ dicuntur, alia tamen posse in Patribus reperiri quæ Missam fulciant, eáque à nobis dissimulari. At enim planum fiet in prima Ecclesia nullam Missam fuisse, sed qui Communionem sumere recusarent, è cœtu eiectos. Canon Apostolicus habet, Fideles qui in Ecclesiam ingrediuntur, & Scripturas audiunt, & Communionem sanctam non recipiunt, tanquam Ecclesiasticæ pacis perturbatores à Communione arceantur. Calixtus habet, Peracta consecratione omnes communicent: qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus: sic enim Apostoli statuerunt, & sacrosancta Romana tenet Ecclesia. Chrysost. habet ad Ephesios: Non es dignus Communione, ergo nec precib. Qua ratione Præco dicit, Abite: tu verò impruдẽter persistis. Gregorius in dialogis habet Diaconus clamat: Si quis non communicat exeat, & locum cedat alteri. Olim Diaconi sic populum admonebant, Exeant catechumeni, Exeãt pœnitentes. Qui mos ad Greg. vsque tempora, à Christo nato annos plus minvs sexcentos durauit: & tamen non desunt qui clàm obstrepant, hæc clarissima valde obscura, hunc solem tenebras, hæc verissima vana esse: qui oganniant hanc Communionem diuinitus restitutam, impiam & schismaticam: suam Missam Catholicam & sacrosanctam. O, Gregori, ô Augustine, ô Hieronyme, ô Chrisost. ô Leo, ô Dionysi, ô Anaclete, ô Calixte, ô Paule, ô Christe, si nos errauimus, vos decepistis, vos ita tradidistis, vos ita præcepistis, à vobis ista accepimus, à vobis sic didicimus. Aduersarij nullum verbum ex tota sacra scriptura, nullum exemplum primæ Ecclesiæ nullum Patrem, nullum Doctorem antiquum proferre possunt: idque semel atque iterum dico, profiteor, confirmo, non æstu aut calore abrectus aut seductus, sed ipsa veritate ac simplicitate adductus.

Publica Iuelli proclamatio.

Atque hîc Protestatio illa & denunciatio, quæ ex hoc loco audita est, quam vanam & futilem esse aduersarij calumniantur, necessariò repetenda est: quam tamen veram esse, ipsi qui paulò maiore ingenio, & excellentiore doctrina valent, non negabunt.

Si quis vllum antiquum Doctorem & patrem, aut vllum generale & vetus Conciliũ, aut vllum exemplum primitiuæ Ecclesiæ in medium afferre poterit, vnde clarè & perspicuè constet, priuatam Missam per sexcentos totos annos post Christum incarnatum vspiam celebratam.

Vel tum sacram Communionem vna duntaxat specie administratam.

Vel tum plebem suas preces publicas lingua peregrina & non intellecta recitasse.

Vel tum Romanum Pontificem vniuersalem Episcopum aut Ecclesiæ caput appellatum.

Vel tum homines hanc fidem edoctos: Corpus Christi substantialiter, realiter, corporaliter, carnaliter in Sacramento contineri.

Vel corpus Christi in mille locis ac pluribus simul diffusum.

Vel Sacerdotes tum Sacramentum supra caput eleuasse.

Vel plebem tum prostratam Diuinum honorem ei detulisse.

Vel tum Sacramentum suspensum fuisse.

Vel peracta consecratione, sola accidentia & nudas species absque substantia panis & vini remansisse.

Vel Sacrificum in tres partes Sacramentum distribuisse, & totum sibi reseruasse.

Vel hæreticum habitum fuisse, qui Sacramentum figuram, signum, memoriam corporis Christi nuncupasset.

Vel tum fas ac licitum fuisse, in vno templo, vno die, triginta, viginti, quindecim, decem, quinque Missas celebrare.

Vel tum imagines in Ecclesiis ad cultum & adorationem prostitutas.

Vel laicis tum interdictum, nota & patria lingua sacras scripturas legere.

Si quis inquam omnium aduersariorum viuentium, vbicunque degentium ad probandum istos articulos vllam euidentem sententiã adduxit: cessurum me, & subscripturum pollicitus sum: quod tantùm abest vt retractare aut reuocare velim, vt pura his iam addere placeat, quò maior ad impugnãdum fenestra, & latior ad contradicendum campus aduersarij pateat.

Si quis ex omnibus aduersariis euidenter & disertè, quomodo est a nobis dictum, firmo aut Scripturarum, aut Patrum, aut Conciliorum testimonio demonstrare valeat: Quòd tum licuerit sacrificulo tacitè secum verba consecrationis demurmurare.

Quòd tum Sacerdos potestatem offerendi Christum patri, acceperit.

Quòd tum Sacramentum pro altero sumpserit, vel alteri in Missa virtutem passionis & fructum mortis Christi applicuerit.

Quòd tum doctrinam operis operati sanam esse, creditum sit.

Quòd tum Christiani Sacramentum, Dominum ac Deum suum vocarint.

Quòd panis, Accidentibus saluis, ipsum Sacramentum integrum & incorruptum remanserit.

Quòd Mus corpus Christi edit.

Quòd Christo dicente, Hoc est corpus meum, Hoc non panem sed Indiuiduum vagum demonstrarit.

Quòd Accidentia aut species panis & vini, sint Corporis & sanguinis Sacramenta.

Quòd Sacramentum sit signum Corporis Christi in eo latitantis.

Quòd Ignorantia tum fuerit mater pietatis & obedientiæ.

Hæc si ostendat solidè, si nobis probent efficaciter, dabo manus, & cum illis sentiã: quod tamen eos nunquam facturos sat scio, & quia scio, idcircò ne cui fucus fiat, confidentiùs præ me fero & affirmo.

Nec tamen nescio, quosdam Concilia, antiquitatem, successionem, longam continuationem & præscriptionem temporis, & præiudicia multorum annorum citasse: Scilicet, vt Mithridates Rex Ponti Cizicum obsessurus, exercitum Romanum, qui ductante Lucullo venerat ciuibus auxiliaturus, suum esse subsidiarium militem, suas copias auxiliares confinxit: vt Pelagius Augustinum, Heluidius Tertullianum, Eutyches Iulium Romanũ, & Athanasium, & Cyprianum, Nestorius Concilium Nicenum pro se facere & sibi patrocinari audacter confirmauit.

Sed vt

Sed vt vnde deflexit eò se referat oratio,obiiciunt iterum Missantes quantumuis longè dissitos & toto orbe diuisos,nihilominus inter se communicare:quasi qui in Anglia vel Scotia Missam rémque diuinam facit, idem sacrificet in Calicoot,& in India:quasi nullus excommunicationi locus relinqui debeat:quasi Paulus non dixerit, Alter alterum expectate,Et quum conuenitis.&c.

Rursus obrudunt,Sacerdotem pro populo accipere.At Paulus rursum,Accipite,bibite ex eo omnes.Cur non etiam pro aliis baptizamur, pro aliis peccata confitemur,pro aliis absoluimur,pro aliis Euangelium audimus,pro aliis credimus?Paulus,Qui manducat & bibit indignè,iudicium sibi manducat & bibit,non aliis.Chrysost.dicit,esse hanc Marcionistarum hæresim.Origenes dicit,Ille est sacerdos,& propitiatio,& hostia.Est enim Agnus Dei qui tollit peccata mundi.Quæ propitiatio ad vnumquemque venit per viam fidei.Augustinus dicit,Si non obliuiscamur mundi Saluatoris, quotidiè nobis Christus immolatur. Ex ipsis reliquiis cogitationis ; id est, ex memoria Christus nobis quotidie immolatur.

Obgrunniunt quidam,Petrum Romæ,Iacobum Hierosolymis Missificasse. Cur non potius Christum,cur non Aaronem aut eius collegas proferunt ? quandoquidem reuera ab Aarone & non à Christo,& vestimenta , & Ceremonias & sacrificia mutuamur. Et Missæ nomen ante hos quadringentos annos ne auditum quidem est: non priuata Missa sed Communio:non istæ Missæ(sicuti nunc habetur)cento,videlicet ex multis sutelis cōsarcinatus.Quanquam,si Iacobi Missam cum sua conferre libeat, mirum & immane interuallum comperient. Iacobi Liturgia vulgari lingua peragebatur,verba disertè & distinctè recitabantur,communicabatur,vtraque species exhibebatur, mors Domini annuntiabatur,Christi institutio cognitionis & consolationis plenissima seruabatur.Si nunc Paulus reuiuisceret,& Papisticæ Missæ spectator esset, an qui in Corinthiaca Synaxi vnū tantummodo vitium ac næuum deprehendit & reprehendit, & lapsos,ad Christi institutionem,ad primam originem reuocauit,hodiè sileret,non clamaret? non in hęc verba erumperet:Quod accepi à Domino id tradidi vobis?

Sed enim charissimi fratres,in viam redite,ad Traditionem Apostolicam,ad verbum Domini:Non facietis quod bonum videtur in oculis vestris : Tertul.monet, in minimis non offendendum ne in grauiora incidamus: monet eos præter Scripturam facere , vt post audacius contra Scripturam facerent. Ambrosius suadet:Interrogemus Petrum, interrogemus Paulum,si verū volumus inuenire.Cyprianus scribit, hinc Schismata oriuntur,quia caput non quæritur,& ad fontem non reditur,& cœlestis Magistri præcepta nō seruantur. Tertul.iterum,Hæc ratio contra omnem hæresim valet: Hoc verum est quod primum fuit.Hæc regula,hic canon,hic lydius lapis est.Vtinam hinc omnes Missæ propugnatores sua examinarent.Vos autem fratres obsecro , & per Deum immortalem obtestor,ne ruatis præcipites:Iudicet Christus,iudicet verbum Domini, moueant Martyria, moueant cineres,moueat sanguis tot piorum fratrum,qui Missam oppugnarunt,qui Missæ causa mortem oppetierunt.Zelus adsit,non Iudaicus sed diuinus?Scripturas scrutemini.Si Missa restauraretur,sic cogitate,sic cogitet vnusquisque vestrum:Quid ago?quid mihi hîc rei est?nihil disco,nihil audio,nihil intelligo.Docuit Christus, Accipite,nihil accipio.Iussit Christus,Edite,nihil edo.Mandat Christus,Bibite , non bibo. Hæccine Paulus tradidit?Hæccinè Paulus à Christo accepit? Hæc si paulisper respirantes dicamus nobis ipsis,Dominus indubiè aperiet corda,errores sentiemus,acquiescemus diuinæ sapientiæ, vt faciamus,vt credamus,vt colamus quæ & quomodo Dominus voluit.Sic ex sacris mysteriis consolationem hauriemus. Sic in vna omnes Dei veritate conglutinabimur. Sic vno ore,vno spiritu, vnum solum Dominum viuentem glorificabimus, & vnigenitum filium Iesum Christum Dominum nostrum,cum spiritu sancto, cui sit omnis honor & gloria in omne æuum.Amen.

Epilogus exhortatorius.

HAEC publica ad Senatum,ad Patres, ad consensum tot sæculorum,ad primam Ecclesiæ integritatem prouocatio,qua tum in Cruce Paulina , tum in Aula Regia vsus est, multis choleram mouit,nominatim verò D.Henricum Colum nonnihil pupugisse videbatur,qui tum in carcere contrariam sententiam defenderat , Romanæ Curiæ decretis plus æquo obediens.Cur enim à nobis defecit? Cur non stetit?Cur de cōstantiæ suæ proposito decidit?Cur Papæ captiuus, quàm Christ libertus esse maluit?cum cuculo Romano absurdè coccyssare,quàm cum lusciniis Euangelicis suauiter canere ? cum Gersone, Tappero,Driedo , Roiardo,Cochlæo,Bonderio,quàm cum Prophetis , Apostolis,Petro,

D.Colus.

Paulo sentire? Cur in congressu VVestmonasteriensi dixit: Ignorantiam esse pietatis causam, cùm in ipsorum Conciliis cunctorum errorum mater perhibeatur? Cur doctissimo viro Pet. Martyri detractum est, quasi qui Syllogismum conficere non potuerit? Cur nostris obtrectatum, quasi loqui latinè nesciuerint? Quæ tanta fuit causa tam subitæ & tam periculosæ mutationis? Nondum excidit credo, quomodo ex Italia reuersus, Henrici octaui primatum & principatum agnouerit, Papismo renuntiarit: quomodo Oxoniæ noui Collegij Custos, nostris sacris interfuerit, Communionem nostram & receperit & ministrarit: quomodo religionem sub Edouardo promulgatam, è suggestu in platea quadriuiali (sic enim Quaruaxicum forum interpretor) pro Concione propugnarit: quomodo Papistam, rebellèque Sacerdotem ad supplicium raptum & tractum, rusticani tumultus ducem & signiferum exagitarit, Regiæ pueritiæ defensionem susceperit, Edouardum principem Iosiæ Regi natu minori, pietatis instauratori maximo cõpararit: quomodo leges de religione ab illo rege puero nobilissimo & clarissimo latas, valere, & robur suum habere docuerit: quomodo populum ad obedientiam exhortatus fuerit: quomodo seditionum & turbarum ciuilium incommoda, mutationum pericula, exterorum crebras incursiones, dei præpotentis iustissimam iram propter religionis contemptum, propter murmur in legitimum Principem iamiam reip. ceruicibus impendentem, graphicè ob oculos posuerit: quomodo Normanicæ & Danicæ seruitutis calamitates, grauissimáque externi Dominatoris onera, oppressiones, exactiones, linguæ & morum nouum barbarismum, & legum corruptelam exaggerarit: quando funestũ signum campanæ COVVRE FEV sonabat, & indigenas sub horam octauam periculo capitis intentato, ignem condere & cooperire, ac domi se continere admonebat: quando vulgare prouerbium factum est, IACCVM GENEROSVM, id est quemuis gregarium nobilem futurum, SI POSSIT LOQVI GALLICE. Nec dum è memoria effluxit, quomodo Pet. Martyrem Oxoniæ tractarit, quàm ciuiliter manum porrexerit aduentãti, quàm attentè audierit legentem, quàm reuerenter suspexerit concionantem: cùm ille in quadragesimali Cõcione, die Cinerũ de ieiunio diceret, rem definiret, partes diuideret, genera omnia distingueret, necessitatem ostenderet, causas explicaret, effecta & vtilitates doceret, nos ad verum & Christianum ieiunium grauissimè impelleret, Pharisaicum autem & Papisticum multis quidem & dignissimis modis suggillaret, quo superstitiosè Deus colebatur, infirmorum conscientiis laqueus indignissimè iniiciebatur, mors, damnatio, cruciatus Gehennæ sempiternus denũtiabatur, si quis hominum frigidissimas constitutiunculas non obseruaret, si absque Põtificis Rom. plumbea venia, carne aut lacticiniis, mundis & benedictis Dei creaturis, cum gratiarum actione & verbi diuini sanctificatione, iuxta Pauli consilium moderatè & sobriè vteretur: Cùm inquam oraret & obsecraret nos, vt in libertate ad quam à Christo vocati sumus, staremus, ne quis nos in cibo & potu iudicaret, ne ab egenis mundi elementis redempti, hominum serui fieremus: cum dolenter clamaret: Parcite sanguini Christi, Parcite animabus vestris. Vbi D. Colus se mirificè commotum & extra se quodammodo raptum fuisse, & ego nisi multum fallor animaduerti, & ipse, credo, non negabit. Sed postea desciuit, & Maria regnum capessente, multùm ab illo Colo mutatus fuit, vehemens consectator Põtificiæ religionis. Itaque de hac solenni Episcopi Iuelli appellatione certior factus, scribit ad eum 18 Martij, expostulans, rogans, promittens, in omnes se colores vertens, vt voti compos euadat. Expostulat quòd minutiora attigerit, grauiora prætermiserit: quòd de Christi in Cœna corporali præsentia, de iustificatione, de Sanctorum inuocatione & adoratione, de precibus pro defunctis nihil dixerit. Rogat vt loca Doctorum notet, & breuiter indicet quibus istas suas propositiones corroboret, promittit, si fidem publicè datã firmauerit, si quod verbis proposuit ratione euicerit, in eam se opinionem pedibus abiturum. Quod etiam altera epistola inculcat, se non ad disputandum venire, sed ad discendũ, & docilem futurum, si docere vellet, quasi Hieronymianam illam modestiam æmulans, Cupio discedere & discipulum me profiteor, dummodo doceant: se ac suos eam antiquam fidei in qua baptizati sunt, tenere ac tueri: se Apostolicos esse, Ecclesiæ fundum iamdiu occupasse, priores possedisse, nostram vsurpationem nouam esse, & doctrinam nuper satam: In rebus nouis constituendis, euidentem vtilitatem esse debere: hanc se vehementer cupere sibi ex sanctis Patribus & Conciliis demonstrari, alioquin dicturos omnes, eum conscientia imbecillitatis subterfugisse. Quibus omnibus sigillatim & copiosè respondet Episcopus, non esse consentaneum, vt præscribat Colus quid aut quo ordine dicat: argumentum suo iudicio & aptum & vtile delegisse: quæstiones primò

P. Martyris Cõcio quadragesimalis.

Scripta D. Coli & Iuelli aduersaria.

leuiore

leuiores mouisse, vt post ad alia dogmata veniretur: alia esse eiusmodi, ad quæ probanda Conciliorum & Patrum autoritates quædam obtendi possint: hæc quæ ab ipso sunt posita, suum momentum & in tractando vtilitatem, nullum tamen colorem probabilitatis habere, nullum Scriptorem classicum, nullum Concilium œcumenicum ab illis posse in medium produci. Nec difficilem aut morosum se præbet, quòd sciat Episcopum didacticum esse oportere. Quamuis autem docendo, firmamenta adducendo & persuadendo omnibus prodesse studeat, & paratus sit cuiuis fidei suæ rationem reddere: tamen ipsorum potius erat aientē partem confirmare, quòd Negatiua, vel ipso in Collatione VVestmonasteriensi teste, probari non possit. Solum hoc & in concione postulauit, & nunc iterum contendit, vt ad suam affirmantem sententiam astruendam, vnum Scripturę locum, vnum ex prioribus Conciliis aut priscis doctoribus argumentum proferant. Negantes propositiones in Schola Christi & Christianorum recipi non esse obscurum, iis prę sertim qui legerunt: Hoc Abraham non fecit: A principio non fuit sic. Nemo decessorum meorum hoc prophano vocabulo vti voluit: Sancti ante legem, Sancti in lege, Sancti sub gratia, omnes perficientes corpus Christi, in membris sunt constituti. At nemo se vniuersalē dici voluit. Sic Gregorius Episcopum Constantinopolitanum primas vendicantem, lib. 4 epist. 80. & epist 92 retulit. Itaque pro more Scholæ, & iuxta Aristotelis præceptum, petit sibi vnam dari instantiam, vt loquuntur, vnum exemplum, vnam vel Scripturæ vel antiquitatis sententiam, vnde liqueat, posse istorum nouas Sanctiones defendi. Quamuis verò Colus per totum anni dimidium requisitus, nullam autoritatem nominaret, sed tantū de vsucapione & diuturna possessione suæ Eccl. gloriaretur, cùm tamē nullo bono iure in eā venerint, cùm tanquā malæ fidei possessores alienum locum inuaserint, vt olim Pharisæi qui in Mosis cathedra sederunt, vt olim Iudæi qui se Abrahæ filios iactitarunt, tamen Iuellus non abnuit, sed eius animo morem gerit, Gelasium, Theophilum Alexandrinum, Basilium, Hieronymum, Augustinum, Chrysost. Amb. Iustinianū Imperatorem citat, non vt Colus nuda Patrum nomina instar Pharmacopolarum qui sæpe inanes pyxides ostentant, sed loca digito monstrat, ac verba ipsa ante conspectum constituit, quibus Missæ priuatæ, Transubstantiationis, Primatus, aliorúmque errorum portenta refellit, & obiecta quædam aduersaria diluit. Atque hæc ab eo scripta sunt 29. Martij.

Euulgatum est postea breue & mutilatum quoddam responsum D. Coli, non quidē ad ipsum rectā missum, sed ex diuersis exemplaribus hinc inde sparsis, & inter confœderatos clàm volitantibus, vnum tandem ad manus eius peruenit. Cui Rhapsodiæ cùm nec per literas nec per nuntios aliud exemplar ab autore ipso extorquere posset, rogatu multorum honoratissimorum & amicorum permotus, & aduersarij importunitate adactus ędito libro respondit: in illo Apocrypho Coli plus choleræ & caloris esse quàm modestiæ & soliditatis, fumum quendam offundi, non flammam emicare, nimis imperiosè illum agere, nimis regaliter: qui nullum probatum Scriptorem adduxit, sed solùmodò ceu Princeps quispiam adscribat, TESTE MEIPSO: alterius Termini ac temporis vsuram illi necessariò concedendam, AD EXHIBENDVM. Cúmque regereret idem doctor se Catholicos esse, Ecclesiæ primogenitos filios, non malæ fidei possessores, quòd illic centum annorum præscriptio valeat: replicat, iamdudum illos sua possessione depulsos ipsa æterna Dei veritate, quæ omnes errores & vanitates dispellit, vt olim Mosis virga fictitios Magorum colubros deuorauit: & Pharisæos cathedram iniustè possedisse, fures & latrones à Christo dictos esse, eos à patre Diabolo oriundos, centum annorum curriculum iure ciuili posse præscribere, sed non nisi bonum titulum habeat, vt ipsimet loquuntur, id est, in religione verbum Dei: in Theologia nullum tempus errori posse suffragari. Ipsa distinctio octaua ex August. asseuerat, Veritate manifesta, cedat consuetudo veritati. Nemo consuetudinem rationi & veritati præponat, quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit. Ex Gregorio docet, Si consuetudinem opponas, aduertendum est quod Dominus dicit: Ego sum via, veritas & via: non dicit, Ego sum consuetudo. Et certè quælibet consuetudo quantumuis vetusta, quantumuis vulgata, veritati omninò est postponenda. Eadem Cyprianus, Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere quid aliquis ante nos faciendum putarit, sed quid qui ante omnes est Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi debemus, sed veritatem Dei. &c. Cúmque iure cautum sit, Nullum tempus præscribit Regi, cur non multò melius dici possit, Nullū tempus præscribit Deo? Quin & alia regula est in ipsorum lege percelebrata, Possessorem malæ fidei, nulla temporis longiquitate præscribere. Quoniam Dominus doctor adhuc

hæsitauit, pergit porrò vsum communis linguæ in publico cœtu confirmare autoritate Augustini, qui sæpe ad populum Hipponensem & Aphricanum, Nunc loquar Latinè vt omnes intelligant: Testimonio Basilij, Coniunctus sonus virorum, mulierum, paruulorum, tanquam fluctus ferientis littora in nostris ad Deum precibus excitatur: Pronuntiato Chrysostomi sua ætate, Non mireris si in sacris nostris populus cum Sacerdote colloquatur: Et Augustini iterum, Non est opus loquutione cum oramus, id est sonantibus verbis, nisi forte sicut Sacerdotes faciunt significandæ mentis suæ causa, non vt Deus sed vt homines audiant: Suffragio Iustiniani, qui sacerdotes monet clara voce recitare, vt maiori deuotione audientium animi efferantur: Dicto ipsius Lyræ, Si populus intelligat ratione Sacerdotis, melius reducitur in Deum, & maiori deuotione respondet, Amen. Cæterũ vt leo, sicut Plinius tradidit, sæuũ alioqui & formidabile animal, velo oculis obiecto, quocunque volueris circumagi poterit: ita isti oculis simpliciorum obnubilatis & obcæcatis, seducunt & circumducunt pro ipsorum libidine. Quid Christus? An populum sic docuit, ignorare, non legere, nihil intelligere, cùm scribit, Erratis, nescientes scripturas? Quid Origenes? Tormentum est Diabolo, si quem videat legere scripturas, possidet enim omnes qui versantur in ignorantia. Quid Cyrillus? Pueri nostri legunt sacras literas, & ex eo fiunt religiosissimi.

Conqueritur D. Doctor secum agi durius, Catholicos pati nullo iure posse. Cui Episcopus temporis Mariani aliam faciem iracundam & terribilem, alios mores, nouam immanitatem obiecit: tum fasce & face sæuitum esse: nunc liberiori custodia, quasi cauea aut gyro induci solummodo, ne efferati recalcitrent, & in rebellionem erumpant: tum illud Cyrilli de Christo dictum, etiam de Christianis verè enuntiari potuisse, Primum ligant, deinde causas in eum quærunt, prius captum habent quàm accusatum: tum sine lege, ante capitalem sententiam, manus subditorum faculis & lucernis ambustas esse: tum contra ipsorum legem, Thomam Crammerum Archiepiscopum Cantuar. Romam ad comparendum infra octoginta dies, abiecta omni cunctatione, & vt aiunt, peremptoriè citatum, cùm tamen idem in carcere detineretur: tum catholicum fuisse, Nos legem habemus, & secundum legem debet mori.

Sed quoniam omnia quæ vltrò citròque dicta sunt, commodè hîc inseri non possuut, & quia liber ipse prostat anglicè, suadeo vt lector eum consulat: vbi fallaces põtificiorum rationes & malè consutas cõclusiones perspiciet: vbi ad tollendam veneni vim, multum salutaris theriacæ ex sacra scriptura admiscet: vbi ad Papismi propugnaculum demoliendum, arietes validissimè admouet: vbi D. Colum hortatur, vt quondam Hieronymũ Augustinus, arripere seueritatem christianam, & canere Palinodiam: vbi dicit huic, sicuti Arianis Hilarius, Cedo aliud Euangelium, cedo alios doctores, alia Concilia. Dicit, vanã esse de annis mille & quingentis, quos magno hiatu, sed frustra iactant, fabulam: non annorum numero, sed argumentorum momento, non ex Chronologia sed ex Theologia, non Arithmetico calculo, sed rationum pondere agendũ. Dicit ex medio iure, quod ipse profitetur, Quæ à principio malè inchoata fuit institutio, temporis tractu non conualescit. Dicit ex Hieronymo, Quæ absque testimonio scripturarum, quasi tradita ab Apostolis asseruntur, percutiuntur malleo verbi Dei. Dicit ex Augustino Ne audiatur, hoc ego dico, hoc tu dicis, sed hæc dicit Dominus. Dicit ex Cypriano, Si ad diuinę traditionis caput & originem reuertatis, cessat omnis error humanus. Dicit non verum esse quod vetus est, & populari adagio iactatum, Quomodocunque eat aut erret sol, non potest mentiri horologium, sed contra horologij error ex cursu solis deprehenditur & corrigitur. Acta sunt ista Anno Domini 1560. Maij 18.

Responsum Th. Hardingi aduersus Iuelli prouocationẽ.

ADVERSVS hos articulos quos Episcopus, quasi veritatis tubicen liberè pro Concione velut proclamauit, Thomas Hardingus tandem Anglicè responsionem suam emittit. Anno Domini 1564. Ille ille Hardingus, qui sub Edouardo Rege mirificè & magnificè protestatus est, Concionatus est, iuratus est contra Papam: qui Tridentinos patres vt illiteratos Pontificulos, Oxoniæ pro Concione derisit: qui è suggestu vocem sonoram quasi tubæ & campanæ Osneensi similem dari sibi optauit, vt supinis auribus surdorum Papistarum insonare, & velut Stentor quidam contra Romanæ Ecclesiæ superstitiones pleno ore vociferari posset, vt omnes procul exaudiant: qui Purgatorij pictas flammas & papyraceos parietes sarcasticè nominauit: qui Romam sentinam Sodomicam, Missam massam Idololatriæ, & mysterium iniquitatum esse dixit: qui & domi in Collegio suo Nouo, non nouo more aut corruptè, sed Euangelice & piè Scripturæ partes exposuit, & foris in

ris in celeberrimis conuentibus Dei verbum prædicare visus est, si non solidius, syncerius & disertius quàm alii: at gesticulatione, proiectione brachiorum, firmitate lacertorũ, horrore verborum, grauitate vultus, ardore zeli, specie tenus longè vehementius: qui illustrissimo duci Suffolciensi sacrorum minister domesticus fuit: qui nobilissimæ eius filiæ Ianæ Graiæ fœlicis memoriæ, (pòst in Mariano dominatu martyrium passæ) salutaria consilia è diuino codice non raro suggessit: qui Pet. Martyrem Oxoniæ tantũ non adorauit: qui non solùm publicè eum legentem, sed etiam in ædibus Italicè concionantem audiuit: qui ex Italia reuersus, Francisco Guauarræ viro optimo dixit, Margaritas ceu Mercator vndique conquisiui, & ecce præstantissimam domi inueni, Pet. Martyrem, quo nihil habet Europa doctius: Ille inquam, ille Hardingus, nouo hoc Papismi enthusiasmo derepentè inflatus, quasi septem dierum spatio omnia doctorum, Conciliorum, Latinorum, Græcorum volumina peragrasset, ex hac Patrum lectione se mutatum profitetur, & alios conuertere vel potius peruertere studuit, ipsumque adeò Haddonum Collegij Magdalenensis Præfectum tentauit, sed non perpulit. Ille versa rerum vice, mox nouum Christum, nouum Euangelium, nouam legem, nouum contra Euangelicos anathema nunciat: Ille verbo & scripto quod dextra ædificat, mox sinistra destruit: Ille Iuelli in ministerio socius, ipsum Collegam suum, Deuoniensem suum, amicum & fratrem suum, id est, alterum se virulento libro proscindit: eum, non Sacerdotem, ipse iisdẽ sacris & eodem tempore & ab eodẽ credo Ordinario initiatus: non Episcopum, cuius tamen canonicæ electioni in Capitulo Sarisburiensi ipse tum Præbendarius interfuit, & suum calculũ addidisse fertur: nõ gradu, non ætate satis prouectum, ipse gradu baccalaureatus inferior, & ætate non multò maior breuiter non hominem facit, sed Goliam, Gigantem, Thersitem, scurram: Euangelicos audaces, impios, indoctos, Lucianistas, sectarios, schismaticos, hæreticos, sacramẽtarios, Christi crucis, sacrificij, Ecclesiæ inimicos, Satanæ satellites, mõstra, Ethnicos, publicanos, Turcas, Antichristos. In has tragicas vociferationes, vbiq; Hardingia dictio, in has ampullas, in hæc conuitia efferuescit. Hæc est nouæ Scholæ modestia & vrbanitas. Sic nouitius iste magistros suos, Eckios, Cochlæos, Horátios, Hosorios, Surios pulchrè exprimit. Sic ex Spiritu & aqua Papismi renatus, sic ad hoc suillũ volutabrum miserè relapsus, contra Ecclesiã Dei, cõtra Euãgelium Christi, cuius Minister fuit, blasphemias eructat, in libello nostrã causam nouitatis arguit, nobis iniuriã, populo fucũ facit, pro veterib. noua venditãs, & pro nouis ea quæ sunt vetustissima cõdemnans. Cúmq; Epus hic coram Regia maiestate, religionis nostræ & Papisticæ diuersitatem ostendisset, & cum D. Colo, vti iam diximus cõflictatus fuisset, id indignè ferens Hardingus, nõ ita dudũ auditor Pet. Martyris, & Euangelij acerrimus & vocalis præco, latrat Missas priuatas, reales & naturales præsentias, & alia eiusmodi quib. illorũ religio continetur, ante sexcentos annos post natum Christum, certũ & expressum habere testimoniũ antiquitatis: Iuellum verò qui contrà sic audacter protestatus erat publicè, impudentẽ esse, insolentẽ, cõfidentẽ, gloriosum militẽ. Itaq; liber ille à multis emitur ac recipitur. Hardingus quasi alter Cæsar proclamãs, veni, vidi, vici, cũ suis triũphat, sed ante victoriã: nõ. n. quæ probabilia sunt vera sunt, & sæpe vetustas nõ est vetustas, sed mera nouitas. Patrẽ suũ Abrahamũ Pharisæi in ore habuerunt. Patres iactauit Dioscorus in Concilio Chalcedonensi. Ego habeo testimonia sanctorum patrũ: & Eutyches à progenitorib. suis accepit & sic credidit, & in hac fide patrũ baptizatus est & signatus, & citat scripta patrum Cyrilli, Athanasij: citant Arriani patrẽ Origenẽ: & Pelagiani patres Ambrosiũ, Hieronymũ, Augustinũ. Sed quantũ tegmẽ falsitatis, inquit idẽ pater Augustinus? Et pater Origenes in Esaiam, duplices habemus patres, & vna species est pessimorum patrum, siquidem antequam crederemus, Zabulus noster pater fuit.

Nondum ergo subscribit Iuellus, nondum recantat, quod Hardingus voluit & sperauit, sed pergit, nunquam fortius, è scripturis, è patribus, è Conciliis, hominis fraudes & fallacias conuincere ac detegere, euulgata Refutatione, seu vt ipse inscribit, Replicatione, An. millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, Augusti sexto: ex qua perspicuum & testatum omnibus facit, veros & priscos patres ab eo corrumpi, detruncari, detorqueri: Amphilochios, Abdias, Leontios, Martiales, Metaphrastes, Hippolytos, Vincẽtios, Clementes, Cletos, Anacletos, Epistolas decretales, supposititios Athanasios, fictos Basilios, somnia esse, vanitates, nouitates, visiones, verissimas imposturas: veritatem magnam esse & præualere, coniecturas & fictiones & hypotheses Categoricè & solidè nihil probare: paradoxa & contradictiones manifestè occurrere: ex dubiis firmam conclusionem non sequi: lunaticos, ægrotos, furiosos, fœminas expirantes, vxorem Tertulliani, Sera-

Replicatio Iuelli.

ζ

pionis puerum, Monachos in deserto, Missas Iacobi & Chrysostomi, Canones & Conciliorum adulterinos, Homeri poesim, digressiones, sophismata, scommata, sanis viris non theologica argumenta, sed puerilia nugamenta videri.

Tria verò mihi in his duobus scriptoribus præ cæteris adnotanda videtur. Etsi enim in multis pares sunt, & ambo doctrinæ & eloquentiæ gloria præcellentes: tamen sunt hęc in quibus alter ab altero internoscitur & vincitur. Hardingus aliquando dicacior est & acerbior: noster suauis & salsus. Hardingus in producendis testibus parcior, in ipso verborum circuitu longior: noster in allegatione autoritatum densus & vber, in oratione facilis ac festiuus. Hardingus quasi canis è Nilo lambitans, hîc degustat, illic fugitat, hîc summis labris attingit, illic se ingurgitat & immergit, leuia argumenta vellicat & morsicat, grauia præterit planè dissimulans, & omnino cæcos parit catulos: noster quasi robustus, & sciens venator illius omnia loca indagat, omnes autoritates excutit & persequitur, in singulis inhærens & insistens, nec solum obiter quasi à limine salutans & res tantùm leuiter & summatim consectans, sed voculas quasque anxiè & diligenter ponderans, quid sit corpus, quid panis, quid Liturgia, quid Missa, quid Substantia, quid natura, quid Dei omnipotentia, quid Sacerdotium, quid Sacrificium, apud Patres quomodo accipiantur discutiens, & suas locutiones quibus vsus est, non vno aut altero loco, sed variis testimoniis asserens & defendens. Vt autem reliqua prætermittam, in articulo decimo quarto, quàm doctè expendit locum illum Pseudo Athanasij de Christi Imagine, quid Imago sit ex Paulo, ex Apocalypsi, ex Basilio, ex Augustino, ex Pachymero Dionysij paraphraste, interpretans? Rursus quàm eruditè illam Duliæ & Latriæ distinctionem euertit?

Iuellus & Hardingus inter se cōmissi & collati.

QVA de re, sine me quæso (Lector) aliquantò fusius dicere, quòd hac de causa popularis meus & collega Alanus Copus me adoriatur in sua Legenda plumbea, seu in Miscellaneis. Sic enim vastum illud Dialogorum chaos, in quo tot boni autores taxantur, tot mali scriptores laudantur, tot veræ historiæ reiiciuntur, tot vanæ fabulæ narrantur, dici potest non immeritò. Quoniam verò libri illi omnibus ad manum non sunt, quò ego nihil dissimulare sed candidè agere videar, & lector totam disputationem nostram melius intelligat, verba eius ascribam. Sic igitur in Dialogo quinto Critobulum suum obiicientem introducit.

Distinctionis de Latria & Dulia eneruatio aduersus Alanum Copum.

CRITOBVLVS. At præter Caluinum & Germanos meos, quidam etiam Anglus (vt domestico te magis premam testimonio) tuus, Latinè, Græcè & Hebraicè, &c. Laurentius Humfredus hoc Duliæ & Latriæ discrimen, cui vos tantùm tribuitis, vt ex ignoratione linguarum profectum, quibusdam quasi sibilis explodit. Nam libro de interpretatione linguarum edito, vbi concionatores vestros elingues, & illiteratos meritò irridet, Monachos & Theologos vestros, ac inter eos Thomam Aquinatem (quē ironicè appellat magnum illum Theologum doctorem, sed neque Græcè doctum nec Latinè) in sacris literis interpretandis, quòd Græci sermonis essent rudes, turpiter se dedisse arguit, inter cætera indignabundus in hæc verba erumpit: Hinc friuolæ tot, ac tam variæ Scholasticorum distinctiones subnatæ sunt, Benedico tibi ac te: Dulia & Latria: quas absurdas differentias, nec inuenissent vnquam, nec inuentas adeò pertinaciter tutati fuissent, si linguas vel summis digitis attigissent. Vides igitur ignorantiam peperisse tritam illam Dulię & Latriæ distinctionem.

Quibus statim apud eum Irenæus nomine, sed re vera non satis pacificè respondet. IRENAEVS. Quòd verò popularis meus in scholasticos scriptores stili sui mucronem exacuerit, eosque salibus amarulentis pupugerit, in hoc potes eum Euangelicæ istius scholæ discipulum agnoscere. Et mox: sed de scriptoribus Scholasticis nunc non est disputandi locus. Ad distinctionem igitur illam Duliæ & Latriæ accedo: quam, cur iste, Scholasticos quòd essent linguarum imperiti inuenisse scribat, ipse viderit. Sic ille Latinè & Græcè doctissimus (quam laudem, quoniam in vtriusque linguæ studio, omne ferè tempus ætatis videtur consumpsisse, ei nec detraho nec inuideo) non tamen opinor tantùm sibi arrogabit, quin Græcarum literarum scientiam ipsis Græcis cōcedat, & eos hîc sibi pręponi non ægrè ferat. Huic igitur oppono Græcos Nicenæ huius, de qua iam multa diximus, Synodi doctissimos patres, &c.

Multa enim ibi dicuntur, quæ ab ipso melius peti possunt: quæ primum suis ponderibus examinemus, vt post liquidius constet, vtra sententia sit verior.

Diuisio.

DVM Latriam Deo, & Sanctis Duliam, & D. Virgini Hyperduliam tribuunt, iniquissima partitione dupliciter errant, tum quod maius est Diuis concedentes, tum honorem qui

qui soli Deo competit, in creaturas & homines vana distinctione vocabulorum stultè impendentes. Agedum verò, qui nouus Grammaticus eam primus inuexit? qua autoritate, qua regula, quo exemplo, qua ratione motus? Sed de Grammatica posterius, nunc Theologos ipsius loquentes audiamus.

Ad obiecta. Beda.

Venerabilis Beda noster contra nos producitur: quod extare fateor non solum in eo Lucæ Euangelistæ loco qui ab ipso citatur, verumetiam in Matthæum, capite quarto. At quomodo Sanctis patrocinatur? quomodo aduersariorum causam adiuuat? Nō enim Beda inter Deum & Diuos, sed inter Deum & homines distinguit, quo pacto Latriā Deo soli debeamus, deinde etiam Duliā per charitatem nobis inuicem seruire possimus. Hæc seruiens charitas mutua, inter homines vltrò citròque commeans, non est cultus mortuorum: & illa cultrix Sanctorum seruitus, cui homines isti mancipantur, ab eo planè impugnatur, cum soli Diuinitatis cultui debitam, & nulli creaturæ participandam asserit: cùm Idololatras nuncupat eos, qui vota, preces, & sacrificia vni Deo non faciunt. Præterea Duliam non solum ad homines pertinere, sed Deo & cuilibet naturæ & creaturæ communem esse seruitutem iudicat, quod isti non agnoscunt.

Id tamen istis inuitis, Augustinus clarissimè ostendet, si librum primum de Trinitate & caput sextum legere velint. Ex quo Beda hic omnia sua ad verbum transtulit, ibique probat manifestè Spiritum sanctum Deum esse, quòd Paulus dicat illi nos seruire, illius nos templa esse, & quòd eos qui coluerunt & seruierunt creaturæ potius quàm Creatori, in Epist. ad Rom. detestetur, vbi Latria creaturæ datur. Producitur secundò etiā August. qui tamē in libro de quātitate Animæ, de vera religione, in Enchiridio, de Ciuitate Dei, & passim alibi validis & pluribus argumentis huic Sanctorum cultui, & mortuorum inuocationi aduersatur. Quomodo autem ille locus contra faustum Manicheū illorū figmentū quicquā subleuaret, qui nec Duliā soli homini deputatā ait, nec vspiam de Sāctorū Dulia loquitur? Certè Dei Ciuitas, quā libro decimo, capite primo descripsit, hāc Duliam Sanctorū neutiquā probat, licet suo more affirmet Latriā cultū diuinū appellari, nec tamen semper vt ipsemet confitetur. Quomodocunque autem nominetur, aut ab interprete red datur, cōcludit omnē cultū religiosum nōnisi Deo deberi: & Latriā etiā in Scriptura aliter reperiri, in libro locutionis de Genesi nōn obscurè significauit. Cæterū nec hic pater, nec huius Epitomastes Beda in his locis Sanctorum mortuorum cultum aut venerationem stabiliunt. Prodit tertio Basilius ad Amphilochium capite decimo octauo, Latriam in spiritu & veritate beatæ Trinitati ab Orthodoxis attribui, Sanctis Imaginibus adorationem, exosculationem, honorem. De voce Duliæ nullum verbū hic audimus, nisi fortè quadam circuitione & notatione: & Autor nescio quis nuper repertus, qui nō extat Latinè vel Græcè in codice impresso, adducitur. Post multos demū annos Basilio mortuo, in Nicæna Pseudosynodo aliquot eius libri capitula infarciūtur, vbi hoc solū asseritur de Latria, quòd à nobis nō negatur, eā scilicet diuinæ naturę secundū fidē nostrā propriè cōuenire, ad creaturas minimè extēdi, ne lignum, ne creaturas videamur colere: vbi illud tamē nec piè nec cautè satis dicitur, Imaginis honorem in Prototypum redundare, & cultum imagini delatum ad primogenium transire. Non enim Deus, non Christus, nō diua Maria, nō Angeli, nō sancti viri, quorū illud Cōciliū meminit, quorū Imagines in tēplis, in parietibus, in tabulis collocandas decreuit, verè honorātur, si verbū Domini eū honorē nō probat, si nō ad prototypū honor inde redit, sed ad Ecclesiā scandalū & ad populū Dei Idololatriæ periculū, si ipsi hoc modo coli nolūt, si Deus iratus reiicit: Quis requisiuit ista de manib. vestris? frustra me colunt docentes doctrinas & mandata hominum. An non cùm in honorifico & sublimi loco, in domo Dei, in templo collocantur, ipsa similitudine animatorum membrorum atque sensuum, quamuis sensu & anima careant, afficiunt infirmos animos, vt viuere, vt spirare, vt sentire videantur?

Augustin.

Basilius.

Testis est in Epistola quadragesima nona Augustinus: Testis communis error & stupiditas multorum, qui Christum è sepulchro surgere in festo Paschali, in altari ambulare, manus mouere, oculos huc illuc torquere existimarunt.

Testis est rursus idem Augustinus in Psalm. centesimum decimum tertium. Ducit, & affectu quodam infirmo rapit corda mortalium formæ similitudo, & membrorum imitata compago.

Rursus, Quis adorat vel orat intuēs simulachrū, vt ab eo se exaudiri putet, ac ab eo sibi præstari quod desiderat, speret? Rursus, Plus valent simulachra ad curuandā infœlicē a-

nimam, quòd os habent, oculos habent, aures habent, nares habent, manus habent, pedes habent, quàm ad corrigendam, quòd non loquuntur. &c. Nec Deus viuus & verus per mortuas & fictas imagines, vnquam coli voluit aut honorari, nec Sancti per simulachra adorari. Testis hîc quoque ibidem Augustinus, Nunquid eis supplicamus quia per ea supplicamus Deo? Illa causa maxima est impietatis insanæ: Additque hunc esse prætextum eorum, qui sibi Purgatioris religionis esse videntur, Nec simulachrum, nec dæmonium colo, sed per effigiem corporalem eius rei signum intueor quam colere debeo. Verum hanc ἐθελοθρησκείαν Carolus Magnus in suo rescripto de imaginibus contra hanc Synodum satis confutauit, ideóque eadem opera Thomam etiam Aquinatem assertorem eiusdem sententiæ, qui dicit (vt etiam Basilius Magnus, & Damascenus) ad imaginem & exẽplar parem honorem referri, & honorem imaginis ad prototypum peruenire. Sed à Thoma dissentiunt Henricus de Gandauo, Durandus, Ioannes de Guiuerra, Petrus de Aquila, & Robertus Holcot, moralissimus professor ab istis dictus, in librum Sapientiæ, lectione centesima quinquagesima octaua: qui licet in vtramque partem more suo disputet, tamen expressis verbis, & tribus aut quatuor rationibus, Thomæ sententiam ex professo labefactat, non eundem honorem debere imagini & illi cuius est imago: Primò, quia Latria est honor soli Deo debitus, sed nulla imago est Deus, ergo nulli imagini debetur talis honor: Secundò, Si idem honor imagini Christi & Christo debetur, etiam & lapidi & Christo deberetur, & consequenter Christo & creaturæ, quod non est credendum: Tertiò, Qui adorat aliquid honore Latriæ, confitetur illud esse Deum, ergo si aliquis posset licitè adorare Dei imaginem cultu Latriæ, posset similiter confiteri & licitè protestari, aliud à Deo esse Deum: Quartò, Vera adoratio est in spiritu & deuotione & amore summo, at istam nullo modo debemus in aliquam creaturam dirigere. Ex quibus omnibus positis infertur conclusio: Nec video pro nunc benè esse dictum, quòd eodem honore honoratur imago & Deus cuius est imago.

Tho. Aquinas.

Holcot cõtra Thomã.

Quare cùm & autoritas moneat, & ratio suadeat, illam partem Decreti Nicæni ex subdititio Basilio, Damasceno, Aquinate comprobati, vires & firmitatem non habere, de ipso Concilio paulò copiosius dicere aggrediamur, eóque magis, quòd Hieronymus Osorius, Gualterum Haddonum nostrum huius Synodi autoritate premit, & imagines miraculo, ex personato Athanasio in hanc scenam Nicænam protracto, & Constantini somnio astruit. Quorum ergo auspiciis hoc Concilium celebratum est? quid sancitum est? quę noua opinio constabilita? quando? quomodo? & quamobrem? Nam & personarum & temporis, & rei ipsius, & modi, & causarum examen necessarium est. Indictum est Concilium Irenes & Constantini decreto, qui Nicæam Episcopos cõuocarunt, vbi Adrianus Põtifex Romanus non præsidet non se generalem aut vniuersalem Monarcham, sed seruum seruorum, & Imperatores Dominos suos piissimos & serenissimos vocitat. At qualis Irene? Mulier furiosa, superstitiosa, in cæde & sanguine bacchans: quæ filium suum Constantinum oculis, imperio, vita priuauit? quæ Astrologis nimium credendo, regni vires & opes exhausit: qua regnante Nicephorus & Alexius iniustissimè excæcantur, multis linguæ præciduntur, Sol horum scelerum spectator obtenebrescit, & ad dies septendecim radios suos amittit. Qualis tandem filius? Mali corui malum ouum. Constantinus parum constans adolescens, qui Leonis Copronymi patris sui in damnandis Iconolatris zelum non sequutus, matris cæco affectui obtemperat, quam post ab Imperio remouet, & rursus constitutionem suam imaginariam abrogat, vti Platina in vita Adriani primi scriptum reliquit. Hanc fœminam, hunc puerum quis instigauit imagines, quas Leo deleuit, restituere? Quis, nisi Dauus totius orbis perturbator Papa Adrianus, epistola scilicet ad eos transmissa? & alter versipellis Episcopus Paulus Cyprius iam delirans, qui Leone imperante profitetur apertè, Imagines non esse adorandas? Irene suffecta mutatur, morbo excruciatus & lecto affixus, vitæ monasticæ se deuouet & addicit vt sordes eluat, creditque se non posse bona conscientia suo ministerio defungi, credit Ecclesiam totam esse excommunicatam, & nisi Irene & Constantinus vniuersali Synodo errorem illum corrigant, & Imaginibus locum & honorem suum reddãt, nec ipsos, nec se, nec patritios Constantinopolitanos posse salutem consequi. Ita muliebris superstitio, & iuuenilis inscitia, & vilis Apostatæ febrile deliramentum, & Pontificis vana doctrina & suasio, imaginum vsum & cultum prudenter abolitum, inconsideratè & impiè reuocarunt. At quid trecenti patres & plures hoc modo ab istis congregati statuunt? Non solum Duliam sanctis, sed & Latriam exhibent, suam distinctionem incauti & impruden-

G. Haddoni defensio & Nic. Pseudo synodi descriptio, contra Osoriũ.

Quis cõuocat.

Quis Dauus instigat.

Quid decernitur.

prudentes irritam faciunt. Latria est imagines in templis prostituere, colere, adorare: Latria est Sanctos Mediatores facere, Sanctos inuocare, Sanctos hoc priuilegio donare, quòd inspectores sint cordium, quòd mortui preces nostras audiant, quòd pro nobis possint intercedere, quòd querelas nostras & internos clamores ad Dei aures perferāt. Sub id tempus hoc modo illum magnum Pirminium precibus solicitarunt:

Latria imaginibus Sāctorum.

Sanctificet nostram sanctus Priminius escam,
Dextera Priminij benedicat pocula nostra.

Aliàs Pirminius.

Hæc mensæ consecratio papistica, tum ferè recepta est. Latria est, quā Petro & Paulo tribuit Apostolicus ille Papa in suis ad Imperatores literis, Hi regni vestri propugnatores erūt, cunctas nationes pedibus vestris subiicient, vt quocunque ire perrexeritis, victores vos declarent. Latria est, quam alij Episcopi orientales & occidentales pro sanctis contra Deum euomunt, & ex Scripturis perperam contortis violenter extorquent, quod ex ipsorum verbis in Concilio prolatis, si quis omnia in vnum conferat, facilè intelligi poterit. Tharassius Patriarcha generalis ex laico repentè declaratus Episcopus, inquit, has sacras & venerandas imagines desyderio quodam adoro. Enthymius Sardensis, Ex toto corde cum debito honore, & amplectibili adoratione suscipio. Elias Cretensis, Nunquàm sepono sed perfectè veneror. Stauratius Chalcedonensis, Recipio, amplector, & veluti arrabonem salutis meæ honoro. Constantius Episcopus Constantiensis, sed vir inconstans, Ego Imaginibus cultum honoris exhibebo eundem qui debetur viuificæ Trinitati, & si quis nolit idem facere, eum anathematizo vt Marcionem, vt Manichæum. Petrus Nicomædiensis, Recipio, adoro, & id perpetuò docebo. Et duo illi Petri, Romanæ Ecclesiæ & Papæ legati, Qui ita non confitentur, eos statuimus anathemati subiiciendos. Synodica epistola Theodori Hierosolymorum Patriarchæ, Seruator noster Christus fontes salutares, Sanctorum reliquias nobis reliquit, multis modis beneficia in debiles fundentes, vnguento redolentis suauitatis scaturientes. Denique tota Synodus vno cōsensu, vno spiritu omnia subuertit, quæ vel ipsi in distinctione Latriæ & Duliæ finxerūt, vel Copus noster effutiit, vel alij imaginati sunt. Non sunt duæ adorationes, sed vna adoratio imaginis & primi exemplaris. Vbi nunc distinctio bipertita, cùm simplex sit, & vniusmodi adoratio & repræsentati, & repræsentantis, imaginis & eius quod imaginantur rei absentis & personæ præsentis? His ita conclusis canitur, Io triumphe, canitur, Rixosa contentio inter nos sedata est: Oriens, Occidens, Septentrio, Meridies vnum concordiæ iugum suscipiunt, nouo Constantino, nouæ Helenæ æterna memoria, Patriarchis multi anni, &c. Qui hæc dicunt de Sanctis, de imaginibus Sanctorum, an solam Duliam vrgent? an secum ipsi non pugnant? Annon verba solùm venantur? an non planè nugantur?

Hoc autem magnificum dogma, tam diuina, tam heroica, tam honorifica de Diuis existimatio, quando tandem concepta est? Cùm mysterium iniquitatis cœpit operari Satanas, cùm seditionis & Apostasiæ semen satum est, cùm filius perditionis innotuit, cùm errores crassi de primatu, de Purgatorio, de Sanctorum inuocatione & adoratione inualuerunt, nempe circiter annos octingentos. Quomodo? Vi & fraude: Quia populus Constantinopolitanus iniquo ferens animo suos doctos non admitti, non audiri, armis spoliatus in exilium mittitur, quò liberius in vrbe Regina Idolomanica suo Papistico genio indulgeret: Quia omnibus proscriptis, alij qui paulò antè contrauenerant, mutare cogebantur vocem suam & sententiam.

Quando?

Quomodo?

Sed enim quæ causæ, sic impulerunt, quę rationes sic mouerunt, vel Synodum ita sentire, vel alios ita cōsentire? Accipite primum Hadriani Papalia & sesquipedalia argumenta: fabulam de Lepra Constantini Magni restituti precibus Syluestri, quam tamen Platina censet esse commentitiam, & causam erroris ostendit, Constantinum, non illum Magnū, sed huius Constantini antecessorem Elephantiasi correptum, vnde inquit nata est illa de lepra Magni Constantini vana opinio ob similitudinem nominis. Sic porrò pergunt & argumentari & mentiri. Iacobus in summitate virgæ adorauit: Israeliticus populus ænei serpentis inspectione seruatus est, & nos Christi & Sanctorum figuras contemplantes seruari dubitamus? Psal. 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Psal. 25. Domine dilexi decorem domus tuæ, & locū tarbernaculi gloriæ tuæ. 26. Exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. 95. Confessio & pulchritudo coram eo. Quibus illa simillima sunt Theodori, Psal. 15. Sanctis in terra illius mirifica fecit, omnes voluntates

Quæ rationes?

eius in ipsis. Psal. 66. Mirabilis Deus in Sanctis suis, quod ridiculosè & pueriliter dictum, ait Carolus. Et illa Ioannis Orientalis non sunt dissimilia, Vidi Dominum facie ad faciē, & saluata est anima mea. Creauit Deus hominem ad imaginem suam, ergo imagines habendæ & colendæ sunt. Et quia omnis eorum religio aspectabilis est & conspicua, ad visibile hoc Ecclesiæ suæ theatrum erigendum etiam illud corrogarunt: Nemo accendit lucernam & ponit eam sub modio. Præterea illa argumentorum monstra, visiones, somnia, miracula, quibus si Alanus Copus fidem adhibere velit, nę ille erit homo superstitiosè credulus. Quid enim? adeò ne simplex erit quisquam, vt verum credat quod in notho sermone Athanasij narratur de imagine Christi, quam reliquerat Christianus, lancea transfixa, ex qua sanguinis & aquæ riuuli emanarint, vnde subitò Iudæi ad finem Christianam conuersi sint? An credet, quòd etiam in illa Synodo refertur, hunc magnum doctorem, cui ab immortalitate nomen est, vnquam dixisse, Martyrum ossa morbos fugare, infirmis medicari, cæcis visum impartire, lepras emundare, tentationes & mœrores soluere? & credet in ipsis ossibus Christum habitare? An credet dæmonem Monacho dixisse, se eū missum facturum, si non amplius Mariæ imaginem adoraret? Aut alium Eremitam illius virginis imagini candelam accendisse, & peregrè proficiscentem ei mandasse, vt ad reditum vsq; illam inextinctam seruaret, eámque sic executam esse sicuti præceperat, licet ille post mēses plures reuersus fuerit? Aut credet imaginem causam fuisse castitatis, & vt fœmina ab adulterio recederet? De quo etiam ibidem Nicephorus Episcopus Dyrrachiensis: Mirabilis imago & digna valde nimis, quoniam potuit mulierem eruere de abominabilis ludibrij operatione? Aut existimabit Theodosium satis expergefactum fuisse, cùm ad hanc Idololatriam astruendam, in eadem Synodo Archidiaconi sui somnium referret? Vides Alane argumenti tui debilitatem, Synodi tuæ fatuitatem, distinctionis tuæ infirmitatem: vides distinctionem facili impulsu imò sponte sua corruere, non esse necessum loquendo distinguere, quod isti patres colendo non separant, Duliam iam esse Latriam, & rursus Latriam esse Duliam: Diuis communicari quod Deo proprium est: nec Bedam, nec Augustinum, nec illa suppositi Basilij verba, Sanctorum cultum aut seruitem satis confirmare, licet Deo suam Latriam vindicent, licet de imaginum adoratione Synodus corruptissimè censeat. Sed quid istis immoror? Satis decretum hoc Nicænum refutatum est, cùm patres huius imperatoris imagines tollendas curarint, & ipse hic Constantinus postea hæc sua acta resciderit, & Carolus magnus scripto publico reprehenderit, & Constantinopolytana Synodus, & Francofordiana & Moguntina diuersa constituerit, & huius sententiæ authores & fautores non satis fœlicem exitum consequuti fuerint. Itaque nunc liceat mihi Augustini illis verbis vti contra istos Deastrorum cultores & seruos, quæ ille libro decimo sexto, capite decimo, contra Faustum & eiusmodi Manichæos protulit, Vester error Paganismo similis est, quandoquidem nec Christum colitis, sed Christi nomine nescio quid, quos vobis mentiendo finxistis, & Deos vel in isto conspicuo cœlo visibiles, vel alios innumerabiles commentitios adoratis.

Athanasius.

Secunda pars, de Latria, & Dulia vera sententia.

Discussis istis obiectionum nubeculis, inquiramus deinceps, quæ sententia sit veritati propior: recténe an secus excogitata ab istis sit hæc Latriæ & Duliæ distinctio. Etenim dum nos velut seruos & mancipia in Sanctorum obsequium addici volunt vt Sanctis Duliam exhibeamus, quid aliud à nobis quàm grauissimam seruitutem, humillimam subiectionem erga homines exigunt? Nam Dulia græcè acerba & dura est seruitus, vt Abodah apud Hebræos, apud quos inter Shereth & Abad, id est, inter ministrare & seruire, hæc est differentia, quòd illud prius ministerium sit liberorum, seruorum posterius. Gen. 9. Cham erit seruus seruorum fratribus suis, qui titulus nunc nō Seruilis est, sed papalis, & hæc Domini maledictio à Papa in opimam benedictionem vertitur. Exod. 2. gemuisse legimus Israelitas, ac propter seruitutem suspirasse. Esaias. 14. vaticinatur populum in onere, tributo, dolore & seruitute dura immunitatem & requiem consequuturum: quæ grauissima seruitus à septuaginta Dulia conuertitur. Hieronymus reddit Idololatram in epistola ad Ephes. cap. 5. Idolis seruientum. Augustinus de Ciuitate Dei libro decimo, Duliam notat esse, quà qui sui iuris non est, sed planè seruit alteri. Hesychius admonet Pholoxenum Musicum propterea Dulona cognominatum, & ciuitatem quandam Dulon, valde scilicet oneribus seruilibus oppressam, & diem captiuitatis appellari apud Poetas diem dulion. Et Græci inter Latriam & Duliam hoc solum discrimen statuunt, quòd alterum sit propter mercedem operam locare, alterum planè seruiliter & gratis sine pretio aut præmio vllo seruire. Eustathius in suis Parecbolis in Homeri

Homeri Iliada refert Latron mercedem vocari apud veteres, & Latrin apud Aristophanem mercenarium. Et Suidas Latriam sic definit, esse Duliam & seruitutē propter mercedem. Rectè itaque isti homines Duliam sibi sumunt, quandoquidem & duriter, & gratis seruiunt. Vt enim à Sanctis non sunt conducti, ita nec à Deo, nec ab ipsis quorum serui esse volunt, vllum salarium, vllum stipendium accipient. Ad hæc, Duliam & Latriam sæpe confundi, & synonyma esse, quis est mediocriter doctus, qui nesciat? Cultus enim & quidem diuinus, & contrà omnis seruitus humana, vtraque voce denotatur. Deut. vicesimo octauo: Quia non seruijsti Deo tuo, idcirco inimicis tuis seruies. Vbi Latria & de Deo, & de hominibus dicitur. Et vt Moyses Deut. tricesimo quarto nominatur seruus Iehouæ, ita Paulus se Christi Dulon, & seruum vocat: Idem Paulus qui se Dulon esse dixit, in eodem capite primo ad Rom. suam Deo Latriam profitetur: vbi Oecumenius, λατρεύω οἷον δουλεύω. Cæterum vt hæc clariora sunt, quàm vt dissimulari possint, & firmiora quàm vt refelli valeant, & notiora quàm vt negari debeant, ita illlud potius nobis agendum, vt probemus hanc siue Latriam, siue Duliam semper Deo, nunquam Sanctis mortuis accōmodari. Deuter. decimo: Dominum Deum tuum timebis & ipsi seruies. Quam emphasim Matthæus Euangelista capite quarto sic expressit: Dominum Deum tuum adorabis, & IPSI soli seruies, articulum illum Hebraicum IPSVM per solum reddens. Contra Duliam Sanctorum aut Diuorum Exod. vicesimo clamat Dominus, Non prosternes te illis, nec coles eos. Et Deuter. vndecimo, vult vt Dominum toto corde nostro, & tota anima nostra colamus & diligamus. Vult Luc. primo, vt liberati de manibus inimicorū nostrorū, benedicto Deo Israëlis omnibus diebus vitæ nostræ in sanctitate, & iustitia seruiamus. Nō vult Israëlitas Deum colere & Baal, id est vllū alium sponsum seu maritū eligere, aut vllū alium Dominū habere: nā hoc modo colere Elias dicit esse claudicare. Gentes quæ Deū timuerunt, & simul Deos suos coluerunt, in libro Regum obiurgantur: & qui iurant per Dominum & per Melchom apud Sephoniam exscinduntur. Qui Deum solum nominat, & ipsum, & illum emphaticè exprimit, & totum cor & animam, & omnes dies vitæ nostræ, & omne genus seruitutis & cultus, omnem Latriam & Duliam à nobis requirit, & cæteras creaturas ab hoc honore excludit, & omnem in vtramque partem claudicationem prohibet, quæso quem tandem cultum, aut cuiusmodi seruitutem Diuis reliquam fecit? Internum cultum vos illis, nisi immodicè Nicæni esse velitis, negatis: externum quia sine interno nihil est, & quia eum mortui non petunt, & quia Scriptura nōn dat ipsis Angelis, nos illis non concedimus. Quem enim honorem illis deberi contendis? Si templa condi, si sacra fieri, si sacrificia illis constitui volueris, Augustinus lib. de Ciuitate Dei octauo, capite vicesimo septimo non permittet. Aram illis extrues? idem non probabit, de verbis Domini secundum Matth. Sermone sexto, cùm ait: Nemo mihi dicat, non est numen, non est Deus, &c. pro qua re isti Idololatræ habeant, Ara testatur. Si incuruationem, genuflexionem, adorationem coram Imagine postules, non assentietur Dominus, qui hoc modo summam venerationem significauit, cùm dixit, septem millia virorum esse relicta, qui Baali genu non curuauerunt: nec hoc vnquam Sancti experiuerunt, non Petrus à Cornelio, non Paulus à Gentibus, non Angelus à D. Ioanne, sed omnes vetuerunt: Solus Satan inuentus est, qui audebat hanc prostrationem flagitare, Omnia hæc tibi dabo, si prostratus adoraueris me. De ciuili honore & reuerentia erga viuos & superiores Dominos non loquimur. Quid? iurabísne in illorum nomine? Non annuet Dominus, Deut. decimo: Adhære ei, & iura per nomen eius. Et apud Hier. quarto, Iurabis, viuit Dominus. Si imagines Sanctorū aut reliquias honorare desideres, reclamabunt Origenes cōtra Celsum lib. quarto, & Clemens Alexandrinus, & Lactantius: Nec fieri potest vt quis & Deum, & simulachrum colat, aut vt vbi simulachrum est, ibi sit religio. Si inuocandos putes, dicet Dominus, Inuoca me.

Iam verò vt Latriam ad humana seruitia & vulgaria ministeria transferri, & hanc distinctionem inualidam & ineptam esse appareat, Græci ipsi, non Græca, sed bona fide dicent testimonium. Cur enim non animaduertunt in Leuitico opus seruile Latreuton vocari? Cur non vident Phocilidem habere, tempori λατρεύειν, pro eo quod est apud Paulum δουλεύειν, id est, tempori seruire? Sophoclem in Aiace Latriam pro Dulia vsurpare? Xenophontem Atticam illam Apem, in Pædia Cyri vtrumque verbum pro eodem ponere? Aristotelem in Politicis Latrin famulam, & Iobum mendicam sic appellare? Eustathium in Homer. & Iulium Pollucem in titulo De seruis & Dominis, & Cœlium Rhodiginum inter famulos Latrias recensere, dum in diuersis nationibus seruos aliis atque aliis nomi-

nibus donatos producunt: apud Cretenses, Clarotas: apud Athenienses, Thetas: apud Lacedæmonios, Heilotas: apud Marreandynos, Doryphoros: apud Sicyonios, Corynephoros: apud Thessalos Penestas: apud Argiuos, Gymnetas: alibi Achos: alibi Sindrouas: vbique Dulos, vbique Latrias. Et hi omnes sacri, prophani, Theologi, Philosophi, Poëtæ, Grammatici, vel Græcè doctissimi, vel Græci fuerunt, hac sanè in re, mi Cope, & in verborum notationibus, & distinctionibus, cum illo tuo Thoma Aquinate, & cum nostro etiam incomparabili Beda comparandi: quantumuis istum venerabilem, & trium linguarum peritia insignem, quantumuis monachum non contemnendum prędices: quantumuis ille alter Diuus, summus & Angelicus Doctor, in omni disciplinarum genere singularis, in Theologia vir planè diuinus, à te & tuis habeatur, quem scilicet omnes verè & solidè docti venerantur, quem Græcia etiam ipsa admiratur, qui non voculas consectatur vt nos, aut vnde verba ducta sint curiosius inquirit, sed in res cognitione dignissimas omne studium & operam contulit, qui maxima & diuina monumenta conscripsit. Quantumuis enim istis laudibus ad astra vsque, imò supra omnes sphæras, omnia sydera, & omnes cœlos efferas, nunquam tamen hanc distinctionem esse veram, & Grammaticã, & Theologicam nobis probaueris, sed vanam esse, & ex inscitia linguarum subnatam, & superstitiones, & Idolomanias, & Ctismolatrias, & Hylolatrias fouere, sine causa, sine ratione, sine iudicio, sine autoritate defendi, quiuis iam nisi in ipso Sole caligare malit, facilè perspexerit. Quòd autem interpretationi Thomæ, qui Asotiam luxuriam, & luxuriam propriè libidinis esse dixit, non subscripserim, ne mireris, cùm & ille Augustinum suum reiiciat, cùm à veritate aberret, cùm à patribus, cùm à seipso alicubi dissentiat, cùm sæpe labatur, cùm non semel Paulum variè & tamen non verè, sed ridiculè, & subfrigidè exponat, cùm interdum interpretationum quadrigam in vnum locum inuehat, quarum tamẽ nulla conueniat: quem nos legimus quidem, sed non vt vos in Schola, vt Christi Euangelium, vt Apostolorum Epistolas. De illo sic iudicamus, vt olim Erasmus, planè dignum fuisse, cui linguarum quoque peritia, reliquaque bonarum literarum supellex contingeret: de quo etiam ille alibi, non insector Thomam, sed planè miseret me illorum, qui nihil aliud discunt, & mihi minus displiceo, qui non perinde multum ætatis in huiusmodi scriptoribus consumpserim. De Latria verò quod dixit, habet suos qui contradicãt. Quod ad te attinet, si hac densa tot clarissimorum scriptorum, Hebraicè, Græcè & Latinè eruditissimorum nube nihil moueris, ad Iuelli tractationem Anglicam de Adoratione te remitto: ad cuius historiam me nunc refero, interim tibi & tuis impensè optans & cœli, & soli & animi mutationem, vt relicta Sanctorum Dulia, debita Latria in verbo præscripta castè & religiosè Deum solum colatis, & inuocetis, quò à Deo cum Sanctis venerabilibus conseruis nostris, cum omnibus fidelibus coronemini in beato, & glorioso, & æterno Sanctorum Collegio, sicut verè dicitur, Omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit. Ex hac prima Episcopi nostri cum Hardingo conflictatione, & ex his omnibus quæ dicta sunt elucere possit, quantus fuerit in examinandis controuersiis & profligandis hæresibus nostri temporis Epiphanius: adeóque fuit in eo opere vigilans & solers, vt omnia quasi ad calculum reuocans, aduersarij sui errores in vnum congesserit, & ducentos quinquaginta quinque collegerit: Non vt ille Laurentius Surius Carthusianus, qui in præfatione in Nauclerum, vndecim millia mendaciorum in Ioannis Sleidani Commentario reperit, scilicet nodum in scirpo quærens, bonum malum, & lucem tenebras appellans, sed omnia iusta trutina expendens. Itaque in hoc congressu recessit ἄτρωτος, pugnando nonnihil fatigatus, sed nullo hostis mucrone vulneratus: Magnum opus, magnus liber eruditione & pietate magna refertus. Qui post hanc veritatem aliud quærit mendacium, quærit non veritatem. Hæc est fides & professio Catholica, quam Apostoli tradiderunt, Martyres roborauerunt, & fideles hucusque custodiunt. Hactenus Replicatio contra Hardingi responsionem à nobis breuiter explicata est.

Beda.

Aquinas.

Argumentorum N. Sanderi de Primatu cõtra Iuellum examen.

PERGENTEM ad alia hîc quasi manu iniecta retrahit noster Sanderus, qui in sua visibili Monarchia Hardingi librum ad sydera vsque tollit, Iuelli responsum vt non satis elimatum & perfectum eleuat & abiicit. Multa enim, inquit, in medium protulit Hardingus ex Cypriano, Athanasio, Augustino, Hieronymo aliisque patribus, & librum doctissimum Anglico idiomate conscribens docuit inter cætera, Damasum Pontificem Romanum ab Ambrosio in Commentariis. 1. ad Timoth. 3. vocatum esse Rectorem eius Ecclesiæ, quæ domus Dei, & columna, & firmamentum veritatis ab Apostolo dicitur. Nec enim dubium est, quin & Rector idem sit quod Caput, & illa fuerit vniuersalis Ecclesia,

quam

quam Apoſtolus eo in loco deſcribit. Romanus igitur Pontifex, qui Rector eſt domus Dei, quæ eſt columna & firmamentum veritatis, idem vtique vniuerſalis Eccleſiæ caput exiſtit.

Recognoſce quæſo Sandere, primum quid inſtituas probare, Papam videlicet Eccleſiæ Monarcham eſſe: in quo Deo noſtro æqualem, diis verò gentium & huius mundi Monarchis ſuperiorem eum nobis imprudenter conſtituis. Solus enim Deus rex hominum Deorúmque & ſummi Rector Olympi, & eſt, & dicitur. Diuiſum Imperiũ cum Ioue Cæſar habet. Iouis deinde & Neptuni, & Plutonis regnum tripartitum fuit, vt primus cœli, alter maris, tertius inferni ſit Dominus, Papa autem Monarcha, & Dominator omnium. Ita non Saturnus, nec Saturni filius erit, ſed gurges & vorago omnium regnorum inſaturabilis. Secundò, paulò attentius tecum reputa, quid in iſto loco ſcripſeris. Quòd opus eius vt doctiſſimum prædicas, equidem doctrinę hominis nihil detractum oratione mea volo: is verè doctus eſt quiſquis à Deo doctus, eius voci ſe obedientem & obſequentem præbuerit. Quàm verò mutilum & truncum illud opus ſit, quàm parum aptè ad rem, quàm parum ſolidè ad veritatem, quàm parum plenè, non modo ad Iuelli verba, ſed ad ipſam ſententiæ ſummam, & ad argumenti neruum, ſuũ Antididagma inſtituerit, quàm tenuiter ſua probauerit, quàm violenter aliena detorſerit, quam leuiter multa præterierit, niſi immodica & tuæ opinionis admiratione, & nimio tui Hardingi amore cæcutires, facillimè ipſe per te cerneres. Primùm iure poſſis in foro Romano παραπρεσβείας crimen mendaci Legato illi tuo intentare, quiſquis fuit qui tibi hanc librorum veſtrorum interdictionem apud nos Iuelli opera promulgatam nunciauit. Legatio falſa eſt & ementita quam obiit, & dignus eſt certè, non præmio tuo, non gratia, ſed vt multetur tanquam vanus teſtis, aut præuaricator, aut falſarius. Significare debuiſſet, Iuellum in ſuo doctiſſimo libro iamdiu hunc ſcrupulum exemiſſe, veſtros libros ſic apud nos fuiſſe vulgatos, ſic vbique tritos & obuios, vt vel pueri illos tanquam pilas in plateis iactent, & illis ludant atque adeò illudant. Renuntiaſſet, Iuellum non prohibuiſſe, quia eoſdem Hardingi libros vnà cũ ſua Antidoto Anglicis characteribus denuò excudendos curauit, nec ſupprimi voluit qui imprimit, vt omnes legant & iudicent. Retuliſſet, magiſtratus quidem noſtri vigilantiam prouidere edicto quodam voluiſſe, ne contagio opinionum veſtrarum nimis latè ſerperet, ne infirmorum mentes implicarentur, ne turbulenta & capitalia veſtra dogmata, pacatum Eccleſiæ & Reip. noſtræ ſtatum turbarent. An verò Anglus de auguſta Principe Elizabetha, de clariſſimis Conſiliariis & Patribus, de tuis popularibus malignius quàm de alienis & exteris ſenties? aut noſtros magiſtratus deſipere, veſtros rectores ſolum ſapere iudicabis? Pontifex veſter & Cardinales, ſanctiſſimi & ſapientiſſimi ſibi videntur, cùm ſeueriſſimè vetant noſtrorum hominum ſcripta edi, emi, legi, cùm & ſcripta & ſcriptores flammis exuri iubent, cùm in ſuo Catalogo inter hæreticos numerant. Hieronymus Oſorius præclarum facinus Henrici Cardinalis extollit, qui ſumma diligentia cauit, ne facilè poſſint Gualteri Haddoni aut aliorum ſimilium libri ad Portugalenſes importari, & nefas ait eſſe & flagitium apud ipſos, noſtrorum libros qui Romanam religionem inquinent euoluere, & ſe nunquam diligentiam, quæ ad peſtem adeò funeſtam arcendam adhibetur, nimiam putare: Et noſtris principibus & gubernatoribus id vitio vertes, quod veſtris illis inquiſitoribus laudi ducis? & noſtris erit illicitum, quod in illis licitum putas & laudabile? maximè cùm plerique veſtrorum libri, & puriſſimam Chriſti religionem inficiãt, & noſtrorum animos ad ſuperſtitionem, ſeditiones, inobedientiam inflamment? Verum Iuellus non interdixit, ſed ex ſacris Scripturis & ex patribus, qui primis ſexcentis annis vixerunt, edixit & edocuit, veſtri Pontificis Eccleſiaſticam Monarchiam ſine grandi ſacrilegio & inſigni vnici Monarchæ Chriſti blaſphemia non poſſe conſiſtere. At opponis contra Iuelli proteſtationem Cyprianum, Auguſtinum, Athanaſium, Hieronymum, Ambroſium huius Romanæ ſedis primatum confirmare: Hardingum iſtos antiquos teſtes producere, Iuellum non poſſe refellere, debere itaque promiſſis ſtare & Catholicæ fidei ſubſcribere. At iam ſatis refutauit, qui dicit Hardingum Cypriani verbis vim facere, vocabuli ambiguitate decipi, & ſignificatione VNIVS, eum alios omnes & ſe decipere: Cyprianum nullibi ſe aut alios Romanæ ditioni voluiſſe ſubiicere: eum Cornelium fratrem vocare. in illa vna Eccleſia ipſum non minus quàm Papam præſidere: Epiſcopatum vnum eſſe, cuius à ſingulis inſolidum pars tenetur: in Epiſtolis eum Aphricanos & Romanos Epiſcopos æquare: hoc fuiſſe cæteros Apoſtolos quod fuit Petrus, pari conſortio præditos & honoris & poteſtatis. Satis rufutauit qui dicit & planè conuincit, Auguſtinum

Interdictio librorum Hardingi.

Ad Cyprian.

Ad Auguſt.

ab Hardingo alicubi vt mutum testem, alicubi vt mutilatum hominem proferri, & non tam citari quàm corrumpi: illa ascita testimonia doctorum Pontificiam Cathedram nō posse suffulcire: qui etiam dicit eum scribere, cōmunem esse omnibus Episcopatus officio fungentibus speculam pastoralem: non Paulum esse caput, sed membrum corporis Christi: non esse radicem eorum quos plantauerat, nec caput esse potuisse, cùm ipse nos membra solùm, Christum verò caput vniuersi corporis constituat: non Petrum ipsum sibi vendicasse aut arroganter assumpsisse, vt se primatum tenere diceret: nos esse Christianos nō Petrianos: eo præsente Concilium Carthaginense, Hipponense, Aphricanum contra hanc absolutam & vniuersalem Monarchiam sanciuisse: ipsummet & omnes Episcopos Christi Apostolis succedere, & eadem potestate Ecclesiam Domini gubernare. Satis refutauit, qui euidentissimis rationibus probauit, Hardingi Athanasium esse, non genuinū sed spurium, totam Romanistarum actionem Carthaginensis Consilij autoritate redargui, & vniuersæ de Nic. Consilio fictioni ipsam historiæ veritatem & temporis supputationem reclamare. Satis refutauit, qui dicit Hieronymi locum contra Luciferianos (quòd Ecclesiæ salus à summi sacerdotis dignitate pendeat) non singulariter de Papa quopiam, sed generaliter de Episcopis omnibus intelligi: Hieronymum sic in hac quæstione statuere, Episcopum Romanum, & Eugubiensem eiusdem esse meriti, eiusdem sacerdotij, omnes esse Apostolorum successores, super omnes fundari Ecclesiam, cunctos claues regni cœlorum accipere, ex æquo super eos solitudinem Ecclesiæ solidari. Hæc & alia qui dicit: qui plura & neruosiora in vno articulo, quàm Hardingus in omnibus congessit: qui singulas eius obiectiones, quasi singula parua iacula fregit, isne vobis omninò obmutuisse & nihil dixisse videbitur? Sed Ambrosio non est responsum, inquit, Damasū esse rectorem domus Dei, quæ est columna & firmamentum veritatis: Rectorem esse idē quod caput: Domum Dei esse totam & vniuersalem, ergo Papam caput esse vniuersalis Ecclesiæ. Quid hic Iuellus responderit Sanderus facilè vidisset, si eum consulere & simplici & columbino oculo inspicere placuisset. Negat quod Sanderus assumpsit, ostenditque ex ipso Ambrosio, domum Dei quamcunque particularem Ecclesiam denotare, siue ea Romana sit, siue alia, cùm sic in eodem loco definit. Illic necesse est dicatur esse Domus Dei & veritas, vbi secundum voluntatem suam timetur, ibique idem Pater apertè inter totum mundum, quem Papa vendicat, & Domum Dei, quam Damasus rexit, distinguit. Ostēdit ex eiusdem Patris Epistola tricesima, sanctum Damasum Romanæ solummodò Ecclesiæ sacerdotem appellari, & in epistola octogesima prima Siricium Dominum fratrem vocari. Ostendit alia eiusmodi multa, quæ ab eo licebit petere.

Athanas.

Ad Hiero.

1. Tim. 3.

Ad Amb. de Rectore Damaso.

Quoniam autem illa tot ac tanta tibi nondum, Sandere, satis multa & magna visa sunt, age, conabor & ipse quoad potero, eas nebulas magis dispellere, & rem pluribus illustrare. Præsertim quia singularis iste Monarchæ titulus ambitiosus & multis sanè prudētibus viris odiosus videtur: & planè Papa vester Monarcha quidem haberi potest, sed iste quintus apud Danielem, blasphemus scilicet & in Deum ipsum impius. Cùm enim colligitis sic, Damasum esse Rectorem domus Dei, ergo Papa est caput vniuersalis Ecclesiæ, præterquam quòd vno verbo negari possit vitiosa consecutio, etiam illud adiungo, tot esse captiones, quot sunt dictiones. Etenim si daremus hoc Papale regimen Damaso, non tamen eadem potestas in omnes Papas successores transfundi debet. Siquidem Episcopi non ratione carnis aut sanguinis, sed in vestigiis eiusdem fidei verè succedunt. Non erat Damasus Syluester Magus, non Hildebrandus furiosus, non Liberius hæreticus, non bellator Iulius. Nō malè Plato, ÆQVALIA INAEQVALIBVS DATA, SVNT INAEQVALIA. Hoc tēpore quia Damasus rectam fidem tutatus est, ideò Rector domus Dei ab Ambrosio dicitur. De qua re idem Pater Epistola octogesima prima, CREDATVR SYMBOLO APOSTOLORVM QVOD ECCLESIA ROMANA INTEMERATVM SEMPER CVSTODIT ET SERVAT. Non sic posteri. Damasum Theodoritus, conspicuum vita laudabili fuisse, & dicenda faciendáque omnia sibi ex præscripto Apostolorum dogmatum statuisse, alibi admirabilem esse dicit: & in cōfessione vnius essentiæ, tres substantias de Trinitate manifestè prædicasse, id est, tanquam Catholicum Antagonistā & hostem Arrianorum contra eos in Christiana acie fortiter stetisse: & alibi scriptionis ad Illyricos Principem variis virtutum generibus ornatum extitisse. Cæterum hæc finxi tantùm hypotheticè, non dixi categoricè. Nam non est verū Damasum, quantùmuis pium & doctum, talem Rectorem domus Dei, seu Monarcham fuisse. Socrates ait, Damasum post Liberiū Episcopatus sacerdotiū suscepisse: Quod planius in eadem historia Ecclesiastica, exponitur, Præsulatum Romanæ Ecclesiæ sortitum

Lib. 4.

fuisse:

fuisse:& Theodoritus scribit eum Romæ tantummodò Episcopum. Quòd si hac summa rerum potitus est quam iactitatis,cur apud Ruffinum legimus,non Damasum solùm , sed & Petrum Alexandrinum contra Apollinarem Episcopum Concilium coëgisse? Cur Theodoritus ait,non Damasum,sed Imperatores mandasse, leges tulisse, fidem Catholicam restituisse, Valentinianum,Valentem,Gratianum, Theodosium his temporibus de religione cogitationes suscepisse? Cur Theodosius cæde Thessalonicẽsium facta,non à Romano Papa,sed ab Italiæ sacerdotibus, & maximè ab Ambrosio arguitur? Qualis ille Monarcha,cui Vrsinus,seu Vrsicinus(vt Platina vocat) Romanus Diaconus competitor in Episcopatu restitit?qui,non solus,sed cum Valeriano & reliquis, Episcopos vt dilectos fratres literis salutat? Qualis Monarcha eius antecessor Liberius? quem Constantius Episcopum designans sic loquitur:Nos quia Christianus esses,dignum te iudicauimus Episcopatu vrbis nostræ. Qualis Monarcha,quem sic reprehendit, Quota pars orbis terrarum tu es: qui solus facis cum homine scelerato Athanasio? Qualis Monarcha, quem etiam posteà exilio multauit? Qualis Monarcha fuit Siricius Damasi successor, quem Ruffinus dignatur solo nomine Romani sacerdotis? Sed quorsum multa in re minima & facili? A Damasi nomine, persona & dignitate descendamus ad alterum gradum tuæ sophistices. Rector fuit,ergo generalis dominator seu Monarcha Ecclesiæ. Alia est in ipsa dictione fallacia, alia (vt cum Paulo loquar) logomachia. Rectorem Ambrosius illo tempore existimauit esse eum, qui sceptro diuini verbi regeret, & qui pasceret:quæ regendi & pascendi cura ad omnes, vt dicitur, Curatos seu Curiones pertinet. Ephesiorum Episcopi,qui Paulo iubente regebant Ecclesiam Dei,num dicentur Monarchæ aut Præfecti omnium Ecclesiarum? Hieronymus in Epistolam ad Tit. aliter præcepit,vt noscant Episcopi, se debere in commune Ecclesiam regere:non vt vnus sit Rector omnium Episcoporum,Conciliorum,rerum,personarum,regentium,& non regentium, Rector chori,Rector poli,inferni,Purgatorij, Rector hominum & Angelorum qui vtrisque imperet,Rector Regum,& Monarcha Monarcharum:qui nec à Clero, nec à Concilio,nec ab Augusto velit regi & iudicari:qui vtrumque gladium,temporalem & spiritualem vibret:qui Principes gladium educere ad nutum & patientiam Ecclesiæ iubeat: qui se hæredem imperij,cunctorum Ordinarium, lucem mundi, luminare magnum, Solem appellet:qui sit omnia & super omnia:qui(vt Antonius crassè Psalmum interpretatur) sit paulò minor,& rursus propter consecrationem paulò maior Angelis,gloria & honore decoratus:cui volucres cœli & pisces maris, oues & boues & vniuersa pecora campi subiiciantur:qui super Aspidem & Basiliscum ambulet, & conculcet Leonem & Draconem: qui sit constitutus super gentes & super regna, vt euellat & destruat, ædificet & plantet: qui sit Adam,Abel,Melchisedech,Abraham,Petrus, Christus,Dominus & Deus. O nouum Monarcham,Toparcham,& Rectorem. Dignus certè,qui imperium habeat in belluas?qui regat Elysios campos,& cymbam Charōtis,& nouas insulas,& Vtopiam,& quicquid vel Iesuitæ vel Romani isti mercatores possent vspiam locorum, vltra Herculis columnas,vltra Indos & plus vltra inuenire, vt verè sine omni exceptione Generalis Regula,Omniregens,& Omnipotens nuncupetur. An quia Damasus Rector dicitur, idcirco Papa vniuersos reget,summos & infimos,terrestres,cœlestes, purgatorios, infernales, viuos & mortuos?Nullum est tam magnum,aut tam Papale nomen,quod non multis communicari posset.Nam & Papa dictus est Augustinus,& Cyprianus, Oecumenici Patriarchæ, Ioannes,Tharassius,Epiphanius,omnes ferè Constantinopolitani Episcopi: Basilius columna & firmamẽtum Ecclesiæ:Athanasius præfectus seu Rector Catholicæ Ecclesiæ: qui omnes Græci aut Aphri, Romani certè non fuerunt. Quinimò omnes ministri dici possent lux mundi, sal terræ,fundamenta,Petræ,Angeli,Christi,Dij,& filij Excelsi, & tamen propter titulorum sublimitatem, ad vniuersalis Ecclesiæ pinnaculum, mandante Satana tentatore non ascendent.Menecrates etiam medicus,se Iouem in literis ad Agesilaum nominauit,sed habitus est insanus: & Phaëton qui Solis currum regere tentauit, omnia incendit: & Icarus vltra nidum suæ conditionis subuolans decidit:& Antonius Caracalla,qui ambitiosè titulis gloriabatur,vnde dictus est Germanicus,Parthicus, Arabicus,Alemannus, &c. à Pertinace derisus est:Adde,inquit,si placet,Geticus Maximus, vnde vt parricida notatus est, quòd Geram fratrem trucidarit. Amplificemus & nos Papæ Romani pomœria, & titulis pluribus coronemus, vt quia nominibus gaudet,salutetur Hierosolymitanus,Antiochenus,Constantinopolitanus, Alexandrinus, Sarmaticus, Scythicus,Ponticus,Vtopicus,homicida fratrum,& quia esse gestit Cancellarius vniuer-

Li.2.ca. 20.

Theodoritus,Li. 2.ca. 22.

Li.2.ca.16.

sitatis, sit vniuersalis nebulo & Oecumenicus, non Pontifex sed Carnifex: aut etiam quia Romæ alter Petrus esse cupit, vocetur etiam Cerberus: vt (ne quid ad titulum vniuersalis Episcopi deesse videatur) sit, vt cœli, sic etiam gehennæ ianitor. Quia vero, tu Sandere, insolens Monarchæ nomen ei attribuis, & hoc quoque ei concedamus: sed ita Monarcha sit, vt ille, quem olim in transmarinis partibus oberrantem vidi, & pòst in Anglia fuisse & adhuc esse audio, qui Monarcham se cognominauit, qui omnes naues quas vidit, suas esse homo fatuus somniauit. Vtinam omisso huius vniuersalis Rectoriæ honore, Damaso Rectori similis euadat, contentus suo regimine & cura Romanæ ciuitatis. Vides, Sandere, aucupium verborum quò tendat, & æquiuocum nomen Rectoris tui quò nos vel inuitos pertraxerit. Restat & tertius paralogismus tuus in tertio vocabulo, dum, quia Rector fuit domus Dei, idcirco totius domus Dei, & Catholicæ Ecclesiæ Dominum fuisse concludis: itaque de tuo addis TOTVM præter textum, & imprudens, excluso Paulo, Timotheum facis Papam & vniuersalem Episcopum: quem tamen Paulus Ephesiorum Episcopum, si tamen Episcopum cum Dorotheo nominare liceat, constituit. Non rectè consequitur, Rector fuit Damasus domus Dei, ergo in vniuersum, totam domum solus rexit: est enim elenchus à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, & pro parte totum pro specie genus, pro aliquo omne, & ita pro aliquo nihil, & pro syllogismo paralogismũ supponis. Domus autem Dei quamcunque Ecclesiam denotat quæ Deum timet, vt ipse Ambro. dixit, siue sit tota Regio, vt domus Israel, vel tribus vt domus Iudæ: siue particularis familia, vt domus Onesiphori, & Centurionis, qui cum tota domo sua Dominum timuit. Ad Hebræos, Moyses dicitur fuisse fidus tanquam famulus in tota domo Dei, cùm tamen non totam, sed Israeliticam gubernaret Ecclesiam. Solus Christus Iesus insignitur hoc nomine, vt sit magnus & vniuersalis Pontifex super domum Dei: quem zelus domus Dei, & vniuersæ Ecclesiæ verè comedit, vt ad Hebræos, & apud Ioannem legitur. Quamobrem cùm hæc tria te, Sandere, confutent, quæ pro te facere existimauisti: cùm Damasus Romæ sacerdos fuerit, & non sic Papaliter rexerit, & domum Dei suæ curæ commissam, non vniuersalem Ecclesiam administrarit, (sicuti non solum ex verbis Ambrosij, sed aliorum multorum colligi potest) si paululùm, Sandere, teipsum collegeris, melius argumentum colliges, & quàm eneruata sit hæc prior collectio facilè perspicies.

Act. 10.

Cap. 10.
Cap. 2.

At, proh dolor, quò te abripuit Zelus Domini Papæ, & domus Papisticæ? quò abduxit & seduxit te Monarchiæ tuæ contemplatio? Quòd Henricus Octauus, capitis Romani eminentiam, omnibus capitibus & ceruicibus Cæsarum, Antistitum, Populorum, tyrannicè & furiosè insultantem non agnouit: quòd illud graue iugum humeris suis & suorum excussit, & iussu Dei & consilio Cleri sui caput & moderator regni sui esse voluit: hinc eum sacrilegum & defectorem, hinc virum omnibus infamiæ notis inustum, & in reprobos sensus datum, & suo iudicio condemnatum: & Edouardum Regem puerum, & Reginam Elizabetham fœminam in eadem damnatione esse, temerè & præcipitanter audebis affirmare? Considera quid dicas, quos cõdemnes, quos reprobes. Damnati ergo & reprobati sunt sententia tua tui multi, Edouardus Læus Eboracẽsis, Steph. Gardinerus Vvintoniẽsis, Ioan. Stokeslæus Londinens. Ioan. Longlãdus Lincoln. Cuthbertus Tonstallus Dunelmensis, & Sampsonus Episcopus & alij: qui cõtra hunc Romanæ Cathedræ primatum in verbo pontificio iurarunt. Damnatus est Bonerus, Richardus Smithus, vtraque Academia, cœtus magistrorum regentium, etiam Thomas Hardingus, etiam tu Sandere, & alij socij tui: qui omnes aut manu aut voce Principi hanc obedientium spopondistis, & Romanum Pontificem abiurastis. Si pœnituit vos fidei Regibus pręstitæ & abiurationis Papæ, videte quàm periculosum sit iurare & pietate, quid sit fidem toties violare. Fateris etiam pœnituisse Henricum octauum sacrilegii sui, & defectionem à sede Romana agnouisse: sed addis, scelera non emendauit. Scio quid velis. Biblia transferri in vulgarem linguam curauit, Monachis sua lustra, id est, latronibus suas speluncas non restituit, pro his Ptochodochea & Scholas erexit, pro his duo magnificentissima Collegia amplissimis reditibus donauit, alterum Oxoniæ Christo, alterum Cantabrigiæ Trinitati dedicauit, pro his Cathedrales Ecclesias nouas extruxit, Papam vestrum eiectum non reuocauit, non indulgentias, non peregrinationes, non sectas, non ceremonias, hæc sunt peccata quæ non correxit. Imò peccata alia his addidit, Annam Bolenam matrem Elizabethæ nostræ, Cranmerum, Cromvvellum Comitem Essexensem, Deneum Equitem, Doctorem Bursum, omnes pios monitores audiuit, de religione cum illis contulit, & filium

Henricus 8.

Edouardus
Elizabeth.

filium Principem in eadem rectè institui mandauit, Gardinerum è Testamento suo expunxit, & Legatis Regis Galliæ & Ducis Saxoniæ, suam de reformatione Ecclesiæ voluntatem & studium significauit, literis ad Bonerum datis præcepit tolli monumenta superstitionis, Ramos, Candelas, Ossa, imagines, & abrogari superstitiosas & superfluas ferias: & ipsam Missam, vestrum dulce delicium, vestrum Palladium, si vixisset, omninò exterminasset. Fœlix ista damnatio Henrici & Principum nostrorum qui sic peccant, qui ista condemnant: & miseri sunt isti tui Martyres, & Confessores, & doctores Catholici, qui ob confessionem Romani Pontificis, id est hominis, aut exulare, aut vinciri, aut mori, aut vllo modo pati elegerunt, cùm ipse Pontifex Romanus Petrus petram Christum, non Papam hominem confessus sit: cùm ea sola confessio Petri sit quam Christus probauit, quam non caro & sanguis, sed pater cœlestis reuelauit: cùm maledictus sit qui carneo aut humano brachio nitatur: cùm nec Paulus nec Petrus, nec Papa quisquam pro nobis sit crucifixus: cùm in Christi nomine tincti simus, quem diuidi aut suo singulari priuilegio spoliari, Apostolica religio non sustinet. Non est illa Diaboli Ciuitas, non sunt hæretici, non schismatici, non puritani, quos tu in Monarchia tua esse imaginaris: nec est Ciuitas Dei, quam tu velut Babylonicam turrim tuopte ingenio & humana molitione extruxisti. Hæc obiter de tuo nouo Monarcha. Faxit Deus vt posthac in Iuellum, & in teipsum sis mitior, & veritatis studiosior, atque adeò salutis tuæ sitientior. Sed te relicto ad illam reuertar.

Vt autem Hardingus causam hanc suam mordicus & masculo animo tueri videretur, & coram suis sapientiam suam iustificaret, & Iuellum virum magnificè pollicentem & promissa non complentem, & nubem & ventum absque imbre & pluuia esse suis confirmaret, alia transmatina excudit, ex officina Ioannis Fouleri profugi, de Missa priuata & Missæ sacrificio: nouum auctarium de integro adiungit, in quo partim mutabilitatem & inconstantiam suam excusat, cum hoc corollario ex Cypriano: Nos errorem nostrũ confitemur, circũuenti sumus perfidiâ, loquacitate factiosa amẽtes. In quibusdam se torquet, & tanquam in luto hæret: quibusdam instar Sepiæ, atramentum & tenebras offundit: fatetur, diffitetur, ait, negat, digreditur vixdum ad se reuersus. Ex quibus hominis curta supellex & sterilitas apparere potest, quòd ex tot articulis copiosè, doctè, abundè à Iuello probatis, vni solum responderit, & in illo vno multa transierit: quæ tamen Iuellus in Recognitione sui libri postea satis diluit. De omnibus verò argumentis contra veritatem, id dici potest, quod de suis libris pronuntiauit Epictetus: HAEC QVIDEM SVNT INFERNORVM SOMNIORVM PHANTASMATA.

Hardingi aliud Rescriptum.

Iuelli in Noua Editione Responsum.

Anno Domini 1562. edita est Ecclesiæ Anglicanæ Apologia: quæ licet Regiæ Maiestatis autoritate & assensu probata, & de consilio Episcoporum aliorúmque publicata sit, tamen ab hoc autore pertexta & conscripta est, tanquam omnium Anglorum fidei Catholicæ & Christianæ publica confessio: in qua noster cum Germanis, Helueticis, Gallicis, Scoticis, Geneuensi aliísque purioribus Ecclesiis consensus docetur: & causa discessionis nostræ à Romana sede monstratur, & pura dictione Christi syncera doctrina illustratur, maximísque tum eloquentiæ, tum argumentationis viribus asseritur: & iis calumniatoribus respondetur, qui nos ad Concilium generale Tridentini à Pontifice indictum, nõ venisse, nec eò Legatum aliquem misisse, nec absentiã per literas aut nuntios excusasse quiritantur: maximè cùm eo reliquæ nationes vndique conuenerint, cùm ibi ex omni genere hominum doctissimi grauissimas controuersias disceptent, cùm ibi Patriarchæ, ibi Archiepiscopi & Episcopi, ibi Abbates, ibi Generales ordinis Minorũ, Conuentualium, Eremitarum Sancti Augustini, Beatæ Mariæ, de monte Carmelo, Sæculares, Regulares, Religiosi, Principum aliorũ Oratores, ipsiúsque Cæsaris procuratores considerant: ibi summus Pontifex spiritualiter adsit, ibi Ioãnes Maria de mõte, Episcopus Prænestinus, Marcellus Coruinus tituli sanctæ Crucis in Hierusalẽ Presbyter, Reginaldus Polus Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus, aliique aliás à latere sanctissimi patris legati, pacis Angeli, sic enim eos vocat Synodus, præsideant: cùm ibi sit Christi Cathedra, spiritus Sanctus, Trinitas & vnitas: cùm in Conciliis & religio cõponi, & contentiones tolli, & ruinæ Tẽpli refici, & ambigua explicari, & veritas patefieri, & hæreses expugnari soleant: cum in eiusmodi sacra consultatione Arrius, Macedonius, Eutyches, Pelagius iam diu succubuerint: cùm sine Conciliis in religione quicquam tentare, piaculum & nefas habeatur. Quid? Soli Angli non affuerunt? Qui censum egit, si capita singula exactius numerasset, si omnia Concilij loca diligentius inspexisset, certè vidisset præsentem Richardum Patum An-

Apologia Ecclesiæ Anglicanæ.

Causæ cur Angli ad Concilium Trident. nõ venerint.

glum, titulo tenus Episcopum Vvigorniensem, quasi illum Luciani Alcidamantem, qui in conuiuium irrupit non vocatus: vidisset aliquot Cardinales fratres Papæ, aliquot Principes eius filios, Patriarchas, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, Presbyterum Ioannem, Orientales, Occidentales, Ægyptios, Indos, Legatos Regis Daniæ, Principum Germaniæ, Regis Scotiæ, Prussiæ, Liberarum Ciuitatum, Argentinæ, Vlmæ, Basiliæ, Heluetiorum, imò ipsum Pontificem non interfuisse, ipsum qui reliquos omnes Reges & alios Christianos conuocauit, abfuisse, ipsum desideratum fuisse, ipsum in eorum conspectum non prodiisse, cùm tamen Petrus Apostolus, de cuius sede tantoperè cùm libet, animi causa secum triumphat, in Hierosolymitana Synodo adfuerit. Quis autem sanus Anglus & liber, sui iuris & suæ mentis compos, ad eum locum se referret, qui in cōfinibus Germaniæ & Italiæ situs, à nobis terra marique longè latéque est disiunctus? vel ad Concilium, quod erat non solum prorsus incertum, sed variè impeditum, Mantuæ indictum, sed à ciuibus non admissum, Vincentiam & quoque Bononiam translatum, sed mox intermissum, Tridentum iterum reiectum, sed in quo à prima die Maij, vsque ad vndecimum Octobris nihil est transactum, sæpe vocatum, sæpe reuocatum, inchoatum, dissolutum, factum, infectum, quod subinde compluribus impedimentis & difficultatibus obiectis Deus interpellauit & disturbauit? Rhodo prius amissa, Hungaria vexata, Rege mortuo, Turcis inuadentibus, Germanis periclitantibus & tumultuantibus, bello contra Austriam & Illyricum suscepto, Belgis à Cæsare defectionem meditantibus, religione extra & intus oppugnata, Carolo quinto & Francisco Gallorum Rege inter se hostiliter dissidentibus, tota Christiana Repub. multis calamitatibus & detrimentis affecta & consauciata: Peste demum ingruente, & Patres ipsos sanctissimos infestante, vnde propter Episcoporum penuriam, Legati Pontificij eo tempore sacrum senatum dimiserunt. Ita cùm & tempus longum & incommodum, iter infestum & longinquum, & sumptus grādes, & altercationes aculeatæ, & res leuiculæ essent: cùm autoritas iuberet, ratio sileret, & expectatio magna, & exitus aut nullus aut infœlix: cur Angli eò se reciperent? cur se in tantùm discrimen coniicerent? præsertim cùm intelligant, illud Concilium non solùm in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti collectum, sed beatissimorum Petri & Pauli, & Papæ autoritate (nam eadem potestate se in terris fungi declarat Pontifex) congregatum? cùm audirent Protestantibus liberum aditum, & plenam securitatem non concedi? amplissimam illam publicæ fidei promissionem, conditione quadam temperatam, MODO AD COR REDEANT, ET SANCTAE ECCLESIAE CATHOLICAE MATRIS POTESTATEM AGNOSCANT? Cùm scirent Contarenum Tituli Sancti Praxedis Cardinalem in Ratisponensi conuentu legatum agente, petitum esse, vt quosdam Protestantium articulos tolerandos declararent, & tamen à Pontifice non impetratum, quia nec Catholica Ecclesia, nec sua, nec sedis suæ Apostolicæ dignitas permitteret? cum exploratum haberent dominos Legatos sedendo iudicare duodecim tribus Israel, & solum iuratos & dilectos filios, quibus iure aut priuilegio in Conciliis respondendi potestas data est, liberam sententiam dicere? cùm didicissent tot sanctos Prælatos aut Pilatos potius, nec increscentes hæreses reuellere, nec lapsam disciplinam emendare, nec Remp. armis externis & domesticis confossam sanare voluisse? quantumuis tribus hisce de causis, se conuenisse profiterentur: quantumuis apertè Bitontinus in oratione sua, & alii confiterentur, eos in fundamento actionum omnium errasse, qui Christum vnicum seruatorem & pastorem non agnoscerent: eos fontem aquæ viuentis reliquisse: eos ipsos malorum omnium ad quæ corrigenda vocati essent, reuera causam extitisse: eos auaros, ambitiosos, cupidos, & negligentes agricolas fuisse, qui vepres in agro Dominico ortos, & vitiosas herbas pullulantes non extirparent: quòd indignis sacerdotia conferrent, bona Ecclesiæ & pauperum dilacerarent, populum verbo Dei priuarent, à Laicis, præterquàm in vestis genere, non differrent: quòd sal infatuatum essent: quòd frustra Concilium intrarent, frustra Spiritum sanctum in Missa è cœlo deuocarent: quòd si Dominus eos pro meritis castigaret, iampridem sicut Sodoma & Gomorrha fuissent.

Oratio Bitontini.

Et quam tandem Apostolicam fidem, Angli ab istis Tridentinis Apostolorum successoribus hausissemus? vetustam scilicet translationem, mendísque innumerabilibus plenam, solùm esse autenticam, Interpretationem Sacræ Scripturæ ad sensum matris Ecclesiæ accommodandam, libros ab Ordinario non probatos, sub pœna Anathematis & pecuniæ in Concilio Lateranensi appositæ & appensæ non imprimendos, opera infidelium ante iustificationem, non esse peccata, homines ad gratiam assentiendo & cooperando

Zizania Synodi Tridentinę.

rando disponi & præparari:sola fide impium non iustificari: fidem iustificantem non esse fiduciam diuinæ misericordiæ propter Christum peccata remittentis: mandata Dei factu possibilia: certam de salute nostra persuasionem, esse inanem hæreticorum præsumptionem: Sacramenta gratiam & conferre & continere: Catholicam Ecclesiam habere potestatem dispensandi in administratione Sacramentorum, quòd Paulus Apostolus scripsit, Sic nos existimet homo tanquam ministros & dispensatores mysteriorum Dei: esse numero septem, nec plura nec pauciora: Confirmationem, nec Ceremoniam esse, nec Catechesim, sed verum & proprium Sacramentum, eiusque ministrum esse non quemuis simplicem sacerdotem, sed solum Episcopum: Clericos in sacris ordinibus constitutos, etiamsi donum se castitatis habere non sentiant, Matrimonium non posse contrahere: in almo Eucharistiæ Sacramento, post panis & vini consecrationem, Dominum nostrum Iesum Christum, verum Deum atque hominem, verè realiter substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri: Transubstantiationem conuenienter dici & credi ab Ecclesia Catholica: huic Sacramento Latriæ cultum, qui Deo ipsi debetur, adhibendum: hoc Sacramentum rectè in sacrario asseruari: peracta consecratione, esse corpus & sanguinem Christi, etiam dum non sumitur, itemque in omnibus hostiis & particulis post communionem remanere: non fidem Christianam, non Paulinam probationem sui ipsius, non tacitam contritionem sufficere, sed necessariò confessionem sacramẽtalem præmittendam: Consuetudinem sub altera specie communicandi approbandam, & pro lege habendam: totum & integrum Christum sub qualibet specie accipi: aquam vino in calice miscendam: Missam esse illam mundam immolationem, omnium figurarum consummationem & perfectionem: in diuino Missæ sacrificio, eundem Christum incruentè contineri & litari, qui cruentè seipsum in ara crucis obtulit: illum in Missa pro fidelibus viuis & defunctis, & pro eorum pœnis, peccatis, satisfactionibus, necessitatibus offerri: Missam priuatam, non esse priuatam sed communem, quia spiritualiter populus communicat, & à publico ministro celebratur: Canonem Missæ ab omni errore purum, sanctitatem & pietatem redolere: non expedire vt vulgari lingua administretur: animas in Purgatorio, hoc Altaris sacrificio, & fidelium piis suffragiis iuuari. Pudet omnia decreta Tridentina referre, Ordinationes de Abbatibus & Abbatissis, Monialibus, Regularibus, Diaconis, Subdiaconis, ostiariis: de inuocatione, veneratione, reliquiis, & imaginibus sanctorum: De indulgentiis, delectu ciborum, festis diebus, Missali, Breuiario: de ritibus Ecclesiæ Romanæ, quæ magistra ibi dicitur & mater omnium, retinendis: de pueris in Cathedrali Ecclesia instituendis, vt tonsura & clericali habitu vtantur, vt Cantum & Computum Ecclesiasticum, Homelias sanctorum, Sacramentorum, maximè Confessionis Ceremonias & ritus addiscant, Missæ diebus singulis intersint, peruicaces & offendentes puniantur, & expellantur. Nihil dico de clancularìis & cruentis bonorum & Christianorum in Scotia, Anglia, Germania, Gallia, mactationibus & sacrificiis, quorum initia & iniquissima & impia hactenus nos vidimus, & audiuimus, & multi senserunt: quorum fæces ipsi diuino iudicio, nisi maturè & verè resipuerint, epotabunt. At si alij Papæ tributarij velint eius nutui parere, & Seruo Seruorum abiectè seruire, si vicini adesse non molestum putent: tamen cur Angli tot spatia, tot itinera, tot maria conficerent? ad eum Pium præsertim, qui emptis suffragiis, corruptis Cardinalibus ad dignitatem ascendit: ad eum qui de sede pestilentiæ nihil religiosum pronuntiare poterit? Ad infames, inquit ille, vetuit me mater accedere: Et sapuit vulpes, qui in antrum Leonis non ingressus est, nimirum aspiciens vestigia intrantium, sed non exeuntium. Non nesciebamus quid Pij maiores egerint, quid contra nos edixerint, qui populum in principem nostrum armarunt, qui regibus nostris sceptra detraxerunt, qui Regnum Angliæ suum esse, suo nomine possideri iactitarunt, qui modò hunc, modò illum Regem in nos commouerunt: nec nesciebamus, quid ipse Pius molitus & minatus fuerit, cuius dicta & facta, non ita tecta, non recondita sunt vt non potuerint intelligi. Ad hoc Oecumenicum scilicet Concilium nos veniremus, nobis periculosum & perniciosum, & quod consultoribus ipsis consilium fuit pessimum & exitiosum? quod Dominus multis modis sibi valdè displicere significauit? quod tam pestiferæ doctrinæ virus dispersit? quod Christianis innocentibus plagam capitalem inflixit, ipsisque autoribus interim attulit? quod Paulum tertium, Iulium tertium, Pium quartum & quintum sustulit? His scilicet peractis & conclusis, clamatur, Ire in pace, cùm non pacem, sed gladium in orbem vniuersum miserint: his constitutis, acclamat Cardinalis Lotharingus, Beatissimo Pio, patri & Domino

nostro, scilicet vniuersalis Ecclesiæ Pontifici, multi anni & æterna memoria. His determinatis, Cardinales accinunt suum Placebo: Beatissimorum & summorum Pontificum animabus, Pauli 3. Iulij 3. pax à Domino, æterna gloria & fœlicitas in luce Sanctorum: & alij suum Euge addunt, Cardinalibus cum multis annis magnæ gratiæ. Notandum Papis locum primum in Acclamationibus dari, qui ordo, cum antiquorum Conciliorum instituto pugnat, in quibus primę partes Imperatori & Regibus: posteriores Episcopis tribuũtur. Notandum secundò, preces hîc fieri pro Papis, cùm tamen doceant non bonos, non malos, sed medios in Purgatorij Ergastulum contrudi, & precibus releuari: Papas verò & viuere & mori sanctissimos. Hæc hactenus, vt causas ostendam, cur hæc Apologia scripta sit, & vt rationes nonnullas reddam, cur & Anglia ad hoc Concilium non venerit, & cur omnes ab eiusmodi conuenticulis & abesse, & abhorrere debeant. His Dominus apud Esaiam prophetat, Inite consilium & dissipabitur: His apud Ezechielem respondet. Venerunt viri Israel ad interrogandum & sederunt coram me: quibus Dominus, Viuo ego Dominus Deus, non respondebo vobis.

Apologiæ hæc causa fuit, vt omnes doctrinæ partes & fundamenta quam tuemur, videant, & vires argumentorum quibus nostra religio nititur, intelligant: cuius breuitatem, subtilitatem, elegantiam, robur ac firmamenta non attinet commendare, quam qui legerunt candidi lectores, multis laudibus exornant. Hosorius autem, quia dicit à se lectam non esse, mirandum non est si in multis fallatur. Errat, quando confidenter affirmat Haddonum nihil explicare, nihil purè dicere, nihil argumento concludere, se, quia maioribus eloquentiæ arietibus non oppugnatus est, contemptum esse, & summa iniuria affectum. Fallitur quandò dicit, Haddonum magno spiritu elatum: si eloquentia nititur, infantem esse: si veritati confidit, multa confingere. Fallitur quandò imaginatur nos conuictos esse & vociferari, confixos & tumultuari, multa sine vllo modo, extra causam congerere, nos apud populares nostros immoderatè iactare. Non sic Haddonus Christum didicit, non sic Apologiæ scriptor insaniuit, non sic qui Euangelium verè acceperunt, pueriliter ineptiunt. Fallitur quando id assumit, se nimirum scire Apologiam à doctore Haddono fuisse scriptam, quam tamen ab hoc Episcopo compositam esse, certum est: scire eam fuisse per virum grauem & pium & doctum egregiè refutatam, quem tamen ille non nominat, nec linguam intelligit, nec hactenus quisquam inuentus est qui voluerit & potuerit Latinè refellere, etiamsi omnium sermone tritum sit: Synodum Tridentinam vidisse, & in eam acriter inquisiuisse, & id respondendi pensum Hispano cuidam & Italo iam olim demandasse. Sed Endymiones illi nondum euigilarunt, adhuc suum somnum dormiunt, & ranæ Tridentinæ, credo, vt olim Seriphiæ, vocem non edunt, sed obmutescunt: in eo tamen satis vocales, quòd in suo hæreticorum Catalogo, cũ re nõ possint, verbo condemnãt. Qui enim possunt qui humi repunt, Solẽ è mundo tollere? aut veritatis coruscantes radios obscurare? aut verbi diuini immotam Petram concutere? aut humanæ stultitiæ figmentis sapientiam cœlestem confutare? aut vermiculi cum sint, Deo resistere? Quantumuis enim vel torrente incitatius eorum tumida rapiatur oratio, nunquam tamen, nisi cum demente Icaro demergi velint, in Oceanum pertenuem cymbam remis propellent, quæ se potius intra amnis angusti ripas continere debeat. Durum est contra stimulum calcitrare, & malè erit Lupo qui contra cœlum, contra Leonẽ de Tribu Iudæ vlulat, nec molitiones illæ ac machinationes Nimrodianorum, licet ad cœlum vsque extructæ sint, turrim suam Babylonicam sic vnquam erigent & exaggerabunt, vt diuina manu non statim corruat.

Hosorius.

Apologiæ summa.

Apologia vero sic confecta est, vt prima pars sit veræ doctrinæ illustratio, & paraphrastica quædam duodecim fidei Christianæ Articulorum expositio: Secunda succincta & solida obiectionum reprehensio. Si spectetur ordo, nihil distributius: si perspicuitas, nihil lucidius: si stylus, nihil tersius: si verba, nihil splendidius: si res, nihil neruosius: quam ego non solùm optarem Hosorium in manus sumere, sed etiam in omnibus scholis Christianæ iuuentuti ad ediscendum proponi: ex qua & eloquentiæ præceptiones, & pietatis initia tutò & plenè hauriantur.

TITVLI autẽ & loca præcipua sunt, de fide Catholica in beatã & indiuiduã Trinitatem, de Ecclesia eiusq; vnico & nobilissimo Capite Iesu Christo: de ministris & eorũ functione, & Episcoporũ æqualitate: contra absolutã & immoderatã Romani Põtificis Hierarchiã: de clauibus: de cõiugij sãctitate, libertate, honore, ac dignitate: de Scripturarũ Canonicarũ autoritate & perfectione, in quib. omnia necessaria ad salutem cumulatè tradũtur: de

Sacra

Sacramentorum præstantia, effectu spirituali, numero: De Baptismo regenerationis lauacro, & Eucharistia animorum dulci pabulo & epulo: Contra mutilationem Sacramenti, Transubstantiationem, nundinationes & auctiones Missarum: Christi cœnam non esse scenam aut Pompam: Purgatorium esse fatuum commentum: Ceremonias otiosas & superstitiosas in Ecclesia, rectè & iustè resecari: Deum lingua nota appellandum: Vnum & solum inter Deum & homines sequestrem esse Christum: omnes nos labe, id est peccato originis infici: Legem perfectam obedientiam requirere, sed non perfici à nobis in hac vita: omnes salutis nostræ rationes in Christo solo constitui, non tamen vt laxè aut solutè viuatur: Carnem resurrecturam, vitam fore æternam piis & impiis. Quid horum vel ab Hosorio non legi, vel à Petro Cunnero Louaniensi Censore, vel à quouis Critico Inquisitore non probari posset? Deinde confutat Apologia, & damnat, & ad portas vsque inferorum ablegat omnes hæreses, siue Octingenta quas Epiphanius, siue plures quas Augustinus numerauit, siue quæ olim serpserunt, siue quæ hodie conualescunt, quamuis frumentum & lolium, palea & granum simul nasci soleant. Detestatur sectas & dissensiones: Lutheranorum & Zuinglianorum nomina non agnoscit. Romani non tanta animorum conspiratione inter se conglutinantur, vt non in eorum dogmatibus, ritibus, moribus, vestibus, factionibus, seu ordinibus plurima discrepantia & dissectiones existant. Optat vt quondam in Concilio Chalcedonensi factum est, omnes dissidiorum fibras extirpari, & amnestia sempiterna sepeliri. Nos impios esse & Atheos aut factiosos, sicuti vulgò traducimur, pernegat: & quamuis Euangelici non sint Angeli, tamen licentia ea morum si quæ sit, non est culpa Euangelij: Si in Germania & in Anglia solùm oculos non figerent, & si domi non nimis cæcutirent, viderent quid Canonistæ doceant turpiter, quomodo Romæ agatur nequiter, viderent vix vllam disciplinæ apud eos imaginem: Aloizios, Diazios impunitos volitare: sceptra de manibus, Diademata de capitibus Regum eripi: Heluetiorum statum mutatum, & Leopoldum Austriæ Ducem sub Bonifacio octauo interfectum, antequam natus esset Zuinglius: Romanum Pontificem dominari dominantibus, quosuis pro libidine extollere, exturbare: non esse Euangelicos proditores, non Regum hostes, aut seditiosos Rerumpub. ciues: Hanc obsoletam esse calumniam de Elia, de Amo propheta, de Iudæis apud Assuerum, de Christo, de Apostolis, de Christianis primæ Ecclesiæ: Catholicos non esse omnes qui dicuntur, non Ecclesiam, non templum Domini, vt nec Iudæi, nec Arriani, neque Nestorius, nec Ebion, nec Mahumetani, nec Pseudoprophetæ, qui omnes religionem profitentur, omnes hoc veræ fidei velo se contegunt: Ecclesiam sæpe infuscari, imminui numerum, eius inanem esse splendorem: vt Galatarum & Corinthiorum, sic Romanorum posse errare: in loco sancto desolationem, in templo Dei Antichristi tabernaculum inueniri: Romanam Ecclesiam non à Protestantibus solum accusari: de ea conqueri Bernardum, Rogerum Baconum, Gersonem, fratres Lugdunenses, Adrianum Papam, Pigghium, Græciam totam, & Asiam, Marsilium, Petrarcham, Laurentium Vallam, Baptistam Mantuanum, Cardinalem Polum, Æneam Syluium: Romanam Ecclesiam, veram Ecclesiæ notam, scilicet fundamentum Prophetarum & Apostolorum non habere: hoc verbum eam fugere vt Latro crucem: Ab illis Ecclesiæ columnis & præsidibus libros comburi, lacerari, aboleri, deprauari, vt olim ab Aza, Antiocho, Maximino, Herode, (quod hæreticorum est, vt Chrysostomus, Theophylactus, Tertullianus, aliique testificantur) vt quasi Gigis annulo, sic ignorantia & tenebris suis tuti, inconspicui ambulent. Nouitatis crimen non est nouum, cauillatio est Amani, Atheniensium, Celsi, & aliorum, & antiquitas à multis prætexitur, vt Magi sua ad Mosen & Raphaëlem referunt. Nec ipsi cum patribus consentiunt, non cum Elibertino Concilio, & Epiphanio in cultu imaginum: non cum Origene & Chrysostomo in lectione Scripturarum: nec cum Iustiniano & Concilio Carthaginensi in earum clara pronunciatione: nec cum Concilio Gangrensi, Cypriano, Epiphanio in libero vsu matrimonij: nec cum Augustino in votis, Ceremoniis, Monachatu: nec cum vetere Romano Concilio in Concubinis: nec cum Apostolicis Canonibus: nec cum Clemente in vtriusque gladij administratione: nec cum suis Papis aut patribus, Iulio, Leone, Gelasio: nec cum Synodo Tridentina sua in multis casibus. Pro antiquitate nouitatem dederunt: pro tritico paleam: pro venis aquæ viuæ, cisternas lutulentas: pro domo orationis, speluncam Latronum: pro Christi doctrina, fermentum Pharisæorum: pro lege Dei, infirma mundi elementa, traditiones, cruces, sputa, suffitus, pallia, galeros, Ceremonias. Hæc sunt myrothecia, hæc pigmenta Romanæ re-

ligionis, Hieroboami Romani, aurei scilicet vituli. Scilicet hæc Ecclesia non potest errare: Scilicet vt veteres Romani olim Victoriæ, sic nostri Romani Veritati alas detraxerũt, ne ab istis auolet.

Apostatas esse nos oblaterant, & ab ipsis discessisse? Recessimus quia ipsi à prima Ecclesia Dei, & à Græcis recesserunt: quia schismaticum non est, si Lothus è Sodoma, Abraham è Chaldæa, Hebræi ex Ægypto & Babylone, Christus à Iudæis, Paulus à Pharisæis, Daniel è cauea Leonum, tres Pueri ex incendio, Ioannes è Cerinthi balneo, exeat: si ad eã Ecclesiam accedatur, vbi omnia castè & proximè ad priscarum Ecclesiarum consuetudinem administrantur. Si nostram Ecclesiam cum Romana conferre, si animo tranquillo & ad discendum comparato audire velint, se ad nostras partes aggregabunt.

Sine Oecumenico Concilio fas nõ est quicquam aggredi? Ineptè & ridiculè Agesilaus, qui certus de voluntate Iouis, ad Apollinem retulit. Petrus Concilio restitit, Paulus sine Concilio docuit. Nos etiam Concilio pleno & libero egimus, cùm in ipsorum Conciliis non disceptent nisi ferrum & flammam ad manum habeant, nisi feris rationibus pugnetur: cùm illud Concilinm Abbates crassos, & Episcopos luscos & mutos recipiat, quasi spurij possint aut debeant facere ciuitatem, aut vespæ fauos, aut Marcionitæ Ecclesias: cùm & aliàs & nunc Tridenti subscribatur, Salua semper in omnibus sedis Apostolicæ autoritate: cum Tridenti sex annos frustra sederint, & nihil correxerint. Zozimus Nicænum Concilium corrupit, Nazianzenus Conciliorum euentum non probat, Athanasius ad Cæsariense non venit, nec ad Concilium Arrianorum Chrysostomus, nec ad Mediolanense Paulinus Treuerensis, nec ad Syrmianum Occidentales Episcopi, à quo etiam subduxit se Athanasius, vt à Palestino Paphnutius & Maximus: Adde quòd isti Principum Legatos sæpe excludant, & Pius quartus cum Imperatore quasi cum famulo voluntatem suam communicet. Quondam ipsi Principes Conciliis præfuerunt, Moses, Dauid, Ioas, Iosias, Ezechias, Iehu, Constantinus, Theodosius, Martianus, qui etiam Concilia conuocarunt, & autoritatem suam interposuerunt, vt Acta Chalcedonensis, Constantinopolitani tertij, Araunsicani secundi indicant. Et cur non reficitur Ecclesia à verbo Dei, vt ab Esdra, à Constantino in Nicæno Concilio, à Paulo in cœna Dominica? Cur prouinciali aut municipali Concilio nostris rebus non prospicimus, vt Carthago, Ancyra, Gangra, Neocæsaria, Germania, & olim Anglia, aliaque regna, sic errores in ipso vestigio vbi nati sunt extinguentia? Nec generale dici debet Tridentinum, cùm multi abfuerunt, & qui adfuerunt, multi ita indocti, ita indiserti, vt ad sacra legenda, & ad Grammaticos relegandi videantur. Nec fœdus cum illis tutò feriri potest, cùm simile sit Regis Ammonitarum cum Iabensibus, vt nos oculis & mente captos derideant: cùm nostros Reges, Henricum secundum, Ioannem, Henricum octauum contumeliosè tractarint. Sed quid ego Apologiæ compendium contexo, cùm ipse liber extet, & sine dispendio commodè non possit contrahi? Sed ideò feci, vt qui libros nolunt, saltem tabulas & Epitomas inspiciant.

Hunc Herculeum laborem alter excipit, & hoc negotio sic confecto, eiusdem Hardingi euolat nouus liber, nempe Antapolagia Apologiæ huius Confutatio, itémque, vt ipse inquit, Iuelli mendaciorum & errorum detectio, quæ vt in ipsa prima fronte procax & minax est, ita in ipso recessu & progressu non est sui dissimilis. Nec solum Hardingi acuta cuspide petitur, sed aliorum multorum conuiciis, contumeliis, Sycophantiis configitur. Hunc Nicolaus Sanderus, Stapeltonus, Rastallus, Dormannus, Heskinus, Anglicè: Hunc Alanus Copus Latinè. Hunc alij inuadunt, in hunc omnes se cateruatim commouerunt, hunc conati sunt lacerare, sauciare, iugulare. Cum Hardingo obiter Alexãder Novvellus manus conserit, sed ex professo cum Thoma Dormanno confligit, & hominem alioqui ingeniosum, orationis torrente & turbine prosternit. Cum aliis eius farinæ commilitonibus, atque etiam cum Dormanno Iuellus ex professo non congreditur, nisi quòd interdum in transcursu istos tangit: Hardingum verò nominatim punctim & cæsim ferit, alios vt catulos latrantes ferè despicit: hunc vt molossum dente pugnantem exagitat, ratus esse pulchrius, & Episcopo dignius tyrũculos præterire, & cũ veterano contẽdere.

Hardingi Antapologia.

Defensio Apologiæ.

Excuditur autem Apologiæ contra Hardingi confutationem defensio. 1567. Octobris 27. non sine Regiæ maiestatis bona venia, summa gratia & singulari priuilegio. Quod propterea noto, ne quis rursus obstrepat, ex hac scola Hardingica, Iuellum in Anglia sine priuilegio & Regio diplomate libros cudere. Vt autem Apologia ab exteris piis summoperè in pretio habita est, & in varias linguas, Germanicam, Hispanicam, Italicam,

cam, Gallicam transfusa: ita si hæc noua calumniarum aduersus Ecclesiam Anglicanam Apomaxis & abstersio Latinis auribus reddita, ad hominum manus perueniret, nullum opus in hoc quidem genere absolutius, politius, eruditius, qantitate maius, qualitate perfectius, ingenio & arte limatius extare, mecum credo ingenuè faterentur. Non eo inficias, in opere magno fas esse somnum obrepere, & confiteor aduersarios quædam ab eo adducta carpere: sed & minuta sunt, & ad iugulum causæ non pertinent, & ab ipso vel in aliis libris, vel in hoc, vel in postremo huius defensionis supplemento, & Hyperaspiste ante obitum in noua editione interserto, satis & abundè confutantur. Quod si aduersariorum quotquot viuunt, conscientias appellarem, non dubito quin plerique omnes vno ore dicerent, hunc defensorem (sic enim ironicè eum D. Hardingus vocat) hominem quidem qui labi & errare possit, sed hominem tamen diuinum & mirabilem fuisse. Hardingus in sua confutatione nonnullis Iuelli testimoniis nititur fidem derogare, sed non satis bona fide, nec satis firma ratione. Negat Hildebrandum, alioqui Gregorium septimum Romanum Pontificem fuisse Necromanticum: aiunt Benno Cardinalis, & Abbas Vrspergensis. Negat Henrico Imperatori intoxicatam Eucharistiam à religioso traditam: aiunt idem Abbas, Baptista Egnatius, Supplementum Chronicorum, Rauisius textor, Carion, Auentinus. Negat victorem in calice venenum haussisse: aiunt Martinus Polonus, Volaterranus, Matthæus Palmerius, Fasciculus temporum. Negat Liberium Papam Arrianismo infectum, ait Hieronymus. Negat Zozimum Papam Nicænum Concilium corrupisse: ait Concilium Aphricanum. Negat Papam Iohannam vnquam Romæ, tanquam Semiramim habitu virili, Papali prærogatiua sic regnasse: & tamen multi aiunt, Martinus Scotus, Martinus Polonus, Sabellicus, Leonicus, Chalcondyla, Platina, Antonius Episcopus Florentinus, Volaterranus, Nauclerus, Constantinus Phrygio, & alij. Negat vnquam decreuisse Canonistas, Clericum propter simplicem fornicationem non esse deponẽdũ: ait Panormitanus, & scriptum est in textu & in margine. Negat Ioannem Papam vicesimum secundum, de animorum immortalitate perperàm sensisse: ait Schola Parisiensis, ait eius Cancellarius Gerson, aiunt Patres Constantienses. Quod non meis sed ipsius Synodi verbis confirmo. Sessione vndecima sic legitur, etiam Missa cantata de spiritu sancto, & Protonotariis & Notariis, & Legatis Studij Parisiensis præsentibus & attestantibus.

Patres Constantienses Ioan. Papã condẽnant.

In primis denuntiant, dicunt, asserunt, ponunt, & si necesse fuerit, probare intendũt, quòd Dominus Papa vigesimus tertius, à tempore iuuentutis suæ, seu dum Balthasar de Cossa appellabatur, fuit homo malæ indolis, inuerecundus, impudicus, mendax, parentibus suis rebellis & inobediens, plerisque vitiis deditus, ac talis & pro tali fuit communiter dictus, tentus, creditus & reputatus ab omnibus ipsius notitiam habentibus: & adhuc dicitur, tenetur, creditur & reputatur pro tali & vt talis, ac fuit & est de præmissis manifestè ac palàm, publicè & notoriè diffamatus. Quinimò contra sanctorum patrum decreta, & contra laudabiles Romanæ Ecclesiæ consuetudines veniendo, velut Paganus diuina officia contempsit: Officium pastorale non debitè in diuinorum administratione exercuit, et si aliquoties celebrauit, hoc fuit currenter more venatorum & armigerorum. Item, quòd deinde Dominus Ioannes Papa prædictus Concilio Pisano adstrictus, pro reformatione Ecclesiæ in capite & in membris, in vrbe Romana Concilium generale conuocauit, & ibi in pluribus sermonibus antè & pòst publicè correptus & monitus, minime se emendauit. Quinimò temporis successu, continuè Diabolico instinctu incorrigibilis, peiora prioribus perpetrauit, & sic fuit & est verum. Item quòd dictus Ioannes Papa vigesimus tertius, sæpe & sæpius coram diuersis Prælatis & aliis honestis & probis viris, pertinaciter, diabolo suadente, dixit, asseruit, dogmatizauit & adstruxit, vitam æternam non esse, neque aliam post hanc: Quinimo dixit & pertinaciter credidit, animam hominis cum corpore humano morte extingui adinstar animalium brutorum: dixitque mortuum semel, esse etiam in nouissimo die minimè resurrecturum, contra articulum de resurrectione mortuorum.

Negat in Concilio Carthaginensi tertio cautum esse, solum Canonicas scripturas in Ecclesia legendas: ait tamen expressè & disertè Concilium, vt præter catholicam scripturam nihil in Ecclesia legatur: nec quicquam in eo Canone, vigesimo quarto de passionib. martyrum legendis Grecè reperio, etiamsi aduersariis placeat Iuello quasi victo insultare. Quãquam & Hipponensis synodus capite tricesimo octauo, & alij authores huic Carthaginensis Canonis decreto astipulantur. Negat eodem Concilio prohibitum, ne quis pri-

mus seu primæ sedis Episcopus nominetur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, cùm tamen trigesimo s[illegible]o Canone clarè exprimatur, cùm distinctione nonagesima nona Gratianus idem de [illegible]piscopo Romano efferat. Vniuersalis autem nec ipse Romanus Pontifex appelletur: cùm illud totum Concilium huc ferè spectet, vt omnes meatus & aditus ad Romanum Pontificem intersepiantur: cùm decimo septimo Canone iniungatur, vt vnaquęque Eparchia propter longiquitatem proprium primatum habeat: vt domi qui res & personas intus & in cute norunt, iudicent & definiant, foris autem vbi & testes absunt, & omnia sunt ab omnium cognitione remota & disiuncta, non decidantur: cùm vicesimo tertio Canone dicatur, Episcopis mare non traiiciendum, nisi ex decreto primę sedis Episcopi in vnaquaq; prouincia. Hîc obiter annotet prudens lector nouam Papistarum cauponationem. Garranza frater instituti Dominici regens in Collegio Sancti Gregorij in valle Oletana, marginalis doctor sic demum correxit, Episcopi non debent peregrinari vltra mare, NISI cum venia Episcopi Romani.

Hosij locus.

Hosij Episcopi locum de expresso Dei verbo à Iuello deprauatum Hardingus dicit, quod in priore editione Apologiæ Latinæ videatur sermonem quendam blasphemum ipsi Hosio attribuere quem ipse finxit de Suencfeldio, quē in eo libro contra Lutheranos sic garrientem introducit: Quousque tandem hanc excuculatorum istorum tyrannidem feremus? vt quod, productis è scriptura voculis aliquot eorum alicui visum est, id tanquam expressum Dei verbum statim adorare necesse habeamus? Nos verò Dei de cœlo sententiam potius expectabimus: ac tum istos pro sua, non pro scripturarum sententia dimicantes, tum ipsas etiam scripturas, quarum tot iam, non diuersas modò, verùm & contrarias interpretationes adferri videmus, facessere iubebimus: & quod nobis cœlestis ille magister dignatus fuerit reuelare, tanquam expressum Dei verbum, ea qua par est reuerentia recipiemus: ac ipsum loquentem potius audiemus (sicut etiam Propheta dicit, Audiam quid loquatur in me Dominus) quàm vt ad egena ista elementa nos conuertamus, & in illis, quæ nunc in hunc, nunc in illum sensum inflecti videmus, salutem nostram constituamus. Non oportet legis aut scripturæ esse peritum, sed à Deo doctum: Vanus est labor qui scripturæ impenditur, Scriptura enim creatura est, & egenum quoddam elementum, nō conuenit Christiano nimium creaturæ addictum esse, Deum audire oportet, huius voces de cœlo expectandæ sunt, vt nos erudiant, &c. hactenus Hosius. Hîc licet non de re sed de persona controuertatur, tamen Hardingus quasi rem nactus palmariam, Iuellum omni probrorum genere obruit: Cùm locus ille, prius sit à Iuello animaduersus & in Latina Apologia pòst castigatus, in Translatione autem Anglica, cui Hardingus respondit, semper verè & propriè redditus: cùm non tanquam Hosij ipsius continuata oratio, sed vt cœlestis alicuius & Suencfeldiani Prophetæ dialogismus & sermocinatio esse agnoscatur, quorsum sine causa & argumento tot ac tantæ explicationes? Quanquam vt de re agatur & Iuelli innocentia declaretur, Si ille errauit non errauit solus. Sic Hosium sensisse Nicolaus Gallus, Flaccius Illyricus, Iacobus Andreæ, emunctæ naris homines iudicant, siue suo siue Suencfeldij nomine loquatur. Hanc eandem doctrinam, Hosium alibi & Hosij amicos tradidisse notum est: & Pigghium, qui sacram Scipturam velut cereum nasum & mutum iudicem nominauit: & Eckium, qui Euangelium nigrum & Theologiā atramentariam nuncupauit: & Ioannem Mariam Verractum, qui determinationem Ecclesiæ Euangelium appellauit: & ipse Hosius in eodem suo expresso verbo sic docuit: Vox Ecclesiæ vox Dei est, de sua particulari Romana Ecclesia intelligens. Et ibidem, Quod Ecclesia docet, expressum Dei verbum est, quod contra sensum & consensum Ecclesiæ docetur, expressum Diaboli verbum est. Et in Aratore sic docuit: dum Harpago tradit hanc Carbonariam fidem. Quamlibet vociferetur per membra sua Satanas, Scriptum est, tu qui non es ex doctissimorum numero, nihil aliud clara voce respondeas, quàm credo sanctam Ecclesiam catholicam: sicut ab illa doctus sum, ctedo. Sic omnes ferè Papistæ scripturam autoritati detrahunt, dum scripturam esse ambiguam, obscuram, literam occidentem, literam mortuam occidentem, literam mortuam impuro ore blaterant. Quod si Hosius ipse sensa animi sui sub Suenckfeldij persona non aperuit, si non putauit Scripturam esse creaturam & egenum elementum: cur Suenckfeldij blasphemiam non expressis verbis redarguit? cur marginalibus scholiis quasi Christiano orbi commendat? cur illius hæretici autoritate eos premit, qui non eum solùm, sed & omnes ita sentientes egregiè & passim confutarunt? cur idem toto illo libro agit, quod Suenckfeldius? cur ab expresso Dei verbo, à lectione, & studio Sacrarum scripturarum deterret? Si Hosio hoc iniurium

est,

est,vbi tamē ante censurā Hardingi ei satisfactū est,quā illud Hosij & in Deū Præpotentē impiū,& in Ecclesiā Dei cōtumeliosum cēseri debet? qui in eo scripto nihil aliud conatur persuadere,quàm scripturæ interpretationē nō sensui & iudicio veræ & catholicæ Ecclesiæ,sed nutui & affectui vnius Pontificis & Romanæ curiæ attēperandā,nostros homines Spiritus sancti luce collustratos,linguarū & literarū& antiquitatis præsidio adiutos,tamē cōtra totius Ecclesiæ sensum & consensum, interpretationes suas pertinaciter tueri? nos omnes hęreticos esse,& schismaticos, nos, quamlibet multa scripturarū testimonia producimus,non tamen expressum Dei verbum sed expressum Diaboli verbum producere? Breuiter illud dici potest quia verum est,& taceri non debet quia contra nostros sycophāticum est,Hosium dum in nubibus & in suprema aeris religione volat,& sublimia meteora consectatur,toto cœlo errare,id est, dum in maiore sua propositione ex Scripturis & patrib.confirmata insistit & immoratur acrius,in minore planissimè hallucinari:quod vitium latissimè patet,& omnium Anglolouaniensium commune est.Maior est,non esse ex sensu proprio loquendum,quod concedimus.Minor est,nos ex cerebro nostro interpretationes fingere,quod negamus.Sumatur id quod est ab ipso Hosio,exempli causa, positū: Bibite ex eo omnes. Nos præceptum esse dicimus, vt Laici vtramque Dominicæ Cœnæ partem habeāt:Hosius contrà vult esse liberum.Audiatur,vt inquit ille pater, Non ego dico,tu dicis,sed hoc dicit Dominus.Quid? imperandi modus nunc demum apud Theologos non imperabit?Certè,inquit,imperat duodecim, sed Christi discipulis.Si eos qui tū affuerunt solum iussit bibere,quo iure bibunt vestri sacerdotes?nec enim dictum est,Bibite omnes qui adestis,& qui vobis succedent sacrificantes.Si ad omnes spectat sacerdotes, cur non peræquè ad omnes Christianos,cùm in genere omnes ad communionem vocentur,& nulla species vel ordo hominum nominetur? Si Laicis non præcipitur bibere,& eadem tamen loquendi formula dicitur,Accipite,Edite,cur alterum clamant esse necessarium,alterum verò arbitrarium? vt accipiant & comedant semel in anno præcipi, vt bibāt ex consecrato calice omninò non esse necesse? Iam verò quàm est absonum, quòd Christus statuit vt bibant,esse indifferens,quod ipsi sanciunt vt abstineant iam ex Ecclesiæ decreto,esse necessarium? Ita nimirum Christi præceptum conuertit in consilium,necessitatem in libertatertatem,rem mandatam in vetitam, adiaphoron in obligationem, vt transgrediens Ecclesiæ leges peccato mortali se obstringat:cùm potius superba Ecclesia vetendo & præcipiendo quod non potest,metas suas à Domino præfixas transiliat, & citra Dei verbum conscientias hominum magno sanguinis Christi pretio liberatas implicet,& iugo seruitutis humanæ & placitis suis subiiciat? Sit illud Christi præceptum adiaphoria,sint omnes quibus poculum datur sacrifici,sint quæ hactenus dicta sunt, leuicula:cum eadem Christi institutio à Paulo repetatur, & in ea Corinthiorum tota Ecclesia communicet,& non panis solùm sed & vinum omnibus ditioribus & tenuioribus porrigatur,adhuc tamen Laici non gustabunt,adhuc arcebuntur?erit indifferens & non pręceptum?maximè cùm ipse Paulus affirmet se à Domino accepisse, se illis non sua,sed dominica tradere,id est,præcipere? Sic enim exponit Oecumenius, Tradidit, id est,præcepit:vbi etiam ait,Dominum corporis sui & sanguinis mensam & craterem diuiti ac pauperi apposuisse. Quinimò sic Pauli rationem connectit, Christum promiscuè omnes admisisse ad suum sacrosanctum conuiuium,etiam Iudam proditorem:non ergo fratres tenuiores excludendos esse,nec Ecclesiam Dei contemnendam à Corintiis. Adde his placet,nunc Ecclesiæ iudicium:sensus autem ex vsu,consensus ex consuetudine, interpretatio ex obseruatione facilè intelligetur.Ignatius ad Philad.non solū praxim sæculi sui quid factum sit,sed & grauissimam rationem cur fieri debeat ostendit:Caro Domini Iesu vna est caro,& sanguis eius pro nobis effusus vnus est sanguis. Idem.n. panis fractus est omnibus,& idem populum distributum vniuersis. An verò pro solis sacerdotibus, an pro solo presbyterio Christus mortuus est?Iustinus in dialogo cum Tryphone, & in Apol.2. vtrāque speciem commemorauit.Sic Irenæus lib.4.& 5.Sic Clemens Pædag.lib.2.cap,2.Bibere Iesu sanguinem est participem esse in corruptionis Domini.Hanc docet sua ætate Dionysius Hier.cap.3.vnitatem calicis omnibus diuidi. Hanc Pauli interpretationem confirmat in Epist.1.ad Corinthios Chrysostomus: Illa cœna cōmuniter omnes habuit accumbentes.Rursus, Dominica cœna,hoc est Domini,debet esse communis:Quæ enim Domini suut,non huius sunt serui,non alterius sed omnium communia. Quod igitur Dominicum est,idem & commune est.Nam si Domini tui est,quemadmodum certè est,non debes tanquam propriam tibi aussumere,sed tanquam res Domini communiter omnibus

Sensus Ecclesiæ Christi.

proponere. Rursus, Accedis gratias agens pro his quibus frueris, igitur & ipse vicem redde & noli à proximo scindi, etenim Christus omnibus æqualiter dedit dicens: Accipite, Manducate. Ille corpus æqualiter dedit, tu autem quod commune est non communicas: Etenim pro omnibus fractum est, & æqua portione distributum. Rursus. Sanguinem gustasti Dominicum, neque sic fratrem tuum agnoscis. Rursus in 2. Ho. 18. Est autem vbi nihil differt Sacerdos à subdito, vt quando fruendum est horrendis mysteriis: simpliciter enim omnes vt illa percipiamus digni habemur. Non sicut in veteri lege partem quidem Sacerdos comedebat, partem autem populus, & non licebat populo participem esse eorum, quorum particeps erat sacerdos: sed nunc non sic, verum omnibus vnum corpus proponitur & poculum vnum. Et mox, Rursum ea quæ ad Eucharistiam pertinent, communia sunt omnia. Huius consuetudinis meminit Hiero. dum ad Rusticum scribit: Corpus Domini in canistro vimineo sanguinem in vitro portari. Hunc vsum indicant Ambrosij ad Theodosium verba: Istásne adhuc stillantes iniustæ cædis cruore manus extendes? & iis sanctissimum Domini corpus prehendes? vel tum pretiosum illum sanguinem admouebis ori tuo? Et ad Corinthios in hoc loco: Indignus est inquit, Domino qui aliter mysterium celebrat, quàm ab eo traditum est. Cyprianus memoria sua factitatum idem significat, lib. 2. Epist. 3. Quidam vel ignoranter vel simpliciter in calice Dominico sanctificando & plebi ministrando, non hoc faciunt quod Iesus Christus Dominus & Deus noster, huius sacrificij author & doctor fecit & docuit. Et sic ad Thomæ Aquinatis & Durandi tempora cœnam administratam esse ipsi testantur, cùm dicunt in multis locis communicari cum pane & vino, id est, cũ toto Sacramento. Nec solũ isti, sed & alij tradiderunt, & totus Oriens sic instituit, & causas etiã sui facti adduxerunt. Beda in Lucã cap. 22. lib. 6. Panis ad corpus mysticè, vinum refertur ad sanguinem. Et Alexander minorum gentium pater. 4. quæst. Totus Christus non continetur sub vna specie Sacramentaliter, sed caro tantũ sub specie panis, & sanguis sub specie vini. Et Iustinus: Hinc & corpus nostrum & sanguinem nutriri: & nisi vtraque materia adsit, non satis perfectum esse Sacramentum iudicarũt: Et Manichæos esse qui à calice abstineant Papa Leo affirmat, & sacrilegos qui diuidunt, Papa Gelasius confirmat. Quicquid igitur Constantienses in sua Synodo decreuerunt, quicquid Græci in Florentino Conciliabulo scripserunt, quicquid etiam Tridentini Patres sanciuerunt, cùm Christus, Paulus, Ecclesia prima & purissima, cùm antiquæ & Apostolicæ fidei patres Ignatius, Dionysius, Irenæus, Clemens, Ambrosius, Cyprianus, Gelasius, Leo, Chrysostomus, Oecumenius, Beda, Thomas, Durandus contrarium declararint, statuerint, præceperint, rationésque iustissimas attulerint, cùm hanc institutionem veram esse, & hunc esse Ecclesiæ sensum, & Catholicam confessionem manifestum sit: vtra pars sit hæretica, & vtrum quod tenemus & credimus, Dei an Diaboli expressum verbum sit, iam Christiana iudicet Ecclesia. Ex quibus etiam palàm est, quomodo Hosij fundamentũ ruinosum sit, cui totus liber innititur. Nam ex vna hac Hypothesi, quam ipse posuit, reliquæ omnes diiudicari poterunt.

Inepta obiectio Hardingi de Protestantium dissidiis & Ceremoniarum diuersitate.

Cùm Hardingus rationem ratione, ceu clauum clauo non posset elidere, in locum omnium Papistarum communem expatiatur: nos videlicet inter nos non conuenire, alios Zuinglianos esse, alios Lutheranos, non omnes eodem modo Ieiunium, festa, Ceremonias obseruare. Cur non addit in Anglia & in omnibus Ecclesiis & regionibus, alios Protestantes, alios esse Papistas, alios neutros, alios Catholicos, alios hæreticos, alios iræ organa, alios gratiæ vasa, alios Agaræ, alios Saræ filios, alios mundi & Mammonæ amicos, alios Dei cultores? Quandiu erunt duæ ciuitates in mundo, Babylon & Hierusalem, tamdiu locum habebit hæc diuisio, & tamdiu erit regnum Dei & Diaboli. Quicquid sentiant aut sint homines, nos ita factionum nomina non probamus. Zuinglium & Lutherum, vt magnos religionis instauratores reueremur, vt autores vel Duces aut Dominos nostræ fidei non colimus, vt qui Christiani esse omnes cupimus. Nunquid in nomine eorum baptizati sumus? aut num diuisus est Christus? Quid Ecclesia Anglicana de Sacramentis sentiat, & quam fidem teneat, docere potest Apologia: & porrò Articuli, anno 1562. ad tollendam opinionum dissensionem in Londinensi Synodo determinati, & Regia autoritate editi, reticente me testabuntur. Sed hæc semper fuit Diaboli malitia, cùm non mentiri non possit, dissensiones fingere. Ita olim Gentes hac calumnia Christianos apud Clementem, Origenẽ, & Chrysostomum grauabant. Quinimò hodiè adeo morosus est & curiosus ille Diabolus, vt cũ singulari nostro in vniuersa Christi doctrina cõsensu discrutietur: aliquã in ceremoniola vna vel altera diuersitatẽ cauilletur. Nã Hardĩgus ad ꝓbãdã inter fra-

ter fratres discordiam, hoc tandem Louanij vidit, alios ministros rotūdos, alios quadros, alios pileatos, alios petasatos incedere. Quid? tantúmne otij erat Hardingo vt de nostris coloribus homo absens, & cæcus disputaret? Quid? nouúsne aliquis sutor reuixit, qui in Apellis crepida vitium notaret? Quid hæccíne iusta accusationis causa graui Theologo visa est? Quid? debuítne Ruben aut Leui, aut aliquis maior natu, Iosepho minori propter vestem irasci & inuidere? Sed bene est, malo nodo, beneficio Dei, bonus cuneus inuentus est, nec voti sui compos euasit. Quanquam enim calumniante calamo studuit Hardingus omnes in vniuersum Protestantes tanquam contentiosos, in publicum orbis Christiani theatrum producere, & Thomam Sampsonum & me nominatim traducere: tamen nec quisquam sanus hîc apud nos maledicenti credidit, nec Euangelij causam in odium aut inuidiam, neque quenquam in periculum aut offensionem loquaci inuectiua sua vocauit. Sed contrà, vt ille contentionis igniculum, si qui fuit, inflammare voluit, ita Iuelli prudētissimum & fraternum Rescriptum in hac sua defensione restinxit: Nam & nostri facti ac Cōcilij rationem optimè reddidit, & suauissimam fratrum in Christo Communionem splendidissimè asseruit, & Hardingi cauillationes copiosissimè eneruauit. Certè quod Hardingus nostram taxat inobedientiam, in eo fallitur, & Iuellus vt amicè sic verè indicauit, nos Principem, non solùm vt legitimam Reginam, sed vt Ecclesiæ afflictæ nutricem & Hospitem, vt rarum mundi & singulare miraculum honorare. Obedientiam & schola nostra docet, & lingua sonat, & vita præstat: non solùm externus homo & corpus ostendit, sed & anima profitetur, non solùm propter irā, sed etiam propter conscientiam: quandoquidem id à nobis, & verbum Dei, & officium nostrum, & ipsius multa & maxima in nos merita requirunt. Meta autem obedientiæ est lux diuina, qua cautum est, vt Deo primum, secundùm Deum Regibus pareamus: & cum Polycarpo Apostolico viro sic instituti sumus, vt principatibus ac potestatibus à Deo ordinatis, honorem qui competat nec nobis obsit, exhibeamus, cum Tertulliano colimus Imperatorem, quomodo & nobis licet, & Deus præcepit vt hominem à Deo secundum, solo Deo minorem: cum eodem rursus precamur, vt Deus Regiæ maiestati vitam prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelē, populum probum, orbem quietum concedat. Itaque irregularem Pontificiorum, non inobedientiam solùm, sed insolentiam potius è ciuili foro & gladio eximunt, qui Regibus quasi mancipiis vtuntur, benedicunt, maledicunt, imperant, remunerant, puniunt, abrogant, surrogant, extollunt, deprimunt, pedibus calcant, imò ad inferos vsque præcipitant pro sua Papali potestate ac libidine. Siquidem cum omnis anima, vt inquit Apostolus, subdita sit eminentibus potestatibus, cumq; vt Chrysostomus interpretatur, huic legi & Apostolus, & Euangelista, & Propheta, & alius quicunque subiectus sit, curnon & Clericus, & Cardinalis, & Pontifex? nisi fortè negare velint se animam habere, aut sub illa generali propositione non contineri, sed tanquam singularia quædam numina ab omnibus vniuersalibus regulis excipi? Non audiuit hanc vocem Pauli ad Romanos Petri & Pauli successor Romanus Papa, quem his verbis Diaconus consecrat, Ego inuestio te Papatu, vt præsis vrbi & orbi: Nec huic præcepto obediens fuit illa anima Adriani, Imperator per nos imperat: nec illa anima Clementis quinti, qui ait in Concilio Vien. Omne ius Regum pendet à Papa: nec illa anima Pij quinti, qui nuper in sententia sua Bullata Elizabetham nostram anathematizat, omnes ei adhærentes ab obedientia Domini vnctis debita, & in hoc Pauli loco & alibi diuinitus præscripta, auocat: qui illam à Christi corpore præscindit, omni priuilegio, dominio, dignitate priuat, istos iuramento & omni prorsus obsequij debito absoluit. In qua Bulla plenitudinem potestatis suæ & primatum iactat, vt euellat, destruat, dissipet, disperdat: in qua Reginam prætensam, flagitiorum seruam, omnium infestissimorum asylum & perfugium declarat & denuntiat. Hæc verba ignota non sunt Hardingi fautoribus: hæc est illius sedis obedientia, proceres & populos, Reges & subditos inter se committere, & intestinis discordiis Remp. & Ecclesiæ pacē seditiosis Bullis & libellis dilacerare. Aliter nos & credimus & dicimus, & facimus, aliter quàm vos sumus Regiæ potestati subditi & voluntati dediti, memores illius dicti, Quicunque legibus Imperatorū, quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium. Hardingus verò ita curiosè Lynceus est in nostra Ecclesia, vt planè domi in sua & in aliis factus sit talpa cæcior. Potuisset intelligere non esse nouum, homines ab omni vetustate fuisse, vt corporibus sic animis, vt facie sic opinione dissimiles. Potuisset animo repetere in Ecclesia Corinthiaca extitisse Paulinos, Petrinos, Apollinos: in Asia & Romæ Ioannis & Petri discipulos: in Iudæa

In defens. Apolog. pag. 399. 400. 401. 402.

Ceremō. Lib. 1.

Bulla.

Pharisæos & Apostolos. Potuisset recordari ipsos patres Hieronymum & Augustinum, Epiphanium & Chrysostomum, Polycarpum & Anicetum, Cyprianum & Cornelium, Tertullianum & Romanos clericos. Basilium & Ecclesiam Cæsariensem, Theophilum Alexandrinum & Eremitas, Orientales & Iulium Pontificem Romanum, Prosperum & Galliarum doctores, Hadrianum & Carolum Magnum, denique in nostra Britannia Augustinum Monachum, & Britannos G. VVarramum Cantuariensem, & Rich. Foxum VVinton. in causa nuptiarum Henrici octaui & Catharinæ, aliósque multos inter se aliquibus de rebus pugnasse. Potuisset domi videre in hoc regno suo Babylonico maximam confusionem tot Diuorum, tot fraternitatum & ordinum, tot vestium, tot ieiuniorum, tot Psalmodiarum & Liturgiarum, tot opinionum diuersitates. Potuisset meminisse se a suis, imò à seipso dissentire: nos autem inter nos nulla alia in re, nec vlla alia de causa discordare, nisi quatenus ipsius Romanæ curiæ asseclis similes esse non vellemus. Hîc tamē qui saniores sunt, non sic distrahuntur in diuersas sententias, quin in re ipsa opiniones sensúsque omnium pulcherrimè congruant. Igitur quod ad nos attinet, & Principi & Patriæ parenti, ac magistratibus reliquis vt decet, obtemperamus, patres honore quo debemus prosequimur, cum omnibus fratribus vt æquum est, communicamus & eos amamus, nec propter Zizania, fidei & charitatis cursum impedimus, nec ab Ecclesia recedimus, sed vt frumentum esse possimus laboramus, & in Dominicis horreis condi aliquando desideramus, sic interim affecti vt moderatè quod sit corrigendum quæramus, quod non potest, feramus, & expectemus donec Dominus vel corrigat vel in die iudicij omnes paleas vētilet, sicuti Augustinus & Cyprianus prudenter admonuerunt. Non Sabbatij sumus, vt propter vestras nugas velimus discindi Ecclesiam, non Apollinares contentionis studiosi, non Luciferi, vt recusemus cum Eusebiis nostris communicare: non Porphyrij, vt iracundia incensi Christianam religionem deseramus: non Eunomij vt ab Eudoxio seiuncti, conuentus separatim agamus. Subscribimus autem quantùm possumus & licet, Dionysij sententiæ, Oportere omnia potius incommoda subire, quàm Ecclesiæ concordiam rūpere. Subscribimus Irenæo, qui pacem tranquillæ retinendam censuit. Subscribimus etiam Constantino, qui combustis contra ministros infamibus libellis addidit, Sacerdotum vitia non sunt populo aperienda ne ille inde occasione offendiculi arrepta, licenter peccare aggrediatur. Itaque Synodos priuatas requirimus, vt illic quæ perperam facta sunt, fraternè redarguantur & Christianè emendentur. Breuiter, multa toleranda, quædam amputanda, omnia decenter & ordine agenda & transigenda sine tumultu & ataxia iudicamus.

Itaque vt ad vos Anglolouanienses cōuertatur oratio, & hoc Hardingi & Iuelli duellum, omnísque de rixis & disputationibus sermo hic terminetur: quid est cur nouitate & vanitate humanarum commentationum delusi, Romanæ sedis Veneres admiremini? cur non abiecto Rabbinismo vestro, cum Nicodemo renascimini? Vt autem omnes in Christo vnico Capite in vnum fidei & charitatis dulcem consensum verè coalescamus, vt omnia membra dissidentia conueniant, vt omnes factiones siue papisticæ, siue Lutheranæ, siue aliæ quæcunque æternæ obliuioni mandentur: hanc quam substernimus geminam basim, omni contentionis & æmulationis studio abdicato, quæso diligenter considerate.

Optima pacificatio & reformatio.

Primam causam & primariam & ferè solam omnium malorum, contentionum, deformationum, & quasi Equum Troianum in Ecclesiæ muros nobis omnibus insidiantem fuisse hactenus & esse hodie Catholicam à scriptura sancta defectionem, & præcipuè vestrum Papismum: Deinde causam & fontem Christianæ concordiæ, & solidæ reformationis & verum remedium fuisse, esse, fore solum Dei verbum. Quamuis enim Iuelli non modo ad scripturas, sed etiam ad tot annorum centurias, ad sextum vsque sæculum, atq; adeò ad Concilia, & ad ipsos Patres, & ad totam illam antiquitatem prouocauit, & latissimum campum aperuit, in quo & ipse excurreret liberiùs, & maiorem ansam reclamandi & repugnandi præberet: tamē nimium largitus est, & vobis plus æquo concessit, & sibi nimium fuit iniurius, quòd reiecto medio, quo suam causam facilius & firmius sustentare potuisset, & seipsum & Ecclesiam quodammodo spoliauit. Quod ille volens non fecit, sed tamen nos abs re fecit, vt vos testimonio patrum vestrorum quasi ense proprio cōficeret. Satis enim erat Christiano sic dixisse: Sic dicit Dominus. Satis erat opposuisse: Vestra dogmata scripturis aduersantur. Siquidem Dæmoniacorum quæstio est: Quid nobis & tibi Iesu fili Dauid? At Sanctorum interrogatio est: Quid nobis rei cum Patribus, cum carne aut sanguine? aut quid ad nos attinet, quid Episcoporum Pseudosynodi constituant, aut quid Papa è suo Laterano blateret? Et Paulinum & verè Apostolicum illud est: Mihi pro

minimo

minimo eſt,vt à vobis iudicer aut ab humano die,qui autem iudicat me Dominus eſt. Cũ igitur in omnibus Eccleſiis ſit quædam iudiciorum & linguarum diſcordia, & ſint vbiq; & ſemper qui diuerſa ſentiunt & loquuntur: cùm nos Romanam Eccleſiam vt Apoſtaticam & defectricem in ius trahamus: Rurſus cùm Romani vociferentur nos non eſſe Catholicos ſed planè ſchiſmaticos: cùm ſint etiam contrà, qui hanc noſtram Eccleſiam adhuc magis defæcatam, & ad purum cultum excoctam, & omnes Papiſmi fæces abſterſas cupiant: cùm inquam alius aliud tollendum, alius aliud addendum ſtatuat: quænam alia erit reformandi ratio, & via expeditior & certior, quâ diſſidia conciliari, & controuerſiæ dirimi poſſint, quàm vt omnes, quantum fieri poteſt, ad Euangelium & ad perfectam Prophetarum & Apoſtolorum amuſſim omnia expendamus? Chriſtus in Eccleſia Iudaica, vetera aſſumenta, detritos panniculos, Phariſaicum fermentum, traditiones Seniorum & gloſſas maledictas, camelos, culices, Phylacteria, lotiones inuenit: quódnam aliud perpendiculum eſt adhibitum quàm quod Pater dixit, Ipſum audite? quã quod filius pronuntiauit, Venite ad me? Scrutamini ſcripturas? In Romana Eccleſia alius aliter de iuſtificatione, de cibis, diebus, aliiſque adiaphoris iudicauit: & audiunt Paulum, Vnuſquiſque noſtrum reddet rationem Deo, non ergo amplius inuicem iudicemus: & iterum, Rogo vos fratres vt obſeruetis eos qui diſſentiones & offendicula gignunt, præter doctrinam quam vos didiciſtis, & ab eis declinetis. Ad Corinthios (inter quos erant verè ſchiſmata, & hæreſes, & de Idolothytis, de Cœna Domini, de Eccleſia, de coniugio, eutaxia, & Polytheia, de reſurrectione, de rebus grauibus & leuibus contrariæ opiniones) ſic ſcribit, Imitatores mei eſtote ſicut & ego Chriſti: & Tradidi vobis imprimis quod accepi. Erant inter Galatas inſenſati, faſcinati, falſi fratres, Pſeudoapoſtoli, qui irrepſerant & ſubintroierant, qui ad egena mundi elementa, ad Circumciſionem, ad obſeruationes temporum reuocarant, qui Chriſtianorum libertatem quam in Chriſto Ieſu habebant, & explorarant & euerterant, qui Eccleſiam conturbarant: quibus ſic Apoſtolus, Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit, Et quicunque hanc regulam & hunc canonem ſequuti fuerint, Pax ſuper illos & miſericordia, & ſuper Iſrael Dei. Obſeruatur hic canon in Appſtolico Concilio Hieroſolymis, in quo decretum eſt, nullũ aliud iugum vltra imponendum gentibus præter ea quæ ſunt neceſſaria: in quo dictum eſt, Hoc viſum eſſe Spiritui ſancto & Apoſtolis: in quo Iacobus ait, Huic concordant verba Prophetarum, ſicut ſcriptum eſt. In ſcriptis autem humanis hæc ferè inſunt vitia: aut antiqua ſunt & ſerpentina, vt illa in Paradiſo Satanica Euæ & Eccleſiæ deceptio: aut antiqua non ſunt, ſed adulterina & falsò Patribus inſcripta: aut ſi vera ſunt, non à ſe hanc autoritatem habent, ſed à Deo mutuantur: Inuentis quippe hominum nunquam certò aut tutò acquieſcit conſcientia. Tum demum ſponſa confirmata eſt & tranquilla, cùm vocẽ Sponſi audit, vt ipſa in Canticis lætatur, En dilectus meus loquitur mihi. Sine hoc verbo nihil antiquitas valet, & planè nouitas eſt & inſulſitas: antiquus impoſtor Diabolus eſt, antiquus illius primi Serpentis ſibilus, antiquum peccatum eſt, antiqua inobedientia, vnâ cum Adamo nata & ad nos vſque transfuſa. Nulla vera antiquitas eſt quæ illum teſtem non producit, qui eſt antiquiſſimus Eccleſiæ doctor, Alpha & Omega primus & nouiſſimus, qui agnus eſt occiſus ab origine mundi, qui in principio dixit & fecit, qui ſermo & ſapiẽtia patris dicitur, qui ab Eſaia pater æternitatis & magni cõſilij Angelus, à Daniele Antiquus dierum vocatur, ſcilicet Chriſtus Ieſus, heri, hodie, idẽ in ſæcula. Quare ſic poſitum & conſtitutum ſit in Eccleſia Dei, in templo & tabernaculo, in Arca Noe exædificanda, ſicuti docet ſacra hiſtoria, non niſi verbũ hoc & præſcriptum eſſe reſpiciendum, quicquid ille mendax & ſenex Propheta ad fallendum iuniorem Prophetam ſuggerat. Cur nõ huc primo quoque tempore profugiendum vobis putatis? cur non in ea veritatis & vitæ ſalutari via inceditis? quò nos, ſi non recto paſſu ſemper vt debemus, at zelo & animo vt poſſumus, cõtendimus. Cur nõ Papæ pedibus cõculcatis, quos humili ſuauio honorare ſoletis filiũ Dei oſculamini ne pereatis? Cur nõ ad cor, ad nos, ad vos, ad Dominũ noſtrũ, ad fontem aquæ viuæ reditis? Cur ſiliquas traditionũ veſtrarũ nõ proiicitis? & cur ceu filij reſipiſcẽtes, ſtolã nouã à Patre Cœleſti donatã non inducitis? Cur Ægyptiorũ ollas conſectamini, & verum Manna, Angelicum cibũ non appetitis? Cur in Aula Romani Pharaonis deliteſcitis, & non potius cum Moſe in deſertum exitis ad ſacrificandum Domino? Cur Lothophagos & Circen incantatricem non deſeritis? Cur ad Sirenæos ſcopulos conſeneſcitis? Cur Gergeſenorum porcos Chriſto anteponitis? Non ſic impuri ſumus, vt quiſquam veſtrum refugiat noſtrum commercium, vt recuſetis nobiſcum in Domo

Domini cohabitare,iisdem nobiscum vt sacris,commercia societatis Christianæ habere communia.Neque verò sic nos aut vita puros, aut religione castos esse existimamus, vt non agnoscamus Ecclesiam nostram militantem, suam rugam & maculam habere. In hoc à vobis dissentimus,quòd vos Euangelium putatis dilutis Constitutionibus miscendum & corrumpendum:nos contrà syncerum noui Testamenti ministerium & Euangelium simplex recipimus,illúdque iudicamus esse, non placitum Principis,non phãtasma alicuius sæculi,non decretum Pontificis,non carnis sapientiam,sed è gremio patris enarrationem Christi filij,quam nulla Glossa possit aut debeat labefactare. Non Augustinos, non Lutheros,non Ambrosios,non Zuinglios,non Cardinales,non Papas, non homines iactamus:vna nobis lingua Canaan nota est, vnus est Dominus per quem iuramus,cuius verbo omnis altitudo quæ se attollit aduersus cœlum, euertitur. Huius ergo verbi sacro vinculo in vna Ecclesia colligemur,sicuti vno fonte loti, vni Deo nomen dedimus,vnam Trinitatem veneramur.Tollatur odiosum nomen schismatis, tollatur maceria quæ nos diuidit:confiteamur,qui verè Christi corpori inseritur,ei schismatis notam non esse inurendam. Quod olim Augustinus contra literas Petiliani vsurpauit, idem nos hoc tempore repetimus: Vtrum nos schismatici simus an vos,nec ego nec tu,sed Christus interrogetur.Cedat ergo curiositas fidei:cedat Lucifero veritatis exortæ errorum caligo & opera tenebrarum:veritati vanitas: Diuino commentario rerum exploratissimarum fallacissima commenta homuncionum.Doceat vel Hesiodus:Lex antiqua optima.Doceat vel Apollinis oraculum olim Atheniensibus datum: Religiones quæ sunt in more maiorum, seruandas,sed in illis quod est optimum sequendum. Doceat autem Socrates apud Xenophontem,optimum esse,non tam quod antiquum,quàm quod Dominus ordinauit.Ad hoc Christi verbum,ad has voces à Domino consignatas prouocamus: cuius verbi autoritate & grauissimis testimoniis Iuellus vestros errores coarguit & dissipauit.

His tamen à nostro defensore in suo libro positis & constipatis, adhuc reluctatur Hardingus,aliam extrudit diatribam quasi leuis armaturæ excursionem vltimam:in qua tamen vnum tantùm articulum tractat,hîc illîc quædam carpens & vellicans, quæ noster sparsim in recognitione & noua editione suæ defensionis satis refutauit.

Vbiquitas.

Pollicitus est item per literas Domino Bullingero & Tigurinis, se contra Domini Brentij Vtopiam & contra vbiquitarios aliquid scripturum: ideóque ad eum miserunt quædam Scholia quæ Petrus Martyr ad eius operis confectionem consignarat,sed noster ab istis Hippocentauris Papisticis vndique impetitus,& demum morte præuentus expolire non potuit.Annotationes quasdam,siue breues propositiones de vsura, in ipsius musæo post obitum repertas,placuit euulgare: vbi Lector intelligit ad quandam principalẽ quæstionem duas aduersarias & acutas & succinctas responsiones.Alteri,quia author est incertus,literas. A. B. apponemus,in altera erit Ioannes Iuellus.

QVAESTIO.

De vsura.

An quicquid ex pacto supra sortem accipitur ab eo qui mutuò dat pecuniam, mercatori illicitum fœnus sit,quamuis non quærat lucrum nisi ex lucro,idque animo mercatoris.

RESP. IO. IVELLI.

Imò fœnerator sæpe etiam ex iactura lucrum quærit, non tantùm ex lucro.

A. B.

Contractum de quo quæritur, licitum puto, quia nec primæ tabulæ repugnat, nec secundæ.

IO. IVELLVS.

Ego contrà,vsuram omnibus legibus diuinis,humanis,ciuilibus,Canonicis,nouis,veteribus,Christianis,Ethnicis video disertè prohiberi,nulla autem lege aut hominum constitutione approbari.Itaque hoc genus contractuum non puto esse licitum.

A. B.

Nam quod ad primam tabulam attinet,nullum Dei mandatũ extare puto,quo prohibeantur homines eiusmodi contractum exercere,in quo vnus materiam lucri, alter operam suam præstet,modò omnia honestis artibus fiant.Nec discrimen ponendum arbitror in materia,siue ager locetur,siue domus,siue denique pecunia ad mercaturam exercendam interueniat.Nam vt mihi quidem videtur,materiæ diuersitas nõ facit diuersam contractus naturam:quamuis certis & quidem iustis de causis Iurisconsulti subtilius ista distinxerint,apud quos aliud est locatio quàm societas aut mutuum.

IO. IVEL.

IO. IVELLVS.

Alienum erat hoc loco(vt mihi quidem videtur)verba facere de prima tabula. Nam ea religionem tantùm continet & cultum Dei, vsura autem propriè refertur ad proximum. Tamen fœnerator cùm apertè fratrem lædit,& sciens prudensque peccat in secundam tabulam,non obscurè etiam peccat in primam,hoc est in Deum authorem vtriusq; tabulæ. Sed miror tam doctum virum,cùm vsuram probare vellet, nihil adferre voluisse (non enim dico non potuisse)ex sacris literis, præsertim cùm nescire non possit multos esse hodie qui putent eam vbique in omnibus Scripturis condemnari. Nam dictata hominis quantumuis sapientis,non possunt habere authoritatem verbi Dei. Institutionem autem vitæ Christianæ,ad coniecturas & obscuras quasdam collectiones reuocare, nesciò an sit illorum hominum qui pollicentur se,nec ad sinistram nec ad dextram velle flectere,sed illud tantùm amplecti ac sequi velle quod Deus iusserit.

A. B.

Quòd autem attinet ad secundam tabulam,ad quam etiam propriè ista respiciunt, mihi sanè videtur eiusmodi contractu non modo non lædi quenquam, sed vehementer etiam iuuari hominum societatem, si modo certis limitibus definiatur, de quibus mox dicam.

IO. IVELLVS.

Atqui aliter semper visum est,non tantùm Christianis hominibus,sed etiam Ethnicis. Nam vt alios taceam,veteres Romani non minus fœneratorem horrebant quàm homicidam aut furem. Maiores nostri,inquit,Marcus Cato de re rustica,furem condemnabāt dupli,fœneratorem quadrupli. Et interrogatus quid esset fœnerari,quid,inquit,hominem occidere? Si sapientes putassent hoc pacto tantoperè iuuari posse hominum societatem,certè in scribendis legibus,& constituendis Rebuspublicis rationem ita commodam & priuatim publicéque vtilem non omisissent: illis enim societas hominum summæ semper fuit curæ.

A. B.

Nam quæ in verbo Dei dicuntur contra fœneratores,hûc nō pertinent. Fœnus enim (quod ab Hebræis Neſek,id est morsus dicitur,& verbo Dei damnatur)tum demum exercetur,cùm pecunia datur alicui mutuò,vt & sortem & aliquid supra sortem quoquo iure exigam. In ea verò specie quæ nobis proposita est, non propriè datur pecunia mutuò, sed societas quidem initur,in qua vnus faciendæ mercaturæ pecuniam ad emendas merces,alter verò suam operam in commune lucrum confert.

IO. IVELLVS.

Sunt hodie multi viri non mali, qui verbo Dei prorsus omne genus vsuræ damnari putant. Certè Dauid ita prædicat virum bonum: Qui pecuniam suam, inquit, non dedit ad vsuram,idque non tantùm non pauperi,sed prorsus nulli. Et Christianus in vniuersum ait,Date mutuum,nihil inde sperantes. Quòd si hæc aliáque multa quæ contrà vsuram proferuntur ex verbo Dei,huc non pertinent,cur tu ex eodem illo verbo Dei,non adfers ea pro vsura quæ huc pertinent? Cur planum non facis ex scripturis, licere ita pacisci cū mercatore,aut cum diuite,vt pecuniam tuam repetas cum vsura? Est quidem vsura alia acerbior, alia mitior. Minùs enim læditur diues mercator qui ex fœnebri pecunia lucrum facit,quàm pauper qui exeditur vsuris,& ne sortem quidem potest reddere. Ego tamen spero doceri posse suo loco,in omni etiam moderatissima vsura inesse morsum. Definitio quidem ea quæ hîc adfertur,rectè congruit. Ita enim mercator mercatori dat pecuniam mutuò,vt quicquid acciderit,siue lucratus sis,siue iacturam feceris,quocunque iure quacunque iniuria repetatur cum vsura.

A. B.

Illud igitur,id est,lucri causa fratrem lædere,quem tuo etiam cum damno tenearis iuuare,planè repugnat charitati Christianæ,ideóque species est magnæ crudelitatis: à qua Christianos omnes oportet esse alienos.

IO. IVELLVS.

Scripturis pugnandum erat,non illis rationibus quæ nihil probent. Quę enim est ista dialectica: Non licet vsuras exigere à paupere, ergo licet exigere à diuite? Nam eodem modo prorsus possis dicere, non licet affligere pauperem in iudicio, ergo licet affligere diuitem: Atque etiam pueri in scholis hoc sciunt, ex negatiua non rectè concludi affirmatiuam.

A. B.

Hoc verò è contrario cum charitate prorſus conſentit,quis enim huiuſmodi contractu læditur?Nā Reſpub.nullum damnum patitur,imò etiam iuuatur,cùm Reipub. interſit,mercaturam honeſtam potius fieri,quàm vt otioſa pecunia iaceat.

Io. Ivel.

Quis,inquis,læditur? Reſpōdeo, Reſpub. Mercator enim qui pecunias accepit fœnori, cogitur merces ſuas tantò pluris vendere , & populus cogitur eas pluris emere. Itaque Chryſoſtomus rectè dixit, fœneratorem communem eſſe hoſtem omnium.Ad hęc, vnde hodie ſunt tot mercatores obærati , niſi quòd iuuenes dum ſtudent præpoperè rem facere,ante iuuoluuntur atque impediuntur vſuris,quàm poſſint emergere?Illi verò poſtquam ſemel incipiunt ruere,alios ſæpe multos viros bonos creditores ſuos ſecum rapiūt. Si hoc eſt iuuare Rempub.equidem nō video quid ſit eam lædere. Iuriſperiti quidem aiūt intereſſe Reipub.non vt quiſque vſurariam iſtam mercaturam faciat,ſed vt quiſq; re ſua rectè,hoc eſt,vt ego interpretor,honeſtè & legitimè vtatur.

A. B.

Qui verò pecunia vtitur, is quoque conqueri non poteſt, cùm pars lucri ad eum redeat.

Io. Ivel.

Redit ad eum,fateor,interdum aliquid,ſed hoc pacto, vt dixi, rerum pretia augentur in immenſum , & populus mordetur atque opprimitur. Leges autem non vnius alicuius auari mercatoris cupiditati ſeruire debent,ſed ſaluti potius populi.

A. B.

Denique qui pecuniam confert,quam alioqui iacere otioſam & ſenſim exhauriri oportuerat,fit hac ratione locupletior,ac proinde ad fratres iuuandos magis idoneus.

Io. Ivel.

Certè quicquid aut debitori accidat , aut Reipublicæ, ſolus fœnerator ſemper fit locupletior , ſed iniquis & fœdis rationibus : vt ſolent qui ex lenocinio , aut è furto rem faciunt.Sed ridiculum atque etiam acerbum eſt,multos opprimere vt vnū iuues. Nā quod additur,fœneratorem diuitem ad fratres iuuandos magis eſſe idoneum,nullum eſt genus hominum auarius,tenacius, ſordidius,aut minus propenſum vel ad ſubleuandos fratres, vel ad iuuandam Rempublicam.

A. B.

Sed contrà,obiici ſolent nobis quædam,ex quibus probetur & Rempub.lędi & ei fieri iniuriam qui pecunia vtatur,atque adeò ſic reddi ſecuros homines & negligentes, quibus ſtertentibus opes creſcant.

Io. Ivel.

Res ipſa vtrumque loquitur, Eſt enim hæc & vetus & publica & veriſſima querimonia.

A. B.

Rempub.lædi aiunt,quoniam mercator hac ratione cogitur cariùs merces ſuas vendere,vt & ſibi & alteri lucrum quærat.Reſpondeo, quærendum eſſe huic malo remediū, ideoque duo inprimis eſſe cauenda quoad eius fieri poterit : nempe ne cum homine improbo ſit nobis negotium.Deinde ne pecuniæ penſionem æquo maiorem ſtipulemur,ſed eiuſmodi vt probabile ſit vtrique poſſe honeſtam lucri partem accedere.

Io. Ivel.

Pulchrè,ſed quis quæret?vbi,quando,quo pacto,apud quos quæret? hoc ſcilicet eſt illud velle quærere,quod inueniri non poſſit. Non enim poſitum eſt in manu tua , quàm ille vir probus ſit quocum contrahas:Infinitæ enim ſunt latebræ in animis hominum.De illa verò mediocri penſione,neſcio an vnquam poſſit conueniri.

A. B.

Præterea,ſi ob hoc incommodum damnetur hic contractus,cur non etiam improbetur locatio?Nam certè ſi vel agrum,vel ædes alicui locauero qui ſit improbior,vel cariori pretio quàm par ſit,eadem prorſus incommoda conſequentur.

Io. Ivel.

Imò multum eſt diſcriminis : Nam locare ſemper licuit, fœnerari non licuit. Locare honeſtè potes. Vt autem rectè damnatur iniqua locatio, ita rectè damnatur iniqua mutatio. Vſura autem mutatio iniqua eſt. Itaque vſura non in vniuerſum

cum

cum locatione, sed cum iniqua tantum locatione conferri debet. Omnis autem iniqua locatio damnāda est, ergo omnis vsura damnata est. Additur, Si ædes locauero alicui qui sit improbior: hoc quid sit non intelligo. Improbitatem enim hoc loco non in conductore qui patitur iniuriam, sed in iniquo Locatore qui iniuriam intulit: nec in eo qui pecunias accepit fœnori, sed in fœneratore qui dedit, reprehendimus.

A. B.

Proximò verò aiunt, duabus in rebus fieri iniuriam, primùm quòd ex alieno labore lucrum percipiat alius: Secundò quia fit stipulatio certæ pecuniæ in omnem euentum cùm tamen mercaturæ sint incerti euentus, & in societate commune debeat esse periculum, ideóque non videatur licita stipulatio, in qua non etiam fiat damni communis mentio.

IO. IVELLVS.

Vtrumque recte.

A. B.

De priori sic respondeo, iniquius non esse vt ego ex alieno labore lucrum percipiam quàm vt ille ex aliena pecunia fiat locupletior: Summam autem esse huius contractus æquitatem in eo quòd vnus materiam, alter operam conferat, quo fit vt tum alter alterum iuuet, meritò quoque commune sit lucrum.

IO. IVELLVS.

Si ita esset, societas esset, non vsura: par autem esset ratio si & creditor & debitor subirent idem periculum. Non enim satis est ab altero materiam lucri præberi, ab altero cōferri operam, nisi id ab vtroque fiat eodem modo. Nunc autem alter sæpe & operam & oleum perdit, alter securus & certus est, non tantum de sorte, sed etiam de fœnore. Itaque cum non proponatur vtrique periculum commune communéque lucrum, fit sæpe vt alter alterum non iuuet, sed opprimat, & in hoc contractu summa sit iniquitas.

A. B.

Scio tamen obiici posse quod ait Aristoteles, contra naturam esse vt pecunia pecuniam pariat: & illa quoque adferri posse quæ dicunt Iurisconsulti, debitorem non vti aliena pecunia sed sua, quoniam in mutuo, id est in iis rebus quæ pondere, numero, vel mensura constant, mutuum dicatur, quod de meo fiat tuum. Sed has subtilitates nihil moror, quas etiam sperem me posse facile refutare, cùm hunc contractum non dixerim mutuū non esse, sed societatis speciem, in qua vnus materiam lucri, aut id certè ex quo materia lucri comparatur, alter vero operam confert, & charitatis regula postulat vt communis beneficij sit communis ac reciproca compensatio.

IO. IVEL.

Mirum est, id hominem Christianum non videre, quod Ethnicus solo naturæ lumine imbutus viderit. Neque ita leuis est Aristotelis authoritas, vt possimus eum, quasi qui inanes tantùm subtilitates atque argutias sectatus sit, ita leuiter & contemptim reiicere. Vis autem rationis qua vsus est Aristoteles ea est, vt vix putē ita facile posse refutari. Res enim aliæ ita natæ sunt, vt res alias possint procreare similes, vt bos bouem, caper caprum aliæ autem sunt inertes & stupidæ quæ nihil procreant, vt lapis non generat lapidē, quòd in eo non sit vis aliqua progenerandi. Nummus ergo non magis potest nummū procreare quàm mensa mensam, aut pluma plumam. Quod autem ad nomen mutuum attinet, vt leuiter obiicitur à Iurisconsultis, ita hic leuiter dissoluitur. Esto enim non sit vsura mutuū, sit species aliqua societatis. Nō erat id in cōtrouersia, illud poti⁹ quæritur an hoc gen⁹ societatis coire liceat? Sed quid hoc tandē argumenti est? vsura inter mercatores aut diuites non est illicita. Semel, iterum, tertiò inculcas ab altero materiam lucri conferri, ab altero industriam. Quis hoc nescire potest? aut quasi id magnopere ad rem faciat, aut quasi non etiam in fœdissimis contractibus idem interdum fieri soleat. Non quid fiat hoc loco quæritur, sed quid liceat. Sed charitatis regula, inquis, postulat vt communis beneficij sit communis ac reciproca compensatio. Rectè sanè, fœneratores enim charitate ducuntur scilicet, non auaritia. Sed quid si debitor nihil lucratus sit, vel potius, quid si, vt fit, rem omnem amiserit? quæ tum regula charitatis statuet compensationem reciprocam?

A. B.

De posteriori sic respondeo: quamuis incerti sunt euentus mercaturæ, tamen meritò

præſumitur potius lucrum quàm damnum: cùm mercatores artis ſint periti, minimè ſit probabile in damnum ſuum conceſſuros.

IO. IVELLVS.

Præſumitur lucrum potius quàm damnum, fortaſſe quia animo procliuiores ſumus ad bene ſperandum: res tamen ipſa incerta ſemper eſt & lubrica, & interdum caſu magis regitur quàm prudentia. Quare cùm euentus ſit incertus, & ſocietas ea pecuniæ atque operæ ſit communis, par eſt, mea quidem ſententia, commune eſſe periculum. Alterum enim ſubire omnes caſus & rem amittere, atque etiam ex amiſſa vſuras reddere, alterum ſedere domi otioſum, & quicquid acciderit de ſorte & lucro ſecurum eſſe iniquum eſt.

A. B.

Deinde, diſtinguenda eſt hæc ſpecies ſocietatis ab ea in qua vterque & rem & operam confert, vt cùm mercatores cum mercatoribus ſocietatem ineunt, tum enim vterque ſibi ex æquo cauet.

IO. IVELLVS.

Diſtinguenda eſt ſocietas ab illa: Illa, enim honeſta eſt, hæc ſemper turpis fuit. Verùm ne hæc quidem ratio ſatis firma eſt. Quid enim facit cautio ad minuendam iniuriam? fieri enim poteſt vt etiam in turpi re vterque ſibi ab vtroque ex æquo caueat. Certè ne Iudæi quidem hodie hoc genus ſocietatis inter ſe probare poſſunt, vt mercatores aut diuites à diuitibus vſuram exigant.

A. B.

In hac verò ſpecie diuerſum accidit, nam alter pecuniam habet in ſua poteſtate, alter obligationis ſchedulâ contentus, alterius bonam fidem ſequitur.

IO. IVEVLVS.

Eſt hoc quidem reſpondere aliquid, at non ſatisfacere. Quid enim ſi creditor nõ tantùm ſequatur fidem debitoris, ſed etiam agros & prædia velit ſibi obligari: an non æquè illi cautum eſt atque alteri qui accepit pecuniam?

A. B.

Itaque cùm illi multò melius ſit cautum quàm iſti, dico ita quoquè concipi licere ſtipulationem, vt communis damni mentio non fiat, nempe vt ille hoc veluti fręno coerceatur, ne alienam pecuniam audaciùs profundat, ſed vt ea parciùs tanquam ſuo vnius periculo peritura vtatur.

IO. IVELLVS.

Imò æquè vt dixi vtrique cautum eſt, itaque in ſtipulatione par eſt, ſi quid acciderit, mentionem fieri communis damni. Otioſum autem erat hoc loco de pecuniæ profuſione dicere. Nũc enim non de decoctoribus, ſed de fœneratoribus ſermo eſt. Certè in hac re, vna cita eſt controuerſia: cùm cautio vtrinque ſit eadem, cur proponi non debeat idem vtrinquè periculum.

A. B.

Interim tamen eſt Chriſtiani hominis tum in aliis omnibus obligationum ſpeciebus, tum etiam in hoc contractu ita iure ſuo vti, vt cùm ei conſtiterit alterum ſine ſua culpa iacturam feciſſe, paratus ſit ex æquo & bono ipſius quoque ſortis damnum ferre potiùs, quàm vt cum fratre acerbiùs agat quàm Chriſtiana charitas ferat.

IO. IVELLVS.

Chriſtiani eſt hominis ita viuere, eſt etiam Chriſtiani hominis ita contrahere: pacta enim & conuenta, quaſi vincula quædam ſunt humanæ vitæ. Si debitor, inquis, nulla ſua ſua culpa iacturam fecerit, creditor debet ipſius etiam ſortis damnum ferre. Atquid ſi ille iacturam quidem nullam fecerit, ſed ex aliena aut nihil lucratus ſit, aut non ita multùm vt ex eo aliquid vſuræ nomine decidi poſſit? quæ tandem hîc adhibenda erit Chriſtiana moderatio?

A. B.

Ac ne cui hoc mirum videatur, dico ſimilem eſſe mutui rationem, quod tamen nemo reprehendit. Exempli cauſa, frater egens venit ad me petens pecuniam, ego quod petit largior, ſed tamen ſtipulor, bona fide intra certum tempus redditurũ quod accepit. Quis hanc ſtipulationem damnet? Et tamen ſæpiſſime accidit vt debitores non poſſint, præſertim tempus perſoluere mutuum, idque ſine vlla culpa.

IO. IVELLVS.

Inter vſuram & mutuum multum eſt diſcriminis. Deus enim mutuò dare iuſſit, fœnerari

nerari prohibuit:& mutuum cum charitate coniunctum est, vsura cum auaritia. Argumentum hoc quale tandem est? fieri, inquis, potest, vt aliquis interdum in mutuo aut locatione præstare non possit quod promisit, Ergo licet exercere fœnus. Hæc ratio mihi vix videtur cohærere. Est enim simile dissimile, & meo iudicio non multùm probat.

A. B.

Idem ergo hîc quoque incommodum accidit, sicut in agri locatione & aliis contractibus omnibus sæpissime vsu venit, vt aliquis quod sine exceptione promisit, prę̨stare possit. Eadem igitur inter omnes regula obtineat, vt Christianus cum proximo Christianè agat, nec tamen propterea stipulatio damnetur.

Io. Ivel.

Inter bonos benè agere regula pia est, & Christiana, verùm ad hanc regulam vsura nō quadrat. Non enim adhuc satis liquidò probatum est, fœneratorem posse esse virum bonum: aut homini Christiano licere magis piè fœnerari, quàm piè furari. Nam qui dixit non furaberis, idem dixit non fœneraberis.

A. B.

His positis, quòd ad me attinet, his veluti finibus hunc contractum circumscriberem.

Io. Ivel.

Quæ res in se moderationem non habet vllam, eam istis moderationibus regere non potes. Quantò satiùs est omnem vsuram in vniuersum prorsus tollere, quàm malum infinitum finibus velle circunscribere.

A. B.

Primum considerandum puto diligenter, ne vel auaritiæ vel otij captandi causa, malimus pecuniam locare, quàm ipsam exercere, vel emendis fundis collocare.

Io. Ivel.

Sunt ista non iuris regulæ sed iniuriæ. Scilicet venimus ad summum, docemur nunc non auaritiæ sed pietatis causa fœnerari, & nihil agendo non otium sed laborem quærere.

A. B.

Secundò cauendum, ne hoc modo fiamus ad subleuandam pauperum inopiam minus idonei, vt si quis quicquid habet alteri committat, ita vt non satis supersit quo fratrem iuuet.

Io. Ivel.

Ridiculum, quantò enim plus exponis fœnori, tantò plus ad te redit, quo iuues fratrem.

A. B.

Tertiò quærendum mercatorem puto nō quàm ditissimum, sed quàm integerrimum, quique honestam faciet mercaturam.

Io. Ivel.

Quid hoc ad rem? non enim integritas quæritur in fœnore, sed pecunia, nec nos mercatorem qui pecuniam accipit fœnori hoc loco comprehendimus, sed fœneratorem qui dedit.

A. B.

Quartò, moderandam censeo pecuniæ pensionem, ita vt ipsius mercatoris, ab bonorum adhibito iudicio & arbitrio, nec publicæ leges violentur, nec iusta cuiquam offendiculi occasio præbeatur.

Io. Ivel.

Et quis tandem auream istam mediocritatem describet nobis, vt neuè plus accipiamus quàm oporteat, neuè minus? Nam si vnciarias vsuras exigere licet, cur quadrantarias non licet? Si quadrantarias cur non licet trientarias? Si trientarias, cur non semissarias? & si illas, cur non etiam centesimas? Quis statuet nobis istos limites, ne vspiam liceat aberrare? Quòd si regula huiusmodi ita ad perpendiculum tradi potest, cur eam ipse non tradidit? cur non edixit nobis hoc licere fieri, illud non licere? Quid causæ dici potest cur nunquam nec Deus ipse, nec Respub. vlla, nec vir bonus aliquis pensiones istas vsurarias ita temperarit, vt intelligi possit, quid quantùmque mercatorem à mercatore vsuræ nomine liceat exigere? Absurdum est, cùm omnia ad mediocritatem velis redigi, eam ipsam in medio relinquere, & nullis limitibus definire.

A. B.

Quintò, diligenter circumſpiciendum eſt, vt noſtro iure vtamur, & æquo & bono, ſicut Chriſtiana charitas iubet.

IO. IVELLVS.

Hoc mihi idem videtur eſſe quod proximum. Æquum enim & bonum non aliud eſt, quàm arbitrium boni viri cum charitate Chriſtiana coniunctum. Charitas autem Chriſtiana non fœneratur, nec ea quæ ſua ſunt quærit, ſed ea quæ ſunt Ieſu Chriſti.

Hoc fragmentum licet exiguum, oſtendit quæ fuerit ipſius de vſura opinio, quam alioqui latius & plenius demonſtrauit cùm illum elegantem librum doctoris Vuilſoni ab eo nuper de vſura editum ſua præfatione approbauit.

Quamuis autem per annos viginti ſe totum legendis authoribus Græcis, Latinis, veteribus, recentioribus dediſſet, ita vt facilè quiuis exiſtimet, ſi huc neruos intendere voluiſſet, eum & plura & ſplendidiora edere potuiſſe, nunquã tamen niſi pertractus in hanc harenam prodiit, & ſerò ad ſcribendum animum appulit. Quid enim volenti difficile? aut quid non poſſet efficere, cui domi tanta ſupellex ſuppetebat, qui labores nullos recuſabat, qui libros diurna, nocturna manu verſabat, qui tot locos communes inſtar ſedulæ apiculæ congerebat, qui libros chartaceos numero multos, quantitate magnos componebat? Vnus autem ei ad manum erat ingens quaſi theſaurus ſcientiarum & locuples promptuarium, in quo prophana, ſacra, poetica, philoſophica, diuina collegit. Erat in aliis libris & alia rerum multarum ſylua, ex quibus ſemper vnum aut alterum libellum quaſi Enchiridion, & vt ita dicam Manuale deſcripſit, quo vſus eſt ad dicendum & ſcribendum velut Indice, adhibitis literulis quibuſdam nouis & peculiaribus, ad quæ myſteria Hieroglyphica intelligenda opus eſt aliquo Iuello aut Oedipo interprete. In aliis codicillis quos circumferebat (Ephemeridas ſeu Diarios vocãt) omnia Apophthegmata, ludicra, egregiè dicta, quæcunque ab aliis audiuit, aut vndecunque obſeruare potuit, non indiligenter perſcripſit: vnde in ſingulos annos verborum & rerum magnum aceruum comportauit. Sic abditus in bibliotheca fuit, ſic aſſiduus in libris, ſic intentus omnibus occaſionibus & oportunitatibus diſcendi, domi & foris, ioco & ſerio, in Muſæo, in menſa, vt verè Ioannes Philoponus dici poſſit. Vt autem omnia ſolebat ſtudioſè condere, ſic etiam ea ad vſum communem & ad ſermonem quotidianum depromere, & ſcripta ſua illis condire optimè poterat.

Libri chartacei.

Nec ſolum Anglicè & Latinè diſertus, verùm etiam Italicæ linguæ haud ignarus fuit: Græcè verò peritus. Quamobrem inſulſum videri debet illud Hardingi ſcomma: Iſtum tot Græca in ſuis libris aſperſiſſe non ſine Theſeo, quòd ad eam rem, operam neſcio cuius Græci profeſſoris aduocaret, cùm tamen idem ille Ægidius Laurentius pernegaret, & huius in Græcis literis cognitionem ſæpe laudet, & cùm certum ſit eum adoleſcentem huius linguæ ardore flagrauiſſe, & virum ſuper omnem expectationem profeciſſe, adeò vt hiſtoricos, Oratores, Poetas Græcè legerit, imprimis verò Eccleſiaſticos ſcriptores, & inter cæteros Gregorium Nazianzenum eximium & familiarem habuit Accepi etiam illum lectiſſimæ fœminæ Annæ Baconæ honoratiſſimi Cuſtodis magni Sigilli vxori, quæ Apologiam Anglicanæ Eccleſiæ è Latino in noſtrum ſermonem fideliſſimè & fœliciſſimè conuertit, & Græcam Epiſtolam ad eum ſcripſit, Græcè reſpondiſſe. Multos autem Græcos codices ipſius manu annotatos vidi, & in legendo diligentiam teſtari poſſum.

Mirari hæc nemo debet ſi reliqua diuinæ gratiæ in hoc homine elucentis præſidia cognouerit: quid enim aſſequi non poteſt memoria fœlix, & fidelis cuſtos rerum omniũ? quam licet natura (vt vulgo loquimur) dederit, mirifice tamen ars adiuuit. Si omnia experimenta hîc recenſerem, quibus ille memoriæ ſuę ſingularem artem oſtendit, ęquo lõgior poneretur oratio. Sunt qui referunt Hieronymi Pragenſis memoriam fuiſſe valde bonam, & Philippi Melanchthonis ſingularem, & Theodecten ſophiſtam à reminiſcendo appellatum fuiſſe Mnemonicum, Iulium Cęſarem, Themiſtoclem & alios ea laude floruiſſe. Noſter autem hac fretus, cùm in Cruce Paulina Referendarium ageret, & quatuor illas ſolennes & bene longas Conciones repetiturus eſſet, & propterea Ioanni Garbrando mandaſſet vt dictata à Concionatore exciperet, domum reuerſus, plura memorię quàm ille chartę commiſerat, adeò vt orationis totius partes, ſententias, nexus, ordinem memoriter teneret: licet in ſua repetitione publica illam memorię vim non oſtẽtaret, ſed omnibus aliarum Concionum argumentis celeriter percurſis, ſuam perorarit.

Quin

Quin & illud notum est, nullum neque dictum, neque factum paulò excellentius ab eo auditum aut visum fuisse, quod non vel in illo suo diario notaret, aut memoriæ quasi septo non comprehenderet. Reuerendissimus Episcopus Londinensis D. Sandus, & alij multi testes esse possunt, hoc ipsum non semel retulisse, si quid fortè commentatus perscripserat, & id semel distinctè perlegerat, paruo negotio idem totum eadem serie, iisdem propemodum verbis sine scripto potuisse reddere. Quod ab eo (ni fallor) præstitum est in ea Concione cuius supra mentio facta est, quam, campana ad diuæ Virginis templum Oxoniæ vocante, edidicit, & posteà expeditè pronuntiauit. In Collegio suo adhuc iuuenis, post disputationem, vt fit, igni cum suis assidens, iubebat exercendæ memoriæ causa, eorum duos aut tres ciuium quorundam noua nomina ex ignotis parochiis & diuersis locis proponere, quæ ille octo post dies, ordine, sicuti singuli dictauerant, repetiit. Ioãnes Sheppræus eiusdem Collegij Corporis Christi & socius & linguarum professor, pro illis tẽporibus doctissimus, in nouum Testamentum ad memoriam iuuandam, disticha Alphabetico ordine conscripsit, quæ emendatiora & auctiora D. Parkhurstus primùm Argentinæ, pòst Londini excudit, quæ cùm subinde Iuello laudaret, diceretque complures inde non parum vtilitatis percepisse, Vtilia quidem certè & perbella sunt carmina, inquit Iuellus: sed ego noui memoriæ subsidium quoddam salubrius, & aliam viam commodiorem, scilicet Artem memoriæ. Quo tempore Parkhurstus accepto Calendario, aliquot nomina difficiliora & barbara inde conquisita selegit, quę noster ex tempore, locorum situ & ordine obseruato, memoriter pronuntiat. Nec dissimile est quod fecit Glocestrię: Nam cum Ioannes Hoperus ibidem Episcopus vigilantissimus, & post martyr Dei constantissimus, tentandi causa, vnà cum aliis amicis, peregrina vocabula, Vvallica, Hybernica, aliaque exotica circiter quadraginta excogitasset, iste secedens & aliquantulùm meditans semel aut iterum lecta à primo ad vltimum & è contra, absque mora & omni hęsitatione recitat. Cõcionaturus breuissimas annotationes & pręcipuas dicendorum Summulas scribere consueuerat, quas huius artis adminiculo, imaginibus insignitis, locis omnibus dispositis, ita memorię commendauit, vt non semel dixerit, etiamsi decem mille auditores haberet, & inter perorandum tumultuarentur aut pugnarent, se tamen artificialis memorię beneficio sic confirmatum esse, vt non perturbaretur, vt nihil obliuioni traderet, sed vbi desierat, ibi omni trepidatione abiecta, pergeret. Solebat D. Caluini Institutiones & ipse maximi facere, & plurimum amicis commendare, quas hoc artificio & industria tãquam digitos suos probè nouerat. Hoc etiam suasit Parkhursto, & tandem persuasit, sic vt ille vires suas periclitaturus, ab Euangelio secundum Mattheum exorsus, Tiguri in templo D. Petri, locis & imaginibus in Anglię oppido Cleua collocatis, vna solùm hora quotidie ei studio tributa, omnia illa viginti octo capita totidem dierum spatio à principio ad finem vsque, & vice versa ita ad vnguem & ad verbum calluit, vt quamcunque partẽ eius Euangelistę, & antecedentia & consequentia promptissimè redderet. Suasit idem D. Frenchamo quondam Oxonię studioso, homini & ingenuo & generoso, qui exul religionis causa Tiguri & piè vixit & Christianè obijt. Anno regni Elizabethæ quinto, tempore Comitiorum siue Parlamenti, vt dicimus, ambo & Sarisburiensis & Noruicensis apud ornatissimum Equitem D. Baconum magni Sigilli Custodem pransi sunt, vbi refectis corporibus, etiam sermonis elegantia & suauitate suorum conuiuarũ animos recreaturus, de arte hac memoriæ loquutus, quendam Roughamum Monachum Buriensis Cœnobij, propter eam facultatem & peritiam multis laudibus extulit: cúmque Parkhurstus adderet, in ea mensa etiam alium mirum artificem adfuisse, Iuellum innuens, D. Custos periculum facturus, sumpta Erasmi Anglica Paraphasi, cœpit ei decem linearum vltimas clausulas & voculas confusas, quandoque perfectas, quandoque dimidiatas, plerumque decurtatas prælegere: Age, inquit, quid hîc possis videamus. Iuellus secum tacitè ruminans, facie manu cooperta in mensa sedens, statim singula súsque déque rectà & retrò repetiuit. Tanta & tam incredibili memoria polluit, vt singula specimina memorare, alterius cuiusdam memoriam firmiorem & capaciorem requireret. Atque hęc de Scriptis & de adiumentis ad eam rem necessariis dicta sint.

Literæ.

Quas ille scripserat literas ad amicos, familiares, Nobiles, Episcopos, nostros, exteros: & rursus, quas ab aliis doctissimis viris, maximè Tigurinis acceperit, & quàm aptè & artificiosè in suis quasque capsulis digesserit, prætermitto. Multi suos libros ipsi inscripserunt, nimirum P. Martyr dialogum de vtraque in Christo natura, cúmque velut Palæmonem

Dedicationes librorũ.

inter duos suos Interloquutores Pentachum Vbiquitarium, & Orothetem rectè de Christi humanitate, eiusque corporis circumscriptione sentientem elegit: quem etiam sæpe optauit in ea respondendi prouincia sibi mortuo succedere. Dignum profectò argumentum, in quo illud diuinum ingenij sui lumen & orationis flumen exerceret. Etsi enim Dei gratiâ Anglos nostros illa pestis Vbiquitaria non inuasit, tamen in aliis locis latiùs serplit, & principiis obstandum est. Quis autem hoc spatiosum de Vbiquitate thema oratione peragrare cum laude posset, nisi qui vbique locorū per omnia authorum genera est peruagatus? Quæ enim, ô Deum immortalem, in hac doctrina tenebræ, quod chaos, quæ abyssus? quàm nouum genus philosophiæ? quam nec Parmenides ipse, si viueret, qui omnia quæcunque sunt vnum esse dixerat, nec Heraclitus, nec Scotus ipse posset intelligere: vbi sursum, deorsum, antrorsum, retrorsum, hâc, illâc, cœlum, inferi, terra, omnia miscentur, & confunduntur: vbi in tanta caligine, nec ianuam qua ingrediamur, nec exitum quo euadamus liceat inuenire: vbi rectè quis exclamet cum Poëta:

Monstrum horrendum informe ingens, cui lumen ademptum.

Dedicauit ei & aliis nostris Episcopis olim exulibus, suum Danielem Henricus Bullingerus: Itémque Bullæ Papisticæ Refutationem, in qua & orthodoxæ Reginæ & totius Regni nostri defensionem suscepit, anno Dom. 1571. Et Iosias Simlerus orationem de P. Martyris vita sub nominis ipsius auspicio publicè apparere voluit, eiúsque in Genesin Cōmentariolum, quòd illi Martyris vita deberetur potissimum, qui Martyrem viuum obseruauit vnicè: quo tempore misit eiusdem Martyris Eicona argenteam, videlicet circiter annum Domini, 1563. Martij, 23. Quod ex ipsius literis ad eum trāsmissis licet cognoscere.

AD D. IOSIAM SIMLERVM APVD TIGVRINOS SACRAE THEOLOGIAE PROfessorem, Iuelli Episcopi Sarisburiensis Literæ.

SEmper amaui, doctissime Iosia, humanitatem, suauitatem, amorem tuum. Quis enim non amet hominem hoc ingenio, hac comitate, istis literis, ita veteris amici memorem, ita denique amabilem? Verùm cùm ad amorem erga te meum nihil videretur addi posse, tu tamen tuo merito facis vt quotidiè videar ardere, vt si amor maximus maior esse posset, magis amem. Recepi à te Eicona argenteam, & vitam atque obitum optimi illius senis Petri Martyris. In Eicone quidem etsi multa egregiè conueniant, tamen erat etiam aliquid nescio quid, in quo artificis solertiam requirerem. Et quid mirum in illius hominis similitudine erratum esse, cuius equidem cùm omnia circumspicio, vix quicquā puto fuisse simile? Libellum autem tuum auidissimè & summa cum voluptate perlegi. Videre enim mihi videbar illum ipsum senem, quócum antea suauissimè vixeram, eum nescio quo pacto propiùs etiam & penitiùs videre, quàm cùm vnâ cum illo viuerem. Stancarum autem obscurum & insolentem scurram, quem ego nunquam natum audieram, & argutè, & pereruditè, neque, vti spero, sine magno Ecclesiæ commodo confutasti. Parciùs ad te ista, mi Iosia, de te præsertim. Auribus enim tuis dare non est nec amicitiæ nostræ, nec pudoris mei. Equidem libenter illa legi, vt soleo tua omnia. Erant enim scripta de rebus ieiuuis plenissimè, de obscuris splendidissimè. De omni ista tua humanitate agnosco & fateor, atque etiam profiteor me esse in ære tuo. Ecclesia nostra Dei beneficio immunis est ab istis monstris. Tantùm res nobis est cum Satellitibus quibusdam Pontificiis. Illi turbant quantùm possunt in angulis, atque etiam hoc tempore impediunt quo minùs ea possim pertexere contra Vbiquitarios quæ cogitaueram: sed de ea re ad D. Bullingerum

scripsi

scripsi plenius. Si scripta D. Martyris edideris, & Ecclesiæ consulueris, & multorum bonorum expectationi qui ea cupiunt, satisfeceris. Commentaria autem in Genesin, quoniam de illis quærere videris iudicium meum, equidem ea, mi Iosia, nunquam legi: tamen non dubito esse eiusmodi, vt si edantur, videri possint Petri Martyris. Noua ea quæ erant, conieci in literas ad D. Bullingerum. Nisi Rhenus vester nobis ita esset aduersus, & scriberem ad te, & mitterem sæpius. Sed iter longum est, & præterea ad istas nundinas vix vnũ aliquem inuenire possum qui isthuc eat. Nunc autem etiam de nundinis dubito. Quicquid autem de literis istis meis fiet, ego tuus, mi Iosia, totus sum, siue scribo siue taceo. Saluta, &c.

Transmisit etiam in Angliam ad eundem Iuellum, Lodouicus Lauaterus doctus & diligens Tigurinæ Ecclesiæ Ecclesiastes, librum suum in Salomonis prouerbia, & alium de controuersia Sacramentaria. In altero Iuellus (quoniam eius iudicium requirebatur) multiplicem & variam lectionem, & doctrinam reconditam agnouit, ita vt nihil in eo genere putarit extare cum eo conferendum, ingenuè confessus se multa illius sapientissimi Regis prouerbia tum demùm intellexisse, quæ antea ignorabat. In altero autem libello, ait se, quod ad rem ipsam & ad historiæ veritatem attinet, non habere multùm quod dicat: difficile esse iudicium ferre de illis rebus, quibus cùm gererentur non interfuerit: de fide autem Scriptoris nihil se dubitare, orationísque perspicuitatem, candorem, modestiam D. Brentio, atque adeo liuori ipsi, omnibúsque aduersariis non posse non placere.

Nouum hoc Vbiquitatis dogma hinc fortasse ortum est, quod hanc mysticam vtriusque in Christo naturæ coniunctionem, & vniuscuiusque proprietates & qualitates non satis ad amussim discreuerint: deinde quòd corpus Christi reale in Sacramēto fundarint, propterea quòd malè argumenta sua consuant. Non enim valet argumentum, Corpus Christi coniunctum est cum diuinitate, sed diuinitas est vbique ergo corpus Christi est vbique. Quod hoc simili patefiet: Manus est annexa & iuncta corpori, corpus longum est sex pedes, ergo & manus. De Brentio autem & Pet. Martyre, & nos omnes optimè sensimus, & quomodo vir tantus in talem absurditatem demersus sit, miramur, & quidem dolemus eruditissimos Theologos ea de re diuersas sententias scribere: nec nescimus iras fratrum esse acerbissimas, & vt Aristoteles autor est, illiusmodi bella esse grauissima, & speramus fore iucundam aliquando concordiam, quæ est quouis balsamo fragrantior, quouis rore dulcior, quo terra arescens, id est, siticulosa anima Christianorum paruulorum reficitur & fœcundatur. Nuper admodum Rodolphus Gualterus eiusdem Ecclesiæ Tigurinæ minister dignissimus, huius præsulis obitũ deplorauit in præfatione Epistolæ ad Cor. vnde non solum Angliam, sed & totam Ecclesiam, cuius ille præclarissimum sydus fuit, vulnus non mediocre accepisse, non sine causa iudicauit.

Iuell. D. Theologię.

Cæterum non solum priuatorum hominum calculo inclaruit, verumetiam Oxoniensis Academiæ suffragatione. Etenim anno Domini 1565. concessus est ei gradus supremus, nimirum doctoratus, vt quod non multis dari solet, absens crearetur.

R. Elizabethę ad Oxō. Academiā aduentus.

Eodem anno pòst, August. 31. serenissima Regina Elizabetha, anno regni sui septimo Oxoniam venit, vt scilicet Academiæ suæ statum videret, & scholastica quædam exercitia regali sua præsentia honoraret: quibus vtriusque Vniuersitatis illustrissimi Cancellarij Comes Leicestrensis, & D. Burghleus, D. Marchio Northamptonensis, & Regis Hispaniarum Legatus, & alij interfuerunt. Laudatissimæ Principis commemorabile sanè exēplum, musas salutare, loca, non zelo promouendæ superstitionis, sed animo amplificandæ literaturæ & religionis inuisere. Quod à Carolo Rege in Pragensi Academia factitatum est, & apud nos à Richardo Rege eius nominis tertio, qui hoc sanè nomine omni laude & prædicatione est dignissimus. Nam anno Domini 1483. 24. die Iulij, similiter ab Oxoniensibus, à Cancellario, Rectoribus & Magistris honorificè receptus, cum suo nobilissimo comitatu ad Collegium Magdalenense est deductus, comitante Domino fundatore G Vvaynfleto Episcopo Vvintoniensi aliisque Comitibus, Dominis, necnon Episcopis assectantibus: vbi cum suis non solum pernoctauit, verumetiam disputationes Ethicas, & etiam Theologicas in Aula audiuit, & actores, & Presidentem, aliósque eius Collegij studiosos muneribus affecit: Licet enim reliqua eius facta probari ab omnibus non possint, tamen hac in re nihil gessit quod ab officio optimi Regis alienum videri debeat. Itaque &

hoc tempore, eodem affectu, & maiore fortassis effectu, horum vestigia sequuta Regia Maiestas, cùm ad nos se reciperet, illius fœlicissimum aduentum omnes omnium ordinum homines gratulantur orationibus, carminibus, spectaculis, plausibus, omni denique officiorum genere gaudium suum exprimunt. Neque solum priuatim studiosi se exercuerũt, sed etiam publicè solennes disputationes Philosophicas, medicas, Theologicas, atque etiã in iure ciuili per aliquot dies instituerunt, Regia Maiestate non solùm præsente, sed attendente, & ad extremum, suum quasi Epiphonema Regium apponente. Nam cùm ad noctem vsque protracta esset à nobis Theologica disputatio. R. M. vehementissima Consiliariorum intercessione & precibus tandem impulsa, maximè eas dicendi vices D. Legato modestè recusante, facibus iam accensis, leni voce & serena fronte, nobilissima suorũ Procerum & aliorum corona vndique stipata, hanc extemporalem quidem & breuem, sed omnium Academicorum animis & auribus gratissimam orationem habuit. Quoniã verò respondentis in loco & in cathedra Theologica procul cõstitutus, plurima quidem tamen non omnia percepi, si quid erraui veniam à R. Maiestate supplex peto. Nec enim musculus leonis rugitum repræsentare potest, nec quisquam plebeius regiam eloquentiam exprimere. Deinde cùm in tenebris omnes scribere omnia non potuissemus, variantibus nonnihil exemplaribus, sequutus sum quod mihi videbatur correctissimum.

ILLVSTRISSIMÆ REGINÆ ELIZABETAE AD OXONIENSES ORATIO.

QVi malè agit odit lucem: & ego quidem quia nihil aliud nisi malè agere possum, idcirco odi lucem, id est conspectum vestrum. Atque sanè me magna tenet dubitatio, dum singula cõsidero quæ hic aguntur, laudémne an vituperem, taceámne, an eloquar: Si eloquar, patefaciam vobis quàm sim literarum rudis: tacere autem nolo, ne defectus videatur esse contemptus. Et quia tempus breue est quod habeo ad dicendum, idcirco omnia in pauca conferam, & orationem meam in duas partes diuidam, in laudem & vituperationem. Laus autem ad vos pertinet. Ex quo enim primum Oxoniam veni, multa vidi, multa audiui, probaui omnia. Erant enim & prudenter facta, & eleganter dicta. At ea quibus in Prologis vos ipsi excusastis, neque probare vt Regina possum, neque vt Christiana debeo. Cæterùm quia in exordio semper adhibuistis cautionem, mihi sanè illa disputatio non displicuit. Nunc venio ad alteram partem, nempe vituperationem, atque hæc pars mihi propria est. Sanè fateor parentes meos diligentissimè curauisse, vt in bonis literis rectè instituerer, & quidem in multarum linguarum varietate diu versata fui, quarum aliquam mihi cognitionem assumo: quod etsi verè, tamen verecundè dico. Habui quidem multos & doctos Pædagogos, qui vt me eruditam redderent, diligenter elaborarunt. Sed Pædagogi mei posuerunt operam in agro sterili & infœcundo, ita fructus percipere vix poterant aut dignitate mea, aut illorum laboribus, aut vestra expectatione dignos. Quamobrem etsi omnes vos me abundè laudastis, ego tamen quæ mihi conscia sum, quàm sim nulla laude digna facilè agnosco. Sed finem imponam orationi meæ barbarismis plenæ, si prius optauero & votum vnum addidero. Votum meum hoc erit, vt me viuente sitis florentissimi, me mortua beatissimi.

In hoc loco & tempore, D. Iuellus Oxoniam ad moderandum accitus, suam sententiã in fine dixit, & grauiter & verè perorauit.

In ad-

In administratione functionis Episcopalis impiger fuit,& hanc personam Ecclesiasticam non indecorè sustinuit. Nam vt concionādi crebritate,& scribendi assiduitate,ita aliis omnibus quibus potuit modis,diœcesin suam iuuare studuit. Est quidem arduum opus Episcopum agere,& locus vt sublimis, ita lubricus. Si in tanta negotiorum varietate, in tot curarum vndis non posset omnia expedire,omnia loca perlustrare, omnia vitia deprehendere,omnes oues suas pascere,omnes inferiores Pastores gubernare,si, inquam, quandoq. dormitet,non est mirandum.Equidem diffiteri nemo potest,à suis non raró vendi bonum Principem, & res tum priuatas tum publicas pessimè interdum geri per vicarios. Certè noster pro viribus enixus est,rem Ecclesiasticam,prout humana fert imbecillitas,quàm diligentissimè per se procurare.Quanta autem solicitudine Ecclesiæ suæ commoda amplificarit,inde patere potest:Siquidem cùm aulicus quidam & alienus à Sacerdotio vellet alteri auaro suam,qua erat donatus,præbendam locare,(itaque nimis peruersè videretur & Ecclesiastica bona dissipare & auertere,& nimis apertè suam cupiditatem prodere,)Quid tui inquit,Iurisperiti respondeant,quidve conductor ille tuus agat aut velit nescio: Ego autem quantum à me fieri maximè & prouideri potest curabo,ne quid Ecclesia mea,me viuo, detrimenti capiat.Solent interdum pueri mercede, vel literis magnatum sacerdotia impetrare:cui malo hic quoad potuit,obstitit.

Episcopi functio.

Politicus quoque erat:Non solum enim in suo foro Episcopali (Consistorium vocant) cū Cancellario sedit,& præsedit,causas de matrimonio & stupro,testamentis,aliisque casibus audiens,expendens,definiens,verum etiam in sua diœcesi eum iustitiæ præsidem seu publicæ pacis administrū Regia M.designauit,vt pro tribunali reliquis iudicibus assideret.Quod egit ille quidem,sed tanquam aliud agens,maximè cùm scrupulus de religione incidit,aut aliud dubium in quo enucleando reliqui magistratus illius consilium reiicerent.Suum munus existimauit & verè Episcopale officium,lectioni,exhortationi,consolationi attendere, non illis forensibus & merè ciuilibus tricis se inuoluere,quomodo olim Pontificij solebant qui obliti illius Aristotelici de Carthaginensibus(quibus vetitum est duas artes aut functiones exercere)vtroque mucrone spirituali & tēporali pugnabant:quibus illud Bonifacianū placebat,Ecce duo gladii:qui clero dominabantur,ius commune dicebant, gregē Christi regebant,non pascebant,vinculis constringebant,pœna etiā capitali afficiebant (licet hypocriticè cum Pharisæis,seculare Pilati brachium inuocarent:)denique quipræ termissa docendi vocatione,quæ maximè ad Episcopum spectabat,Aulas sectabantur, legationes obibant,castra sequebantur,aliisque negotiis sæcularibus se implicabant, vt satrapas beneficos, seu magnificos Dominos, & Reges gentium ab istis vix discerneres.

Iustitiarius pacis.

Quod ad ethica & mores attinet,quos etiam superius in pueritia attigi,ad omnem humanitatem factus est,in congressu affabilis,in vita tota placidus & placabilis, in sermone lepidus & vrbanus,in scriptis etiam orationem totam salibus doctè & ingeniose perspergens. Non enim(vt quidam) qui tum demum eruditi haberi volunt cùm sic iocantur vt rideant, sic rident vt mordeant, sic mordent vt etiam scurruliter ineptiant, non inquam sic noster amarè lusit, neque dentatos aut nigros sales aspersit, sed commodè aliquid semper prompsit,quo & se & alios delectauit. Quanquam autem semper lenissimi & patientissimi stomachi fuerit:tamen vel quia ingeniosi melancholia non vacant,vel quia anni ingrauescere cœperunt:dicunt eum in nonnullis factum esse submorosiorem:nunquam tamen ita vehementer perturbatus est,quin mox illa tempestas paulatim subsederit.Lenitatem animi,mā suetudinem etiam illa subindicarunt, quòd in Episcopatu maluerit suos, quàm se asperiùs agere,& illa quoque monita ad D.Parkhurstum indicio esse poterunt: Sit Cācellarius tuus durior,tu mitior:ille secet,tu mediceris:ille cultro vtatur,tu cataplasmate:prudens clemētia,clemens prudentia,non rigida seueritas aut diritas præualebit.Machinâ vnus mouebit plus quàm sex manu: præstat viribus & fortitudini prudentia cum humanitate coniuncta.Pietatem & domi clam & in templo palam,laudant qui ex ipsius fuerint intimis & familiaribus:cuius etiam argumentum est illud,quod in Apologiæ defensione suo autographo sic scriptum reliquit. In nomine Dei Patris,& Domini nostri Iesu Christi. &c. Cui debetur omnis honos & gloria,Amen.

Morum in Episcopo probitas & comitas.

De liberalitate & beneficentia multi narrant,quòd pauperibus fores patefecerit, captiuis ordinaria ciberia miserit,studiosos quosdam annua stipe fouerit,& eos ad se venientes rarò sine præmio dimiserit,domi suæ sex aut plures aluerit.Tum fortassis manum retraxit, cùm eum scholastici luxu suarum vestium offenderent. D. Parkhursto in exilio diu commorante & pecunia iam colliquescente,etiam ipse exul,huius rei per literas factus certior,

viginti coronatos ab Anglis collegit & Tigurum vsque transmisit: cui item in patriam reuertenti, & in via spoliato iam valedicens, aliquot Daleros dedit. Ampla etiam & perpetua ipsius liberalitas multis officiis & muneribus declarata est erga Iulium Sancterentianum, partim quòd Petri Martyris amicus & famulus, totiúsque peregrinationis comes fuerit, partim etiam quòd propter pietatis studium & doctrinæ commendationem, eo beneficio dignus videretur. Hanc munificentiam & annuam quorundam Coronatorum contributionem in literis multis ipse agnoscit & prædicat, in quibus etiam eadem de causa D. Franciscum Comitem Bedfordiēsem, non tam genere quàm pietate illustrem, & erga omnes exteros pios benignissimum D. Sandum, Coxum, Parkhurstum Episcopos, inter Mæcenates suos numerauit. Petrum Martyrem aurea rosa donauit, & Tigurinos alio honorario, quantum ex literis quibusdam intellexi: quod illi in vsum communem confici, & argenteum poculum inde fabricari (nomine & insignibus Iuelli appositis) voluerunt. Nam & hi libros, vt supra dictum est, ad eum miserunt, & D. Bullingerus item duos de Origine erroris, & duos de conciliis à se antè conscriptos & nunc plurimum locupletatos: Ideóque cùm lege Munerali cautum sit ne quid pecuniæ accipiant ab exteris, ne oblatum tamen Episcopi donum superbius respuere viderētur, hoc poculum, & benignitatis eius erga ipsos, & suæ rursus erga eum gratitudinis, & mutuæ ipsorū amicitiæ & iucundissimæ coniunctionis, tanquā publicum monumentum cōseruare decreuerunt. Sic noster Ioannes, qui non abs re Ioannes Eleemosynarius dici posset, hanc virtutem excoluit.

Comes Bedfordiensis.

De candore, de animo nulla maleuolentia suffuso, de aliis virtutibus dictum est superius.

Priuata & domestica.

Nunc quomodo Oeconomicus fuerit, quàm frugi attentus, bonus paterfamilias, etsi ex superioribus coniici poterit: tamen in hac parte, quæ fortassis in aliis locis prætermisimus, breuiter attingemus. Domestica enim vitæ ratio & disciplina minimè contemnenda est. Quò studiis magis vacaret, in palatio construxit nobilem bibliothecam, quam omni genere librorum instructissimam reliquit, nec inde sanè scholasticos, Canonistas, Formularios, Summularios, Robertum de collo torto, Nicolaum de Gorrham, Iacobum de Voragine aliàs de Boragine, Petrum de Aliaco, Petrum de Palude, Ioannem de Parisiis, Hugonem de sancto Victore, Thomam Aquinatem, Scotum, Henricum de Gandauo, Stellam Clericorū, Manipulum Curatorum, Vade mecum, Dormi securè, Albertum Bielem, Durandum, Dorbellum, Ockamum, Holcot, Bricot, alióśque eius farinæ, seu farraginis doctorculos exclusit. Vnde Hardingi imaginatio facilè cōuincitur, qui cùm tot citata testimonia, variásque Iuelli allegationes ex suis hisce Papistis desumptas videret, vanissimè exclamauit.

Ex propria pharetra nunquam venit ista sagitta.

Quasi ab alio causidico aut Formularum Magistro ista mutuò corrogasset, quasiq. ipsi istiusmodi somniatores, quos tum diligenter legit, nunquam aspexisset. In hac Bibliotheca tanquam in testa sua inclusus, rarò prodiit, & manè non ita faciles ad eum aditus patuerunt. Quò autem vires suas & valetudinem corroboraret, vt ea aliquātum firma & stabili vteretur, post studium & preces matutinas, sub horam octauam iusculum aut ouum sorbere voluit. Mensa erat sacra, lauta, suauitatis plena: Sacra, nā Bibliorū lectione cōdiebat, quæ habebat Anglicè antiquissima: Lauta, quippe ferculis moderatè appositis, in qua ipse omnibus præterquam sibi ministrauit. Vt enim erat corpus perimbecillum, ita tenui dieta vsus est: homo ioci multi, sed cibi & potus minimi, aliis tamen officium hospitalitatis prolixè præstitit. Suauitatis plenam dixi, quia multa iucundè narrare, & ab aliis audire solebat, aliis cō uiuis Anglis & exteris opponere, aut respondere, vel pædomachiam spectare, in qua pueri, quos in schola publica educauit, latinè velitabantur & disputabant: ad quam præmiis, & præceptorem & discipulos inuitauit. Cùm enim interdiu multa eum negotia circumsepirent, & variæ res quasi montes, omnes eius cogitationes circunstarent, puerilem hanc pugnam optimum esse condimentum in cœna existimauit: quomodo alij nobiles vel canes ad persequendas feras alunt, vel gallos vel alias bestias pugnaces inter se committunt: Sua enim quemque trahit voluptas.

Cibo sumpto & gratiis Deo actis, aliquid temporis, aut causis & quæstionibus audiendis, si quis proponeret, aut litibus dirimendis, si quis moueret, impartiit: tametsi nonnunquam ipsa mensa forum erat, vt partes litigantes si adessent, reconciliarentur. Sub horam nonam, conuocatis famulis vnà domi comprecatus est, hinc monuit absentes, aut alioqui negligentes, in vitia omnium inquisiuit & interdum animaduertit. Ita familiæ suæ domi præfuit, vt domum Dei melius posset regere. Nuper Iuello mortuo, quidam è famulis cùm iam alteri

Domino

Domino se in famulitium tradidisset,& Diabolo instigante quippiam capitale admisisset, in patibulo mortem Domini lamentans & vitæ suæ pertæsus,Heu,me,inquit,miserum, qui tot Iuelli monitis non factus sum cautior: quod si ille nunc viueret,hāc ignominiosam mortem nunquam passus fuissem,diligenter enim ille suos monuit, sed bene monenti omnes semper non obediunt.

Finito hoc domestico examine,rursus in Musæum properat ,mox ad lectum,sed prius aliquo authore à cubiculario seu Anagnoste suo prælecto,& demum Christo resalutato:quē vt vnicum & solum corporum & animarum custodem,siue vigilantes,siue dormituri, siue viuentes,siue morituri inuocare debemus.

Iuelli mors.

EXTREMVS nostræ historiolæ & vitæ Iuelli actus est mors,quæ omnibus quidē hominibus communis est,tum ipsi quodammodo præmatura,nostræ autem Ecclesiæ veluti funesta videri posset.Londino reuersus ecclesias suæ ditioni subiectas inuisit, absentiam præsentia,& illam qualemcunque remissionem suam noua sedulitate pensaturus: in qua sanè visitatione postrema,referunt eum seueriùs & Cleri & plebis vitia studuisse corrigere,& minorum gentium Parochis laborem & pensum ediscendi quædam imposuisse,ipsummet & verbo & facto in reformatione elaborasse vehementiùs,& viris,& doctrina & religione,& vita probatis,non idiotis aut indoctis sola literarum & testimoniorum alienorum commendatione notis,sed plebe præsente(vt Cypriani tempore factum est)Ordines contulisse multò quàm antehac vnquam circunspectiùs.Eas verò tum vigilias suscepit,quibus debilitatæ eius vires prorsus conciderunt.Equitaturus ergo Lacokam in comitatu VVilliensi,à generoso quodam amicè admonetur, vt reuerteretur & domi suam valetudinem curaret diligentiùs:tot enim doloris aculeos in itinere posse illum in mortis discrimen coniicere: melius esse vt plebs vna Concione fraudetur,quàm vt tanto Concionatore omninò priuetur. Cui ille,At enim,inquit,decet Episcopum in suggestu concionantem mori. Sic quondam Cæsar:Oportet Imperatorem stantem mori.Sic Ioānes Caluinus sella vel equo delatus est sæpè vt in schola legeret:O si,inquit,ibi me occupatum Christus inueniret.Sic Bucerus Cātabrigiæ priuatim docuit,cùm morbo stratus in publicum auditorium non posset venire. Idémque de Ioanne Knoxo Scoto Concionatore Edenburgensi dignissimo , ante aliquot menses in Domino piè mortuo,refertur.Itaque ne populum vana expectatione falleret,eò concessit vbi postremam Concionem,quasi Cygneam cantionem habuit, dominica decimaquarta post Pentecosten,Themate proposito ex Epistola ad Galatas capite quinto, Dico autem spiritu ambulate & desideria carnis non perficietis,&c. vsque ad finem capitis, Inter opera carnis non inuenit coniugium,quod laudibus ornauit, sed fornicationem, quā Apostolus in suo catalogo annumerauit.Cæterùm quantumuis luctans cum morbo , absoluta Concione domum redit,& noui cruciamentorum morsus volentem nolentem excipiunt,prosternunt,& lecto affigunt.

Ita dum totum vitæ suæ curriculum in hoc doctrinarum spacio consumit, dum se nimiū fatigat imbecillæ valetudines & lætiferi morbi inuaserunt.

Ægrotus non murmurat,non mortem pertimescit,sed in languido corpore mens sana, quieta,& bona est:quasi illud Cypriani de Mortalitate iam decumbenti occurreret : Mori timeat qui ad secundam mortem de hac morte transibit:aut quasi nouus aliquis & Christianus Socrates,non ad mortem trudi,verùm in cœlum iam videretur ascendere. Variis hoc tempore impeditus implicitúsque doloribus cōuocat suos die Sabbathi, quibus prædicit mortis suæ tempus in foribus esse,illisque orationem Dominicam interpretatur,ac Demum alloquitur: Video me communem omnis carnis viam ingressurum,& symptomata,& tela mortis infixa sentio:quare libet paucis,dum spiritus hos regit artus, & dum linguæ vsū clementissimus Dominus concedit,vos affari. Equidem à Deo immortali semper precatus sum,exquo tempore aliquid diuino eius munere intelligere poteram,vt liceret mihi carnis huius meæ sacrificio nomen ipsius illustrare,& veritatem quam profiteor & docui,hac corporis mei hostia consignare:quod quia non datur,in eo valdè me recreo & consolor esse iā diutius laboribus maceratum & exhaustum. Dum enim Dei populum visito, Deus Deus meus visitauit me.Cum Hardingo qui me in arenam prouocauit,congressus sum,non vt illius famæ aut existimationi detraherem,non vt vlli errori sciens patrocinarer, non vt mundi vanissimam gloriolam venarer:sed vt Deo soli & Ecclesiæ seruirem pro viribus. Extre-

Oratio morientis.

ma Concio Londinensis in suggestu Paulino, & collatio illa cum fratribus quibusdam de Ceremoniarum pædagogia, & Ecclesiæ nostræ statu à me habita non est vt cuiquam mortalium placerem, aut vt hominum auribus darem, aut aliquam partem quæ aliter quàm ego senserat, exacerbarem, aut molestiâ afficerem, sed ne qua pars alteri præiudicaret, & vt in cordibus fratrum charitas Dei per spiritum sanctum qui datus est nobis, diffunderetur. Oro autem Deum Opt.Maxi. vt pro sua infinita misericordia dignetur istorum malorum caput, omnium rebellionum, dissensionum, schismatum in orbe Christiano authorem, satorem, signiferum Romanum Pontificem conuertere aut confundere: qui vbicunque aliquãdo pedem posuit, ibi contendendi causas & occasiones aliquas subministrauit, & velut ossa canibus obiecit. Oro etiam vt Regiam Maiestatem diutissimè conseruet, Senatum dirigat, defendat, piósque Pastores augeat & tueatur, détque Ecclesiæ veram pacem & Euangelicam concordiam. Peto item à vobis qui circumstatis, & ab omnibus quos offendi, vt ignoscatis, & vt morienti hoc vltimum charitatis officium præstetis, nimirum quia hora imminet & omnis corporis succus exsorptus est, cùm videritis me propter carnis debilitatem elãguescere, & in precibus non satis feruere, ipsi preces effundatis & me adiuuetis. Siquidem vos ego hactenus & cõplures alios docui: nũc adest tẽpus vt vicissim à quouis vestrũ possim doceri & confirmari. His aliísq. in eã sententiam allatis, rogat vt Psalmum 71. canant, In te » Domine speraui, non confundar in æternũ. &c. & vt id indesinenter facerent obtestatur, ac » interim ipse vota sua coniungit. Cùm recitaretur, Domine spes mea à iuuentute mea: Spes » inquit, mea tota tu solus fuisti. Quúmque in Psalmo diceretur, Ne reiicias me tempore se- » nectutis meæ, cùm defecerit virtus mea ne derelinquas me: & pòst, Quin & vsque in sene » ctam & canos ô Deus ne deseras me. Ille, inquit, Senex est, ille deficit, ille verè canescit quisquis moritur. Quibus alias precatiunculas pietatis & constantiæ testes addidit. Domine aufer à me spiritum meum: Domine nunc dimitte seruum tuum in pace, tolle moras, seruum tuum sine nunc ad te venire, iube tecum esse: Domine suscipe spiritum meum. Quum ex astantibus quidam oraret Dominum vt si ei id videretur ipsum pristinæ valetudini & Ecclesiæ restitueret, contortis in eum oculis dixit, quod olim Ambrosius: Non ita vixi vt me vixisse pudeat, nec mortem timeo, quia bonum Dominum habemus: reposita est mihi corona iustitiæ: Christus iustitia mea. Pater fiat volũtas tua, tua inquam non mea, quæ imperfecta & deprauata est: noli me confundere. Hoc est meum. Hodie, hodie, citò ad te veniam, hodie te videam Domine Iesu. Scilicet non vt cæteri, vitæ diuturnitatem concupiscit, non in ore hominum cum splendore & honore versari desiderat. Voce iam deficiente, innuit iis qui aderant, semper orare: & quem non poterat lingua consensum præstare, eum leuatione manuum & oculorum ad extremum vsque vitæ halitum expressit. Sic homo Dei perfunctus suo munere, ad incredibilem maciem perductus, & viuum quasi cadauer effectus, ingenti cruciatus vi oppressus, memoria tamen & sensibus integer, non in purgatorium quod confutauit, non in cœlum vbiquitariũ, contra quod erat scripturus, sed in possessionem certæ fœlicitatis proficiscitur, & Christi beneficio ac gratia laboris & curarum optatos fructus consequitur, suauem corporis somnum, & sempiternam animæ requietem. Rilæus œconomus, quem dilexit, ei oculos clausit anno Domini, 1571. vicesimo tertio die Septembris, circa tertiam pomeridianam, cùm iam annos propemodũ quinquaginta in labore & dolore & honore vixisset.

De testamento quod in hac morbi aggressione & paroxysmo condidit, nihil dicam nisi illud, quòd legauit sua, non aliena, nec libenter æs alienum vnquam conflauit, sed cum suis procuratoribus & ministris statim ratione subducta, sua cuique sine mora persoluit. Deinde non addidit ditioribus, sed famulis & scholasticis, & pauperibus liberalissimè dedit, fratre quidem Ioanne Iuello non prætereito, & quibusdam aliis amicis non planè neglectis, sed in hunc finem potissimum, vt studiosos iuuarent. Sepultus est honorificè in æde Sarisburiẽsi, ad cuius funus concione celebrandum accersitus sum: sed cùm tempore pestis absentem & peregrinantem nuncius non inueniret, ὁμώνυμος & ὁμόψυχος meus Ægidius Laurentius id munus exequutus est ad honorem Dei & cum fructu Ecclesiæ, cum laude sua, & cum amplissima vitæ & mortis Iuelli commemoratione. Quod deerat, Guilielmus Holcottus generosus, illi Sophistico Scriptori, R. Holcotto in religione dissimilis, vir honestissimæ familiæ & optimæ fidei, ex suo, non Ecclesiæ patrimonio viuens, & gratis euangelizans, tempore pomeridiano suppleuit. Funus non Papistarum more luminibus in meridie circumfusum est, sed multorum lachrymis, & Oxoniensium & aliorum carminibus & Monodiis honoratum.

NVNC amice Lector Iello nostro sepulto, pauca restant quæ te velim cognoscere. Prædictiones sanctorum sæpe veræ sunt ominationes: non semper falsæ vaticinationes. Etenim Iuellus non solùm præsentibus tum mortis suæ diem instare dixit, verùm etiam paulò antè præuidit. Nam cùm D. VVithedi, de quo antè, & D. Coli Archidiaconi Essexensis mortem per literas Episcopo Noruicensi significasset: & rursus Iulij septimo anno Domini 1570. de D. Allæi Episcopi Exoniensis obitu quædam perscripsisset, Me, inquit, oportet illum sequi, & gracilem crasso succedere, quod & factũ est: erat autem alter pinguior, alter macilentior. In aliis quoque literis: Vtinam congredi & colloqui nobis licuisset, nunc autem serum est. Verùm agedùm, spero in cælis conueniemus: FLVX, FLVX, id est Germanicè citò, citò festina, alioqui si cesses, ego te anteuertam. Quin & eodem anno quo mortuus est, anno scilicet 1571. Februarij tertio, hæc verba adscripsit: Fama est, sed vaga & inconstans, de futura Parlamenti indictione: quod si fiat, tum fortasis iterum veniam in complexus tuos ante mortem meam, meam dico non tuam: Tu enim adhuc canes O Theos, Ischyros, Athanatos, id est, Deus fortis & immortalis. Similiter Bradfordus paulò antè Martyrium, suppræ tores, lictores, & rogum accensum visus est in somno videre. Similiter & D. Ridlæus, tametsi indignante in tempestate iactatus, suos iam territos cohortans: Bono, inquit, animo estote, & remis incumbite: Hæc cymba fert Episcopum, quem non mergi, sed comburi oportet.

1. Præsagia Sãctorum ante mortem.

Deinde illud quæso obserues, quomodo liuor edax hominum, defunctis insiliat. Mussitabunt quidam Iuellum in morte, antiqua fide retractata, Papistam euasisse: cùm tamen subinde professus sit, se in ea fide & doctrina quam defendit hactenus, perseuerare, vt tota hæc vera narratio comprobat. Nec defuerunt qui garrirẽt, eum in vita consuasorem fuisse, vt crucis Christi imago retineretur. Quasi verò in hac sua replicatione aduersus D. Hardingum in Articulo decimo quarto abundè non refutetur. Quasi in literis ad amicum non scripserit: Si illa mala crux stat, nos cadimus. Præterea, quod de Socrate vetustas dixit, eum Dæmonium habuisse, & canem vel gallum adorasse: idem finxerunt quidam de Iuello, ei familiarem Genium Ducem fuisse, eum felino spiritu donatum esse, & felem quandam magnam & magistram in consilium adhibuisse, quæ scilicet ei summam rerum scientiam, elegãtiam dictionis, vbertatem scriptionis afflauerat. Quod mendacium vnde conflatum sit, non possum diuinare, nisi id quod suspicor, aut pater fabularum Diabolus etiamnum suos inspirat, aut Pharisæus semper est sui similis, & à Dæmonio posideri dicet eum, quisquis excellit: aut illud fortasis in sermunculis hominum exceperunt, eum iuuenẽ in Collegio Corporis Christi socium, amici cuiusdam rogatu & suasu, magicæ spiritus cuiusdam euocationi interfuisse: aut aliud potiùs magis ridiculum audiuerunt, cùm aliquando Cleuæ in mensa D. Parkhursti iussus esset artocream diuidere & ministrare cæteris accumbentibus, operculo aperto, auiculas subitò, quasi spiritus ab ipso incantatos euolauisse. Ita semper de re leui & ridicula Papistæ seriò nugandi occasionem arripiunt. Nam quandoque viuos passerculos artocreis imponi ad risum mouẽdum, inter amicos vsitatum est. Itáne verò, cùm ille à Deo edoctus, tot vigilias Ecclesiæ causa susceperit, quibus vires attritæ sunt, cum gratia Dei præeunte ad tantam eruditionis præstantiam deuenerit, nullo alio fascino aut incantamento vsus, nisi indefesso studio, gnauitate, diligentia: hoc totum à fele, noua scilicet doctrice insusurratum & aspiratum, homines ad maledicendum eloquentes & diserti audebunt blaterare? Et qui istiusmodi artium diabolicarum nunquam peritus, semper inimicus habitus est, ei nunc tantam dedecoris labem aduersarij prodigiosè mẽdaces non verentur aspergere? Prodigij simile est, sed tamen huic fabulæ non dissimile quod de D. Bucero olim Cantabrigiæ peruulgatum iactabatur. Cùm Catharina Ducissa Suffolciensis, genere, religione, exilio nobilitata fœmina, cuius liberi Henricus Dux, & frater Carolus tum in ea Academia literarum tyrocinia degustarunt, vaccam & vitulum Bucero dono dedisset, cúmque ille ad videndum aliquãdo se contulisset, multorum sermone percrebruit, ab his illum, quid in Scholis legeret, edoctũ fuisse. Quam rem cùm resciuisset, non irasci cœpit, sed iocari. En, inquit, hi sunt præceptores mei, à quibus ea quæ doceo, didici: qui tamen nec Latinè, nec Græcè, nec Hebraicè, nec Germanicè, nec vlla alia lingua mecum sermones conferre possunt. Contra eundem Bucerum coccisat Pontacus Burdegalensis, eum in Anglia moribundum dixisse,

Diabolismus Papistarum.

Iesum Christũ nõ fuisse verũ illũ promissum Messiã, sed aliũ nobis expectandũ. Quod prodigiosum figmentum, & Ioannis Bradfordi Martyris testimonium, & D. Parkeri Cant. Episcopi funebris Concio, & D. Redmani preconium, & Ioannis Checi, & Nic. Carri Epistolæ, & Gualteri Haddoni oratio, & celeberrimæ Academiæ Cantabrigiẽsis doctissima Epitaphia, vberrimæ lachrymæ & infinitæ prædicationes, & in primis Ducis Suffolciẽsis nobilissimi adolescẽtis eiúsq; fratris, & Domini Ioãnis Schefeldi, & Antonij Coci Monodia, atque adeò ipsius sanctissimi viri in ipso extremo halitu Christianisma cõfessio abundè refutare possint. Moriturus librũ suũ de Regno Christi, & quæ de Ecclesiæ disciplina scripserat, Edouardo Regi & Regno Angliç commẽdat, vt hîc apud nos locum aliquando habeant. Moriturus omni cura & cogitatione & oculis in Christum crucifixum coniectis clamat, se nihil nisi cœlum, nisi celerẽ ad cœlites transitum cogitare. Clamat, castiget fortiter, abiiciet autem nunquam, nunquam abiiciet. Clamat, animo contra omnes cacodæmonum insultus obfirmato Nihil habeo cum Diabolo commune, in Christo solummodo sum. Clamat, absit vt nunc consolationes dulcissimas non experirer. Clamat, amicis de Ecclipsi & defectu Lunæ quippiam narrantibus, oculis & digitis in cœlum sublatis, Non regimur, inquit ab astris, Ille Ille regit & moderatur omnia. Affirmabant etiam quidam Papistæ Bucerum ad Lutheranos in causa Sacramẽtaria defecisse, cùm constet eum cũ Petro Martyre sensisse. Vt autem de Iuelli domestico cato & Buceri familiari vitulo & vacca sparserunt mendacia, ita semper idem spiritus mendax de aliis veris Christianæ religionis professoribus strepitat. Scilicet eodem modo Christus à Iudæis Dæmoniacus, & à Belsebub Archidiabolo inspiratus: & Paulus propter scientiam & literas à Festo Manicus seu furiosus dicitur: Et refert Io. Sarisber. in Polycratico, Aristotelem propter ingenij perspicacitatem, & corporis agilitatem à quibusdam creditum fuisse Incubi Dæmonis filium. Ex eodem fonte natum est illud de Lutheri Dæmone mendacium. Verùm hæc ab ipso Dæmone ficta sunt, hæc est inueterata diaboli malitia & ars Sycophantica, qua semper pios mortuos insectatur, vt Euangelio Iesu Christi fidem omnem adimat. Scilicet ille calumnians Diabolus loquebatur in ore Hosii & Pontaci, & similium Papistarum, hunc Lutherum bene potum decubuisse, & manè repertum esse mortuum: & Iustum Ionam doctissimum virum, quẽ eius coquum mentiuntur, similiter ferè periisse. Loquitur item Diabolicè & suo more de Zuinglio, de Oecolampadio &c. Quare Epilogi loco annectam de quorundam nostrorum hominum religiosa morte verissimam historiam: tum vt Diabolicæ criminationis offuciæ dispellantur, tum vt Chronologia declaretur, & vt quantum hoc tẽpore colligere potui, quoto ætatis anno & quàm ardenti in Dei filii amore & fide Euangelici nonnulli discesserunt, Ecclesia intelligat. Polycarpi octogenarii senis in flãmis oratio apud Eusebium, eadem penè fuit quam nostri Martyres, Guilielmus Tyndallus, Frithus, Rogerius, Laurentius Sanderus, Iac. Haddonus, Cranmerus, Latimerus, Hoperus, Ridlæus & alii numero infiniti zelo admirabiles, ad eundem patrem dilecti Filii Iesu Christi in simili causa & pœna effuderũt: quorum nomina, quia scripta sunt in libro vitæ, & Ioannis Foxi commentaria præripuerunt, huic narrationi non inseram. Ioannes VVickleuus noster, hisce nouissimis temporibus huius Euangelii Tubicen ferè primus, in Iesu Christi vera religione quam nunc Anglia nostra confitetur, & decubuit & post occubuit. Nam subingressis Monachis, & de Catholicismo Ecclesiæ Romanæ deblaterantibus, illud è psalmo centesimo decimooctauo recitat: Non moriar, sed viuam & narrabo opera Domini. Huius discipulus Ioannes Hus Bohemus, à patribus in concilio Constan. cõdemnatus ad ignem, gestans in capite hanc infamem notam, Heresiarcha, iã iam passurus clamat: Iesu Christe fili Dei viui qui passus es pro nobis, miserere mei. Piè quoque moritur Anna Bollena Regina, & nostræ illustrissimæ Principis sanctissima mater, insignis propagatrix Euangelicæ veritatis: cuius hæc est vox vltima & optima, superiori consimilis: Miserere mei ô Domine. Lutherus ante mortem non vt ebrius, quod isti confinxerunt, sed vt maximè sobrius & seuerus propheta (sicuti proditum est ab his qui interfuerunt) de calamitatibus Germaniæ impendentibus propter verbi Dei horribilem contemptum vaticinatur: & postquam precatione Germanica vsus fuisset, dixissetque: In manus tuas

Euangelicorũ pia mors.

VVickleuus.

I. Hus.

D. Anna Bollena.

Lutherus.

tuas Domine commendo spiritum meum,anno ætatis sexagesimo tertio, ante horā quartam,Februarij decimo octauo,circiter annum Domini, 1544. morte quasi somno placidè in Domino consopitur. Anno autem 1555.anno ætatis eodem, & eadem fide Iustus Ionas obdormiscit. Tot annos & totidem etiam dies attigit Philippus Melanchthon,cuius integerrimæ vitæ mors Christianissima respondit. Pomeranus non minùs pius,sed paulò magis grandæuus,annos septuaginta tres natus, Deo spiritum suum tradidit. VVittembergensibus istis addamus Oecolampadium Basiliensem, cuius longè alius exitus fuit,quàm quomodo ab Historicis Papisticis describitur. Nā obiit,non vt Chronicon Pontaci fabulatur,ignitis Satanæ telis & hastis confossus,siue iuxta alios,sui ipsius suorúmque manibus clàm peremptus,siue ab vxore honestissima matrona,trium virorum doctissimorum coniugio clarissima in lecto extinctus, sed piè è vita excesit,studiis & morbo fractus,præsentibus Senatoribus & aliis,quos sic hortatur suauissimè ; Non fluctuare vos oportet fratres,non in fide vacillare, sed durare & stare,nec vnquam de hoc constantiæ vestræ tenore deiici : vobis & causæ suæ ipse Deus Optimus Max. aderit : Vtinam pericula vobiscum subire,vtinam pro veritate hanc animam effundere liceat. Adulteratæ veritatis notam qua nos hostes denigrare conantur,nihil equidem moror: subeo enim bona per gratiam Dei conscientia,tribunal Christi.Hîc hîc constabit Ecclesiam per nos seductam non esse,nec corruptam veritatem.Huius sententiæ vos vos testes relinquo, & ipse hoc extremo spiritu confirmo.

Ionas. Melanchthō Pomeranus. Oecolampadius.

Erasmum penè præterieram,celebris gloriæ magníque nominis virum,Oecolampadii amicum,eiusdem vrbis socium,religionis assertorem : qui anno Domini, 1536. septuagenarius piè Christum Deum iterum ac sæpiùs Latinè & Germanicè inuocās in eius vera fide obiit.Non est ex hoc albo eradendus Oporinus Typographus Basiliensis,qui arte sua religionis causam plurimùm promouit,& gradu artium insignitus,& reuera insignitè doctus,cùm aliquando ante obitum in summo templo Basileæ Cælio secundo Curioni sepulchrnm quinque virginum & quatuor virorum mōstraret,Ego inquit,decimus addi volo:pulchrum est mortuum inter bonos atq. pios iacere.Ita semper ex abundantia cordis os loquitur,& pium pectus semper spirat & emittit pietatis quandam fragrantiam.Quatuor viri erant,Sebastianus Castalio, Michael Isingrinus Typographus,Augustinus ipsius Cœlij filius, & Hieronymus Frobenius,quem vt amicum & singularem meum in exilio patronum,amoris causa nomino.de Zuinglio(vt Tigurinos huic ordini nostrorum doctorum accenseam)multi hoc spiritu mendacij inflati,multa commēti sunt: Primò Anabaptistam fuisse,qui tamen contra Balthasarum Anabaptistarum principem sæpe disputauit,& sectam illam acerrimè libris æditis oppugnauit. Secundo,Bellatorem fuisse,& vt hæreticum iusto Dei iudicio in acie occubuisse.Prô pudor,illéne bellator qui ad bellum concionandi causa profectus est?qui in illa repentina luporū incursatione vt bonus pastor oues suas vel eripere,vel cum illis periclitari voluit? Illene subitò extinctus dicetur qui se diu antè ad omnem euentum præmuniuit?qui ad omne genus mortis se confirmauit?qui omnem horam velut vltimam expectauit?Nam iturus cum ouibus suis ad bellum Capellanum,&se precibus & suos concionibus præparauit:Vt ego tollar, inquit,hæc fiunt omnia.Age, corpus quidem possunt occidere, animam nō possunt. Post tres dies à morte cor illæsum quasi & integrum è mediis cineribus extractū narrant.Prætereo Theodorum Bibliandrum,Ioan.VVolphium nuper mortuū, & alios qui cùm diutissimè & fortissimè eundem Zuinglianismum(vt vocāt)propugnassent naturæ concedentes,ad beatam illam cœlestium animarum societatem subuolarūt. In eadem vrbe,in eadem Schola Petrus Martyr diligentissimus & doctissimns professor,anno 1562.suæ verò ætatis sexagesimo tertio,primo die Idus Nouēbris rebus humanis exemptus est,non in Brentianum cœlum subuectus,sed in sinū Christi ab Angelis asportatus,vt in vita Iuello cōiunctissimus,ita in morte nō multū ab eo , nec tēpore quo præcessit,nec loco quo requiescit diuulsus.Et quid de Volphgāgo Musculo Bernēsi dicēt aduersarii,qui ætate prouectus,doctrina excellēs,pietate florēs, spiritu plenus,ad superos migrauit?quid de Caluino Geneuēsi, quē sic impudēter quotidianis probris cōscindūt?nōne morbo afflictatus & iā agēs animā,Iesū Christū prædicauit?

Erasmus. Oporinus. Zuinglius. P. Martyr. Musculus. Caluinus.

& quàm dulcis illa prædictio? sibi quiescendum, illos autem manere adhuc duriora certamina: sed tempus ab illo cœlesti Agonotheta esse præfinitum, quando & hostes receptui canent, & illi coronam quæ nunquam marcescet reportabunt. Nõne etiam adhuc quasi è tumulo concionatur? nonne adhuc libri loquuntur?

Ex his paucis Ecclesiæ nostræ doctoribus elucet Dei præpotentis erga illos & nos benignitas, qui illis ora dedit, quibus nec homines nec Diaboli potuerunt resistere, quæ in vita & in morte laudes Dei & Euangelij doctrinam personuerunt. Et in his notandum, plures eorum sic vixisse, vt ad annum Climactericum peruenerint: qui annus multis excellentibus & doctis viris quasi fatalis notatur, sicut patet de Petro Martyre, & illis tribus VVittebergensibus, Luthero, Iona, Melancthone, & eorum duce Electore Friderico. Itemque de Aristotele, Virgilio, Mendro, qui omnes quasi sexaginta tres annos habuerũt. Quod ad Iuellum attinet, in anno etiã alio climacterico emigrauit, scilicet in anno quadragesimonono, ætate nõ tam annis quàm studiis affecta, cùm vitæ suæ tenorẽ cõtinuare potuisset, nisi eum intẽpestiua nostra peccata sustulissent. Sic Rodolphus Agricola, sic Gaspar Cruciger iuuenes erepti sunt, quorum ille nõ multum annos quadraginta excessit, hic annos quadragintaquinque attigit. Sic Hyperius qui in morte testatus est, se vtilem doctrinam suis voluisse semper proponere, in ea mori cupere, & optare è vita priùs euocari quàm vt illas Ecclesiarum vastitates & tempestates quas præsagiebat, cerneret. Nunc si vellem contrà, magistrorum papisticorum luctuosos exitus commemorare, & de Frãcisco Spira Apostata, Eckio, Osmaistero, Latomo, Gardinero, Brokseo, aliisque Romanæ aulæ seu potius caulæ Lycaonibus dicere, fortassis audacter iudicandi partes sumere nonnullis viderer: sed veriora de his quàm isti de nostris afferrem. Certè de Paparum subita & infœlici morte sic scripsit Ioannes Sarisb. in suo Polycratico: Mea quidem opinione, idcirco frequentiùs moriuntur, ne totam corrumpãt Ecclesiam. Qualis enim vox illa Ioannis Stokeslæi Londinensis Episcopi censeri debet? qui moriens suam tyrannidem & sanctorum mactationes narrans, Gratias (inquit) ago Deo, quòd ego vnus supra trecẽtos hæreticos Orco litaui. Sic enim Papistis, aut hæretici, aut puritani, aut alicuius demum schismatis & sectæ authores semper videmur. Ita idem Ioan. Sarisburiẽsis, quià vestra doctrina dissentit, aut hereticus, aut schismaticus est. Quanquam illorum hæreticorum (vt nominant) vnusquisque coram Deo erecta conscientia potest dicere, quod olim de se Paulus Christiana persuasione fretus: Cõfiteor hoc tibi, q secundùm sectã quã dicũt hæresin, sic seruio Patri Deo meo, credẽs omnibus quæ in lege & Prophetis scripta sunt, spẽ habens in Deo, quam & hi ipsi expectant, resurrectionem mortuorum futurã iustorũ & iniquorũ. Quare hæc tragica persecutorum exempla terrere debẽt alios qui supersunt, vt dediscãt Christum in membris crucifigere, vt discãt à Chrysostomo: Cùm fratrem impugnare vis, cogita te membrũ Christi impugnaturum. Discamus autem nos, bonorum exemplis nos instruere, vt iisdem vestigiis fidei incedamus: vt quæ sursum sunt meditemur: vt meminerimus, nobis serius aut citius eodem vela danda, ad easdem oras tendendum: vt tota mente in Deũ fixi, nihil iam nisi cœlestia, nisi hãc beatã ad Christum migrationẽ cogitemus: vt dũ viuimus carne, moriamur mundo: vt post mortem carnis Deo viuere incipiamus, sicut olim quendam Romanæ Curiæ Diaconum monuit Bernardus. Discamus, dum hæc lumina Deus extinguit, nos moneri ne tenebræ simus, sed vt luceamus: dum virides arbores copiosos fructus ferentes & efflorescentes extrahit, nos doceri ne simus ficus planè steriles, sine flore, sine fructu, ne carduos aut labruscas aut tribulos proferamus. Hi sanctissimi tot defunctorum manes nos excitent, quò tandem solutis hisce corporum compagibus, è turbulento mari in tranquillum portum ex miseria ad beatitatem, à terra in cœlum commigremus. Interim hìc gemens nostrum quisque precetur, sicuti scriptum est: Moriatur anima mea morte iustorum, & fiãt nouissima mea horum similia.

Marginalia: Annus Climactericus. — R. Agricola. Cruciger. — Hipperius. — Papistarum mors. — I. Stokeslæus. — Chrysost. in Coloss. — Num. 23.

FINIS.

CARMINA ET EPITAPHIA

QVÆDAM IN MORTEM CLARISSIMI VIRI IOANNIS IVELLI, MVLTIS OMISSIS, quæ hoc tempore aut non haberi, aut non euulgari potuerunt.

THOMAS VVILSONVS R. MAIEST. A SVPPLICVM LIBELLIS.

QVI mihi charus erat, vixit sine labe Iuellus,
Hæreseos mastyx, relligionis amor.
Herculea virtute potens fera monstra subegit,
Sacra piæ vitæ signa relicta manent.
Vir bonus atque pius, nulli virtute secundus:
Talis erat qualem sæcula rara ferent.
Dum fuit, ad Christum deflexit lumina mentis.
Hunc solum aspexit, quo sine cuncta ruunt.
Ergo beatorum numero, & statione locatum,
Christus perpetua viuere sede facit.

IOANNES WOLEAEUS, IN LINGUA Latina R.M. Secretarius.

HEI mihi quàm celeri fugiunt mortalia cursu,
Quæque minùs debet, surripit atra dies.
Viuere tu longo fueras dignissimus æuo:
Flende mihi nimiùm chare Iuelle iaces.
Moribus, ingenio, doctrina, relligione,
Nulla ferent talem sæcula longa virum.

ALEXANDER NOWELLVS.

COgnomen tribuit tibi sors non cæca Iuelle,
Summi rem pretij vox ea namque sonat.
Aurea non tanti, nec sunt vel gemmea tanti:
Ornamenta magis sunt pretiosa tua.
Doctrina, ingenium, pietas, facundia, summa
Vno in te fuerant cuncta Iuelle bona.
Et quia de terris te in cælum transtulit, ipsa
Mors etiam est opibus annumeranda tuis.
Pallida membra iacent, studio tenuata perenni:
Restituet multò sed meliora Deus.
Interea placidi desyderium graue vultus
Pensilis ante oculos picta tabella leuat.
Te rapto, nobis tam pauca quòd eripuit mors,
Debemus calamo quanta Iuelle tuo?

Hic tantas seruátque fideliter, atque benignè
Promit opes orbi, diuitiásque tuas.
Lingua silet, sed fama canit, libríque loquuntur,
Totus & in scriptis conspiciendus ades.
Uno vita loco tenuit te, morte solutum
Scripta locis statuunt te tua mille simul.
Quæ nec mors, nec tempus edax, nec flamma, tyranni
Nec furor immanis scripta abolere valet.
Scripta, quibus picea tetri caligine Papæ.
Pulsa, lux oculis redditur alma piis.
Scripta, quibus Christi celebratur gloria Iesu:
Quo fruere, æternum & viue, Iuelle vale.

Tho. Bickleus in obitum I. Iuelli Mertonẽsis Collegij quondam alumni.

MErtonensis eras, quondam studiosus alumnus,
At nunc in cœlo magne Iuelle viges.
Doctior an melior fueris, lis maxima sani
Te doctum celebrant, te celebrántque pium.
Corpore castus eras, mel linguâ, pectore pollens.
Viuidus ingenio, consilióque sagax.
Luxuries, venus, ira, cupido, superbia, liuor
Iuris in ingenium nil habuêre tuum.
Tractabas alacris scribendo ac ritè docendo
Aeterni verbum nocte diéque Dei.
Nulla superuenit quin sedulus, hora, foueres
Ut præsul populos, sic quoque pastor oues.
Spiritus æthereа sanctus te afflauit ab arce,
Nec tuus in Domino feruor inanis erat.
Ut tua vox clarè sonuit per pulpita Christum,
Et cruce pendentis Regis euangelium,
Antididagma libris censuram vt vidit apertis,
Turba sophistarum vidit vt atra tuam,
Quassa iacent decreta Papæ, triplicésque coronæ,
Romulidum sordet sacra superstitio.
Egit Christe tuam causam dum viueret, æger
Commisit causam & se tibi Christe suam.
Quid superest nisi quòd regnes post fata beatus,
Cœlesti residens magne Iuelle throno?

Cuilielmus Colus.

PRæ cunctis mihi nota fuit tua vita Iuelle,
Et possum verè dicere, sancta fuit.

Hac ego permotus iuuenis pietatis amore
   Flagraui, docuit viuere vita tua.
Annos Oxonij non paucos egimus vnà:
   Vna domus nobis, vnáque mensa fuit.
Argentina fuit nutrix communis vtrique,
   Et dedit hospitium Martyris illa domus.
Te Bullingerus coluit, decus Heluetiorum,
   Gualterúsque tuus summus amicus erat.
Simlerus, Frisius, Zanchus, Pelicanus amici:
   Sola Papistarum turba inimica fuit.
Ornasti Foxi, præclari præsulis ædes,
   Vitâ, doctrinâ, & relligione tua.
Dum tua scripta manent, nunquam tua laus
      morietur:
   Mors rapuit quamuis, fama perennis erit.

Herbartus Westfalingus.

Isto, si nescis, latitat sub marmore gēma,
   Nomine talis enim, réque Iuellus erat.
Hîc ne quære tamē: gaudebat lumine viuus:
   Vult sibi cū tenebris mortuus esse nihil.
Sed vel apud Christum quæras, cui viuere
      Christus:
   Vel viuos, vitæ dux quibus ille fuit.
Sicut enim viuit cum Christo, sic & in istis
   Viuit, & vt viuat scripta relicta dabunt.
Nec tamen est tali spes gemmâ nulla fruēdi:
   Et potes in scriptis, & super astra potes.
Atque licet studiis, doctrina, nomine, censu,
   Officio, lingua, stirpe, labore, loco,
Isti par gemmæ non possis esse, Iuellum
   Si pietate, fide, spéque referre potes,
Qualis gemma fuit, talis potes esse, Iuellus:
   Non mundo fateor, sed potes esse Deo.
Isto fac referas igitur splendore Iuellum,
   Vt splendere queas, splendet vt ille polo.

ΑἸΓΙΔΊΟΥ ΤΟΥ͂ ΛΑΥΡΕΝΤΊΟΥ.

ΙΟΥ̓́ΕΛΛΟΣ χριστοῦ κῆρυξ λίπε τουτονὶ κόσμον,
   Ὃς πόλεως Σαρύμ πιστὸς ἐπίσκοπος ἦν.
Παντοδαπῆς μούσης μέχρι θαύματος ἦν ἐπιστήμων,
   Ἀττικοῦ ἔμπειρος, ῥωμαϊκοῦ τε λόγου.
Ἦθος μειλίχιος καὶ βουλὴν ἦν πυκινόφρων,
   χρημάτων κρείττον, ἀλλότριός τε φθορᾶς.
Ἀτρεκίης εὐαγγελικῆς ἦν θερμὸς ἐραστὴς,
   Καὶ φιλόπτωχος ἐὼν, καὶ φιλόχριστος ἐών.

Εἵνεκα τῶν θείων λογίων φύγε πατρίδα γαῖαν
  Νόστον ὅμως ἵλεως οἴκαδε δῶκε θεός.
Καὶ τότε θρέψε λόγῳ τοὺς λιμώττοντας ἀδελφῶν,
  Ψεύδεος ἐχθρὸς ἐών, αἱρετικῆς τε πλάνης.
Πολλαῖς καὶ θείαις ἀρεταῖς τὸν νοῦν ἐκέκαστο,
  Τοιοῦτον Χριστοῦ κήρυκος εἶναι ἔδει.
Νῦν μιν ἐπουρανίοις θώκοις ἐνιδρύσατο Χριστὸς,
  Οὐ μιαρὸς κόσμος πάντῃ ἀνάξιος ὤν.
Αἴθ' ὄφελες φιλόχριστε βιῶναι ἐς βαθὺ γῆρας,
  Ἀτρεκίης κῆρυξ, εὐσεβίης τε τύπος.

Adamus Squierius in obitum Domini sui Ioann. Iuel.

MOrtua si viuis licuisset corpora flere,
  Lumina præ lachrymis iam mihi nulla forent.
Utile si verbis mortem culpare fuisset,
  Iam mihi rixandi maxima causa foret.
Heu mihi, mors rapuit dominum, mors abstulit, eheu
  Moribus insignem, religione pium,
Dotibus ingenij rarum, virtute nitentem,
  Pectore syncerum, nec minus ore virum.
Mors etenim rapuit præstantem sæua Iuellum,
  Mors igitur numeris dira vocanda meis.
Nuper enim amisit Gemmam respublica triplex
  Splendentem, vita, moribus, arte, fide.
Anglia doctorem, Christi respublica patrem,
  Oxonium pariter non mediocre decus.
Quælibet amisit Gemmam, quæ gloria gentis,
  Quæ decus excellens vrbis, & orbis erat.
Gemma Iuellus erat, Gemma præstantior omni,
  Corde pius, dicto verus, & arte potens.
Oderat ille malos, verùm dilexit honestos,
  Inuigilans studiis nocte diéque piis.
Sobrius in mensa, salibus festiuus acutis,
  Pauperibus, pueris, fautor & altor erat.
Acer in errores, explosit schismata papæ,
  Substituit quorum dogmata sacra loco.
Fæce domum assiduè Domini purgauit ab omni,
  Et docuit vera relligione frui.
Unus præstiterat, facilè quod episcopus vnus
  Haud posset: Talis gemma Iuellus erat.
Hunc rapuit, vigili, mors immatura labore
  Exhaustum: fœlix mors tamen illa fuit.
Qualis vita fuit, talis mors extitit, vtque
  Splenduit in terris, nunc super astra micat.

Det

Det deus omnipotens nobis ſic viuere, dêtque
Morte tuos greſſus magne Iuelle ſequi.

Τȣ͂ αὐτȣ͂.

Τήμερον, ἂν φήσειέ τις οὐχὶ ταλαίφρονα ταύτην
Τὴν δὲ πόλιν εἶναι, τȣ͂το τὸ πένθος ἰδών;
ἤδη μαργαρίτην ἀπολώλεκε: τέθνας λαῶς ος
ποιμανέων θνητῶν: ἔνθεν ὀδυρμὸς ἀεί.
πάντοσε δόξα κύκλȣ παντὸς, τέθνηκ' Ιȣέλλος,
γνῶσιν, νοῦν, σοφίαν, γράμματα, δεινὸς ἀνήρ.
Α'γγλία θησαύρου δὲ ςερεῖτ', ἐκκλησία πατρὸς,
ἡ πόλις Ο'ξονίας ἀμφοτέρωσε φίλȣ.
φαίνεται σῶμα νεκρὸς, ψυχὴν αὖθεῖ γε βιώσων
πάντοτε δαιμόνιόν τ', οὐράνιόν τε βίον.

שלו

בוארת העיר מעט ששון
בכי גדול בזה מקום
צח כל קדם ככר שחור
אלי יקיר ומרת שושן :

הנה המת שומר הבית
עליון: שומר רשום אומר
את האמת תמיד נא מת
בשמו יואל עבד האל :

חיה מאד קדוש : נפטר טהור : דברים
עשה וכחב כל היטב כיד אנשים :

על כן שמו נכגד במו כל לשון : ונפשו
תחיה בשלום : גם מזל טוב יש בכפו

ARTHVRVS YELDARDVS.

QVi verbum populo Chriſti reſerare laborat,
Sedulis & tradit dogmata pura Dei:
Qui veniente lupo, Chriſti bene curat ouile,
Et ſæuo tutum ſeruat ab hoſte gregem:
Qui demum inter oues caſtè & ſine crimine viuit,
Paſtorem hunc ouium quis neget eſſe bonum?
Talis paſtor erat paſtorum gemma Iuellus,
Anglorum cætus gloria magna ſacri.
Quem pia pro meritis iam tota Eccleſia ſummis
Paſtorem agnoſcit, perpetuóque colit.
Hic iacet indigno contectum puluere corpus,
Aſt anima ætherei tranſiit aſtra poli.
Inclyta fama manet, virtus manet inclyta, libris
AEdita diuinis inclyta quæque manent:
Sudores, pugnæ, ingenium, doctrina, fidéſque,
Syncerus veræ relligionis amor.
Quàm fuerat Chriſti conſtans Athleta Iuellus,
Si te ſcire iuuat, conſule & inde ſcies.

Tobias. Mathevv.

AEgyptus Nilo celebratur, & India gemmis,
parnasso Phocis, Trinacria quòd tulit Aetnam,
Græcia clara fuit sapientem propter Vlyssem:
Cyrus Persarum decorauit nomine terram,
Te celebrem fecit Petrus, Florentia, Martyr:
Ni tremat horribili semper iactata tumultu,
Gallia Caluini propter monumenta vigebit.
Clarus at excellens diuina mente Iuellus,
Quem facilem natura virum vigilantia doctum,
Quem pietas patrem, constans quem vita probatum,
Quem mors exemplum fecit, quem gratia sanctum,
Ille tibi solùm talem dedit, Anglia, qualem
Ille tibi solam promisit nomine Gemmam.
Sint, ô sint plures, Christi qui dogmata vulgent,
Præsulis vt merito fungantur munere: sicut
Hic semper verbo docuit, scriptóque docebit.

Edouardus Cradoccus.

QVod pius est nuper sublatus morte Iuellus,
Attollis cristas cur ita, Papa, tuas?
Namque viri summi cœlesti ab origine virtus
Et viget, & vires exeret illa suas.
Sisque licet furijs plus æquo agitatus iniquis,
Omnia qui misces cædibus, atque dolis:
Non tamen ille tuis vnquam perterritus armis
Terga dabit, calamo qui tibi damna dedit.
Quique tui regni, dum vixerat, extitit hostis,
Nunc scriptis pugnans acrior hostis erit.
Hicque liber præsens in sæcula quæque superstes
Testis erit famæ, Magne Iuelle, tuæ.

Oliuerius Withingtonus.

SIste gradum properans, tumulum nam cernis, at intus
Cernere quam nequeas splendida gemma latet:
Gemma Iuellus erat, tam re quam nomine viuens,
Gemma fuit moriens, sydera gemma petens.
Hanc tamen in tenebris ne quæras puluere tectam,
Lumine nam talis gemma carere nequit.
Talis vita fuit, talis doctrina, labores.
Relligio, probitas, intemerata fides,
Vt neque iam tenebris, odio quas viuus habebat,
Nec nisi cœlesti gaudeat ille loco.
Splendenti gemmæ debetur splendida sedes:
Terra parum splendet, possidet ergo polum.

Martinus

MARTINVS COLIPEPERVS.

Nomen habere bonum, vitæ plerunque futuræ
Est omen fœlix auspiciúmque bonum.
Id quod & iste Dei posuit cui gratia nomen,
Quæque placet cunctis splendida gemma probat.
Gratia námque Dei qui primis adfuit vndis,
Consiliis huius præsto erat vsque viri.
Nec magis est alios inter spectata lapillos,
Gemma, alios inter quàm fuit ille viros.

THOMAS BODLAEVS.

I, Pete mors alios: fuit hunc tetigisse voluptas,
Cui nulla est similem spes habitura virum?
Dic age per Musas, cur sic malesana superbis?
An quia iam minus hunc viuere fortè putas?
Inuida, mentis eges, pars est tibi nulla luelli,
Nec sine te nunc est, quàm fuit antè, minus.
Nam superest aliquid quod te facit, improba, ludos:
Quod iacet id nunquam credidit esse suum.
Scilicet ossa iacent; animi monumenta supersunt:
Optima pars superest, & nihil huius habes.
Putre cadauer habes: eius nil vendicat: aufer.
Non dolet in casses id cecidisse tuos.
Ergo petas alios qui plus tua tela morentur,
Cur velit hic, nihil est, non potuisse mori.

Επὶ τῷ τάφῳ.

Ω ξένε, τί ζητεῖς; Ιουέλλου σῶμα Βρεταννοῦ;
Εἰς ᾅδου κατέβη δώματε Περσεφόνης.
Νοῦς δὲ δέμας προλιπὼν ἵκετ' αἰθέρα καὶ Διὸς αὐγάς,
Τοῦ κλέος ἀΐδίοις λοιπὸν ἔνεσι βίβλοις.

Eiusdem.

קִינָה עַל הַהֶגְמוֹן יוֹאֵל שְׁמוֹ
שֶׁבִּקְהַל מְתִים הֵכִין כִּסְאוֹ
אִישׁ אִישׁ עַד מְאֹד נְרוֹמַם תְּהִלָּתוֹ
כִּי יָקָר מִפָּז מֶשֶׁךְ דַּעְתּוֹ׃

„ קוּמוּ קוּמוּ בַּמֶּדְרָשִׁים
הוֹרִידוּ דִּמְ— עַת תַּמְרוּ רִים׃
„ כִּי הַגָּאוֹן רֹאשׁ הַסּוֹרִים
עָבַר אֵיכוֹ בַּנִּמְצָאִים׃
„ בִּינוּ מְנִי קֶדֶם יָמִים
וּפְנוּ לִרְאוֹת הַמַּשְׂכִּילִים׃
„ אֵין כָּמוֹהוּ בְּרָאשׁוֹ נִים
מוֹסִיף חָכְמָה עַל כָּל רֵעִים׃
„ הִנֵּה חִבּוּ— רִים נִכְבָּדִים
שֶׁהוּא חִבֵּר עַל גְּלָחִים׃

„ לֹא קִבַּלְנוּ לָהֶם דּוֹמִים
מִכָּל סִפְרֵי הַקַּדְמוֹנִים׃
„ פָּצוּ עָלָיו פִּיהֶם מִינִים
רַק עָנָה דַ־ מוּ כַּאֲבָנִים׃
„ אַפִּפְיוֹד עִם הַחַשְׁמַנִּים
חָלוּ אֵינָם פֹּה נִשְׁמָעִים׃
„ כִּי פִּזַּר כָּל דִּבְרֵי צָרִים
כַּפַּטִּישׁ הַ־ מְפִיץ צֻרִים׃
„ עַל כֵּן קוּמוּ נָא רַבָּנִים
שִׁמְעוּ סִפְדוּ חִגְרוּ שַׂקִּים׃
„ הוֹדִיעוּ דַעְ־ תּוֹ בַּעַמִּים
וּשְׁמוֹ זִכְרוּ תּוֹךְ הַחֲכָמִים׃
„ כָּל הַקּוֹרֵא זוֹ בֵּין אִישִׁים
יַעֲנֶה אָמֵן עַד עוֹלָמִים׃

¶Laurentius Bodlæus.

HIc Iuel est positus, procul hinc abscede Papista,
Hic nempe est positus, qui tibi terror erat.
Nec tamen est positus terror tuus: ille vigebit:
Æternùm scriptis ac tibi terror erit.

Eiusdem.

COnditur hoc tumulo Præsul, quem patria deflet:
Vnica qui patriæ Gemma Iuellus erat.
Præsul erat, famâ quo non illustrior alter:
Tantulus hunc totum non tegit ergo lapis.
Quo mortalis erat, cubat hoc sub marmore corpus:
Quo fuit æthereus, spiritus astra colit.
Sed quando illa dies quæ mundi finiet æuum
Adueniet, totus tum rediuiuus erit.
Interea, decor ô doctorum summe virorum,
Et pater & patriæ gemma, Iuelle vale.
Chare vale donec superorum sede recepti,
Perpetuò iuncti stabimus ante Deum.
Tu modò præcedis, quia te præcedere dignum est:
Nos per idem læti mox veniemus iter.

¶*Th. Northon.*

FAlleris, extinctum qui luges morte Iuellum.
Æterna fruitur vita, mortémque beatus
Tam bene qui vixit moriendo vicit, & ipsum
Autorem vitæ, quem commendauerat antè
Sæpe aliis viua voce exemplóque, secutus,
Sublimis cælo vehitur, lætúsque triumphat.
Erras, sublatum qui gaudes morte Iuellum,
Papicola. Et viuunt & viuent scripta Iuelli
Inuicta, & vitæ fama inuiolata superstes
Integræ viuet: tu, si vis viuere, viuum

Quem

Quem neglexisti, defunctum imitare, Papales
Depone errores, disce uno fidere Christo.
Inuenies olim Christum, agnoscésque Iuellum.
Viue Iuelle, vale: vt viuas, resipisce Papista.
Te, Laurenti Humfrede, parem similémque Iuello
Omnipotens præstet, pariter te spiritus idem
Imbuat, atque alium faciat foueátque Iuellum,
Per cuius grata ac viuacia scripta legetur
Et magnus toto celebrabitur orbe Iuellus.
Te simili vita, simili te morte beabit,
Post mortem simili fama, vitæ autor Iesus,
Qui vitam mortémque bonám proponis amati
Christicolis memorandam, imitandam, Humfrede, Iuelli.

¶Ioannes Rainoldus.

Ergo voluptatum mens cæca cupidine feruet?
Et mundi illecebris plumbea corda stupent?
Stulte, quid immundi prosunt tibi ludicra mundi?
Cuncta sub infestum mors agit atra iugum.
Natus homo es, moriturus homo es, iacet ipse Iuellus:
Ah, iacet Hesperiæ lucida gemma plagæ.
Cuius in ore lepos: animo sapientia fulsit:
Mente grauis pietas pectore sancta fides.
Ecquis erit Latiæ qui tetra venena Chimaræ,
Qui septemgeminæ spicula tollat hydræ?
Ille premens sacris Babylonica monstra lacertis,
Barbara Romuleo contudit ora Caco.
Ille sacrosancto fera cornua fulmine fregit,
Ecce corona triplex & duo tela ruunt.
Roma ruit, cadit hydra fremit Papa, sponsa triumphat.
Ecce corona triplex & duo tela ruunt.
O nos fœlices, quos talis adornat alumnus:
Præsul obit Christi, cuius & exul erat.
Qui pius exul erat, cùm Christus, vt exul abeßet:
Te duce, Christe redit, te duce, vincit, obit.

Τȣ̃ αὐτȣ̃.

Τȣ̆́νομ' Ιȣέλλος, γένος Αγγλὸς, ἐπίσκοπος, ἔργον,
Χριςιανός τε λόγον, χριςιωνος τε νόον.
Φῶς σκοτοεῖσι πορὼν, ἀβίοις βίον, ἔλλιπε θνήσκων
Πνεῦμα θεῷ, πατρίδι γράμματα, πτῶμα τάφῳ.

¶Idem Latinè.

Nomine Iuellus, gente Anglus, munere præsul,
Christe tuus lingua, pectore Christe tuus:
Luce leuans tenebras, inopes ope, morte reliquit
Christo animum, patriæ scripta, cadauer humo.

DE DOCTISS. I. IVELLO ET eius vitæ descriptore L. Humphredo theologis, P. L. Villerius Parisiensis.

DEfunctum tua dum celebrant monumenta Iuellum,
Mellifluæ instar apis vario de flore Britannis,
Fragrantes dum promis opes Humphrede, quid ipse
Amplius admirer? Moréſne & dicta Iuelli
Suspicienda quidem nobis, sed sera nepotum
Quæ proauis benè grata magis mirabitur ætas?
An te, qui libro tot opes congesseris vno
Laurenti, Ausoniam victor seu conficis hydram,
Perspicua æternæ fidei seu dogmata pandis?
Quantus enim, qui tanti operis tibi præstitit vnius
Materiam? Aut quis tanto operique onerique ferendo,
Qui tanta eloquio tenebris exemerit atris,
Par fuerit! Dic quantus erit? Dic obsecro, sancta
Posteritas, nec enim mihi fas est dicere: tantùm
De tantis tacitum, aut tantos audire iuuabit.

GEORGII BVCHANANI SCOTI.

REginæ geminæ, pari labore,
Verùm non animo pari, Iuelle,
Fecerunt pietas, vt esset orbi,
Illustris tua: sæuiendo ferro
Et igne altera id egit, vt niteret
Virtus temporibus probata duris,
Vt aurum solet ignibus recoctum:
Iusto te altera prosequens honore,
Produxit patriæ in theatrum, & oris
Tot dotes animíque adhuc latentes,
Ostendit populo: sed eruditis
Et plenis pietatis, entheóque
Feruore ingenij libris, nepotum
Famam in sæcula dum tuam propagas,
Illiúsque odio, istiúsque amore,
Maiorem ipse tibi celebritatem
Famæ, in tempora cuncta comparasti.

Eiusdem in Eundem.

IVelle, mater quem tulit Deuonia,
Nutrixque fouit erudita Oxonia,
Quem Maria ferro, & igne patria expulit,
Virtus reduxit, præsulem fecit parens
Elizabetha docta doctarum artium:
Puluis pusillus te sepulchri hic contegit:
Quàm parua tellus nomen ingens occulit!

DANIE-

DANIELIS ROGERII ODE.

SI fas, sepultos carmine prosequi:
Deflere si fas funera Præsulum,
Qui rebus in magnis ruenti
Præsidium patriæ fuêre:
Te fas, sepultum carmine prosequi,
Deflere te fas optime Præsulum,
(Iuelle) natum Christiani
Ad populi, & patriæ salutem.
Nam quis tibi, vel mentis acumine,
Aut ingenî par diuitijs, fuit?
Quis ore te facundiori,
Vel calamo, vel & arte vicit?
Quis castior te corpore? quis Deo
Feruentiori pectore seruijt?
Morúmue præstabat lepore
Quis tibi, quis pietate vitæ?
Queis laudibus, sic inter Episcopos,
Excelluisti, maxime Episcope,
Phœbus minores inter ignes,
Vt superat radiante vultu.
Sic eruditis præstiteras viris,
Diuinioris dotibus ingenî:
Vulgo rudi, quantum antecellunt,
Mente animi & studio, eruditi.
O debet vni Relligio tibi,
Defensa quantum vindicibus libris:
De fauce prædonum Papæque,
Marte tuo modò vindicata.
Sublatus, heu, nunc ex oculis gregis,
Pendere sueti abs ore tuo, Dei
Si quando leges explicares,
Linquis oues duce destitutas,
Heu linquis actam fluctibus æquoris,
Puppémque Rector deseris in mari:
Quis non gemat, te nunc ademptum,
Et populi atque ratis magistrum?
Lymphata, cui mens rore papistico,
Cui nullius mens conscia numinis:
Hi morte lætentur subactum,
Ante diem & celebrent triumphos.
Qui spiritus pernouimus enthei
Oestrum: docentem audiuimus intimâ
Cura: dolentes nos necesse est,
Fata tua hæc memorare fletu.
Heu quale sydus perdidit Anglia.

Priuata quanto Ecclesia nunc parte est:
Nullis parem nactura sæclis,
Te sine Christe, suo patrono.
Ergo, Iuello sufficias parem,
Parem Iuello qui dare Præsulem,
Qui, Christe, solus surrogare,
Præficere & potis es magistros.
Da, nauigantes per mare naufragum,
Qui iactitatos AEoliis flabris,
Ducant inoffensos, sacrati
Ambrosia saturéntque verbi.
Qui nos paparum fraudibus explicent,
Qui nos luporum dentibus eximant:
Vitáque sint scriptísque puri,
Præsulis admonitu Iuelli:
Sed nec, tuas nos flere vices decet,
Altum solô qui raptus in æthera,
Cum Diis beatum degis æuum,
Liber ab hostibus impiísque.
Tantùm, querelis prosequimur piis,
Ac nostra detrimenta fluentibus
Lugemus orbati magistro,
Lachrymulis gemitu & profuso,
Est nec papistis, ansa data: vt neque
Occasio risoribus impiis,
Risus cachinnósque excitandi,
Morte tua super, indecenter.
Sic occidisti, certa superstites
Libros, vt mentis pignora liqueris:
Queis mortuus, tollis papistis,
Protagoris atheísque laruam.
Quò nos, tui mortem quoque parcius,
Deflemus: illos qui terimus lirros,
Ac sicut hæredes, Iuelle,
Percolimus studio relictos.
Hac parte viues perpetuùm tui:
Orbis ruinam clarus ad vltimam:
Absénsq., sic præsénsque nobis,
Qui tua vidimus ora nuper.
At tu supernis indite iam polis,
Iuelle, vitam transige cœlicam:
Non indigus laudis, nec hilum
Zoileos faciens latratus.
Mox, cum soluta, Christus in æthere
Compage mundi, rursus ab omnibus
Cernetur, indutum videre
Corpore te solito iuuabit.

Eiusdem.

Eiusdem.

QVo iaces tumulo, Iuelle, tectus,
Hoc & relligio iacet, sepulta:
Et cum Religione, docta linguas
Et Graecam & Latiam iacet Mienerua:
His comes, Sophia, additur duabus,
Dotata artibus optimis, Pelasgi
Quas vel excoluère, vel Quirini:
Hæ tecum recubant Iuelle, mixtæ,
Cúmque istis recubas, Iuelle, mixtus.
Ne temnas tumulum, Viator: vno
Namque marmore quattuor teguntur:
Tres Diuæ, pia cœlitum propago:
Quartus, nomine Gemmeus latino:
Quem, dum vita superstitem fouebat,
Gemmis diuitis Indiæ, rubríque
Lapillis maris, Atticæquè fuluis
Capsæ velleribus, Midæque aceruis,
Princeps antetulit Britanniarum:
Tanti & dotibus ingenî superbum,
Thesauris, opibúsque Crœsianis,
Gaza & Perside, duxerat priorem.
Dic nunc, qui tumulos vagus pererras,
Vidistin' tumulum, viator, vnquam
Fœlicem magis, aut magis colendum?
Quem sic Diua triplex beauit vnum,
Gemmis Gemmeus, omnibus priórque.

Τοῦ αὐτοῦ.
Εἰς τὸν τοῦ Ἰωάννου Ἰουέλλου τάφον.

Λανθανέτω παριὼν μή σε παροδῖτα. τίς οὗτῳ
  κρύπτετ' ἐνί τύμβῳ: ταῦτα γίνωσκε ἔπη.
μνήματι γὰρ τούτῳ κεῖται βρέτταννος ἴασπις,
  Ἀλβίωνος κῦδος, ξεῖνε, Ἰουέλλος, ἄγαν.
πατρίδος οὐνόματι κειμήλιον ὥσκε καὶ ἔργῳ:
  μαργαρίτης χρῶισου λαμπρότερος κτεάνων.
ὅςις ἅπαντα παρῆλθε, φαεινοτάταις ἀρετῇσι,
  σοφροσύνῃ, πίςει. εὐσεβιῇ τε βροτοὺ.
πρὶν μὲν ἔλαμψεν ἐνὶ ζωοῖς: ὡς φοῖβος ἐν ἄςροις:
  Νῦν δὲ θανὼν, λάμπει ἐκί μεγάροισι θεοῦ.

Cardani Mignotij Rothomagensis.

QVid moreris nobis, nobis cito, docte Iuelle?
  Parca ferox doctis rumpere fila potest?
Quid? sancti mores mortis cohibere ferocis,
  Eheu crudeles non potuere manus?
Quid pius indomitæ iam reddis debita morti?

Debuit an pietas ſubdere colla neci?
Debuit. At vitæ tibi non melioris adempta
Spes eſt: immò etiam iam tibi vita duplex.
In terra aureolo viuis Gemmate libello,
Qui non deleri tot tua facta ſinet.
At quamuis moreris vigilans, pie paſtor, ouili
Non moreris, nobis & tibi viuis adhuc.

IO. BROSSERII VINDOCInenſis Galli.

Gemma nites cœlis, qui terris ante nitebas,
Atque etiam terris, nunc quoque Gemma nites.
Interiit pars parua tui, pars maxima viuit,
Gloria poſt nullos interitura dies.
Ac meritò Gemmam patrius te ſermo vocauit,
Nomine virtuti conueniente tuæ.
Gemmea cui doctrina fuit, cui gemmea vita,
Gemmea cui pietas, gemmea cuíque fides.
Gemmatúſque fuit gemmato in pectore candor,
Gemmeus ingenij, gemmeus oris honos.
At dum gemmifera gemmabas gemmeus arte,
Inuidit gemmis Atropos atra tuis.
Nunc igitur gemitu perfuſa Britannia triſti,
Iure gemit gemmam ſic periiſſe ſibi.

Τȣ͂ αὐτȣ͂.

Μαργαρίτης βρεττανικός,
ὁ τίμιος καὶ κόσμιος,
μαργαρίτης ὀυνόματι,
μαργαρίτης καὶ πράγματι,
τῆς σοφίης κειμήλιον,
κ᾽ ἀκκλησίας πηδάλιον,
καλοῖς τρόποις ὃς λάμπετο,
καλοῖς λόγοις ὃς ςίλβετο,
πολλοῖσι καὶ μαθήμασι,
πολλοῖσι καὶ χαρίσμας,
τὴν ἀρετὴν ςερξάμενος,
τὴν κακίαν φευξάμενος,
μνήματι τῷδε κρύπτεται:
καὶ μαρμάρῳ καλύπτεται:
τὸν ταφον ὀιῶ μαρμάειον,
καλῶς λέγοις μαργάειον.

IN MORTEM D. IVELLI ODE. M. delafaij Galli.

Eheu fugaces, heu nimium citò
Labuntur anni: currit & ocyus
Aetas leui vento, diéſque
Inſtar aquæ fluidæ recurrunt.
Annoſa cornix neſcia ſæculi,
Coruúſque viuax illachrymabili
Cedunt neci: quam nec fugarunt
Cornigeri, celereſue cerui.

Quer-

Quercúsque fibris fixa tenacibus,
Cedrúsque, caudex, & genus arborum,
Et saxa tabescunt, & omne
Quod genitum est moritur perítque.

Orco voraci cuilibet est via.
Et colla mortis subdere currui
Coguntur omnes, nec quis vnquam,
E stygia remeauit vnda.

Omnes eôdem cogimur. Impium,
Piumue: ditem, pauperem & obsitum
Pannis, ferocis tela mortis
Confodiunt pariter dolosa.

Quid ergo? solus nos laqueis necis
Christus fideles expedit, eluens
Sordes, repurgánsque nostras
Morte sua maculas pudendas:

Quæ nos iniquæ mortis in abditis
Antris tenebant: quæque poli viam
Nobis negabant, & reatu
Implicitis iter obstruebant.

O mors, retudit iam tua spicula
Christus, repreßit victor & impetus
Christus, tuósque ausus inanes
Reddidit, & domuit Redemptor.

Cæcum sepulchrum non retinet pios:
Et vincla mortis non ita detinent
Corpus piorum, quin supra astra
Horum animi reuolent corusca.

Pius Iuellus mortis ab vnguibus
Læsus, retudit mortiferam necis
Falcem secundæ, vectus alis
Iam fidei repetens Olympum.

Victrix fides est mortis & hostium,
Mundi maligni, tum Satanæ vafri:
Fultus fide pastor Iuellus
Iustitiæ referet coronam.

Absint inani funere næniæ,
Luctúsque tristes, & querimoniæ:
Non est ademptus, vita cuius
In gremio Domini reposta est.

Nam cum Deo tum secula secula
Viuet, fruetur tum requie pios
Post tot labores, quum Redemptor
Ille suis veniet benignus.

Humfredus autem laude vir optimus
Dignus perenni, qui calamo aureo

Æquat Iuelli actus, nepotum
Quos series imitetur Angla.

οἰστέον καὶ ἐλπιστέον.

¶*Rob. Rollus.*

OXonium geminis meritò se iactat alumnis:
Splendida vterque suo tempore lampas erat.
VViclefus primus, fuit alter athleta Iuellus,
Insignes ambo relligione patres.
Heu quot vterque tulit miseræ discrimina vitæ?
Quot subière graues pro pietate vices?
Dum iuga discutiunt tricoronis dura Tyranni,
Dum fugiunt Itali lurida monstra soli:
Dum diuina serunt crucifixi dogmata Christi,
Dum pandunt claram cœlica ad astra viam.
Plurima dum coleret Romanum turba Baalem,
Perstitit his eadem semper & vna fides.
Alter clarus erat viguítque prioribus annis,
Alter & hoc nostro tempore præsul erat.
Cui Deus & pectus finxit, simul ora poliuit,
Esset vt in populo buccina clara suo.
Cui pro re nata dederat cognomen, idipsum
Ex certis poterit cuique liquere notis.
Verè gemma fuit, si vel doctrina notetur,
Seu decus ingenij claráue dona sui.
Gemma quoad mores, gemma & virtute Iuellus,
Dignus cui cingat gemmea mitra caput.
Quid multis? tam rara fuit, támque inclyta gemma,
Vt licet huc totas, quilibet addat opes,
Quas mare vel rubrum, vel quas Tagus aureus affert,
Adde huc & gemmas (ô Cleopatra) tuas,
Haud referent æquas isto in certamine vires,
Nec poterint donis æquiparare suis.
Si fragilis tanti perituraque gemma putetur,
Dic quanti nobis gemma Iuellus erit?

אֱמַד הַמֵּת

פְּנוּ הָאִישִׁים רְאוּ קְדֹשִׁים
בְּנֵי אֵל אֵלִים כֻּלְּכֶם אֵלַי׃
לִפְנִים רִיבְכֶם הֲרִיבוֹתֵיכֶם
עֲלֵי צָרֵיכֶם מִכְּחוֹתַי׃
בְּתוֹרַת אֵלִי אֱמֶת הָלַכְתִּי
דְּבַר אִישׁ נָכְרִי אֵין בִּשְׂפָתַי׃
בְּעֵן נָגַעְתִּי מְחוֹן כָּל־חֶפְצִי
אֲשֶׁר חָמַדְתִּי בִּימֵי חַיַּי׃
פְּנוּ הָאִישִׁים רְאוּ קְדֹשִׁים
בְּנֵי אֵל אֵלִים כֻּלְּכֶם אֵלַי׃

מֵדְרוּשִׁיָּה׃

Henricus Cottonus.

ITe triumphales, procul hinc, procul ite Camænæ,
Deponat faciles læta Thalia iocos.
Aurea prædura violarunt fila sorores,
Anglorum gemmam mors truculenta tulit.
Hic tibi Roma tuam detraxit perfida laruam:
Dúmque legit gemmas, quid nisi gemma fuit?
Discussit fæces, faucésque obstruxit hiantes,
Ignitas Romæ dispulit ille faces.
Vita triumphanti nunc cessit languida fato,
Cum superis mens est, membráque marmor habet.
Fama bonis superest, nullo tumulanda sepulchro,
Et radiis tenebras lucida gemma fugat.

DANIELIS ROGERII EPIGRAMma in tumulum Io. Iuelli.

MArmora miraris, Pariis qui cæsa cauernis,
Mausoli aut molem, Pyramidúmue struem.
Ne temnas hospes quæ cernis saxa, sub illis
Mausoli maior nomine, fama viget.
Scilicet exuuiæ recubant hícque ossa Iuelli:
Qui præsul, patriæ gemma decúsque fuit.
Quem tremuit viuum pellacis curia Romæ:
Quo viguit viuo Relligionis honos.
Cui veneres vni Latias Graiásque benignè,
Et Latiæ & Graiæ contribuere deæ.
Qui quantum vulgo doctorum gloria præstat,
Doctorum tantum præstitit ille choro.
Orator placidus, præsul grauis, integer æui,
Nec vitæ pollens integritate minus:
Diuini verbi præco, fideique patronus,
Promptus & errores ense secare Dei.
Cui si pro meritis tumulum Libitina sacrasset,
Qui nunc marmoreus, gemmeus ille foret.

Eiusdem.

De variarum regionum purioribus theologis.

PRædicet assiduò diuinum Martyra Tuscus:
Caluinúmque suum Gallia in astra ferat.
Iactet & extollat Germana Melancthona tellus:
Lutherum & parili semper honore vehat.
Nec Bucere tuos obliuiscatur honores
Bonna, tuo summum nomine nacta decus.
Zuinglius Heluetiis æternùm viuat in oris:
Et Bullingerum gens Tigurina colat.
Inclyta Sarmaticas sit Alasci fama per vrbes:
Boihemis Hussus concelebretur agris.

Clara sit Hemmingi Danis industria terris:
Illustris Scotica Knoxius extet humo.
Valdesio Hispanus scriptore superbiat orbis:
Hyperium & merito carmine Belga citet.
Quæque sui regio nomen doctoris honoret,
In præceptores sitque benigna suos.
At Doctore suo te gaudeat Anglia fœlix,
Vnum pro cunctis téque Iuelle canat.

Eiusdem.

Ad Io. Iuelli scriptum, quo Thomæ Hardingi Pontificij Doctoris cauillationes refutat.

FAma fidem fecit musis perscripta, Procrusten
Grassatum Actæi rure fuisse soli:
Qui latrociniis iter omne obsedit iniquis,
Attica quâ fines vrbs Corydallus habet.
Infesta quoscunque latro comprenderat ora,
Aequabat lecto protinus ille suo.
Longior extiterat, partem obtruncabat: at alter
Si breuior, solitus tendere membra fuit.
His captos cruciare modis assuetus, amaræ
Sæpè viatores dedidit ille neci.
Haud secus Hardingus scriptos nouus ecce Procrustes
Tractat, & excruciat vísque dolóque patres.
Námque vbi Romanæ pertexunt dogmata sectæ,
Authores mutilat diminuítque sacros.
At si perstringunt damnandos forsan abusus,
Torquet, & extendens sensa aliena citat.
Sic studet antiquis nouus hic auferre vigorem,
Aut torquendo patres, aut mutilando necans.
Sustulit Aegidæ sceleratum dextra Procrusten:
Qui necet Hardingi scripta Iuellus adest.

Eiusdem.

DE PRAESTANTIA IO. IVELLI.

INdia, gemmiferis tellus celeberrima baccis,
Margaribúsque frequens, atquè Adamante frequens:
Pone tuos fastus, progignit & Anglia gemmas,
Estque Adamante frequens, Margaribusque frequens,
Margaribus, Veneri Cæsar thoraca Britannis,
Cantiaco rediens orbe, dicauit ouans.
Bristoleúsque sinus crebris adamantibus extat:
Durities minor his, sed magis artis inest.
Quippe tui expertes laterum suntque India lucis,
Si non artificis perpoliantur ope.
His natura fauet, nil est opus arte magistra:
Quilibet his nulla splendet ab arte sinus.

Adde,

Adde, tuos nullo cingi munine, clausos
Rupea Bristoleos, & caua testa tegit.
Grande soli decus hoc: sed non tamen Anglia summum:
Maior namque tibi, gemma Iuellus erat.
Cui gemmæ, non gemma plagis par antea visa est,
India siue tuis, Anglia siue tuis.
Nempe coruscabat raro splendore Iuellus:
Gemmebat veris gemmeus ille bonis.
Quid? quod gemma auro, precióue parabilis æquo est:
Huic similis, nullâ gemma, paratur ope.
Dum tamen vlla tibi gemma, India & Anglia crescet,
Illa huius gemmæ, fama superstes erit.

Ad historiam, de vita & morte *Iohannis Iuelli, studio Laurentij Humfredi, Doctoris Theologi, ex mortuis in viuorum numerum reuocati, Epigramma.*

PErgameus sileat Graiis Asclepius oris:
Orpheus Bistoniis conticeátque plagis:
Ille, quòd Hippolytum post fata reduxit in auras,
Hîc, Stygiâ Eurydicen, quòd reuocarit aquâ.
Maior apud claros nunc est Asclepius Anglos:
Maior & en Orpheus rura Britanna beat.
Nil opus externis, cùm lumina propria dentur:
Exemplis careant sæcla nec ista suis.
Cernis vt Humfredi rediit rediuiuus ab arte,
Ille ille, ô Angli gemma Iuellus agri.
Vt primæ narret memor incunabula lucis,
Ingenium referens, cum genióque genus.
Cernis. vt & nomen, rudiúmque elementa dierum,
Temporáque in studiis explicet acta piis.
Singula percurrens vitæ momenta peractæ,
Regna nouat famæ penè subacta suæ.
Salue magne, redux superum de valle, Iuelle:
Tanti (Humfrede) viri, túque reductor, aue.
Te minor est Orpheus, minor est Asclepius: ille
Hippolyto quanto est maior & Eurydice.

Daniel Rogerius.

FINIS.

AD THOMAE HARDINGI PRAEFATIONEM, RESPONSIO

Ioannis Iuelli.

ILLVD animum, Hardinge, tuum vehementer offendit, quòd ego in tanta propositarum à me causarum varietate, in quibus maximum religionis vestræ præsidium collocatum esse intelligo, te tuósque collegas non modò scripturis, verumetiam antiquis Conciliis, priscísque patribus defici confirmarem, atque in tam frequente concione summam tuarum partium inopiam, atque debilitatem ita penitus & palam diuulgarem. Itaque *quanto est meus maior cumulus, tanto* (inquis) *minus erit emolumentum.* Ego vero contrà: Quo tecum prolixius atque liberalius egisse videor, eo magis tuam prudens lector in respondendo copiam desiderabit: quóque campum tibi latiorem dedi, eo minus habes, quod conquereris.

Prudentes (inquis) *homines modestiam maiorem probassent.* Equidem hominibus iis, quos tu prudentes appellas, tum maximè modestiam probassem meam, si prorsus tacuissem, neque verbum vllum fecissem. De tua verò modestia quid tandem sentiant prudentes illi, qui cum de tuis tam sæpè, támque largè promiseris Doctoribus, ad extremum tamen nullum omnino proferre possis?

Neque verò aut aspectu tam terribili sumus, aut gladios tam truculenter vibramus, quàm tu criminaris. Hæc nempe tua, tuorúmque semper propria fuit, & vnica laus, qui præter illos truces atque crudeles vultus, illámque gladiorum iactationem & terrorem, cuius tu meministi, concidistis etiam, & secuistis, & mactastis, & fratrum vestrorum sanguine manus vestras cruentastis, atque imbuistis.

Quare non debuisti animo tam iniquo ferre, quòd vos, discriminis duntaxat causâ, moderato leníque vocabulo *Aduersarios nostros* appellemus. Cum enim ferro vos & flamma instructos armatósque, & nostro sanguine funestos videamus, alio potiùs nomine dignissimos iudicemus. Quod vobis nequaquam ita devetustis patribus liquidò constare affirmarem, atque & præ vobis ipsi tulistis, & astipulatores vestri, fide subnixi vestra, sibi persuaserunt, neque ambitione, quemadmodum tu interpretaris, neque malitia incitatus, sed cum vestra importunitate, tum summa animi ægritudine impulsus, dixi.

Quo magis profectò iniuriam tuam conqueri possum, quòd me *instar Goliæ cuiusdam exultantem, & classicum quodammodo canentem, cunctísque mortalibus inimicitias & bellum indicentem prodiisse* scribis. In hisce verbis, Hardinge, tuam sapientes modestiam requirere possunt. Qui enim rem certam, exploratéque veram verbis asserit, & vos cum ipsos fuisse falsos, tum alios etiam fefellisse dicit, non eo quidem meruit, vt Golias appellaretur.

Quanquam autem eas tu tibi partes sumpsisti, vt nobilissimus ille Dauid esses, qui hunc gigantem interimeret, tamen, quandoquidem nec fundam habes Dauidis in manu, nec in pera lapides, sine quibus nihil præclari efficere potes, minimè expectandum est, dum virgines Israeliticæ cum fidibus & Tympanis redeunti è prælio tibi atque triumphanti occurant atque canant, *Percussit Dauid decem millia sua.* Næ ille verius Golias appelletur, qui & vultum suum in cœlos ipsos intendit, & pedē in imperatoris ceruice ponit, qui ore aperto blasphemias ebullit, qui istas voces toti orbi denunciat: *Ego errare non possum: Ego omnes tum Ecclesiasticas. tum politicas leges in pectore meo conditas habeo: Ego omnibus Conciliis generalibus superior sum: Ego omnes homines iudicare possum: Me verò ne mundus vniuersus quantumuis improbus fuero: Ego sum rex regum, & dominans dominantium: Ego quicquid Christus ipse potest, possum: Ego omnia sum, & supra omnia: Omnis potestas mihi data est, tam in cœlo, quàm in terra.* Agnoscis verba, à quibus enunciata, à quibus defensa, ad quem accommodata sint, nosti. Hæc verò viua, hęc expressa Goliæ imago videtur: illius, inquam, Goliæ, quem nunc in fronte percussum, ac labentem vides, non humanis quidem viribus atque armis, sed illo duntaxat paruo atque impolito, & contempto Dei immortalis ac cœlestis verbi lapide. Quod ad illum præstantissimum, doctissimúmque patrem, & tuum aliquando magistrum attinet D. Petrum Martyrem, quem aliqua ex parte videri vis laudare, non propter doctrinam, à qua tam repentinò desciuisti, sed modestiæ duntaxat suæ causâ: minimè profectò dubito, quin is in illo Possiaceno celeberrimo Concilio, præsente tum rege ipso, tum aliis principibus, atque patriciis illius regni viris, ea & fecerit, & dixerit, quæ cum veritatis ratio postularet, tum ipsius personæ conuenirent. Qui si sententiam fuisset hisce de causis suam rogatus, ita profectò respondisset, vt nunc nos, & doctum quenquam virum contrà sentire, magnopere miratus esset. Non ita pridem omnia vestra huiuscemodi vocibus circunsonuerunt pulpita, Missam simul, & cæteram vniuersam disciplinam vestram, & à Christo, eiúsque Apostolis vobis fuisse commendatam, & certissima mille quingentorum annorum continuatione atque successione propagatam, & omnium antiquorum Conciliorum, Doctorum, Patrum consensu comprobatam, & vniuersa denique vetustate, ac generali totius orbis iudicio corroboratam fuisse. Hæc ita tum minimè dubitastis pronunciare, nulla vel Dei, vel hominis reuerentia deterriti. Multis millibus persuasistis, nihil in vestra oratione nisi sanum & syncerum fuisse: eóque facillimè induxistis, vt fidem dictis vestris adiungerent.

Extra. de constitu. Licet. De electio. & elect. potestate significasti. 9. q. 3. Nemo. De Maioritat. & obed. vnam sanctã. In glos. In Concil. Lateran. sub Iulio.

Quæ cum ita essent, officium pietásque Christiana flagitauit, vt quàm hæc à vobis verè prædicarentur

atque iactarentur, certò sciretur, quò & rudis ac imperita plebs sibi esse à vobis impositum intelligeret, & omnes perspicuè viderent, quàm nihil (vt ipsi vos nostis) præstare possetis eorum, quæ adeo magnifica pollicitatione, & antiquitatis etiam fuco venditastis. Quòd molestè fers me *Negatiuam* tam acriter vrgere, atque à te postulare, vt contrariam *Affirmatiuam*, quam ita penitus habere perspectam videri vis, confirmes: reminiscere, si placet, quemadmodum B. Gregorius in Ioannem episcopum Constantinopolitanum, qui se orbis vniuersalem episcopum inscripserat, inuectus in *Negatiua* similiter institerit. Sic enim scribit: *Nemo decessorum meorum hoc superbo vocabulo vti consensit. Nemo Romanorum pontificum hoc singularitatis nomen assumpsit.* D. Augustinus postquam vniuersos ad suam vsque ætatem Romanos Episcopos commemorasset, suam deinde *Negatiuam* adiunxit: *In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus inuenitur.* Nunquam tamen proinde vel Augustinum quisquam, vel Gregorium hoc Goliæ nomine appellauit. Eadem tu ipse Negatiua vteris Hardinge, quando ais, etsi, vt aliâs sæpe, falsissimè, *neque Iuellum, neque suffragatorē eius quenquā euincere posse publicas ecclesiæ preces cuiusuis gentis vllo vnquā per sexcentos à Christo annos sermone, præterquam aut Græco, aut Latino fuisse recitatas.* Quanquā nō ideo te vel Goliam, vel Thersiten vsurpare, vel consimili quouis indignissimo conuicio consectari debemus.

Li.4.epi.32.
August.epi. 165.
In art. 3. sc. 15.

Dicis *me arroganter mihi assumere, vt omnia legisse, nihil nescire videar:* nimirum quia vos nihil habere, quod in hisce causis proferatis, testor atque profiteor. Quid ita verò? nemóne inopiam indicare, falsitatem conuincere vestram sine arrogantiæ suspitione poterit? Tu causam omnium & Doctorem, & ætatum, & temporum consensu stabilitatum esse vestram affirmas: an te proinde, vel scientiam venditare tuam, vel rerum omnium peritum, nullarum inscium esse dicemus? Tu te *Doctores vniuersos tibi consentientes habere* gloriaris: Ego contrà defendo, & est profectò verissimum, *Ne vnum te Doctorem habere tecum sentientem.* Horum pronunciatorum discrimen istuc est, quòd alterum verum sit, falsum alterum: quòd nec *Affirmatio* tua confirmari, nec mea refelli *Negatio* possit. Delectionis autem scientiæue ostentatione minimè contenditur.

Quandoquidem autem nostra hæc, qua sumus vsi Negatiua, te tantopere offendit, age verò, eam nos ad vestram causam accommodemus, eóque modo loquamur, qui vobis placeat maximè, scilicet, non constare ex vlla luculenta vel scripturæ, vel veterum Doctorum, vel antiquorum Conciliorum clausula hac sententia, vel ex aliquo ecclesiæ primitiuæ exemplo, aut sacerdotes sacrosanctam communionem vnâ cum populo percepisse: aut sacramentum plebi vtráque specie fuisse administratum: aut publicas preces vernacula ac natiua lingua celebratas esse: aut plebem vniuersam ad eas respondisse *Amen*, intra sexcentorum à Christo annorum ambitum: Porro etiam Christum ipsum, eiúsque omnes Apostolos, & Missam procurasse priuatam, & sacramentum separatim solos accepisse: antiquos patres dimidiatā alteráque specie diminutam cōmunionem habuisse: Publicas preces vbique peregrino plebíque penitus ignoto sermonis genere factas esse fateamur. Hæc demū larga est, hæc liberalis vox. Quid autem posis amplius postulare? Verùm pudet forsan ista dicere. Quanquam enim ita vestrum aliqui sæpe dixerunt, huius tamen orationis aperta est, séque ipsa indicat falsitas.

Optas modò, vt modestius egissem. Quid? siccine dixisse me cuperes, *vnum vobis Doctorem suppetere causæ vestræ sine dubio suffragantem:* atque ita in illo loco, & in illo concessu ea modestiæ causâ dixisse, quæ manifestò falsa essent, quemadmodum vos facere consueuistis? In hisce verò causis, Hardinge, media nulla via est. Ea autem improba est, & scelerata modestia, quæ Diuinam veritatem obruit Chrysostomus habet: *Veritatem negat, qui eam non liberè prædicat.*

11. quæst.3. Nolite.

Dices me, *Leues quasdam & exiles quæstiones conquisiuisse, in quibus antiqui patres non admodum versati fuerunt,* quasi maiores controuersias de industria subterfugissem. Quanquam tuum non est, quid quemque ad Paulinam crucem concione proloqui oporteat, præscribere atque præfinire. Neque verò tanti interest, hæc cuius momenti sint, sed num vos iisdem ad populi fraudem abusi sitis, cognoscere.

Quid autem? Num persuadere nobis tandem vis, Missam, transsubstantiationem, realem præsentiam, adorationem, filij Dei immolationem vestram, denique primatum Romanum res adeo viles ac minutas esse? His quidem nihil grauius fingi posse iampridem dixisti. Num autem religionem atque disciplinam vestram nunc maiorem, nunc minorem esse: aliquando augeri, aliquando imminui, & lunæ quodammodo ortum obitúmque imitari censebimus? Nicolaus verò Papa Transubstantiationem vestram ad Symbolum adiungere, & articulum fidei decimum tertium efficere statuerat. Bonifacius etiam octauus Papa ait: *Omnino subesse Romanæ ecclesiæ est de necessitate salutis.* Et Nicolaus Papa ait: *Qui Romanæ ecclesiæ priuilegium aufferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur, & est dicendus hæreticus.*

Extra. de Maiorita. & obed. vnā sanctā. dist.22. omnes.

Quanquam minimè profectò refert, quā istæ res vel magnæ, vel exiguæ fuerint. Eas tu quidem, & exiguo tempore perceperas, & exiguis nunc tenuibúsque argumentis defendis. Vtcunque verò eas nunc exiguas atque leues videri vis, non tamen exiguè vos iampridem pro illis dimicastis. Nihil exiguum videri debet, quod ad tantam Christianorum hominum multitudinem fallendam valere possit.

Quæ Christus Pharisæis crimina obiecit, ea, si cum his conferantur, non perinde atrocia fuerunt. Tamen illis Christus dixit, *Excolatis culicem, camelum verò deglutitis.* D. Paulus ait: *Exiguum fermenti totam massam fermentat.* Pilus vnus non ita magna res est, tamen eo virum magnum suffocatum esse legimus. Plato habet: *Furtum tam in exigua, quàm in magna re committi potest.* Ciniphes magnitudine quidem perexigua fuerunt, tamen in maximis AEgypti plagis numerantur. Qui primi superbissimum illud ambitiosissimúmque vniuersalis Episcopi nomen, quod sibi nunc Romanus pontifex integrum vendicat, tueri cœperunt, rem eam esse leuem atque exiguam iudicarunt. Gregorius autem ait: *Alia sunt friuola & innoxia, alia sunt friuola & noxia.* Deinde hanc ipsam appellationem cum intollerabili Antichristi superbia, qui se Deum dicturus esset, comparans sic habet: *Si spectes quantitatem vocis, duæ sunt syllabæ, si pondus iniquitatis, est vniuersa pernicies.*

Match.23.
1.Cor.15.

Greg.lib.6. epist.32.
Ibidem.

Vt qui-

Vt quidem istæ res exiguæ essent, quæ tamen inde fluxerant opinionum vanitates atque hæreses, minimè sunt exiguæ. Illas si sustuleris, religionem penè totam vestram discusseris. Denique si hæ res magnæ sint, ea diligentius perpendi debent: sin exiguæ, & minore iactura omitti, nec nisi maiore contumacia defendi possunt: mundum quidem vniuersum iamdudum est earum pertæsum. Christus ait: *Qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est.*

Luc.16.

Deinde ais, *nos Doctorum iudicia fugere atque reformidare, & hæc apud imperitos duntaxat magna cum admiratione iactare:* Quemadmodum scilicet Alexander Macedonum Rex Deum se fingebat, multáque de Ioue suo patre apud Barbaros prædicare solebat: cum Græcis autem, qui sapientia, ac iudicio valerent, ipsúmque optimè nossent, alios sermones conferebat. Hæc verò nimis est odiosa, Hardinge, comparatio, & illam tuam plus æquo commotam bilem sapit. Nos nec popularem admirationem, nec diuinitatis aliquam opinionem captamus. Nos Christum Iesum, non ipsos nos annunciamus.

Verùm hoc modo de Christo affirmarunt Pharisæi: *Turba hæc maledicta est, scientia caret, legem nescit, cum hac versatur, apud eam regnat, in ea Deus esse vult.* Hic ego contrà possem illum tibi commemorare, qui ipsum Christianitatis orbem, principes simul & subditos, doctos pariter atque indoctos tandiu turpissimè sceleratissiméque lusit: eósque omnes in agrestium, & barbarorum hominum numero duxit, & se palam Dei vocabulo appellari atque inscribi permisit. Notæ voces sunt, *Dominus Deus noster Papa.* Rursus: *Constat Papam à pio principe Constantino Deum appellatum: Et Deum ab hominibus iudicari non posse, manifestum est.* Alexander sapientum quidem iudicium nonnihil extimuit, & reueritus est: hic autem tum sapientes, tum insipientes, literatos æquè & rudes contemnit atque ridet.

Extra.Ioan. 22.Cum inter. In glos. dist.96. Satis euidéter.

Alienum fuit hoc loco, vt de Canonis tui firmitudine verba faceres, eúmque tam acriter antè defenderes, quàm esset à quoquam reprehensus, vel verbo violatus. Eum nimirum partim à Leone inuentum, partim & à Gelasio, & deinde à Scholastico quodam, cuius meminit Gregorius, & pòst ab ipso Gregorio auctum: partim ad extremum circiter octingentos & quinquaginta à Christo annos à Sergio Papa perfectum & absolutum esse multi opinantur. Atque vt nunc res habet, & secretiùs pronunciatur, & honorificentius tractatur, quàm aut Epistola, aut Euangelium.

Greg.lib.7. epist.63.

Verùm an vlla sint in eo vitia, néćne, tibi Hardinge, per te considerandum atque iudicandum relinquo. Durandus vester eximius Doctor sic habet: *Cùm sacerdos orauerit pro hostia transsubstantianda, eamque transsubstantiatam patri obtulerit, orat pro ipsius acceptatione.* D.Paulus ait: *Vnus est mediator Dei & hominis.* Hic autem vester Canon contrà sacerdotem Dei Christíque mediatorem instituit.

Durand. li. 4 parte 2. 1. Timoth. 2. Sacerdos Dei & Christi mediator.

Ipse tu similiter, Hardinge, cum Missam celebras, in intimo tuo Canone à Deo patre precibus contendis, vt Iesum Christum benigno propitióque vultu tua gratiâ respiciat. Verba clara sunt, atque dilucida: nulla vel interpretatione, vel captione eludi possunt. Iam verò si cōsentaneum videatur, te à Deo patre petere, vt Christum filium misericordia dignari, vultúque tranquillo, & sereno aspicere tua causa velit, tum verè possis affirmare integrum esse vestrum, liberúmque ab omnibus erratis canonem.

Quòd preces pro mortuis institutas, & sanctorum adorationes prætermisi, id verò indignè fers, & longa oratione exaggeras. Quanquam non illud vis, vti suspicor, vt hasce vestræ religionis partes sacrificio, Missáque vestra augustiores esse ac sublimiores credamus.

De primo autem, audiui ipse aliquando te, Hardinge, cum mœnia papyracea (sic enim facetè appellabas) solo æquares, & picta purgatorij incendia penitus restingueres. De altero verò Chrysostomus habet: *Homines vtuntur atriensibus. In Deo nihil tale est, sine mediatore exorabilis est.* Rursus scribit ad hunc modum: *Nihil tibi opus est patronis apud Deum. Neque enim tam facilè Deus audit, si alij pro nobis orent, quàm si ipsi oremus, etsi pleni simus omnibus malis.* Ambrosius similiter habet: *Isti se non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto Domino conseruos adorant. Nam & ideo ad Reges per Tribunos, & Comites itur: quia homo vtique est Rex, & nescit quibus debeat Rempublicam credere. Ad Deum autem, quem nihil latet, omnium enim merita nouit, ad promerendum suffragatore non est opus, sed mente deuota. Vbicunque enim talis loquutus fuerit ei, respondebit illi.*

In cōcione habita Oxonij in téplo B.Mariæ. Chrys. de Pœni. hom. 4. Chrys. de profectu Euangelij. Ambros. in 1. cap. ad Rom.

Quòd à nobis conuiciorum atque maledictorum congestum esse cumulum, quibus ecclesiam deformaremus, falsissimè criminaris, meminisse potes, fuisse quondam nonnullos, qui Stephanum, Paulum, Christúmque ipsum similiter accusarent, quòd parum honorificè de templo loqui viderentur. Contra Hieremiam autem Prophetam plenis faucibus vociferati sunt, quemadmodum tu nunc facis, *Templum Domini, Templum Domini.*

Hierem. 7.

Quanquam non is ecclesiam deformat, qui deformatores Ecclesiæ deformat, & fœdas errorum vestrorū sordes eluit, quò pristinam illa suam pulchritudinem, atque splendorem recuperet. Cùm Christus ciuitatē, & templum Hierosolymitanum lugeret, cúmque diceret, *Domum patris mei speluncam latronum fecistis*: Et Esaias, *Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis?* Et Hieremias, *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, vt noctè & die interfectos populi mei defleam:* non Christum, non Esaiam, non Hieremiā proinde ecclesiæ fuisse deformatores existimare debemus. Non is valetudinem impedit, qui morbum indicat. Non spernit Ecclesiam, qui Ecclesiæ Christum anteponit. Ecclesia parens nostra est: Christus autē ait: *Qui patrem, aut matrem, quàm me chariores habet, is me dignus non est.* Non matrem contemnit, qui seruitutem matris deplorat, eámque è latronum potestate vindicat.

Esai.1. Hierem.9. Matth.10.

At nos altare altari contrarium ereximus, seu potius, vt inquis, *& altaria & vniuersa euertimus.* Atque ita nouam Ecclesiam, nouum Euangelium, nouam religionem fundauimus atque constituimus. Nos verò, Hardinge, nihil euertimus, quod nō Deus euerti disertè iusserit. Christus ait: *Omnis plantatio, quam non cœlestis meus pater plantauerit, radicitus euelletur.* Altare nos habemus, quali Christus, suíque Apostoli, & cæteri sancti patres vsi sunt, quod à Græcis ἱερὰ τράπεζα, à Latinis, *Mensa Dominica* appellabatur, ea verò nō è lapide, sed è ligno cōstructa, nec in extremo Choro, sed in medio populo sita fuit, quéadmodum

Mat.15.

ex antiquitatis monumentis apertissimè constat. Aliud autem, aut præstantius vllum Altare, quàm quod Christus atque hi sanctissimi patres habuerunt, nos quidem nequaquam expetimus, nedum eiusmodi, quod contra Christi altare nominatim extructum, atque ædificatum fuit.

Matth.24. Vos autem dixistis, *Hic est Christus, & illic est Christus.* Atque ita non modò altare altari aduersum, & ecclesiæ contrariam ecclesiam construxistis, sed repugnantem Christo Christum finxistis. Sic de vobis Leo scribere videtur: *Ecclesiæ nomine armamini, sed contra ecclesiam dimicatis.* Sic Nazianzenus habet: *Pugnatis pro Christo contra Christum ipsum.*

Leo in epi. ad Palæstinos. Naziãzen. in Apologetico.

Aetatem tu quidem meam despicere videris, & rerum maximarum, quæ in Theologia docentur, scientiam extenuas, quasi harum causarum magnopere interesset, vel ætatem meam ad calculos reuocare, vel quantum ego in literis profecerim excutere. Mihi licet illud Origenis vsurpare: *Gratias ago Deo, quòd ignorantiam meam non ignoro.* Quibuscunque autem rebus ego tandem aut deficiar, aut defici quibusdam videar, id nihil ad obscurandam Dei veritatem valere debet.

Nihil tamen video, quamobrem mihi quisquam tantopere vel propter ætatem, vel propter exiguum literarum studium detrahat. Neque enim obscurum est, me quidem, quanquam illo ordine indignum, inauguratum esse in Theologia Baccalaureum in Academia Oxoniensi, anno integro, & plus eo, ante Hardingum. Non potui (fateor) omnia & Conciliorum, & patrum Catholicorum, tum Græcorum, tum Latinorum volumina peruoluere septem diebus, quemadmodum Hardingus fecit. Tam multa tamen legeram, vt Hardingum ausum esse sanctissimorum patrum nominibus ita turpiter abuti mirarer. Verùm scientia nonnunquam elata est, mentémque inflatam, & tumidam facit. Faxit Deus, vt ad Dei regnum instructi, edoctique simus, atque omnem nostram cognitionem ad fidei obsequium conformemus.

Anno Domin. 1551 anno Eduardi 6. quinto.

Quòd autem tibi me charum esse, propterque veterem illam, quæ mihi tecum intercessit necessitudinẽ, isto te modo ad me scripsisse dicis, permagnam ex eo voluptatem capio. Quanquam profectò nostra vetus priuata amicitia, tam multis non opus habuit publicis testibus. Ais te posteriorem Concilij Chiloniani clausulam sequi velle: *Oderis tanquam amaturus.*

In qua amoris odiíque tui professione, nescio quo pacto, tute tibi ipsi contrarius es: nisi forsan & amare te alterum, & odisse simul eadem ratione posse dixeris. Verùm istuc ego in optimam partem accipio, in quam scriptum à te esse mihi persuasi.

Quod autem attinet ad amicum tuum & beneuolum consilium, ne longè abeam, alteram tibi eiusdem Chilonis sententiolam referam: *Obsequendum est amico vsque ad aras.* Alexandrinus populus Timotheo dixit, *Etsi non communicamus tecum, tamen amamus te.*

Liberatus. cap.16.

Acturum te in hac causa sine felle atque orationis acerbitate polliceris: quandoquidẽ vt ais, *Probra, maledicta, scommata, dicteria, cauilla tuam scenam minimè decent.* Et hæc quidem ratio, cũ in se maximè laudabilis est, tum iis in primis conuenit, qui in sacris ac diuinis rebus versantur. Christus ait: *Discite ex me, quia mitis sum & humilis corde.*

Matth.11.

At cuius tum hæ voces sunt Hardinge? à quo spiritu profectæ? in qua scena pronunciatæ fuerunt? Hæ, inquam, voces, quibus ita multum ac sæpe te oblectasse, sensúsque tuos exhilarasse, atque recreasse videris: *Golias, Thersites, Temerarij, Arrogantes, Improbi, Indocti, Ignari, Peruicaces, Luciani, Sanniones, Fallaces, aleatores, Audaces, Procaces, Insolentes, Ostentatores, Gloriosi, Sectarij, Schismatici, Hæretici, Sacramentarij, Noui magistri, Nouarum rerum cupidi, Falsarij, Calumniatores ecclesiæ, Ministri satanæ, Sessores in Cathedra pestilentiæ, Monstra, Ethnici, Publicani, Turcæ, Perfidi, Antichristi, Præcursores Antichristi.*

Vocabula quibus Hardingus passim in suo libro vtitur.

Hæ voces, Hardinge, tuæ sunt, non modò quia à te profectæ sunt, sed etiam quia ad te ipsum maximè, vnicéque spectant. Hisce similibúsque aliis tanquam stellis vniuersum tuum librum penitus illuminasti, quò magis nitesceret, suóque mirifico splendore lectorum oculos perstringeret. His tua referta est scena: Eam aliquis veterem forsan comœdiam putaret. Sic tu promissa soles seruare. Si hæc ab amore & pietate quadam fluxit oratio, quale vero expectemus tuum dicendi genus, quando semel odisse cœperis? Scorpionem pedibus leuiter & amice amplecti, caudæ verò ictu venenato, quem est amplexus, interficere scribunt. Sic te nimirum perturbationum tempestates, turbinésque tuarum iactare ac impellere, & procul à portu abripere, atque abstrahere pateris. Plus hominem grauitate sua subnixum rationes, quàm conuicia decuissent. Hæc verò dicendi ratio adolescentiori alicui è vestris Iannizariis magis conuenisset, qui, quemadmodum eorum necessarij affirmant, nondum didicerunt, vt aliter loquerentur. Hæ autem voces atque istæ scenæ nos ab Euangelio Christi deterrere minimè debent. Nobis non vt à te bene audiamus, sed vt verum dicamus est necessarium.

Sumpta illa è Solomone monitio tua, (*Via est, quæ homini recta videtur, sed finis eius ducit ad exitium*) vtrisque communis est, nec te minùs, aut etiam aliquanto magis, quàm me attingit. Semel antè confessione tua deceptus es. Qui verò repentinam atque inopinatam tuam sententiæ mutationem, eiúsque causas æquè perpenderunt, ij te etiam nunc in fraude non minore, vel maiore multò etiam versarij iudicarunt.

Attende obsecro, Hardinge, & quis pridem extiteris, & quis esse nunc videri vis: quam tunc viam triueris, & quibus nunc vestigiis insistas. Tam ista pugnant, quàm lux, & tenebræ, quàm vita & mors, quàm cœlum & infernum. Tam magnam mutationem subitò sine vlla deliberatione fieri non oportuit.

Verumenimuerò si quidem penitus es mutatus (vt inquis) sique nunc verissimo quodam & zeli diuini, & charitatis mutuæ ac fraternæ sensu totus perfunderis, ne te pudeat ingenuè nobis confiteri, quid tandem tibi Dominus præstiterit. Intelligat lector tuus, eum te olim hominem fuisse, de quo Solomon loqueretur te quondam in viam ingressum esse, quæ recta videretur, & tamen eius exitus ad interitum perduceret: te quondam animum atque studium tuum in eam solummodo curam intendisse, vt Dei Ecclesiam fœdares: te tot annis docuisse publicè, quæ non sentires: te aliquando volentem & scientẽ, déque industria, & malitia

& malitia hominibus Christianis imposuisse: te quondam Satanæ ministrum, Turcam, Ethnicum, Infidelem, Antichristi præcursorem extitisse: denique te ex hac luctuosissima conditione ereptum esse, non quidem vel scripturis, vel antiquis patribus legendis, atque euoluendis, sed orbis duntaxat in rep. conuersione, principisque mutatione.

Sic te agere, Hardinge, oportebit, si ingenuè agere volueris. Sic tuis, persuadebis, nunc te non, vt antè, simulare, sed vero pietatis studio flagrare, puràque conscientia commoueri. Sanè verò aut nunc falleris, quemadmodum nos affirmamus, aut saltem non ita pridem falsus es, vt ipse confiteris. Augustinus autem ait: *Hoc est erroris proprium, vt quod cuique displicet, id alijs quoque oportere existimet displicere.*

Auguſt. De Gene. cōtra Maniche.

Hæc nimirum est Adæ posterorum calamitas, vt eorum mentes ad pessima quæque ferantur, & prauis erroribus imbuantur. Hinc pseudoprophetæ ansam aliquando arripiunt, vt *bonum dicant esse malum, & malum vicissim bonum: Lucem esse tenebras, & tenebras contrà lucem.* Nonnunquam etiam populus proiecta quadam pertinacia & procacitate fretus sanam doctrinam nullo modo ferre potest, sed fabulis aures suas dedit.

Quare Solomonis optimum est, & sapientissimum consilium. Eàque de causa non eas nos vias persequimur, & consectamur, quæ nostris oculis potissimum placeat, sed Deum cum Propheta Dauide oramus, *Ostende nobis Domine viam in qua ambulemus.* Eum quærimus, qui dicit: *Ego sum via, veritas, & vita. Ego sum lux mundi: qui me sequitur non ambulat in tenebris, sed vitæ lumen habet.* Gratias autem agimus Deo nostro, qui suam nobis ex alto Orientem ostendit, pedésque nostros in viam pacis direxit, eandem nempe, quā & Christus cōmonstrauit, & sancti Apostoli, ac veteres orthodoxíque patres tritam nobis reliquerunt.

Psal. 142.
Ioan. 14.
Ioan. 8.

Deinde me ad humilitatem, meámque scientiam abnegandam hortaris: quam quidem suasionem tuam, à submisso ac humili spiritu profectam esse confido. Ego verò & facilè possum & tutò negare, quod nunquam asserui. Non me cum Hieronymo pudebit dicere: *Dicam illud Socraticum, Hoc tantum scio, quod nihil scio.* reprehensionem pertimesco. Quod mihi deest, alij explere possunt. Quanquam nihil esse sentio, quò minus veritas cum humilitate constare possit.

Hieron. in præfa. in Abdiam.

Quod ais, quicquid facultatis ac scientiæ nactus sum, id me in Ecclesiæ duntaxat contumeliam atque conuicium semper contulisse, non magni artificij est, Hardinge, maledicere. Spero autem Deum ipsum, qui iustissimè iudicat, aliter iudicare. Si quod in me, non talentum, sed talenti vel minima particula sit, Deum obtestor, sempérque obtestatus sum, vt quicquid tandem sit, ad ecclesiæ suæ gloriam ac consolationem referatur.

Tu tamen, Hardinge, minimè debes vel teipsum adeo efferre, vel alios ità contemnere atque abiicere, quasi præter te, tuósque collegas nemo quicquam sciret. Cum Iudæi despectis aliis, se solos veram esse ac germanam Abrahæ prolem stirpémque iactarent, B. Paulus humili quodam gloriationis genere vsus, illis se hac in parte æquare non dubitauit. Ad hunc enim modum scribit: *Hebræi sunt, sum & ego: Israelitæ sunt, sum & ego: semen Abrahæ sunt, sum & ego.* Præterea ait: *Quod facio, etiam faciam, vt in eodem, quo gloriantur, reperiantur quales & nos.*

2. Cor. 11.

Hanc contentionem nec vrgebo, nec persequar amplius. Inanis huiusmodi concertatio videatur. Hæc vtríque nostrum, Hardinge, communis est sententia: *Gratia Dei sumus, quod sumus.* O vtinàm ne sit in nobis inanis illius gratia.

1. Cor. 15.

Ego quidem & tuo rogatu: & sine rogatu tuo vniuersam meam cognitionem volens ac penitus abnego: episcopatum autem etiam meum, si is te forsan offenderit, abnego: dignitatem meam abnego: nomen meum abnego: meipsum denique abnego: fidem modò Christianam, Deíque veritatem abnegare non possum. Confido autem vel cum hac fide, vel pro hac fide me vitam profusurum: Diuino spiritui resistere, & repugnare non est virium mearum. Non ego possum omnium veterum catholicorúmque patrum consensum, errorum cumulum, & catenam hæresium appellare. Etsi tu, Hardinge, ista omnia vno momento, & subitò abnegare potuisti, aliis tamen, qui non perinde facilè possunt, ignosce.

Quod attinet ad D. Fisherum, nec ego illum, nec quenquam omnino sum cauillatus. Argumenta modò nonnulla, quibus illi vtuntur, proposui, atque eorum infirmam rationem notaui. Quæ si & inualida, & multis nominibus vitiosa fuerunt, non ea fuit culpa nostra. Nos ea haud inuenimus. D. Fisherus hac ratione vtitur: *Purgatorium esse certi sumus: Ergo Papæ indulgentiæ legitimæ, & necessariæ sunt.* Cogar in tuo, Hardinge, peruoluendo volumine permultas huiusmodi argumentationum ineptias ac futilitates retexere, Tamen certè non cauillabor. Vobiscum autem fœliciter actum est, quibus nos & *Euangelicos, & nouos magistros, & Patriarchas,* & nescio quid, appellare licet, denique quicquid libitum fuerit, scribere integrum est, nec interim cauillatione vlla vti.

Polid. de Inue. reru. lib. 8. cap. 1.

In exitu Præfationis tuæ, quæ librum ipsum præcurrit, fingis omnes tibi lætissima gratulatione acclamare, *Sanctus, Sanctus,* & publicè supplicare, *Ozanna.* Itaque vniuersis deditionem atque subscriptionem suades. Verùm ista nimis præpropera atque intempestiua videatur hortatio. Priùs enim & cui nos oporteret subscribere docere, & testimonia atque rationes tuas, quibus nos vel inuitos cogere posses, vt manus daremus, in mediū proferre debuisti. Antiquus autem ille pater Tertullianus de Valentinianis hereticis sic habet: *Habent artificium, quo priùs persuadent, quàm doceant. Veritas autem docendo suadet, non suadendo docet.*

Tertul. aduersus Valent. lib. 1.

Agesilaus Lacedæmoniorum princeps, quò milites suos animosiores, atque ad conferendam cum hostibus manum alacriores redderet, victoriam in palma sua succo quoddam inscripsit. Cum autem sacra solennia faceret, manum suam bestiæ quam mactabant, cordi occultè imposuit, eíque Victoriæ nomen impressit, deinde illud ducibus ac militibus suis, quasi diuinitùs contigisset, ostendit atque proposuit. Milites tantæ fraudis ignari, nec omnino contrà suspicantes, quin ea res diuino quodam miraculo accidisset, animo ad prælium erecto esse cœperunt, minimè dubitantes quin dij sui, qui victoriam scripsissent, Victoriam etiam re præstarent.

Eadem astutia, atque eodem consilio Lectorem, Hardinge, tuum circunuenire velle videris, vt quod vi-

ribus efficere parum posses, dolo atque insidiis perficeres, quantóque es rationibus inferior, tantò verbis esses superior: quò te imperita multitudo victoriam verè consequutam esse iudicaret, quòd calamo Victoriam inscriberes.

Tu verò Pythagoram nondum authoritate & fide exæquasti. Non tuis auditoribus satis est respondere αὐτὸς ἔφη, *Hardingus dixit.* Non quiuis ita verè esse crediderit, quia tu vel scripseris, vel impresseris, vel ita quidem esse verbo dixeris. Ego autem cum Hieronymo profitebor, *Cupio discere & discipulum me profiteor, dummodo doceant.* Primùm nobis permittere debuisti, vt librum tuum integrum perlegeremus: deinde postquam testimonia ementita, falsas interpretationes, nouos tuos, & minutes doctores, deprauationes, fictiones, somnia, fabulas, illum denique ingentem falsitatum tuarum cumulum diligenter attendissemus, tum nos, quantum velles, ad subscribendum euocasses.

Iam verò, Hardinge, non ista satis magna vis est, quæ mundum vniuersum frangat atque domet. Te tam exilibus armis instructum esse nemo putasset. Non iam id satis erit, vt nobis iracundè conuicium facias, & nouos nos magistros, atque hæreticos in omni sermone appelles. Ista iam olim forsan valuissent, priusquā deprehensus esses. Alia nunc comparanda sunt tibi, & meliora argumenta, præsertim contra Deum dimicanti.

Ego profectò, etsi eram iamdudum penitus persuasus, tamen tuis hisce scriptis aliquantò sum nunc magis etiam confirmatus. Etenim de inopia scripturarum, Conciliorum, Doctorum, & Ecclesiæ primitiuæ exemplorum tua, ex defensionis tuæ tenuitate verè & certò statuere atque iudicare posse videor.

Bonam autem spem habeo fore, vt aliqui ex iis, qui nunc tecum versantur, dummodo non (quod spero) improba quadam malitiæ peruersitate abripiantur, sed Dei timore & religiso quodam faciēdi, quod maximè sua intersit, studio teneantur, quamuis non planè forsan, quid potissimum eligere debeant, intelligant: postquam aliqua ex parte resciuerint, quemadmodum tu te in harum causarum tractatione gesseris, Diuino munere se ad meliorem mentem referant, & præmeditari secum incipiant, quodnam iter ingrediantur, atque tuam suspectam fidem habere velint. B. Augustinus scribit: *Iuris forensis est, vt qui in precibus mentitus sit, illi ne prosit quod impetrauit.*

August. in Ioan. tract. 7.

Fides, Hardinge, atque existimatio, si veritate vacet, nulla est. Opus tuum nimis ruinosum est, fundamēto caret, Consistere non potest, Chrysostomus te docebit, *Errorem sua sponte diffluere, & quamuis nullam adhibeas machinam, tamē corruere.* Reminiscere gradū, in quo aliquādo constiteris: Reminiscere vnde excideris. Reminiscere causas prolapsionis tuæ. Non est inhonestū, aut turpe teipsum extollere, atque erigere. Deus te resuscitare ac restituere potest. Sapiens ait: *Confusio quædam est, quæ gratiam atque gloriam conciliat.* Deus te maximis donis prolixè cumulauit: ea tu ad propagandam & illustrandam Christi fidem confer. Sapientis est non modò vincere, sed aliquando etiam cedere. Eidem ipse consilio monitóque pare, quod aliis dedisti. Tuæ doctrinæ, tuæ dignitati, tibi ipsi nuntium remitte: gloriam Deo tribue.

Chrysosto. de laudibus Pauli hom. 5.

Eccles. 4.

Ioan. 9.

FINIS.

D.

IOANNI IVELLO ANGLO, DEVONIENSI, EX ANTIQVA IVELLORVM FAMILIA BVDENÆ ORIVNDO, ACADEMIÆ OXONIENSIS LAVDATISSIMO ALVMNO: MARIANA TEMPESTATE PER GERMANIAM EXVLI: PRÆSVLI REGNANTE ELIZABETHA REGINA, SARISBVRIENSIS DIOECESEOS, (CVI PER ANNOS XI. MENSES IX. SVMMA FIDE ET INTEGRITATE PRÆFVIT,) RELIGIOSISSIMO, VIRO SINGVLARI ERVDITIONE, INGENIO ACVTISSIMO, IVDICIO GRAVISSIMO: PIETATE, HVMANITATE EGREGIE PRÆDITO, THEOLOGIÆ CVMPRIMIS COGNITIONE INSTRVCTISSIMO: GEMMÆ GEMMARVM: IMMATVRO FATO MONKTONFARLEÆ PRÆREPTO, SARISBVRIÆ SEPVLTO: COELORVM CIVI, LAVRENTIVS HVMFREDVS, HOC MONVMENTVM, OBSERVANTIÆ ET BENEVOLENTIÆ ERGO CONSECRAVIT. ANNO SALVTIS HVMANÆ CHRISTI MERITO RESTITVTÆ. M. D. LXXIII. IX. KAL. OCTOB.

VIXIT ANNOS XLIX. MENSES. IIII.

PSALM. 112.

In memoria æterna erit iustus.

ARTICVLORVM, QVI IN hoc Iuelli libro tractantur,

INDEX.

DE PRIVATA MISSA.

ARTICVLVS PRIMVS.

Episcopus Sarisburiensis.

SI quisquam eruditus aduersarius, siue vniuersi simul aduersarij nostri vllam luculentam aut ex antiquo quoquam & Catholico patre, aut ex vetusto aliquo Concilio, aut è sacrosantis Dei scripturis sententiam, vllúmve Ecclesiæ primitiuæ exemplũ in medium proferre possint, vnde liquidò, claréque cõstet, vllam in toto orbe per sexcentos integros à Christo annos Missam priuatam extitisse, ego me manus daturum, atque in contrariam sententiam iturum spondeo.

Hardingus. I. Sectio.

OMNIS Missa, siue oblationem, siue communionem spectes, publica est, nulla priuata. Neque enim quisquam horrendum illud sacrificium pro se vno separatim, sed pro vniuersa Christi Ecclesia communiter offert. Ipsa enim sacramenti communicatio publicum epulum est à Christo per sacerdotis in eodem ministerium omnibus fidelibus [a] *præparatum: à qua participanda nullus arcetur, qui debita sui examinatione priùs adhibita se paratum fecerit, illamq́ue depoposcerit. Quare cum ex ipsa primæ institutionis ratione, atque ex ministrorum* [b] *volũtate communis sit, non priuata sed communis haberi debet.*

[a] Falsum. nulla est enim huiusmodi præparatio.

[b] Falsum: nulla enim in ministro eiusmodi voluntas apparet.

Quòd autem alij cum sacerdote communicare vulgò & passim recusant, id ipsorum culpæ atque negligentiæ, quos nullæ suæ salutis cura ac solicitudo tangit, tribuendum est. De quo pij ac diligentes fidelium hominum rectores & gubernatores ab ipso vsque primitiuæ Ecclesiæ tempore grauiter perpetuò sunt conquesti.

Episcopus Sarisburiensis.

SPEM verò Hardingus exiguam ostendit, apertè se atque simpliciter esse in suscepta causarum tractatione acturum, quando ipsum à captione cauillationéque principium ducit. Re enim nota atque ab omnibus perspecta, ineptũ profectò videri posit de verbo litigare. Omnis Missa (inquit) publica est, nulla priuata. Si id quidẽ ita sit, nostã ille sententiã penitus ac cumulatè cõclusit. Si enim nulla omnino sit priuata Missa tũ in Ecclesia primitiua nullã eiusmodi fuisse intelligimus: quod à me primò positũ fuit. Hardingo autẽ, id quod ex argumẽtationũ, quibus vtitur, ratione ac modo colligi potest, nondũ planè cõstitit, quid vel Priuati, vel Missæ vocabulo significetur. Etenim in 22. Articulo, in quo de panis ac vini accidentibus verba facit, quò crasissima illa, quæ Transsubstantiationem consequuntur, absurda subterfugiat ac deuitet: *Hæc* (inquit) *nunquam fuerunt publicè tradita, sed priuatim in scholis disputata, atque à doctis hominibus scriptis priuatis mandata.* Ibi priuatum illud appellat, quod audientibus quingentis, aut pluribus coràm disseritur, & scriptis proditur, vt ab omnibus cognosci possit: hîc autem quod sacerdos atque puer in angulo soli perficiunt, id commune vocat, atque ita vocabulis quam ipse vult imponit significationem, vt aliquando publicum sit priuatum, aliquando contrà priuatum fiat publicum.

Hardingus publicũ facit priuatum, & priuatum publicũ.

Missam autem interdum sacrificium esse contendit, interdum communionem, interdum verò preces: atque omnino incertus videtur qua terra pedem ponat.

Hęc ipsa prima ratio est: Sacrificiũ sacerdotis cõmune est, ac proinde Missa quoq; cõmunis est. Hîc quæri posit, quisnã huius faciẽdi sacrificij potestatẽ sacerdoti dederit? sine potestate enim quî facere posit? At verò si cõmune sit eius sacrificiũ, cur illi priuatas hasce appellationes tribuit? Hoc pro viuentibus est, hoc pro defunctis: hoc pro amico: hoc pro seipso. Altera ratio hæc est: epulum est, & propterea publicum: sic vnius erroris medicinam ex alio petit. Si enim conuiuium sit, quomodo ab vno solo capitur? si ab vno solo sumatur, quomodo conuiuium videri potest? Sed omnibus, inquit, paratur: equidem pertenuis est epularum apparatus, qui tot hominibus sufficiat. Ipse sacerdos hoc falsum esse nouit: sibi, non alijs parat: sibi, non ecclesiæ loquitur: ipse solus vescitur, non fratribus communicat: quamobrem vel istud vnum nos sanè cogit, vt Missam

Hæ rationes fusiùs pòst diluuntur.

non publicam, sed priuatam esse fateamur.

Tertia illa ratio de Ministri voluntate admodum dubia est: neque enim tantùm valet sacerdotis voluntas, vt vel rerum naturas mutet, vel rem priuatam faciat esse publicam: neque de sacerdotis voluntate, cuiquam certò constare potest. Nam quid si necromantiam, aut magiam exercere voluerit, quibus artibus Papam Hildebrandum deditum fuisse scribunt? Aut quid si quenquam voluerit veneno occidere, quemadmodum Henricus imperator sumpto veneno in pane Eucharistico, Victor Papa in calice interierunt? Aut quid si ficta miracula edendi voluntatem susceperit, qualia Lyranus multa esse à sacerdote facta in templo ait, vt populo imponat? Quapropter si sacerdotis voluntas, vel ex verbis, vel ex factis, vel ex gestu, vel ex apparatu, vel ex panis & vini magnitudine, vel ex tota agendi ratione atque cõsuetudine intelligi queat, facilè perspici potest, illum non publicum, sed priuatum epulum instruere.

Hermannus Contractus. Nicolaus Lyra in 14. cap. Daniel.

Hæc infirma sunt fundamenta, quibus nitaris. Ex his Hardingus multò quidem meliùs contrariũ euincere atque concludere potuisset. Si enim publicum sit totius Ecclesiæ sacrificium, ab vniuersa Ecclesia fieri debet, sicuti Ambrosius ait: *Vt multorum oblatio simul celebretur.*

Ambros. 1. Cor. 11.

Si cõmune sit totius Ecclesiæ conuiuium, à tota Ecclesia communiter agendũ est. Atque hoc est, quod Hieronymus ait: *Dominica Cœna omnibus debet esse cõmunis:* idque non ob futiles istas ratiunculas, quas Hardingus, suique collegæ excogitarunt. Hieronymus hãc rationẽ adhibet: *Quia Dominus omnibus discipulis, qui aderant æqualiter tradidit Sacramenta.* Hæc perspicua verba sunt, *Æqualiter*, & *Omnibus discipulis*: atque iccirco Hieronymus Dominicam cœnam ad huius exempli normam esse communem debere docet.

Hieron. 1. Cor. 11.

Hardingus. 2. Sectio.

QVapropter hoc respectu nullam agnoscimus priuatam Missam, sed istud vocabulũ Lutheri scholæ relinquimus,[a] *in qua primum inuentũ, atque ab ipso Satana ita appellatũ est: qui alumnũ suũ Lutherũ à sacrosancti illius sacrificij amore ac veneratione abducere conatus, cũ eo contra illud disseruit in nocturno viso, quemadmodum ipse testatur in libello, quem de Missa angulari & vnctione sacerdotali inscripsit.*

a Falsum.

Episcopus Sarisburiensis.

HAec fabula in pium illum virum D. Lutherum conficta, opprobrij atque calumniæ plena est, à Pigghio, Hosio, Staphylo apostata, aliisque eiusdem notæ hominibus per malitiam & veritatis odiũ disseminata, atque iccircò indigna cui respondeatur. Lutherus ostẽdit quãtas, quãque tetras tentationũ insidias homini Diabolus struat, sumpta occasione aliquando ex honestis factis, aliquando ex contrarijs, interdum ex veritate, interdũ ex falsitate. Exemplo etiam narrat, Diabolum quodam tẽpore ipsum adortum atque aggressum esse, non aspectabili aliqua forma, sed interna quadam & graui conscientiæ tentatione, & sic quodammodo cum ipso egisse: *Hisce tot annis Missam celebrasti, panem & vinum instar Dei adorandum ostentasti: nunc tamen nosti creaturam, non Deum fuisse: hinc consequuta est idololatria, & tu in causa fuisti.* Hæc omnia ex propriæ consciẽtiæ testimonio atque luce vera esse perspexit, peccatum non dissimulauit, séque Deo dedidit ac permisit. Diabolus quidem hoc eò fecit, vt illum in salutis desperationem detruderet: at Deus singulari quadam benignitate commotus illum liberauit. Atque hóc totum est, quod Lutherus sibi in eo loco velit, scilicet neminem ex se tantis esse viribus, vt his conatibus & tentationibus Satanæ possit obsistere, nisi sola Dei virtute atque misericordia subnixus. Hæc nimirum illa est (benigne Lector) *Satanæ schola:* hæc ea est admirabilis tragœdia, in qua tantas Hardingus vociferationes & clamores excitat. Si quidem ei tã indignum atque nefarium facinus videatur hominẽ quenquam pium à Diabolo vexari, ipsum etiam fortassis Christum reprehẽdet, quem Diabolus in montem abduxit: aut Paulum culpabit, quẽ Satanæ angelus colaphis cædebat: aut etiam ingentem Bullatorum suorum & Portiforiensium Diuorum multitudinem damnabit, quorum Legẽdæ crebris dæmonum visionibus, aliisque istiusmodi puerilibus fabulis refertæ sunt. Cæterùm Lutheri disciplina, quam ipse in sua schola de hac re tradidit, Christi ipsius Euangelium est, ac proinde vires colligit, & in hominum intimos sensus influit, neque potest ab hostium mendacijs ac calumnijs extingui atque extirpari.

Matth. 4. 2. Cor. 12.

Hardingus. 3. Sectio.

NEque tamen negamus, quin antiquorum quorundam Conciliorum Patres, & post etiã D. Thomas, ac alij quidam scholastici Doctores eam aliquando priuatam Missam appellarint, non iuxta Lutheri & illius discipulorum sensum, sed tantùm quatenus publicæ solenniq; contraria est respectu loci, & temporis, & hominum frequentiæ, & ceremoniarum, & aliarum circunstantiarum. Quarum rerum, vt pote accidentalium, varietas ac mutatio, substantiam seu essentialem Missæ naturam nullo modo mutare potest. Iuellus autem nouæ Lutheri & Sacramentariorum disciplinæ acris propugnator, eam vocat, quemadmodum & illi faciunt, priuatam Missam, in qua sacerdos nullum habens cõmunicationis participem Sacramentum solus percipit.

2. Cõcil. Valen cap. 4. Concil. Triburien. Decre. lib. 3. tit. 41. C. 2. de consecrat. dist. 1. ex Augu. quod quidã Gregorio tribuunt. Greg. ex Regist. lib. 2. ad Castoriũ cap. 9. b. 3. Parte Summa. q. 83.

Episcopus Sarisburiensis.

Har-

Hardingus correctione quadam Rhetorica vsus,& rem paulò attentiùs expendens reminiscendo se recognoscere dicit de Missis priuatis factam esse mentionem *in quibusdam prifcis* (vt ait) *Concilijs ac Doctoribus scholasticis*. Nempe Stephanum Gardinerum nominasse potuit, & Albertum Pigghium, qui Missæ priuatæ defensionem edidit, quique nonnullos in ea abusus atque errores agnoscit: neque tamen propterea (opinor) alterutrum Satanæ fuisse discipulum fatebitur.

Albertus Pighius in locis comm. de Priuata Missa.

Hardingus vocabula aucupatur,& inquit, *Missa dicitur priuata loci, temporis, auditorū atque aliarū circunstantiarum respectu*. Et istiusmodi plerunque sanè sunt illorum priuatæ Missæ, in deuijs angulis habitæ, seorsum, nullo præsente, nisi vnico tantùm pusione ad respondendum adhibito, adeò quidem priuatæ vt hinc populus Dei omni consolatione priuetur atque spolietur. Isto autem modo videtur Thomas priuatam Missam interpretari: sic enim ait, *In Missis priuatis sufficit, si vnus sit præsens, scilicet Minister qui populi totius personam gerit*.

Par. 3. q. 83. art. 5.

Quod ad authoritates attinet in margine descriptas, Doctores illi scholastici ætate vixerunt omnes recentiore. Augustini locus commentitius est, non Augustini. Locus Gregorij nihil prorsus pertinet ad causam, neque nomen adeò priuatæ Missæ habet. Concilia etiam, quorum tanta esse vetustas dicitur, omnia septingentis ad minimum post Christum natum annis habita fuerunt, ac proinde finium nostrorum cancellos excedunt.

Verùm vt de vocabulis consentiamus, neque ab ipso Missæ nomine abhorreamus, quanquā perrarò & ferenunquam in antiquis & orthodoxis authoribus reperiatur: cùm nos communem seu publicam Missam dicimus, in qua sacerdos atque populus sacram communionem simul percipiunt: quam consuetudinem & Apostoli, & sancti primitiuę Ecclesię Patres antiquitus tenuerunt. Cum verò sacerdos Sacramentum solus sumit, neque alijs distribuit, hanc nos priuatam Missam vocamus, etiam præsente atque spectante toto populo. Potest enim aliquid esse priuatum, quod & à publico Ministro, & pro populo, & in medio populo geratur. Atque hoc modo Thomas Aquinas ista vocabula Priuatum & Commune accipere videtur. *Primum* (inquit) *populus ad communicandum præparatur, per communem populi precationem quæ est oratio Dominica: & per priuatas preces, quas sacerdos specialiter pro populo offert*. Hic precatio priuata dicitur, licet à sacerdote populi nomine atque in medio etiam populo nuncupetur.

Publica Missa.

Priuata Missa.

3. Par. q. 83. arti. 4. In explanatione Missę Romanę.

Hardingus. 4. Sectio.

IN hanc priuatam, quam vocat, Missam grauiter & acerbè inuehitur in concione sua typis excusa, quam ad crucem Paulinam habuit altera Dominica ante Pascha, anno Domini 1560. *vt ipse inscripsit, tritum illud consuetudine nomen Dominicæ Passionis deuitans, ne fortè (vt videtur) si vocabula vsurparet, quibus Ecclesia Catholica vtitur, Catholicum aliquid probare videretur. In hanc concionem congessit, & in vnum quasi cumulum coaceruauit, quicquid contra eam à quoquam scriptum reperire potuit, in illorum hominum libris à quibus oppugnata iamdudum fuit.*

Episcopus Sarisburiensis.

ATtende verò (Lector humanissime) quàm tenues Hardingus occasiones arripiat, contrà ac promisit, vt suo maledicendi studio immoderato satisfaciat. Quid autem? An pro hæreticis eos omnes habet, qui statos dies alijs nominibus appellent, atque sunt in suo Portiforio designati? Sic sanè Græcos atque alios omnes (Romanam tantùm Ecclesiam excipio) qui vbique sunt Christianos, facilè damnabit: quos Dominicæ Passionis nomen in Calendario suo, vel quotidiano sermone nūquam vsurpasse iudico. Sic eos insuper vniuersos, qui sacrum illum anniuersarium Veneris diem *Parasceuen* nuncupant: quinetiam Italos qui à Portiforio discrepantes primam Quadragesimæ septimanam *Carneualæ* nominant nefandi sceleris reos aget. Ipsum reuera Portiforium eum diem non modò Dominicā Passionis, sed etiam Dominicam *Iudica* appellat, atque hoc nomen non minùs Catholicum esse, quàm alterū statuit. Nos verò (Dei nomen summis laudibus efferatur) nequaquam pudet Passionis Christi, vt pote qui nihil in quo gloriemur, nisi crucem & mortem Christi, habeamus: vestra autem figmenta repudiamus, non quia Catholica sunt, vt tu somnias, sed quia vestra sunt, à vobis receùs excogitata, quorum quidem plurima cum verbo Dei apertè pugnant, neque dici possunt Catholica. Inuectiuam autem concionem ego nullam habui: neque enim suggestis nostris ad huiusmodi licentiam abutimur, sed sobriè, longéque aliter, atque Hardingus calamo suo, vtimur. Loquutus sum eo tempore de abusibus, qui in Dominicam cœnam irrepserant, sumpta ex verbis Pauli occasione: *Quod ego à Domino accepi, idem vobis tradidi*: ipséque Paulus Corinthios suo tempore reprehendere videtur, quòd abusibus quibusdam cœnam contaminassent. Nam ne ipsa quidem Dominica Cœna eam nacta est prærogatiuam, vt à nemine vnquam nefariè adhiberi possit, id quod aduersarij adeò nostri verum esse confitentur, qui abusus atque errores in priuatam Missam inuectos esse minimè inficiantur.

Dominica Iudica.

Gal. 6.

1. Cor. 11.

Albertus Pighius de priuata Missa.

Hardingus. 5. Sectio.

ETsi verbo præ se fert se cum priuata tantùm Missa bellum gerere, tamen qui hanc ipsius concionem legerit & spiritum eius diiudicauerit, facilè perspexerit, eum omnes ingenij vires conferre

ad penitus euertendum incruentum & quotidianum Ecclesiæ sacrificium quod [a] *vulgò Missa nuncupatur. Quod quidem, vt ipsi Apostoli apud Clementem auditorem atque socium ipsorum asserunt, cum sit incruentum, in cruentorũ veteris legis sacrificiorum locũ nobis successit, atq; ex Christi mandato celebratur & offertur in supplicij, mortisq; suæ memoriã, ac perpetuò à nobis vsurpari debet, quoad ipse venerit. Quicquid autem vel is, vel alij omnes Antichristi præcursores contra illum aut dicant, aut moliantur, id non debet bonorum ac verè Christianorum hominum fidem eneruare atq; infringere, præsertim cum illud probari & demonstrari videant, cùm ex alijs plurimis scripturæ locis, tum ex figura Melchisedechi, qui ante latam legem fuit, ex Malachiæ prophetia post legem promulgatam, & postremò atq; apertissimè ex Christi* [b] *institutione in nouo testamento. Quod ipse Apostolis reliquit, Apostoli Ecclesiæ tradiderunt, Ecclesia perpetuò ad hodiernum vsque diem vbiq; terrarum custodiuit atq; vsurpauit.*

a Falsum: non enim prisci patres sic illud vulgò nuncuparunt.

b Falsum: Christus enim de sacrificio quoquam nullum verbũ habet.

Pro sacrificio cruento rationale & incruentum ac mysticum instituit, quod in mortem Domini per Symbola corporis & sanguinis ipsius celebratur. Clemens Constitut. Apostol. lib. 6. cap. 23.

Doctores autem Ecclesiæ vna voce in omnibus seculorum ætatibus, mundiq; partibus ab ipsis vsque Apostolorum temporibus, tum suo ipsorum exemplo, tum literarum monumentis eandem fidem consignarunt. Qui sunt in literarum studijs versati, ob temporis tamen corruptelam de hac re ambigunt, antiquorum scripta sedulò & diligenter euoluant, & facilè intelligent ex locupletissimo ac vetusto Sacerdotum, & Diaconorum Achaiæ testimonio [c] *Andream Apostolum, quod ad ipsam Missæ substantiam attinet, Deum eodem planè cultu quotidie adorasse, quo nunc sacerdotes vtuntur, quando externum Ecclesiæ sacrificium celebrant. Perspicient ex Abdiæ monumentis, qui primus Babyloniæ episcopus, atque Apostolorum auditor fuerat, Christúmque Seruatorem in carne* [d] *viderat, & Diui Andreæ morti ac supplicio intererat, Diuum Matthæum Apostolum paucis antè diebus, quàm morte afficeretur, Missam in Æthiopia celebrasse. Reperient in antiquo generali concilio D. Iacobum liturgiam, seu Missæ formulam scripsisse: Martialem ex septuaginta duorum Christi discipulorum numero, & Burdigalensem in Gallia Episcopum, illuc à Petro missum, ad eandem normam Deo seruijsse. Videbunt in Clemente integram* [e] *Missæ rationem ac formam, ab ipsis Apostolis editam, & post Domini in cœlos ascensum ab illis celebratam, antequam Episcopos ac presbyteros, & septem diaconos ordinarent, iuxta eius institutionem, quam etiam Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus in Mystagogicis orationibus eodem planè modo explicat. Eandem quoque planissimis verbis descriptam,* [f] *Missæque dicendæ rationem non admodum dissimilem ei, qua nos hodie vtimur, scriptis à Dionysio proditam inuenient, quem Paulus ad fidem conuertit, de quo facta est in actis Apostolorum mentio, quique cum Petro, Paulo, & Ioanne Euangelista colloquium habuit, ac Timotheo familiaris fuit.*

c Falsum: Andreas enim Cõmunionẽ, non Missam celebrauit.

d Falsum: iste enim Abdias Christũ in carne nunquã vidit: mẽdaciorum Legenda est.

e Falsum: nullũ enim apparet priuatæ Missæ vel vestigium.

f Falsum: ipsa enim est communionis forma priuatæ Missæ omnino dissimilis.

Concilium Constãtinop. in Trullo ca. 32.

Epist. ad Burdigal. lib. Cõstit. Apostol. 8. cap. vlt.

In Ecclesiast. Hierarch. cap. 3.

Act. 17.

Hactenus, Christiane lector, quoddam tibi testimoniorum quasi specimen tantùm dedi, nulla verborum recitatione adhibita, ad confirmandã tuã de sacrosancta Missa fidem, ex scripturis Apostolicis, Apostolicisque hominibus ductorem. [g] *Te autem insuper ad Iustinum martyrem simul ac philosophum, ad Irenæum martyrem atque Episcopum Lugdunensem relego, qui cum Apostolorum discipulis vixerunt: ad antiquum illum Episcopum, ac martyrem Hippolytum, qui Origenis ætate floruit, quique in oratione, quam de consummatione mundi scripsit, quæ Græcè extat, Christum in vltimo iudicio Episcopos his verbis alloquentem facit.* Venite Pontifices, qui purè mihi sacrificium die noctéque obtulistis, ac pretiosum corpus, ac sanguinem meum immolastis quotidie. *Deniq; eos remitto ad duos illos eximios patres, qui instar multorũ esse possunt.* [h] *Basilium ac Chrysostomum, quorum Missæ adhuc posteris integræ reseruantur.*

Fides absque verbis confirmata: Paulus ait, fides ex auditu.

g Falsitatum fasciculus.

Lib. 4. contrà hæreses. c. 32.

Verum ex omni hoc numero Cyrillus Hierosolymitanus nullo modo leuiter prætereundus est, qui [i] *Missam suo tempore Hierosolymis vsurpatam luculenter exponit, eandem quam nunc in Clemente reperimus, illi, quam Basilius atque Chrysostomus describunt consimilem, & quod ad Canonem ipsum, aliásq; præcipuas partes attinet, non multùm ab ea discrepantem, quam nunc Latinorum Ecclesia tenet.*

h Falsum: ipsã enim communionis rationẽ exponunt.

i Falsum: expressam enim communionis formam cõtinet. neque est priuata Missa.

In mystagogicis orationibus.

Quod autem ad cæteros Ecclesiæ doctores attinet, qui Apostolos illósq; Apostolicos viros consequuti sunt, numero quidem frequentes, doctrina præstantes, vitæ sanctimonia insignes, si quid ex illorum scriptis afferri posset ad hanc rem confirmandam (scilicet oblationem corporis & sanguinis Christi in Missa esse Ecclesiæ sacrificium, nouiq; testamenti proprium) conarer ostendere, iustum atque integrum volumen hic labor postularet. Quapropter cum non sim Iuelli prouocatione inductus ad aliquid de ea peculiariter dicendum, nisi tantum quatenus priuata est, vt ipsi volunt, multíque multa in huius sacrificij defensionem iamdudum scripserint: nunc hanc rem omnem silentio prætereibo, haud aliter de ea sentiens, atq; Salustius de Carthagine magna illa ciuitate, satius esse nihil dicere, quàm pauca dicere.

Episcopus Sarisburiensis.

DEt Deus vniuerso populo suo sapientiæ ac intelligentiæ spiritum, vt spiritus dijudicare possint, an sint ex Deo, vtque sibi à pseudoprophetis caueant, & principi pastorum auscultent, fugiantque alienorum vocem, atque cæcos illos duces, à quibus toties decepti fuerunt, penitus auersentur.

Esaie 11. 1. Ioan. 4. Matth. 7. Ioan. 10. Matth. 23.

Hic Hardingus efferuescente bile aliquantò vehementiùs inflammatur, & quos ei libitum est, sacrificij hostes, ac præcursores Antichristi nominat, & denique quid non? eodem profectò spiritu incitatus, quo olim præditi Pharisæi dixerunt: Stephanus in sanctum templum maledicta coniecit: & Christus verba in Deum blasphema loquutus est. Ego verò exæstuantibus hisce verbis parem orationis ardorem non referam, sed in hoc dicendi genere me ab illo vinci facilè patiar.

Præcursores Antichristi. Act. 7. Mat. 26.

Quod ad rem ipsam attinet, non ignorat Hardingus Gregorium Antichristi præcursorem illum appellare, non qui Christum plenum perpetuumque sacrificium semel in cruce pro peccatis

Ad Constantiam August. epist 78. lib. 4.

tis fecisse contendat, sed qui ambitione elatus fratribus se suis Luciferi exemplo anteponat, & vniuersalem totius Christi Ecclesiæ Episcopum se esse venditet. Hic ille nimirum est, quem D. Gregorius Antichristi præcursorem vocat.

Ad Mauritium imper. lib. 7. epist. 197.

Quòd autem nos ad libidinem arbitriumque suum inimicos sacrificij appellat, nobiscum sanè miserrimè actum esset, si illo sacrificio careremus? Nouimus Chistum esse illum Dei agnum, qui mundi peccata sustulit, neque nomen aut sacrificium sub cœlo vllum esse, per quod seruari possimus, nisi vnicum Iesu Christi nomen, atque sacrificium. Cúmque certò sciamus sacrificium hoc omnibus suis partibus ac numeris absolutum esse, omnia ab hominibus inuenta sacrificia respuimus atque aspernamur.

Ioan. 1. Act. 4.

Sacrificium, (inquit Hardingus) *quod vulgò vocatur Missa.* Quin autem docet à quo ita vocetur? Neque enim Hebræi in sua lingua, neque Græci in sua, neque Christus, neque Apostoli, neque Tertullianus, neque Cyprianus, neque Origenes, neque Lactantius, neque Hieronymus, neque Augustinus in vllo libro, quem ab illis scriptum esse certò constat, neque adeò sui ipsius Doctores, Clemens, Abdias, Hyppolytus, Missæ vocabulo vnquam vsi sunt. Quocirca nouum mihi mirúmque videtur, quod sacrificium tam vsitato vocabulo Missam appellari scribit. Siquidem dixisset à se suísque collegis ita nominatam esse, rectè sanè fecisset.

Quod vulgò Missa nuncupatur.

Hic autem integra Doctorum cohors composito agmine inducitur: Melchisedech: Malachias: Clemens, Apostolorum æqualis: Diaconi Asiæ: Abdias Apostolorum auditor, & Babyloniæ Episcopus, qui Christum in carne vidit: D. Andreas: D. Iacobus: Martialis: Dionysius, qui cum Petro, Paulo, & Ioanne colloquutus est: Irenæus: Iustinus martyr: Hippolytus martir: Basilius: Chrysostomus: Cyrillus Hierosolymitanus, cæteríque omnes omnium ætatum, mundíque partium structum exercitum videret, non perhorresceret? Verumtamen te collige & confirma, lector. Ficta est hæc omnis, ac vmbratilis pugna: speciem tantùm & falsam imaginem, non rem ipsam vides. Hi tanquam personati inducuntur ad oculos delectandos, & muti tandem exeunt. Quod momento iustóque pondere deerat, id Hardingus numero voluit explere: atque hæc illi quasi quædam copiarum ostentatio est ante prælium. Quemadmodum autem fluuius ventis ac imbribus exundans magnam secum spumam multásque sordes ipso alueo deuehit: ita Hardingus extra ripas diffluens, & effusus verborum copia, orationis effrænata quadam contentione, multùm erroris ac falsitatis secum toto spatio trahit. Sic tamen tibi quoddam testimoniorum (vt inquit) specimen, gustúmque dedit, Christiane Lector, quò tua de Missa fides confirmatior esset. Miserabilem sanè eam fidem esse necesse est, quæ in rebus tam magnis cùm nihil audierit, nudis tamẽ nominibus stabiliri ac confirmari queat. Miror Hardingum ausum vnquam fuisse, vel eiusmodi testimonia citare, quorum plurima qualia sint non potest ignorare, vel tam apertè omnibus mortalibus illudere. Nam vt paucis & breuiter Melchisedechum, Malachiam, ipsámque Christi institutionem attingam, quid (quæso) ponderis habent hæ rationes: Melchisedechus panem & vinum protulit, quibus Abrahamun eiúsque exercitum ab hostibus persequendis reuertentem, & iam labore penè confectum recrearet atque reficeret: vel, Malachias omnes totius terrarum orbis gentes ad Deum conuersum iri, purúmque sacrificium ei oblaturas esse praedixit: vel, Christus vltimam cœnam inter discipulos instituit, illísque vt idem in eius commemorationem facerent, præcepit: Ergo Ecclesia priuatam Missam habuit. Quis vnquam huiusmodi argumenta in vlla schola conclusit? Nunquid enim nobis persuadere vult Hardingus, vel Melchisedechum, vel Malachiam, vel Christum priuatam Missam celebrasse? An verò has abundè nobis probatas esse rationes putat, quòd ab illo sunt vel voce pronunciatæ. At Melchisedechus, inquiet, & Malachias noui Testamenti sacrificia præmõstrabant. Hoc verò non inficiamur: sed num huiusmodi sacrificium declarabant, quod ab vno solo conficeretur, lingua peregrina, populo inspectante, & nemine quid sibi velit intelligente? Quin potius existimemus, eos sacrosanctæ communionis sacrificium ostendisse, in qua totus populus manus pariter, & corda sua in cœlum ipsum intendit, coniunctas preces, sacrificium commune facit, in cruce Christi exultat, atque ita Domini mortem grata memoria celebrat, donec ipse venerit. Sacrificium enim illud de quo vaticinatus est Malachias, quemadmodum Tertullianus, Hieronymus, alijque sancti Patres interpretantur, nihil aliud, quàm orationis ac contriti cordis sacrificium, id quod planius in 17. articulo liquebit.

Ad fidei confirmationem.

Genes. 14.

Malach. 1.

Matth. 26.

Quòd autem ad testes ab Hardingo citatos attinet, primùm non possum non mirari, eos esse omnino ab illo productos: deinde multò quidem magis demiror, illum nobis eos venditare voluisse adhibitis huiusmodi commendationis fideique causa circunstantijs: nempe quòd Christum in carne viderint, quodque cum Apostolis familiariter vixerint. Neque enim illum latet, nonnullos eorum tanta fide indignos esse: partim quòd tales sint de quibus semper dubitatum fuit, quique non ab illis hominibus, quorum nomina referunt, sed ab hæreticis, à quibus nunc Hardingus auxilium petere videtur, editi fuisse creduntur: partim verò quia obscuri, incogniti, ignoti extiterunt, nunquam à quoquam lecti, nunquam conspecti, nunquam ante hoc tempus nominati. Maximè verò mirandum mihi videtur, quòd defensionem causámque suam in discrimen adducere voluerit his confisus testibus, si nos ipse nouit in se testimonium dicturos. Ac proinde illorum verba callidè occultauit, & recitatis tantùm nominibus, vocem illis omnem præclusit.

Clemens.

Atque vt huius quod dixi, benigne Lector, specimen aliquod habeas, vt istorum hominum fidem, atque integritatem perspicias, *Clementem* hunc qualis sit consideremus primùm, quem hîc Hardingus Apostolorum æqualem fuisse prædicat. Illius libri titulus videtur esse de *Apostolicis traditionibus*: hoc est, de legibus atque institutis, ab ipsis Christi Apostolis ad Ecclesiam gubernandam latis. Egregium sanè opus, & in omnibus seculis summa veneratione dignisimum, si modò hominibus reuera persuasum fuisset, à Clemente fuisse conscriptum.

Hieronymus de Eccles. scriptor. Libri suppositi sub Cleme̅tis nomine. Eusebius de eccl. hist. li. 2. ca. 38. Petrus Crabbe in 1. tomo Concil.

Hieronymus autem, authore Eusebio, vnius tantùm epistolæ meminit, quam Clemente digna̅ iudicauit, quæ tamen etiam interijt, neque iam extat. De alia quoque Clementis epistola mentionem facit: sed eam Ecclesiæ nunquam fuisse probatam scribit. Hieronymus insuper se accepisse testatur, alios etiam quosdam libros Clementis nomine circumferri, qualis est Petri contra Appionem disputatio, qui nunquam essent à maioribus recepti, neque puram atque Apostolicam doctrinam continerent. Vnde ergo hic noster Clemens Hardingianus? nuper admodum in Creta insula repertus est à Carolo quodam Capellio Veneto, Græcè scriptus, atque in his regionibus nunquam antè vel auditus, vel visus.

Hîc iam, Lector, quantumuis rudis atque ignarus sic animo secum cogitabit. Clemens Romanus fuit Episcopus à Diuo Petro proximus, vt dicitur. Quînam verò fit, vt Episcopi Romani scripta, cum eiusmodi essent, tam noua, tam sancta, de rebus tam eximijs, in Creta, quæ tam procul ab Italia abest, insula mari circumfusa, non Romæ custodirentur: Græcis non Latinis literis mandarentur? An vllo modo fieri potuit, vt tam insignis liber, ab vniuersis Apostolis compositus, ab ipsorum æquali editus, mille quingentis annis, & plus eo, in tenebris conditus lateret, neque vnquam interim desideraretur? hæc lector secum facilè reputabit, vtcunque fuerit simplex & imperitus.

Verùm quid si liber iste nunquam fuerit à Clemente conscriptus? quid si ne à quoquam viro probo & honesto? quid verò si ab Hæretico? Fuit sanè priscis temporibus tritum libros impietatis plenos in lucem edere, Apostolorum aliorumq́ue sanctorum patrum titulis ac nominibus fucatos. Leo Romanus olim Episcopus ita scribit: *Apocryphæ scripturæ, quæ sub nominibus Apostolorum multarum habent seminarium falsitatum, non solum interdicendæ, sed etiam penitus auferendæ, atq; ignibus tradendæ sunt.* Ex his nonnullos Apostolorum nominibus ad hæresin atque nefariam doctrinam stabiliendam abuti sæpe solitos fuisse perspicimus.

Decret. Leon. 1. can. 15.

Dist. 15. Sancta Romana.

De Clemente Gelasius (quem quòd esset eiusdem cathedræ Episcopus, eò magis verum nosse credibile est) ita scribit: *Pauca quæ ad memoriam venerunt, & Catholicis vitanda sunt, decreuimus esse subdenda. In primis Ariminensem Synodum, à Constantino Cæsare Constantini filio congregatam, mediante Tauro præfecto, ex tunc, & in æternum confitemur esse damnatam. Item Itinerarium nomine Petri Apostoli, quod appellatur Sancti Clementis, libri octo Apocryphi.* Videmus ergo nonnullos libros, qui Clementis esse dicuntur, nominatim damnatos, ac vnicam tantùm epistolam pro catholica receptam esse: hoc autem volumen, quod hîc ab Hardingo citatur, & octo libros complectitur iuxta Petrum Crabbe quod ad librorum numerum attinet, nihil differre ab eo, quod est à Gelasio damnatum. Denique, Bessarion Cardinalis, citatis quibusdam ex eodem libro, qui tam diu latuit uerbis, ita de eo scribit: *Licet hæc Cleme̅tis verba inter Apocryphas scripturas co̅memorari soleant, placet tamen eis in præsentiarum tanquam veris assentiamus*, Sic iam nostrum hunc Clementem videmus ab Eusebio & Hieronymo improbatu̅, à Bessarione in dubium vocatum, à Gelasio damnatum, arcta custodia mille quingentorum annorum spatio asseruatum: quæ quanquam ita sunt, nunc tamen illi nos ceruices submittere, eumque quasi Apostolorum socium colere debemus.

Petrus Crabbe in 1. Tom. Concil. Bessarion de sacramento Eucharistiæ.

Abdias.

Sequitur iam Abdias, alius Hardingi testis, omnibus suis titulis exornatus: Episcopus Babyloniæ, ab Apostolis ibidem constitutus: qui cum Christo versatus est: eumque prædicantem audiuit, & in carne vidit: quique Diuo Andreæ ad supplicium rapto adfuit: neque aliquid omnino prætermittitur, quod ad commendationem quicquam valet. De isto mihi nonnihil dicendum est, eoque magis, quò ipsius est illustrius splendidiusque nomen. Inuestigatus est, & in lucem Abdię nomine editus ante paucos hosce annos à quodam Vuolfgango Zazio, qui multum in eo laborat, vt hunc eundem illum esse Abdiam persuadeat, quem ipse se haberi atque æstimari vult. Proinde cum ait, vnum extitisse ex septuaginta duobus discipulis, atque ab Apostolis inauguratum Episcopum fuisse, & D. Lucam Euangelistam, Acta Apostolorum scriptis mandantem aliquot integras historias totidem verbis ex eo sumpsisse. Ingratum ergo necesse est fuisse Lucam, qui nullam vnquam fecerit authoris sui mentionem.

Verùm quisquis iste tandem Abdias fuerit, ipsa eius verba, ita nobis hominem produ̅t & quasi coloribus suis depingunt, vt alienum quendam fuisse vel cæcus facilè perspiciat. Multa impude̅tissimè mentitur, se Christo præsentem adfuisse, & pleráque Apostolorum gesta vidisse, cum tamen Apostoli, Christi præcepto parentes, in vniuersum mundum migrassent, alij in Italiam, alij in Asiam minorem, alij in Scythiam, alij in Indiam, alij in Aethiopiam, multisque milliariorum millibus à se inuice̅ abessent. In ea fabula, quæ est de Iphigenia, scribit, populu̅ eius fratrem Beorum à Diuo Matthæo iam baptizatum, regem constituisse, eúmque sexaginta tribus annis pòst Aethiopiæ præfuisse. Hegesippi quoque meminit, qui centum & sexaginta post Christum annis vixit. Si toto hoc tempore superstes fuisset Abdias *Ioanni de temporibus* conferendus erat, quem historiæ Gallicanæ vitam ad trecentesimum vsque annum in Gallia produxisse referunt.

Marc. 16.

Abdias in vita Matthæi.

Guaguinus. Paulus. Æmilius.

Men

Mendacem oportet esse memorem. Si Christum in carne vidit, non est profectò verisimile eum vidisse Hegesippum, qui tanto pòst tempore vixit: si Hegesippum vidit, sanè non est credibile vidisse Christum. Si ergo verum dicat in altero, in altero mentiatur necesse est: atque ita siue mentiatur, siue verum scribat, nullo modo Abdias esse poterit.

Quòd ad ipsam libri materiam atque argumentum attinet, nihil fere aliud in eo continetur, quàm vanę quędam, ac pueriles fabulę, falsitate, impia doctrina, & curiosis dęmonum colloquijs refertæ: quorum nihil ab illa Apostolorum Christi grauitate atque dignitate non penitus abhorreat, id quod lectori facilè constabit.

Ex Augustino plurimis in locis colligi potest, aliquam istius libri partem ab hæreticis quibusdam, (quos Manichæos vocant,) fuisse scriptam, atque ab illis pro vera Apostolorum historia propositam. Illas enim fabulas recenset de D. Thoma, de Diuo Matthæo, Diuo Andrea, de leone, à quo interfectus est is, qui Diuum Thomam percusserat: de cane qui eiusdem viri manum ad mensam attulit: de Maximilla Egetis coniuge: atque alia commemorat his similia, eodem ordine, quo sunt ab Abdia exposita.

August. contra Faustum lib. 11. & lib. 22. cap. 80.

Aduersus Adimantum quendam scribit ad hunc modum: *Ipsi autem* (hoc est Manichæi) *legunt scripturas apocryphas, quas etiam incorruptissimas esse dicunt, vbi scriptum est Apostolum Thomam maledixisse homini, nec multò pòst à leone dilaniatum & occisum esse. &c.* Alio etiam in loco habeat: *Attendite qualis sint, quæ scribuntur de Maximilla vxore Egetis: illam noluisse viro debitum reddere, donasse & supposuisse Eucliam ancillam, &c.* Hæ omnes, aliæque consimiles fabulæ ab Augustino improbantur, ab hoc Abdia pro veris & certissimis narrantur. Non alienum putaui hanc rem pluribus persequi, quòd librum tot fictis fabulis confertum, tam serò è latebris, in quibus occultabatur, extractum, nulla veritatis specie commendatum, Apostolorum discipulo ascriptum, atque attributum fuisse, tantamque sui venerationem excitasse viderem. Augustinus quid de eo libro sentiret, varijs in locis videtur declarasse. In eo libro, quẽ contra aduersarium Legis & Prophetarum scripsit, hæc verba habet: *De Apocryphis iste posuit testimonia, quæ sub nominibus Apostolorum Andreæ Ioannisque conscripta sunt. Quæ si illorum essent, recepta essent ab Ecclesia. &c.* Eadem quoque (quod attinet ad hanc rem) videtur esse Gelasij sententia, qui huiusmodi scripta, vetusta quadam consuetudine, & singulari consilio, in Ecclesia Romana nunquam fuisse lecta dicit, quòd ab Hæreticis conscripta esse iudicarentur.

August. contra Adimantum cap 17.

August. de fide contra Manichæos cap. 38.

August. contra aduersariũ Legis & Prophetarũ li. 1. cap. 20. Dist. 15. Sancta Romana.

Perspicuum nunc est, hunc Abdiam, librum esse manifestis mendacijs plenum, & (sicut ex Augustino atque Gelasio existimare possumus) ab Hæreticis scriptum, ac probatum: ab Ecclesia verò repudiatum. Hoc homine, cum talis sit, te tuam (Lector) fidẽ fulcire atque sustinere vult Hardingus.

De cæteris autem hisce nouis testibus, etsi nulla vti aduersus eos exceptione statui, tamen vix vnum illorum fidei tam integræ esse nouit Hardingus, quin posit in dubium meritò vocari.

Martialis in Gallia nuper repertus est in Ciuitate Lemouica, in arca lapidea abditus, loco subterraneo, ita erosus ac deformatus, vt in nonnullis locis ne legi quidem posset: neque est vnquam ante ab vllo mortali conspectus.

Martialis.

Dionysius etsi est ille quidẽ author perantiquus, id quod haud obscurè multis modis apparet, tamen Erasmi, & Ioannis Coleti, & aliorum insigni grauitate atque doctrina virorum iudicio, non potest ille Areopagita esse, Diui Pauli auditor, cuius extat in Actis mentio.

Dionysius. Erasmus contra Parisienses.

Diui Iacobi Liturgia separatam habet precationem pro ijs, qui in Monasterijs degunt: cum nulla tamen essent Iacobi ætate extructa atque ædificata Monasteria.

Liturgia Iacobi.

Chrysostomi Liturgia pro papa Nicolao orat, his verbis: *Nicolai sanctissimi, & vniuersalis Papæ longa sint tempora.* Nicolaus verò Papa, eius nominis primus, secundus fuit à Ioanna Papa fœmina, anno Domini 857. quingentis fere pòst annis, quàm Chrysostomus è vita excessisset: eadem etiam Liturgia pro imperio atque victoria Alexij imperatoris vota facit. Primus autem imperator eo nomine appellatus, anno Domini 1080. fuit, annis post Chrysostomi mortem septingentis. Non hîc dicet (opinor) Hardingus, Chrysostomum nominatim pro illis hominibus orasse, septingentis annis, priusquam nascerentur. Id quidem vaticinari esset, non precari.

Liturgia Chrysostomi edita à Claudio de Sanctes. Ioanna Papa.

Vides, Christiane Lector, cuiusmodi Doctores adduxerit Hardingus, quibus tuam, vt ait, fidem ac salutem sustentes. Si quos meliores habuisset, istos (opinor) in aliud tempus reseruasset. Verùm dignas habent labra lactucas, vt dicitur. Dubia hæc atque ambigua testimonia non patientur (spero) hominum conscientias esse dubias aut incertas.

Iam verò quanquam molestum sit, tamen ab instituto non alienum erit, vt horum hominum fides nobis constare posit, vnum aut alterum ex Hardingi testibus excutere, & quale testimonium dicat attendere. Hi omnes, vt Hardingus asserit, sacrificium, quod vulgò Missam vocant, ponunt atque astruunt, neque hi tantùm, sed alij etiam vniuersi, quacunque tandem vel ætate vel tempore vixerint, idque eodem fere ordine, atque eadem forma, quam nunć videmus inueteratam.

Hîc Hardingus cum sua eruditione, tum eà, quam multi in eò posuerunt, fiducia vehementer abutitur. Satis enim nouit Apostolos Missæ neque formam, neque ordinem, neque nomen habuisse. Quanquam si isti omnes Missam testimonijs suis euincerent, cur nihil loquuntur? cur elingues ac muti proferuntur? Quid enim? Nihilne est, quod hac in re testificentur? Num indignum

Muti testes.

est illorum testimonium,quod audiatur?Vel ita vetusti sunt atque decrepiti, vt fari per ætatem non possint?Aut Hardingo scilicet tribuenda fides est,etiamsi verbo tenus affirmauerit.

Quid si autem nec Clemens Apostolorum socius:nec Abdias,nec D.Iacobus,nec Basilius,nec Chrysostomus,nec vlli omnino eorum, quos hoc in loco citauit Hardingus, de priuata Missa verbũ vnũ faciant?Quid si ne nomen quidem vsurpent Missę?Quid si testimonium non obscurũ contra Hardingi Missam dicant? Quid si communioni testimonium dent amplissimum? Non potest Hardingus sine aliqua turpitudinis nota suos ipsius testes repudiare:me verò illorum hominum testimonijs stare,qui testimonium in me dicturi tam frequentes producuntur, iniquum sanè videri possit.

Hardingus contra se ipse testes colligit.

Liturgia Iacobi.

Atque vt à Diuo Iacobo ordiamur,ipsius Liturgiæ,quam Hardingus Missam nuncupat,ratio ita se habet.*Sacerdos ait:Nullus eorum qui orare non possunt,nobiscum ingrediatur. Diaconus ait: Cũ timore & fide & dilectione accedite.Populus respondet:Benedictus qui venit in nomine Domini.Deinde impartit clero:cum autem attollunt Diaconi discos,& calices,ad impartiendum populo,Diaconus ait:Domine benedic.*Istius Missæ ea ratio est,vt populus Diacono vulgari lingua respondeat: vt apparatus in discis & calicibus tantus sit,quantus toti Ecclesiæ sufficiat: vt ad percipiendam communionem omnes conuocentur:vt simul omnes percipiant. Nunc Hardingus ipse iudex esto, priuatæne Missæ,an communioni testimonium det Iacobus.

Abdias in vita S.Thomæ Apostoli.
Abdias in vita S. Matthæi Apostoli.

Abdias etsi multa falsissima commemorat, tamen de priuata Missa nihil prorsus narrat,quin potius in contrarium multa habet.In vita D.Thomæ exponit quemadmodum ille sacram communionem celebraret his verbis:*Eucharistiam diuisit his, quos supra memorauimus:id est,populo.*Rursum in vita D.Matthæi, quem Hardingus Missam in Aethiopia sine dubio procurasse contendit,ita habet:*Cùmque respondissent Amen,& mysteria Domini celebrata essent, & Missam suscepisset omnis Ecclesia.*Vbi autem vniuersa Ecclesia sacerdoti respondet,& communionem pariter sumit, eam Hardingus quàm rectè priuatam Missam dixerit,haud scio.

Iustinus Martyr in 2.Apologia.

Iustinus Martyr alius Hardingi testis in secunda ad imperatorem Antoninum Apologia, Christianorum hominum, quos tempestate acerba persequutio vexabat, integritatem atq; innocentiam demonstrans,eorumque conueniendi rationem declarans,ita scribit.*Sub finem precationum nos salutamus osculo mutuo.Deinde affertur præsuli panis,& calix aqua dilutus: quibus acceptis laudem Deo,& gratiarum actionem aliquandiu offert:cui totus cœtus accinit Amen. Tum Diaconi, quos vocamus,dant singulis præsentibus partem panis,& calicis diluti,super quos facta est gratiarum actio, atq; etiam deferre sinunt absentibus.*Hic non priuatam Missam, sed communionem omnibus suis partibus & numeris expletam habemus.

ἐπευφημεῖ.

Dionysius Ecclesiast. Hierarch.cap.2.

Dionysius alius adhuc testis,atque si Hardingo credimus, Apostolorum discipulus, omnem administrandæ communionis formam suo seculo obseruatam illustrat,de ea re disertè, atque ex professo scribens, *Pontifex* (inquit) *sacram Psalmodiam incipit, canúntque cum eo omnes Ecclesiastici ordines. Deinceps à Ministris sanctorum librorum lectio ordine recitatur:pòst extra templi ambitum collocantur Catechumeni, & vnà cum eis Energumeni,atque ij,qui pœnitentiam agunt:manent autem ij,qui diuinarum rerum & aspectu,& communione digni sunt.*Deinde sequitur. ⁘ *Et donis diuinorum operum monstratis ad sacram eorum communionem,& venit ipse & inuitat alios.*Et paulò pòst:*Pane qui opertus erat & integer aperto,atque in multas partes fracto,& vnico calice diuiso inter omnes* ⁘ *Symbolicè vnitatem multiplicat.*Prætereà sequitur: ⁘ *Sumpta autem datáque alijs diuina communione,in sacra gratiarum actione, vnà cum sacro Ecclesiæ ordine finem facit.* Vel ipse credo fatebitur Hardingus priuatam suam Missam infirmis adhuc niti testimonijs.

⁘ τὰς δωρεὰς τῶν θεουργιῶν ὑποδείξας.
⁘ συμβολικῶς.
⁘ τῆς θεαρχικῆς κοινωνίας μεταδούς.

Liturgia Basilij.
Et sic communicant omnes.

In Basilij Liturgia,quæ est ab Hardingo testimonij loco introducta, sacerdos ad hunc modũ orat:*Nos omnes ex vno pane,atque ex vno poculo sumentes.&c.* Sequitur: *Sacerdos diuidit sanctum panem in quatuor partes,chorus communionem canit, & sic communicant omnes.*

Liturgia Chrysost.

Chrysostomus alius testis citatur,cuius Liturgia,seu Missa (eo enim nomine delectatur Hardingus) ita instituta est.*Postquã sacerdos accepit communionem cũ reliquis,tum porta maxima aperitur, sacerdos calicem ostendit populo,dicens:In timore* Dei,*& Fide,& Charitate appropinquate,Diaconis ait: Appropinquate in pace.Populus respondet, In nomine Domini. Deinde Diaconi sumunt communionem: postea Mysteria deferuntur ad locum, in quo populus accipere debet.*

Ignatius ad Philadelphies.

Ignatius alius insuper testis in sua ad Philadelphienses epistola, hæc verba habet: *Vnus panis pro omnibus fractus est,& vnus calix omnibus diuidebatur.*

Quid attinet de cæteris longam orationem comparare?Ex his paucis facilè intelligetur quanta cum fide isti homines Catholicos patres citare soleant,in quo id tantùm agunt, vt Lectorem nudis duntaxat nominibus obstupefaciant,atque consternent.

Hic videmus eos,qui communicare nequeunt, exire iussos:totam Ecclesiam precari, canere, & sanctissima Sacramenta simul percipere.Tales nimirum Missæ sunt,quibus antiqui ac catholici patres testimonium dare possunt: aliud nullum agnoscunt Missarum genus. Hardingus ipse in Ecclesia primitiua populum singulis diebus ad sacram Communionem accedere fuisse solitum confitetur.

Quod quanquam ita sit,tamẽ ad Missam suam priuatam stabiliendam, atque astruendam,Ecclesiæ primitiuæ doctorum nomina adhibet:atque ita instar callidi cuiusdam pharmacopolæ in membranulis,siue indicibus suis Missam:intus autem in ipsis lecythis communionem habet.

At

At inquiet se digreſsione quadā vſum eſſe,atque iſthæc omnia aliò retuliſſe,*ſcilicet*, vt ſacrificium confirmaret.Primùm,quid quæſo euincere poſſunt huiuſmodi teſtes,qui nihil loquantur? Deinde,aliquantò quidem videtur à periti oratoris officio alienius, tam ſpatioſas atque longas ab ipſa re declinationes facere,priuſquam ad cauſam acceſſeris.Quòd autem ad ſacrificium ſpectat,ſi quod omnino habeatis,ex ſola Chriſti inſtitutione habetis : alioqui nullum habetis. Eſt autem nobis exploratum,nos Chriſti inſtitutionem obſeruare:ex quo ſequitur,ſacrificiū, quod Chriſtus inſtituit, eſſe noſtrum.

Hippolytus autem Epiſcopus atque Martyr,qui,vt ſcribit Hardingus , Origenis ætate vixit, & nunc Græcè extat,exiguus ſanè libellus eſt, pretij pene nullius,nec fidei quidem maioris , recens admodum typis excuſus, circiter abhinc annos ſeptem, quo primùm tempore in hominū notitiam venit.Hæ nempe ſunt priſcæ atque vetuſtæ illæ authoritates , quibus Hardingus Miſſam ſuam confirmat.Huius autem libri authorem,hominem fuiſſe illiteratum atque indoctum, cum ex ipſo Grecæ dictionis genere,quod plerunque puerile eſt,tum ex rei veritate,atque pondere apparet.Primam libri ſententiam exorditur ab *Enim*, quod ne puer quidem è ſchola faceret.Multas habet de natalibus,ac vita Antichriſti inanes coniecturas : Antichriſtum non hominem,ſed dæmonem fore humana figura præditum affirmat,atque aſſeuerat:at Paulus Antichriſtum vocat hominem peccati.Præterea,Antichriſtum Aegypti,Aphricæ,atque Aethiopię reges debellaturum , & Hieroſolymitanum templum reædificaturum eſſe ſomniat : & D. Ioannem qui libros Apocalypſeos ſcripſit,cum Elia,atque Enocho denuo adfuturum fingit,vt Antichriſtum redarguat. Atque hæc omnia nullis vel ſcripturæ teſtimonijs,vel Eccleſię authoritate ſubnixus enunciat. Cúmque commentarium illum in Danielem Prophetam nominatim ſcribat,Ioannis Apocalypſim pro Daniele vſurpat, quod vel magnam eius inſcitiam , vel ſummam obliuionem prodit.Ad hæc animas hominum ab ipſo initio extitiſſe confirmat,quod planè hęreticum eſt:aliáque eius ſunt crebra inſomnia atque deliria.Hic ille eſt Catholicus Hardingi doctor.Quod ad locum hunc ex eo deſumptum attinet: *Venite Pontifices,qui purè mihi ſacrificium die noctéque obtuliſtis,ac pretioſum corpus & ſanguinem meum immolaſtis quotidie.*Si ad ipſa verba penitus adhæreſcere voluerit,tum cæteri quidem ſacerdotes omnes,præter Epiſcopos loco cedant, nec ſedes vllas in cœlo habeant neceſſe eſt. Etiamſi enim ſacrificium illud quotidianum offerant,vt Hardingus inquit,eos tamen pro vocabuli iſtius vi ac ratione non Epiſcopos,ſed tantummodo presbyteros eſſe liquet.Sin autem illud,*quotidie* venditarit , vbi tandem Epiſcopum Romanum cum ſuis Cardinalibus collocabit,quibus ſacrificare vix ſemel per integrum annū vacat? Quòd ſi autem Chriſtum ipſum Deo patri in ſacrificium offerant (vt illi affirmant) quomodo poteſt idem ille Chriſtus Chriſto ipſi offerri? Chriſtus qui poſsit & ipſa eſſe hoſtia , & is cui immoletur,atque offeratur victima? Cæterùm homini ſomnianti nihil poteſt abſurdum videri. Deinde ſi hic de Miſſa loquatur Hippolytus,quomodo ea die noctéque offertur ? Hoſtienſis enim ſcribit , non licere per Canones Miſſam celebrare noctu,niſi tantùm in nocte natalium Chriſti.

Verùm hæc Hippolyti videtur eſſe ſententia,omnes fideles iſta quidem ratione ſacerdotes & Epiſcopos exiſtere,quemadmodum etiam à Petro vocantur,eóſque vniuerſos fide purum Deo ſacrificium facere,& die noctéque quodammodo renouare ac ſibi ipſis applicare vnicum illud perpetuúmque ſacrificium pretioſi corporis Chriſti, quod ſemel in cruce oblatum fuerat.Atque ita perſpicua ſunt,minimémque ambigua Hippolyti verba, itáque nos Chriſti vocem læti atque alacres audiemus.

Hippolytus Martyr.

Επειδὴ γὰρ.

2.Theſſalon. 2.

Hoſtienſ. in ſumma de celebratione Miſſarum.

1. Petr. 2.

Hardingus. 6. Sectio.

POſito iam atque conſtituto, Miſſam firmis ſtabilibúſque fundamentis niti,ad confirmandam , ac corroborandam omnium Chriſtianorum fidem:ad inſtitutum propoſitúmque veniamus,& de priuata, quā vocant aduerſarij noſtri, Miſſa aliquid dicamus.

Epiſcopus Sariſburienſis.

FVndamenta illa,de quibus hîc loquitur,ſui ſunt Doctores, quales ipſe in medium iam protulit,in arcta cuſtodia conſeruati,& in tenebris annis plus minus mille abditi,caſúque nunc nuper reperti,alij in inſulis in mari ſitis,alij in arculis ſubterraneis, alij ſic ſitu ac rubigine corrupti,vt verborum ſenſum vix aſſequi coniectura poſſes : alij impudentiſsimis mendacijs & fabulis referti,partibus ipſis ſibi non conſentientibus, alij ab hæreticis conficti atque conſcripti, Eccleſiæ verò ſemper ſuſpecti,ab eáque damnati:quorum tamen nullus eſt, vt Hardingus optimè nouit,qui non apertè pro communione contra priuatam Miſſam teſtificetur. Hæc firmiſsima ſunt Hardingi fundamenta,quibus quid præclari atque magnifici fundari conſtituíque poſſit,tu lector humane exiſtimato.Principium certè hoc vehementer eſt infirmum.

Hardingus 7. Sectio.

HAc præcipuè cauſa permoti contra priuatam Miſſam adeò fulminant, quòd ſacerdos ſacramentum ſolus percipit:atque hoc illius factum verbis longè probroſiſsimis inſectantur. Quòd ſi ergo homines ad

Priuata Miſſa à populi neglig ētia,& culpa fluxit.

tantum pietatis atque religionis studium traduci potuissent, vt sese praparare vellent ad Sacramentum dignè cum sacerdote quotidie sumendum, quemadmodum in primitiua Ecclesia factitarunt, dum mortem ac cruciatus singulis momentis in persecutione infidelium tyrannorum expectarent, ne hinc sine viatico discederent: quid tum quæso haberent hi homines quod obijcerent? Alia fortasse excogitarent Missæ vitia ac corruptelas, sed eo sanè nomine, quòd esset priuata, non potuissent eam iustè reprehendere. Illorum ergo causæ ac defensionis æquitas ex praua populi consuetudine pendet, qua semel emendata, eos vel ad palinodiam, vel ad silentium impelli necesse erat. Ad alia crimina, quorum illi Missam falsò insimulant, pòst respondebitur. Nunc de hoc.

Vbi non peccatur, ibi omne crimen abest.

Deuotionis remissio causa priuatę Missæ.

a Falsum: nullũ enim inuitant.

Quod sæpenumero contingat, vt sacerdos nullum habeat, qui cum ipso Sacramentum percipiat, id populi remissæ deuotioni, non ipsius inuidiæ, aut malitiæ tribuendum est.

Epulum quidem commune est, [a] omnes inuitantur, possunt venire qui volunt: qui comparantur, ac probātur, recipiuntur: nullus, qui hoc modo accedit, repellitur: nemini vel violenter obtrudi, vel temerè offerri debet. Esto, nullus accedit: An hoc satis est, quamobrem fidelis piusq; sacerdos, Dei amore inflammantus, cibum illum, ac potum cælestem esuriens atq; sitiens, ab eo percipiendo arceatur, atque à celebranda mortis Domini memoria, iuxta ipsius mandatum, & ab officio suo gratias agendi pro immenso illo beneficio, & à sumendo poculo salutis, & nomen Domini inuocando, quæ quidem omnia Missa perficiuntur prohibeatur.

Episcopus Sarisburiensis.

IMmortales Deo gratias agimus: nostra tum vita, tum disciplinæ ratio, remotis hisce contumelijs, omni probro vacat. Atque vt nobis aliquid hac in parte deesset, id iste tamen nouo probro supplere minimè debuit.

Hardingus nullam in Ecclesia primitiua fuisse Missam confitetur.

Hardingus articulo 15. sectione 7.

Hic Hardingus populum in Ecclesia primitiua sacram Communionem quotidie percepisse, atque ita consequenter, nullam in primitiua Ecclesia priuatam extitisse Missam imprudens & incautus confitetur, eámque pòst ex populi negligentia & pietatis remissione fluxisse confirmat. Dolendum profectò est rem adeò multorum opinione præclaram atque excellentem, ortum illustriorem ac digniorem non habuisse. Vnum illud est, istorum hominum doctrinæ principium non vulgare, homines plebeios à scripturarum lectione atque cognitione deterrendos, & in maxima rerum omnium ignoratione detinendos esse, quippe qui canes sint & porci, sicuti aliqui eorum affirmarunt, ac proinde indigni, quibus obijciantur margaritæ. Nunc tamen populi scilicet negligentia religionis Christianæ norma esse debet. Hoc Hardingus tanquam fundamentum totius causæ posuit atque ideo diligentiùs perpendum est atque animaduertendum.

Eckius, Pigghius, Hosius, atque alij sæpissime summa contentione & maximis clamoribus tũ in libris, tum pro suggestis vociferati sunt: *Vbinam vestra fuit religio, antequam Lutherus docere cœpit?* Idem iam nobis licet vsurpare: Et vestra priuata Missa, quæ est regni vestri diadema, vbi tandem fuit, priusquam populi diligentia, & religionis sanctitatisque studium deferuesceret? Alij dicunt à Papa gubernari Ecclesiam, alij à generalibus Concilijs: alij à Spiritu sancto: Hardingi verò potior est sententia, non alienum esse, vt Ecclesia à populi negligentia, atque in obeundis pietatis muneribus desidia regatur.

Charitas (inquiunt) *refrixit, & populus negligens est atq; dissolutus.* Nimirũ hanc ob causam Deus pastores & ministros constituit, qui populo præessent, cúmque ab officio declinantem reprehẽderent, neque in negligentia sua perire paterentur. Si de decimis, alijsve Ecclesiasticis vectigalibus ageretur, populum officij sui admonerent, eiúsque diligentiam & industriam excitarent, nec pigritiæ excusationem darent. Quantò iam minùs tolerari debet ista in rebus ad Dei cultũ pertinentibus socordia? Episcopi & patres, qui Concilio secundo Bracaræ in Hispania habito interfuerunt, ita sanxerunt: *Si quis intrat in Ecclesiam Dei, & scripturas sacras audit, & pro luxuria sua auertit se à communione Sacramenti, & in obseruandis mysterijs declinat constitutam regulam disciplinæ, istum talem proijciendum de Ecclesia Catholica declaramus, donec pœnitentiam agat, & ostendat fructum pœnitentiæ, vt possit communione percepta indulgentiam promereri.*

Concil. Bracarens. 2. cap. 84. Pro luxuria sua.

Chrysostom. in epist. ad Ephes. Homil. 3.

Sancti ergo patres, qui priscis temporibus vixerunt, hominum hac in re indiligentiæ minimè indulserunt, queadmodum Hardingus eiúsque collegæ faciunt: sed eos excitarunt, admonuerũt, redarguerunt, increpuerunt, petulantes ac impudentes vocarunt, qui & adesse, nec communicare vellent, illósque negligentiæ suæ gratiâ excommunicarunt. Hi verò contrà faciem suam à fratribus auertunt: vocem occultant ac premunt, neque exaudiri se patiuntur: nihil nisi ignota & peregrina lingua loquuntur: nec populum hoc nomine impietatis reum agunt, sed ei potiùs persuadent, se pro eo communicare, Christíque mortem ei per Missam suam applicare, ipsámque Missæ vel auditionem satis ei supérque esse, atque ita quantum quidem possunt, populi negligentiam cumulant, eúmque à communione deterrent.

Causa negligentiæ popularis.

Populus nihil docetur, nihil intelligit, nihil audit, atque exceptis quibusdam puerilibus ac indecoris gesticulationibus, nihil videt, quod vel consolationem, vel commemorationem Christi vel aliquem ex ipsius morte fructum ostendat. Atque hic est huius negligentiæ fons, hæc origo

nec

nec aliunde fit,vt populus ita tergiuersetur,séque communioni subducat.

Cæterùm quid quæso Hardingus de populi negligentia,ac pietatis contemptione conqueratur? Ipse Papa & eius Cardinales vix semel per annum communicant,sed populum negligentia atque ignauia plerunque exæquant.

Papa & Cardinales tam negligentes, quàm populus.

Epulum (inquit Hardingus) *commune est:omnes inuitantur,excipiunturij,qui præparantur & probatur.* Si commune sit hoc epulum, paucis admodum commune sit necesse est:tam tenuis enim apparatus quemadmodum multis sufficere posit non video. Quòd autem in Missa Latina omnes inuitentur,est profectò falsissimum:nam nec sacerdos,nec Diaconus vel voce, vel gestu eos inuitat,nec si venirent inuitati,epulas vllas offenderent. Quæ quanquam ita sint,non tamen hos pudet dicere: *Qui se præparauerint atque probauerint,recipiuntur.*

Debet verò quisque cor ipse suum submissè comparare,atque componere, priusquam ad audiendum,vel percipiendum aliquid diuini accesserit. Deus enim spiritus est, nos caro, Deus in cœlo,nos in terra agimus. Pythagoras,etsi à vera religione alienus,tamen solitus est dicere: *Non loquendum de Deo sine lumine:* id est,sine diligentissima deliberatione,meditationéque,vt quis sit, de quo loquamur, cogitemus.

Mentis præparatio ante communionem.

Ethnici etiam cum sacrificia sua facerent, sacerdotem de suo officio commonefacere consueuerunt,his verbis: *Hoc age:* quod quidem nihil aliud significabat, quàm *Præpara mentem tuam. Deus enim est quem alloqueris.* Sapiens ait: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo,qui tentat Deum.* Similiter priscis seculis,ij,qui Catechumeni appellati sunt,præmoniti fuerũt, vt corda sua premunirent,quò Baptismum digni perciperent,quemadmodum decretum est nomine Clementis,cuius hæc sunt verba: *Præparet se in omnibus, vt post tres menses finitos in sacro die baptizetur.* Augustinus quoque *Catechumenos* hortatur,vt mentes suas in illud tempus, quo baptizandi sunt,paratas faciant. Sic nunc omnium hominum officium est,se ipsos antè explorare,ac præparare quàm vel Dei verbum audiant,vel ora aperiant ad precandum Deum,vel Baptismum accipiant,& nominatim, quàm ad sacram communionem accedant. Hanc ob causam populum commonet his verbis: *Sursum corda:* quæ in sacris mysterijs passim fuisse vsurpata testis est Augustinus.

Ecclesiast. 18.

Clem. epist. 3. August. tracta. 10. & 11. in Ioan.

August. de bono perseuerant. lib. 2. cap. 13.

Verùm hisce *præparandi & comparandi* vocabulis,occultam mihi suam videtur Hardingus intelligere confessionem,qua nonnulli tanquam eculeo quodam & carnificina conscientiarum,ad tyrannidem suam tuendam ac stabiliendam vsi sunt. Petrus Lombardus ait:sine ea nullum patere ad cælum iter. Innocentius tertius mandat vt, qui confessionem non subierit,& viuus tẽplo excludatur,& mortuus iaceat inhumatus. Hugo scribit ad hunc modum: *Audacter dico, quicunque ad communionem venerit non confessus,quantumuis eum peccatorum suorum pœnituerit, ad iudiciũ suum recipit.* Adeò nempe recentiores scriptores in ijs rebus,quas ipsi excogitarunt,exigendis importuni fuerunt. Veteres autem Patres,etiamsi de confessione meminerunt aliquando, eam tamen multò moderatiùs postularũt,& ne postularunt quidem omnino eorum complures. Chrysostomus inquit: *Sit forum,in quo te reum sistis,testibus vacuum.* Rursum: *Si confunderis peccata tua alicui dicere,dicito ea quotidie in animo tuo. Non dico vt ea confitearis conseruo tuo,vt tibi exprobret. Dicito Deo qui curet ea.* Præterea Deum cum peccatore hoc modo loquentem facit: *Mihi soli dic peccatum tuum priuatim, vt sanem vlcus.* Et Theodorus Cantuariensis olim Archiepiscopus, ait: *Græci, & totus Oriens confitetur soli Deo.* Hæc hactenus de ista re volui breuiter attingere, ne quis forte existimet,nullam esse aliam sui probandi& præparandi rationem,quàm auricularem duntaxat confessionem. Sensus horum verborum Pauli: *Probet seipsum homo:* duabus rebus continetur,Fide & Pœnitentia. Fides religionis nostræ veritatem continet. Pœnitentia in emendatione vitæ consistit:atque hoc probandi genus ad omne vitæ nostræ tempus durat. Quòd autem quisquam vel dicat,vel sentiat,nos vna duntaxat anni die probari,atque præparari, idque consuetudine magis,quàm pietatis studio,neque adeo die vna aut antè,aut post,puerilis est, superstitiosa est,Iudaica est,indigna est populo Dei persuasio. Si reuiuisceret Chrysostomus, exclamaret & vociferaretur: *O præsumptionem, O consuetudinem.* Et Ambrosius diceret: *Qui non meretur quotidie accipere,non meretur post annum accipere.* Sed vt vulgi charitatem atque religionem nunc esse languidam demus:num eam in Clero integram atque incorruptam manere, sacerdotúmque pietatem nunc magis,quàm olim in primitiua Ecclesia vigere existimabimus? Etenim tunc Minister tantùm in vna die sacram communionem celebrauit, nisi fortè tantus fuisset communicantium numerus, vt bis celebrari necessariò oporteret: nunc autem sacerdoti integrum est duas, tres, pluresve Missas in vna die conficere, etiamsi nullus sit qui vnà percipiat. Vtinam non idem illis accidisset, quod Propheta prædicat: *Qualis populus, talis sacerdos.* Equidem Bonifacius de sacrorum Calicum mutatione loquutus, qui priscis temporibus lignei fuerant, sua verò ætate ex auro fiebant,inquit: *Tunc ligneos calices & aureos sacerdotes habuimus:nunc contrà, aureos quidem calices habemus, sed ligneos sacerdotes.* Sanctus Bernardus de Cleri sua ætate conditione ad hunc modum conqueritur. *Egressa est iniquitas à senioribus iudicibus vicarijs tuis, qui videntur regere populum tuum. Non est iam dicere: vt populus sic sacerdos: quia nec sic populus, vt sacerdos.* Idem Bernardus in Concilio Remensi in Gallia habito, præsente Papa hæc verba habuit: *Nunc non habemus mercenarios pro pastoribus, nec lupos pro mercenarijs, sed pro lupis habemus Diabolos.*

Sentent. lib. 4. distinct. 17.

Innocent. 3. in Concil. Lateranens. cap. 21.

Hugo de potestate Ecclesiæ.

Chrysostom. de pœnitentia. Αμάρτυρον ἔστω τὸ δικαστήριον.

Chrysostom. in Psal. 50. Homil. 2.

Chrysost. de Lazaro. Homil. 4.

De pœnitentiâ dist. 1. Quidam Deo.

Chrysos. ad populũ Antioch. Homil. 16.

Ambros. de Sacrament. lib. 5. cap. 4.

Esai. 24.

Bonifacius de Con. dist. 1. vasa.

Bernardus de conuersione Pauli.

Bernardus in Concilio Remensi.

Ioannes Vitalis Cardinal. in Speculo. Esai. 50.

Ioannes Vitalis Cardinalis Romanus similem querelam habet: *& de sacerdotibus suæ ætatis* (inquit) *Propheta Esaias scripsit ad hunc modum. Pastores ipsi vacui sunt intellectu, omnes suam viam secuti sunt, omnes inquam à summo ad infimum.* Quapropter si officiorum pietatiscontemptio, ratióque vitæ dissoluta negligentiam in populo gignit, quid causæ est, cur non hæc eadem, aut etiam maior, parem etiam in sacerdotibus socordiã efficiat? Etsi negligẽtia satis grauis iustáque causa sit, cur populus semel tantùm in anno communicet, quidni eadem quoque sacerdotes vna Missa in anno faciat esse contentos? Neque enim Dei amor, vt tu fingis, & spiritualis cibi desiderium sacerdotes excitauit in Missis obeundis diligentiam, sed fundatorum instituta, sed consuetudo, sed stipendium, sed merces laboris.

Nunc argumentorum Hardingi pondera expendamus. *populus dissolutus est, ignauus:* Ergo, *Sacerdos potest Missam solus administrare.* Infirma certè ratio: sed proxima, quæ ex ista colligitur, multò est adhuc magis infirma. *Populus nunc negligens est:* Ergo, *Priuata Missa inualuit in Ecclesia primitiua.* Hoc enim illud est quod ego negaui, quódque suscepit Hardingus confirmandũ. Petitio principij dicitur, vbi vnum infirmum ex alio probatur. Perinde liceat etiam Hardingo dicere: Populus non vult audire verbum Dei: Ergo licet sacerdoti in suggestum ascendere, & soli concionem habere. Christi enim cœna (teste Augustino) est quædam quasi concio, & sacerdos in ea prædicat, mortémque Domini enunciat. Deinde si sola populi negligentia priuatam Missam iuuexit, quo tandem modo introducta est in Collegia, Monasteria, Cathedrales Ecclesias, atque in ipsam adeò Romanam sanctam Ecclesiam, in qua tanta est Clericorum, Vicariorum, monachorum, sacerdotum, & Præbendariorum multitudo, vt eam Iustinianus Imperator in certos quosdam fines compingere cogeretur, ne in immensum excresceret: qui sanè omnes & otiosi sunt, & speculationi contemplationíque dediti, & à curis mundanis liberi, & consessi & mundi ac casti, & denique præparati? quorsum hi priuatam Missam, imò quorsum tot Missas separatim in diuersis aris, & plerasque vno tempore factas habent? cur non vnà communicant, quemadmodum in primitiua Ecclesia factitatum esse constat? Hoc sine controuersia non ex populi negligentia profluxit.

Auguſt. de Trinitat. lib. 3. c. 4.

Authen. Collat. prima, Vt determinatus sit numerus Clericorum.

Populus autem non ita dissolutus est, ac pietatis expers, atque eum Hardingus facit. Dei populus est, doceri & institui cupit, auscultare gestit, denique paratus est, vbicunque Euangelio patuit aditus, illi testimonium præstare, illúdque communicatione corporis & sanguinis Christi amplificare maxima adeò frequentia & totis Ecclesijs.

Illud sanè cecidit perincommodè, quòd ij, quos Hardingus tam sæpe pro hæreticis damnat, tam esse religiosi possunt: ipsi verò, suíque Catholici tãtopere ab intento pietatis studio abhorrent. Populus erudiatur: sacram administrationem sua lingua recitatam audiat, vt sancta mysteria intelligat, & solatium ac suauitatem inde percipiat: exempla diligentiæ in clero videat, & suã tandem negligentiam atque incuriam deponet. Tunc suam Hardingus priuatam Missam, vel inuitus cogetur abijcere, quippe qui totam defensionis suæ æquitatem ex sola populi negligentia atque culpa appensam esse sentiat.

Hardingus. 8. Sectio.

VErùm huius sancti Sacrificij hostes hoc cum Christi institutione pugnare dicunt. Absit, vt Christi institutio minimè obseruetur. Quis verò ferre possit Christi institutionem ab ijs tantoperè vrgeri, à quibus flagitiosissimè violatur? Cum enim Christi institutio, quod attinet ad hoc Sacramentum, tria contineat, quæ Christus ipse fecit, quæq; faciendi potestatem Ecclesiæ suo mandato dedit, Consecrationem, Oblationem, Participationem, quibus vniuersa Missæ substantia absoluitur: illi, duobus reliquis antiquatis, & in suis Liturgijs [a] *ne nominatis quidem, nunc populo nihil aliud reliquerunt, nisi nudam tantum communionem, eámque suam. Qua ergo fronte possunt ij Christi institutionem à nobis flagitare, cùm illam ipsi in præcipuis rebus infringant.*

De Consecratione & Oblatione etsi multa hîc possent contra illos dici, in hoc tamen tempore supersedebo. Quòd autem ad participationem attinet, numerus eorum, qui simul in vno loco communicant, de quo tanquam necessario ad legitimam Missæ celebrationem tantopere garriunt, [b] *nullo modo pertinet ad Christi institutionem. Christus enim post consecrationem, atque oblationem factam, Sacramentum instituit percipiendum & comedendum, & in eum finem dixit:* Accipite, manducate, bibite: *his rebus continetur illius institutio.*

[a] Falsum: Sacrificiũ disertè nominatur in Liturgia nostra: in Missa autẽ ipsa Consecratio nõ nominatur.
[b] Falsum: Basilius enim statuit numerum esse partẽ institutionis Christi. Exercitat. ad pietatẽ Serm. 4.

De numero communicantium, quot nempe homines in vno loco simul sumere debeant, & quonam in loco, quo item tempore, an in mensa sedentes (vt quidam volunt) an stantes, ieiunive, an post captum cibum: vtrum etiam manibus, an ore sumant, aliique consimiles ritus, mores & circunstantiæ, hæc inquam omnia ad edendi ceremoniã pertinent, cuius quidem obseruatio non ex institutione Christi, sed ex Ecclesiæ decretis pendet. Et proinde Augustinus scribens ad Ianuarium, ait: Saluator non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, vt [c] Apostolis per quos dispositurus erat Ecclesiam, seruaret hunc locum. *Quamobrem cùm Sacramenti sumptio à Christo sit instituta, modus autem & numerus, aliique recipiendi ritus in ea nequaquam sint* [d] *fixi atque constituti, sed ad Ecclesiæ moderationem referantur: siue plures, siue pauci, siue vnus tantùm in vno loco sumat, hoc quidem non facit illegitimam sacerdotis Liturgiam.*

Epist. 118.

[c] Apostoli multorũ cõmunicationem vsurparũt, & instituerunt, sacerdotis priuatã sumptionem minimè.
[d] Falsum: Christus enim numerum cõstituit, & si non certum, atque fixum.

Episco-

Episcopus Sarisburiensis.

COllibuit Hardingo nos scelestos ac flagitiosos, & sacrificij inimicos appellare, affirmaréque, nos de Christi institutione garrire, cum eam interim omnium maximè violemus ipsi. Hîc ego multorum nomine profiteor atque contestor, nos non sacrificij, crucísque Christi, sed errorum & vitiorum & sacrilegiorum Missæ, quæ nunc cum summa sacrificij, & crucis Christi iniuria defenduntur, hostes existere.

Quod attinet ad Christi institutionem, etiam atque etiam memineris (Christiane Lector) Hardingum in tribus eam rebus statuisse, quas & Chistũ ipsum præstitisse, & Ecclesiæ suæ vt ijsdẽ desumeretur disertè mandasse affirmat: scilicet Consecratione, Oblatione, & Participatione. Hîc autẽ mortis Christi commemorationẽ penitus omisit, quippe quam minimè forsan essentialem esse institutionis Christi partem arbitretur. Ex hisce autẽ tribus nos violasse duas ait: Consecrationem nempe & Oblationem: atque ita nudam duntaxat reliquam habere communionem.

1. Corinth. 11. Mortem Domini annunciabitis.

At vndenam colligit Hardingus nos Christi institutionem immutasse ac peruertisse? an quia pariter cum populo communicamus? an quia Sacramentum vtraque specie procuramus? an quia mortem Christi annunciamus? an quia sic facimus, vt nos Christus facere præcepit?

Quod autem violatam à nobis consecrationem criminatur, in eo magnam certè nobis iniuriam facit, quoad ipse cæteríque Collegæ sui certiùs constituerint, quibus tandem rebus consecratio contineatur. Scotus enim & Innocentius tertius, & quidam alij dicunt Consecrationem hoc verbo *Benedixit* confici. Vulgò eam his verbis, *Hoc est corpus meum* fieri putant. Quidam existimant Christum hæc verba bis loquutum esse, primùm apud se tacitè, deinde apertè, vt eum Apostoli intelligerent. Cardinalis Bessarion Tusculanus Episcopus ad hunc modum scribit: *Latini Ambrosium, Augustinum, Gregorium secuti illa Domini verba id facere manifestissimè asseuerant, Hoc est corpus meum. Græci verò cum Iacobo, Basilio, & Chrysostomo sentientes non illis Saluatoris nostri verbis Christi corpus & sanguinem confici putant, sed quibusdam, quæ sequuntur precibus sacerdotum.* Ex his clarissimè apparet nondum inter ipsos de sua ipsorum consecratione conuenisse.

Consecratio.

Tho. & Bonauentur. in 4. sentent.

Bessarion de Sacramento Eucharisthiæ.

Cæterùm quibuscunque tandem verbis perfecta sit consecratio, certum est non in abolendis naturis eam, sicuti Hardingus docet, neque in legitimis quibusdam & constitutis verbis putidè ac silentio recitandis esse sitam: sed in naturalibus elementis in sacrum sanctúmque vsum conuertendis: quemadmodum in aqua Baptismi fieri videmus. Christus enim non dixit, *Hoc dicite:* aut *His verbis transsubstantiate, aut mutate naturas:* sed ita dixit: *Hoc facite in mei commemorationem.* Atque ita panis, quem frangimus, communicatio est sanguinis Christi: & quotiescunque comederimus de illo pane, mortem Domini annũciamus. Hoc præclarè est ab Augustino & animaduersum, & explicatum. *Accedat* (inquit) *verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? non quia dicitur, sed quia creditur. Atque hoc est verbum fidei, quod nos prædicamus.* Verbum fidei, quod prædicamus, non, quod tacita quadam susurratione demurmuramus, consecrationis verbum existit, si credimus Augustino.

1. Corinth. 10.
1. Corinth. 11.

August. in Ioã. tract. 80. Accedat verbũ ad elementum, & fit Sacramentum.

Itaque quonam ore potuit Hardingus affirmare nullam apud nos esse consecrationem? Nos eadem consecrationis verba pronunciamus, quæ Christus: quod Christus imperauit, facimus: Domini mortem annunciamus: lingua vsitata & vernacula & populo nota vtimur: pro Ecclesia, non pro nobis ipsis tantùm consecramus: habemus elementum, ei verbum adiungimus, atque ita fit Sacramentũ. Quę quamquãita sint Hardingus tamen nullam esse apud nos consecrationẽ asserit. Itáne verò sacerdotem pontificium consecrare putat, qui voces quasdam obscuro strepitu, & ignoto sermonis genere insusurrat: vt neque exaudiri, neque intelligi possit: qui sæpe numero neque ipse Christi verba nouit, neque verborum sensum, aut vsum, aut finem Sacramenti perspectum habet: qui neminem cohortatur, qui neminem alloquitur, qui (si quidem omnino consecrat) sibi ipsi tantùm, non alijs consecrat: qui neque quod Christus fecit, neque quod fieri iussit, præstat? Si nos minùs consecamus, an tamen huiusmodi hominem consecrare posse censeat?

Quòd verò insuper ait, Communionem nostram omni oblatione carere, non debuit rem manifestò falsam affirmare, præsertim cum se veritatis vindicem, atque assertorem esse profiteatur. Neque enim nescius est, nos in sacrosancta communione nosmetipsos, animas nostras, corpora nostra, eleemosynásque in pauperum subsidium, & laudes, ac gratiarum actiones Deo Patri ob nostrã redemptionem, & preces à contrito corde profectas, quas antiqui & Catholici patres Noui Testamenti sacrificium esse dicunt, Deo offerre. Denique quantum à à Christo iussi sumus offerre, tantum offerimus. Ingenuè fatemur & agnoscimus, nos corpus Christi quasi in propiciatorium aliquod sacrificium Deo Patri nequaquam offerre. Nam illud sacrificij genus semel omnino in cruce peractum est, nullúmque aliud, quod pro peccatis offeratur, relinquitur. At nullam facimus, inquit Hardingus, cuiusquam sacrificii in omni nostra Liturgia mentionem, & proinde Christi institutionem corrumpimus. Hæc ratio non nos magis, quàm ipsum Christum perstringit: neque enim Christus cum suam Liturgiam celebraret, verbum de sacrificio vllum fecit. Quapropter Hardingi dialectica Christum euincit suam ipsius institutionem violasse.

Tertul. contra Marcio. lib. 4. & aduersus Iudæos.
Eusebius de demonst. lib. 1.

Hebr. 10.

Ex his nos nihil aliud, quàm nudam communionem habere concludit, quæ sanè conclusio perinde vera est, atque sunt ipsæ præmissæ. Dei nomen summis laudibus efferatur: nos communionem sanctam habemus, ex qua pius quisque longè maximum solatium percipit. In Missa verò Hardingiana neque communio vlla, neque alia quæuis consolatio, nec omnino quicquam inest, præter quandam subtilissimam gestuum ac ceremoniarum vsurpationem, tanto támque sacro instituto minimè consentaneam. Sed quid tandem impulit Hardingum, vt sacram administrationem ita per iocum irrideret, Christíque institutionem *nudam communionem* nuncuparet? Alij eam mysticam cœnam, alij sacram distributionem appellant: nudam verò, aut inanem nemo vnquam hactenus præter Hardingum ausus est nominare. Quidam è suis doctoribus consecrationem cum communione comparans ait: *Communio sacra maior est in effectu sanctitatis, quàm consecratio.* Et rursus: *Consecratio est propter communionem, ergo communio est maius consecratione.*

Hardingus Christi institutionem cauillatur.

Alexand. de Hales. 4. q. 35. mem. 2. Ibid. solut. 2.

Dixerat paulò antè Hardingus in Christi institutione tria inesse, Consecrationem, Oblationem & Participationem: mox verò tanquam sui planè oblitus ait: *numerus hominum simul in vno loco communicantium, de quo quasi necessario tantopere blaterant, nulla pars est Christi institutionis.* Non est sanè mirandum eum cum priscis catholicísque doctoribus tam malè consentire, qui secum ipse ita repentè dissideat. Nam si participatio non sit necessaria, quomodo institutionis Christi pars dicenda sit? Et si pars fuerit institutionis Christi, qui potest esse non necessaria? Magnopere profectò contendit, vt Christi institutionem, atque Missam iisdem coloribus imbuat, verùm hæc inter se contraria sunt, nec quenquam patiuntur fucata sui specie decipi: Sacerdos autem nullam ille quidem Sacramenti partem cum alijs sumit, quod participationis nomine significatur, sed totum solus deuorat. Ex ipsa igitur Hardingi confessione clarissimè apparet priuatam Missam, quæ quia sacerdotis non habet cum cæteris participationem, & proinde nullam omnino participationem complectitur, cum Christi institutione nullum habere commercium.

Hardingus sui ipse oblitus.

Equidem non inficior circunstantias quasdam, veluti ieiunium, sessionem, stationem, genuum flexionem, aliásque consimiles ceremonias in sacrorum Mysteriorum celebratione obseruatas, Ecclesiæ iudicio moderandas atque constituendas esse. Cæterùm pertenue est hoc quidem argumentum: *Quædam circunstantiæ mutari possunt: ergo licet Sacerdoti soli accipere.* Ipse Christus omnem iamdudum hac in re controuersiam sustulit. Etsi enim certum nullum, fixúmque communicantium numerum designauerit, numerum tamen aliquem perspicuis, disertísque verbis decreuit. Ista enim verba, *Accipite, Edite, Bibite omnes, Diuidite inter vos, Hoc facite in mei commemorationem, mortem Domini annunciabitis:* Ista inquam verba, non de vno solo homine intelligi possunt, sed numeri necessitatem euincunt.

Matth. 26. Luc. 22. 1. Cor. 11.

Hardingus tamen ait Augustini aperta esse verba: *Saluator non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos dispositurus erat Ecclesiam, seruaret hunc locum.* Ex his colligit Hardingus communionem, nullo numero astringi, & sacerdotem posse solum sumere.

August. epist. 118.

Augustinus nullum in eo loco verbum de numero aliquo, sed tantùm de tempore percipiendi Sacramenti facit. Quærit autem, an sit consentaneum communionem à cœna administrare, quemadmodum Christum fecisse constat, & quidam eo tempore factitabant, id quod ex subsequentibus hisce verbis perspicere possumus: *Nam si hoc ille monuisset, vt post cibos alios semper acciperetur, credo, quòd eum morem nemo variasset.* Veteratoris est aliud pro alio obtrudere, numerum pro tempore ponere, atque ex verbis Augustini, eiusmodi quiddam concludere, quale nihil ei vnquam in mentem venit. Quod autem Augustinus numerum communicantium postularit, ex eo patet, quòd ibidem statim verba Pauli citat: *Quapropter fratres cum conuenitis ad manducandum inuicem expectate.* Hæc verba Hardingus callidè dissimulauit. Quinetiam alijs quoque in locis Augustinus, cum Hieronymo cæterísque conspirans totum populum quotidie Sacramentum sumpsisse testatur, in eóque tractatu quem de sacra communione in genere scripsit, de multitudine semper, nunquam de vno solo meminit.

August. ibid.

1. Cor. 11.

August. de Sermone Domini in monte. 12. In Ioan. tracta. 26. Hieronym. ad Lucinium. Idem in apolo. aduersus Iouinianum.

Quòd autē dicit Hardingus, *Christum huiusmodi res Ecclesiæ iudicio reseruasse,* eóque refert, vt videtur, ista Pauli verba, *Cætera cum venero disponam,* quemadmodum etiam alij faciunt, istud profectò argumentorum genus priscis patribus admodum periculosum semper & lubricum visum est. Etenim Augustinus ait: *Omnes insipientissimi Hæretici, qui se Christianos vocari volunt, audacias figmentorum suorum hac occasione Euangelicæ sententiæ colorare conantur, vbi Dominus ait, Adhuc multa habeo vobis dicere, sed ea non potestis portare modò.*

1. Cor. 11. August. in Ioā. tract. 97.

Quòd si verò Ecclesia hanc de priuata Missa quæstionem constituit, sicuti prædicat Hardingus, quo in Concilio, quo tempore ante sexcentos illos à Christo annos, & quo denique in loco ita fecit? Quis fuit eius rei testis? quis Concilio præfuit? quis adfuit? Hoc illud est, de quo doceri se Lector cupit. Hardingus autem silentio id sibi confirmandum esse duxit. Quanquam suprà profitetur Hardingus Missam priuatam, neque à Christo, neque ab Apostolorum suorum quoquam, neque Ecclesiæ autoritate esse introductam, sed è populi tantùm in rebus diuinis ignauia atque indiligentia natam.

Quàm aptas autem atque elegantes isti homines interpretiones afferant horum Pauli verborum, *Cætera cum venero disponam,* nemo facilè sine admiratione reputet. His enim verbis priuatam suam Missam, eadem planè forma, qua nunc celebratur, fundatam volunt. Ac si

Pau-

Paulus ad hunc modum diceret, cum venero constituam, *Vt Missam peregrina lingua conficiatis: vt soli percipiatis: nec alij alios expectetis, vtcunque antè vobis in mandatis dedero: vt non simul conueniatis: vt vnus pro reliquis omnibus sumat: atque ita cum venero ea omnia rescindam, quæ hactenus decreui atque præscripsi.*

Nunc argumenti, quo est vsus Hardingus, vim dissimulare minimè debeo. Christus (inquit) post consecrationem & oblationem factam sacramentum percipiendum ac comedendum instituit: Ergo quotus sit communicantiū numerus nihil ad institutionis Christi rationē interest.

Argumentum Hardingianū.

Nunquid verò Hardingus sibi persuaserat, neminem sua scripta nisi pueros atque fatuos lecturum? Quàm enim hæ dissolutæ cohærent partes? *Sacramentum post peractam consecrationē percipiendum est: Ergo communicantium non est necessarius numerus.* Nulla huius rationis particula vel in se vera est, vel cum alijs congruit.

Nam quod attinet ad consecrationem, si verba Apostolorum, qui historiam conscripserunt restrictè sequi voluerit, *Christus primò panem accepit, & benedixit, & fregit, & dedit, dicens Accipite, edite.* Et deinceps postquam hoc dictum actúmque esset, consecrationis adiungit, *Hoc est corpus meum.* Ita iam Euangelistæ aduersus Hardingum testificantur, Sacramentum antè fuisse perceptum, quàm consecratum.

Mat. 26. Luc. 22. 1. Cor. 11.

Vis autem argumenti Hardingiani ea est, vt contra ipsum directò concludat. Si enim Christus eo consilio Sacramentum instituit, vt primùm consecraretur, deinde ab aliquot hominum conuentu acciperetur, hinc necessariò efficitur, coniunctam multorum communicationem esse aliquam institutionis Christi partem: id quod etiam Cardinalis Bessarion Episcopus Tusculanus asseuerat. Hæc eius sunt verba: *Hoc ipse ordo rerum poscebat: primùm consecrare, deinde frangere, postea distribuere, quod nos in præsentia facimus.* Et Gabriel Biel habet: *Consecratio ad vsum, qui est mãducatio, tanquam ad finem quodammodo proximum ordinatur: quia Christus accepit panem, benedixit, & dedit discipulis, vt manducarent.* Et iterum. *Consecratio non est semper finis consecrationis, sed potius vsus fidelium: ad hoc enim consecratur corpus & sanguis Christi, vt fideles illis vtantur manducando.* Ita Hardingus in se ipsum argumenta contexere didicit.

Hardingus cōtra se ipse concludit.

Bessarion de Sacramento Eucharistiæ.

Biel lect. 26.

Biel lect. 38.

Hardingus. 9. Sectio.

QVod si Christi exemplum aduersus nos vsurpauerint, quòd is non sumeret solus, sed cum duodecim Apostolis communicaret, nósq; illud sequi oportere contenderint: respondeo nos huic exemplo astrictos esse, Quoad substantiam, non quoad externam ceremoniam, *ad quam numerum communicantium, aliósq; ritus pertinere suprà diximus, Christi exemplum nullam aliam, quàm sumendi tantùm necessitatem nobis imponit: cæteri ritus, vt sunt numerus, locus, tempus,* [a] *de congruo atque ordine sunt. In quibus quomodo nos gerere debeamus Ecclesia* [b] *sanxit, cohortans ac præcipiens, vt quicunque digni fuerint, séque præparauerint, accipiant. Et erat profectò optandum, vt quotiescunque sacerdos diurnum hoc sacrificium facit, aliqui essent, qui, vt par est, præparati cum eo perciperent, & corpus, sanguinémque Christi sacramentaliter participarent. Quòd si verò fortè nulli sunt, quemadmodum nostro tempore persæpe vsu venit, non tamen propterea iugis illius, & quotidiani Sacrificij vlla fieri debet intercapedo. Cum enim in recordationem oblationis Christi semel in cruce pro totius humani generis redemptione factæ celebretur,* [c] *quotidie per vniuersam Christi Ecclesiam celebrari debet, quò immensum illud beneficium memoria firmiùs teneamus: etiãsi sacerdos nullum omnino participem sociúmq; habeat. Quod quando fit, satis est si, qui præsentes adsunt, sacrorum mysteriorum participes sint spiritualiter & per preces atque gratiarum actiones cum eo communicent in fide & pietate, ea mente ac voluntate præditi, vt cum tempus fuerit, etiam cum eo communicare velint sacramentaliter.*

Hardingus Christi exemplum repudiat.

[a] Falsum: numerus enim nō modò de congruo, sed etiam de institutione est.

[b] Falsum: Ecclesia Romana nihil eiusmodi sanxit.

[c] Imbecilla ratio: Hoc duntaxat Hardingi glossema est.

Episcopus Sarisburiensis.

MVltum hîc laboris in eo consumit Hardingus, vt homines Christianos in obeunda Christi Cœna ab omni imitãdi ipsius Christi necessitate vindicet: nonnihil etiam accuratioris doctrinæ ad imperitos vana Substantiæ & Accidentis distinctione decipiendos aspergit. Hilarius de summa Arianorum in deprauandis scripturis nequitia scribens, sic habet: *Aut ita scribuntur fides, vt volunt: aut ita vt volunt intelliguntur.*

Hilarius ad Constantium Augustum.

Non iam in controuersiam vocatur, vtrum facienda nobis sint ea omnia, quæ Christus fecit: sed num nostrum officium sit illud facere, quod & Christus ipse fecit, & nos facere iussit, quódque longo post tempore ab Apostolis, sanctísq; patribus, qui intelligentiæ spiritu instructi fuerunt, Christíque mentem cognitam habuerunt, est vsurpatum, neque fuit vnquam violatum, quousque negligentia, ignauiáque populi, sicuti Hardingus fatetur, contrariam consuetudinem inuexisset.

Non dixit Christus, Hoc facite Hierosolymis: aut in hoc cœnaculo: aut postquàm eritis cœnati: aut in hac mensa: aut quando tot numero conuenistis: aut stantes: aut sedentes: sed ita dixit: Hoc facite: hoc est, accipite panem, benedicite, frangite, date in mei commemorationem. Hoc non debet nobis ceremoniale quoddam Accidens videri: sed finis ipse est, & scopus, & substantia institutionis Christi. Et proinde D. Paulus ait: *Panis quem frangimus, participatio est corporis*

1. Cor. 10.

Domini:& nos omnes vnus panis,vnúmque corpus sumus,quotcunque de vno pane participamus.

At inquit Hardingus,Oportet nos Christi exemplum in ijs rebus sequi,quæ de substantia Sacramenti sunt,non quæ ad ordinem & congruum spectant.Hîc imprudens fateri videtur, Missam illã suã,quæcunque tandem fuerit illius substantia,& ordine omni & cõgruo vacuam esse. Verùm quæ est ista tam imprudens peruicacia?Sacramenta Christi administrare ea forma, qua Christus ipse administrauit,quáque omnes administrare iussit, ceremoniale dicitur & accidentarium,& eiusmodi,vt absque incommodo mutari queat.Sacerdotem peregrina atque incognita lingua loqui,faciem à populo auertere:sibi soli Sacramentum sumere,& infinitam quandam puerilium ceremoniarum multitudinem adhibere, quas neque Christus, neque Apostolorum quisquam vel vsurpauit,vel de illis vnquam cogitauit:ista inquam omnia pro rebus substantialibus,& momentum maximum habentibus ducuntur,ac tanquam necessaria defenduntur,neque debent mutari.Adeo scilicet isti homines, qua sunt potestate, & accidentia in substantias, & contra substantias in accidentia, quandocunque eis libitum erit,conuertere valent.

Ecclesia (inquit Hardingus) *sanctione adhibita decreuit,neminem, modò dignum & præparatum, esse repellendum.*O miseram profectò Ecclesiam eam,in qua ne vnus quidem reperiri possit satis dignè præparatus. Paucis istis verbis vniuersam Ecclesiam Romanam,totúmque adeo Cardinalium collegium condemnat,in quo numero,vt ait,nullus est idoneus& dignus,ac propterea omnes communionem de industria subterfugiunt.Chrysostomus verò ait: *Non es hostia dignus vel communione,igitur nec oratione.*Debuit itaque Hardingus indignos illos homines ab Ecclesia arcere,neque pati,vt vel Missæ ipsi intersint.

Chrysost. ad populum Antioch. Homil. 61.

Quemuis hominem, quantumuis atrocissimis peccatis astrictum,Deum orare, facilémque ad thronum maiestatis aditum reperire posse fingunt:sacram verò communionem accipere peccatori nefas esse existimant.Scriptum est autem, *Discedat ab iniustitia sua, qui inuocat nomen Domini.*Quicunque membrum Christi fuerit,Deúmque intrepidè suum appellare patrem potuerit,ei licet ad sacram communionem cum firma animi fiducia accedere.

Heb.4. 2.Tim.2.

Si quidem ingenuè optat Hardingus,vt se populus præparet,& cum sacerdote communicet, sicuti videri vult,cur non ipse populum excitat,& cohortatur? cur non satis magnum epularum apparatum facit?imò cur solitariam hanc suam Sacramenti sumptionem tuetur, quod sanè & cum optato suo,& cum Christi exemplo repugnare ipse fatetur?Sũt certè è populo complures pietate præstantes homines, & ipso persæpe sacerdote sanctitatis multò amantiores.Neque verò indignitati suæ,quòd tamdiu à Sacramento abstineant:neque dignitati, quod semel quotannis accipiant,sed consuetudini tantùm & mori tribuendum est.

Cæterùm vt populus fuerit ignauus (inquit Hardingus) *sacerdotis tamen est iuge sacrificium celebrare:* id est,Christum patri pro mundi peccatis offerre. Hinc sanè lasciua istorum hominum stultitia sese prodit.Quod possunt,quódque præcipiuntur facere, illud facere recusant:quod autem præstare nequeunt,in eo verò se vehementer exercent.Cum res hæc tanta sit, nec omnibus adhuc probetur,eam oportuit Hardingum Augustini,Hieronymi,aut alterius cuiusquam Catholici Doctoris,eorum qui intra sexcentos annos vixerunt,testimonijs confirmasse:nunc verò articulum & Decretum tantùm à se confictum profert. *Cum hoc* (inquit) *fiat in commemorationem oblationis Christi semel in cruce pro humani generis redemptione factæ,propterea quotidie celebrari in vniuersa Ecclesia debet.*

Quotidianum sacrificium. Quotidianus panis.

Iam verò neque forsan hinc fraus comparetur,oportet meminisse hæc verba, *quotidianum sacrificium,& quotidianus panis* apud sanctos patres nonnunquam occurrere,quorum etiam vtrumque de Christi corpore intelligatur:sed longè aliter & in alium finem, atque Hardingus sentit, vt facilè apparebit.Illud quotidianum antiqui patres sacrificium vocant, quod Christus semel in æternum fecit in cruce:quandoquidem,sicut Christus sacerdos est æternus,ita illud eius sacrificium ad omne tempus durat:non quòd assiduè ac realiter,ab vlla mortali creatura sæpius iteretur,sed quòd ipsius in se vis immensa sit & infinita,nec vllis vnquam seculorum ætatibus consumi possit.Sic ait Augustinus:*Tibi hodie Christus est,tibi quotidie resurgit.* Sic etiam Hieronymus: *Quotidie nobis agnus occiditur,& pascha quotidie celebratur.* Ad eundem quoque modum Germanus recens author scribit:*Panis quotidianus est Christus,qui est,& antè fuit,& manet in secula.* Sic ergo Christi respectu æternum est illud pretiosum sacrificium.

De verbis Domini in Euangelio secundũ Lucam Ser.28. Hieronymus in 1.Cor.6. Germanus in Eccle. rerum theoria.

Præterea illud vnicum sacrificium æternum dicitur,non in se tantùm,quòd illius vis quotidie in nobis efficax est,ac fructuosa,& remanet perpetuò, sed nostrum etiam respectu, quòd nos Deo sacrificia laudum & gratiarum actionis quotidie pro illa nostra benignissima & admirabili redemptione offerimus.Atque hoc quotidiani sacrificij genus, cum alij complures prisci Doctores,tum pius ille pater Irenæus nos factitare docuit.Eius verba ita habent: *Sic & nos quotidie offerre vult munus ad altare frequenter sine intermissione.Est ergo altare in cœlis.Illuc enim preces & oblationes nostræ diriguntur.*Sacrificium igitur illud semel in cruce oblatum, quotidianum nostrũ sacrificium rectè dicitur,eadem planè dicendi forma,qua dixit Tertullianus: *Nos Sabbatum non septeno quoque die celebramus,sed omni die.* Quod autem Hardingus somniat Sacramentorum administrationem illud esse quotidianum sacrificium,manifestò falsum est.Nam ipse postea fatetur in die Parasceues,nullam huiusmodi fieri oblationem,idque (vt ait) ex Apostolorum instituto.Neque sanè nescius est Græcos in Quadragesima nunquam consecrare solitos, nisi tantùm

Iren.lib.4. cap.34.

Tertul. aduersus Iudæos.

Articulo 2. sect.23.

in Sabbatis & diebus Dominicis: quemadmodũ ex sexto Constantinopolitano, & ex Laodicensi Concilio intelligi potest: De latinorum autem hac in re consuetudine, quam illo tempore seruabant, sic scribit Ambrosius: *Omni hebdomada offerendum est, etiamsi non quotidie peregrinis: incolis tamen vel bis in hebdomada.* Non iam dicet (opinor) Hardingus, quod vno die prætermittitur, aut sabbatis tantùm, diebúsque Dominicis, aut vt Ambrosius ait, bis in hebdomada fit, id quotidie fieri.

Sexta Synodus Constantin. cap. 52. Concil. Laodicens. can. 49. Ambro. in epi. ad Tim 1. ca. 2. Non quotidie.

Neminem tamen esse puto, qui non existimet cum Ambrosium & alios doctos in Latina Ecclesia Episcopos, tum patres illos Constantinopolitani Laodicensisque Cõcilij in Græca Ecclesia, satis intellexisse, quid sacrificium quotidianum esset. Illud quidem Sacrificiũ, quod Christus semel in cruce fecit, & in Parasceues & in alios omnes quadragesimæ, atque anni adeo totius dies, & in æternum manet: ac proinde quotidianũ nostrum sacrificiũ nõ immeritò vocatur.

Rationes Hardingi.

Debemus Christi mortem memoria repetere: Ergo sacerdotem oportet Missas quotidie celebrare, etsi nemo sit, qui participet. Hui, vt concluditur hoc miserum argumentum, aut qua ratione potest in rectam formam redigi? Nulláne alia via est Christi mortem recolendi atque reminiscẽdi, nisi per priuatam Missam? nonne singulorum hominum, æquè ac sacerdotis officium est, eam studiosè & sæpe recordari, atq; in memoriam reuocare? Non est sanè consentaneum sola mortis Christi recordatione Missam fundare: quæ profectò qualis hodie est, omnem Christi mortis reminiscentiam penitus obruit, atque extinguit.

Sed vt leuissimo huic argumento ponderis aliquid addamus, quòd dicit Hardingus *Sacerdotem quotidie sacrificare oportere, etiamsi neminem habeat participem, sociúmq;*, huic ego illud insuper adiungam. Si hoc sacrificium adeo sit reuera necessarium, atque à nonnullis existimatur, tum sacerdos necessariò debet singulis diebus immolare, licet ipse non accipiat. Nam sacrificare & accipere diuersa sunt, quemadmodũ recens Concilium Toletanum in Hispania habitum obseruauit. *Quidam sacerdotes vno die plurima offerunt sacrificia, & in omnibus se oblationibus à communione suspendunt.* Ita nunc Hardingus quotidianum suum sacrficium inuenit, & priuatam Missam amisit.

De consecrat. dist. 2. Relatum est.

Alia ratio.

Cum multis sumere, non est vlla substantialis pars institutionis Christi: In eo itaq; non sumus Christi exẽplo astricti. Primùm, Antecedentem esse falsam antè euici: deinde vt dem nullam eam esse substãtialem partem institutionis Christi, omnino tamen eius exemplum imitari debemus, quia ipse nos ita facere præcepit. Si Christi exemplum vsque adeo nullum habeat in nostra defensione momentum, illud ad Hardingi causam accommodemus, & quàm aptè tandem concludat videamus. *Christus communionẽ omnibus pariter discipulis suis tradidit: Ergo licet sacerdoti soli accipere.*

Tecum nunc reputa, Lector, quanta sit his hominibus habenda fides, qui Christi exemplũ ita studiosè defugiunt, atque deuitant. Paulus in instauranda Corinthiorum Ecclesia nihil aliud cu rauit, quàm vt eos ad Christi exemplum reuocaret. Sic enim ait: *Quod à Domino accepi, vobis tradidi.* Similiter Hieronymus habet: *Dominica Cœna omnibus debet esse communis:* idque Christi exemplo probat: *quia ille omnibus discipulis suis, qui aderant, æqualiter tradidit sacramenta.*

1. Cor. 11.

Sed quem (quæso) tandem imitatur Hardingus, quando priuatam Missam celebrat? Quando enim vel Christus, vel discipulorum, vel veterum catholicorum Doctorum quisquam administrandæ communionis ratione vsus vnquam est? Siquidem horum neminem sibi imitandum proposuerit, nec alios, qui illum sequi recusauerint, magnopere reprehenderit.

Hardingus. 10. Sectio.

IVellus, multique alij cum Iuello sentientes argumentum contra priuatam Missam à Communionis vocabulo ducunt, ac si propterea Sacramentum Communio diceretur, quòd multi vnà acciperent. Ac proinde in concione sua sæpe facit antithesin inter priuatam Missam, & Communionem: & multa loca citans, in quibus fit mentio communionis, ex singulis argumentum colligit contra priuatam Missam. Sed hoc argumentum infirmum est, ac prorsus indoctum, vt pote ab inscitia profectum. Neque enim ita [a] *dicitur, quia multi, seu vt Iuellus docet, tota Ecclesia simul in vno loco communicat: sed propter Sacramenti effectum, quoniam per illud cum Deo coniungimur, & multi qui diuersi sunt, inter se copulantur, vnúmque Christi mysticum corpus fiunt, quæ est Ecclesia, cuius corporis, ex huius Sacramenti virtute atque efficacitate, fideles omnes membra sunt, alij aliorum, & Christus est caput. Hoc modo complures antiqui Doctores interpretantur: & in primis Dionysius Areopagita, qui de hoc Sacramento loquens ait:* Dignissimum hoc Sacramentum sua præstantia reliquis Sacramentis longè antecellit, atque ea causa illud meritò singulariter communio appellatur. Nam quamuis vnumquodque Sacramentum id agat, vt nostras vitas in plura diuisas, in vnicum illum statum quo Deo iungitur colligat, attamen huic Sacramento communionis vocabulum præcipuè ac peculiariter congruit. *Ex his verbis atque ex*

[a] Falsum: nam à communicatione communio dicta est.

In Ecclesia. Hierarch. cap. 3.

toto illo sancti patris loco intelligimus, hoc sacramentum peculiariter communionem dici, propter illam singularem energiam, quam in nobis consequitur: quæ est, nos tam arcte cum Deo copulare, vt nos in eo simus, & ille in nobis: nósque omnes, qui in illum credimus, in vnum in Christo corpus coalescamus. Vnde fit vt reuera non communicemus soli: quandoquidem tota Dei Ecclesia vna tantùm domus est, sicuti Cyprianus testatur: Vna est domus Ecclesiæ, in qua agnus editur. *Et Paulus ad Timotheum ait:* Hæc Dei domus est Ecclesia Dei viuentis. *Quicunque ederit de hoc agno dignè, cum omnibus omnium locorum & regionum Christianis communicat, qui in hac domo sunt, & similiter faciunt. Hanc ob causam Hieronymus presbyter, se inuitum ostendens cum Augustino Episcopo scriptis contendere, illum suæ Communionis episcopũ vocat. Hæc sunt illius verba:* Non enim conuenit, vt ab adolescentia vsque ad hanc ætatem, in Monasteriolo cum sanctis fratribus labore desudans, aliquid contra episcopum communionis meæ scribere audeam, & eum episcopum quem ante cœpi amare, quàm nosse. *Hinc iam perspicimus sanctum Hieronymum, & sanctum Augustinum eiusdem fuisse* [a] *communionis, & simul communicasse, etsi procul à se inuicem abessent: alter enim Bethleemæ in Palestina, alter Hippone in Aphrica degebat. Potest ergo esse aliqua communicatio, etiamsi qui communicant locorum interuallo disiunguntur.*

Cypr. de Cœna Domini. *1. Timoth. 3.* *Inter Epist. August. epi. 14.*

[a] Falsum: ex æquiuocatione huius vocabuli, Communio, natum.

Episcopus Sarisburiensis.

QVòd ex ipso momento istius vocabuli, communio, quod est vbique fere in omnibus antiquis patribus tritum, oblata occasione dicerem, sacerdotem oportere Sacramentum populo communicare, quandoquidem alioqui communio nullo modo dici posset, Hardingus tãquam nonnulla doctrinæ suæ opinione subnixus respondet, *Argumentum hoc infirmum, atque indoctum esse, vtpote ab inscitia profectum.* Hîc vt de doctrina contentionem mittam, & me totum ad vnam veritatis inuestigationem intendam: si ipsum *Communionis* nomen, commune nihil euincat, vt Hardingo videtur, multò sanè minùs mea sententia, rem aliquam priuatam esse declarat.

Communio.

Communionem dici eam affirmat Hardingus ab effectu, quem in nobis gignit, quia ex ea Deo coniungimur: non quia multi vnà in vno loco communicant: ad quod probandum Dionysij testimonium adducit: in quo profectò magnam bono illi & antiquo patri iniuriam facit, qui Missam illius authoritate stabilire conatur, cuius nullum de Missa verbum extat.

Omnes vna voce atque consensu fatentur, Sacramentorum hoc vnum quidem esse munus, vt Deo nos coniungant: quod hîc Dionysius sacræ communioni, & Paulus etiam Sacramento baptismi attribuit: *Omnes filij estis Dei per fidem in Christo Iesu: nam quicunque baptizati estis in Christo, Christum induistis.* Chrysostomus dicit: *Per baptismum facti sumus os de ossibus Christi, & caro de carne Christi.*

Galat. 3. Chrysosto. ad Ephe. Hom. 20.

Alius Sacramentorum finis est, vt nos inter nos mutuò deuinciant, quod per baptismum quoque effici Paulus scribit. *Nos omnes in vnum corpus baptizati sumus.* Proinde dixit Augustinus: *In nullum nomen religionis, seu verum, seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Iam verò Dionysius de vtroque hoc fine disertè, ac dilucidè meminit: Hardingus tamen de altero tantùm, in eo quem allegauit loco, mentionem fecit, alterum verò tacuit: atque ex alterius affirmatione alterius negationem falsò conclusit. De posteriore autem fine idem ille Dionysius in eodem capite, ex quo testimonium Hardingus desumpsit, ita scribit: *Sancta illa vnius & eiusdem panis & poculi communis & pacifica distributio, vnitatem illis diuinam, tanquam vnâ enutritis præscribit.* Hunc locum Pachymeres Græcus paraphrastes explanans, sic habet: τὸ γὰρ ὁμοδίαιτον, καὶ ὁμότροφον ἔτι εἰς μνήμην ἄγει τοῦ κυριακοῦ δείπνου: id est, *Communis enim victus morúmque consensus porro nos in Dominicæ cœnæ memoriam adducit.* Hinc æquus Lector facilè, vt iudico perspexerit, quicquid tandem Hardingus contradixerit, his verbis & communem Sacramenti participationem, & multorum quoque inter se coniunctionem atque copulationem luculentissimè demonstrari.

1. Cor. 12. Contra Faustũ lib. 19. cap. 11.

Dionysius. Eccles Hierarch. cap. 3. ὁμοτροπίαν αὐτοῖς ἔνθεον, ὡ ὁμοτρόφοις νομοθετεῖ. Pachymeres paraphrast.

Nunc hanc rationem expendamus: Communio nomen suum ab effectu sumpsit: Ergo (inquit Hardingus) multorum vno in loco communicationem non significat. Hæc imbecilla verò argumentatio est, ne dicam indocta atque ab inscitia profecta. Noua ei Dialectica opus esset, qui eam in formam redigere conaretur.

Imò verò contrà æquiùs contendere liceat: Quem potest Sacramentum hoc effectum obtinere, aut quos Deo coniungere, si eos tantùm, qui illud percipiunt? Quid potest baptismi Sacramentum efficere, nisi in ijs, qui baptismum accipiunt?

Nulli dubium est, quin effectus iste, de quo loquutus est Dionysius, in eo minimè versetur, quòd vnus quispiam priuatam Missam celebret, solúsque Sacramentum sumat: sed in hoc situm sit, quòd populus precetur vnâ, sacrámque communionem vnâ percipiat, ex quo palam testificetur se & in Christo Iesu, & inter se vnum esse. Proinde Chrysostomus ait: *Propterea in Mysterijs alter alterum amplectimur, vt vnum multi fiamus.*

Chrysost. ad populum Antioch. Homil. 61.

Cæterùm vt apertè ingenuéque confitear, Sacramenti acceptio nostram non efficit cum Deo coniunctionem. Nam quicunque non fuerit Deo antè coniunctus, quàm ad percipiendum Sacramentum accesserit, nihil aliud quàm iudicium suum ederit atque biberit. Sacramenta non causæ propriè, sed sigilla & testimonia sunt huius coniunctionis. Nã ni ita esset, pueri nostri, qui ex vita priùs decedunt, quàm communionem acceperint omnésque pij veteris Testamenti

patres nullis cum Deo vinculis colligarentur. Iccirco Augustinus habet: *Nulli est aliquatenus ambigendum tunc vnumquemque fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri, quando in baptismate membrum Christi efficitur: nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc seculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non priuatur, quando ille hoc, quod illud Sacramentum significat, inuenit.* Similiter Cyprianus: *Nos ipsi corpus Christi effecti, & Sacramento, & re Sacramenti, capiti nostro coniungimur & vnimur.*

August. in sermone ad infantes Beda. 1. Corinth. 10. Cyprianus de cœna domini

At Cyprianus dicit: *Vna est domus Ecclesiæ, in qua agnus editur.* Et D. Hieronymus, etiamsi Bethleemæ degeret, tot ab Augustino miliaribus disiunctus, qui tum Hippone Aphricæ ciuitate agebat, eum tamen suæ communionis Episcopum appellat: ex his infert Hardingus: *Sacerdotem eum, qui Romæ Missam solus facit, cum alio sacerdote apud extremos Indos Missam solo celebrante communicare.* Hîc nunc Cyprianus & Hieronymus per vim inuiti ac renuentes producuntur, eiúsque rei testes esse coguntur, cuius ipsi fuerunt prorsus ignari: atque ita Hardingus, vt aliâs sæpe, sic nunc falsum concludit.

Cyprianus de cœna domini. Inter epist. August. epist. 14.

Sacram communionem Christiani, qui in Ecclesia primitiua vixerunt, in omnibus concilijs, conuenticulísque suis ita frequentes, & tanto omnium concursu obierunt, vt tandem cœtus ipse, atque eorum societas, ex ea actione, quam cum maxima religione, quotiescunque conuenirent, susceperunt, Communio diceretur. Quapropter vt aliquantò plus fidei verbis Hardingi afferamus Augustinus dicit: *Mulier illa est communionis nostræ.* Iterum: *Donatus non nisi in sua communione baptismum esse credit.* Hieronymus quoque ad Damasum Romanum Episcopum scribens hæc habet: *Ego nullum primum nisi Christum sequens beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior.* His in locis vocabulum istud, *Communio,* non administrationem aliquam Sacramentorum significat, sed sectam & partem, & societatem, & conspirationem atque consensum in ipsis religionis articulis. Atque hoc sensu Hieronymus Augustinum suæ communionis Episcopum nuncupat: id est, suæ sententiæ, doctrinæ suæ, suæ religionis.

August. in epi. ad Eusebium. August. retrac. lib. 1. cap. 21. Hieronym. ad Damasum.

Hîc interim illud non est prætereundum, quòd Augustinum Hieronymus non Missæ, sed communionis suæ Episcopum vocat. Nouit enim Hardingus neutrum eorum priuatam vnquam celebrasse Missam, & proinde in faciendis Missis secum ipsos communicare non potuisse.

Sed ad Hieronymi verba enucleatiùs respondeamus, communio seu societas Ecclesiæ, in multis rebus consistit. Communicamus enim vel animorum consensu, & concentu, vt de Apostolis scribitur: *Omnes vnum cor, & mentem vnam habuerunt:* vel Dei cognitione, quemadmodum Christus patrem pro Apostolis precatur: *vt ij vnum sint, sicut tu & ego vnum sumus.* Et Paulus ad Philippenses: *Gratias Deo meo semper ago, quòd ad Euangelij communionem venistis:* vel vno Christo, vt Paulus ait: *non iam seruus est, non iam liber, sed omnes vnum sumus in Christo Iesu.* Denique communicamus spiritu, precibus, amore, vno sanguine lauamur omnes, vno omnes corpore pascimur: vnam omnes nostræ vocationis spem habemus: & omnes simul vno corde, vnâque voce, quantumuis magno locorum interuallo distracti, Deum patrem Domini nostri Iesu Christi veneramur atque prædicamus.

Act. 4. Ioan. 17. Philip. 2. Galat. 3. Rom. 15.

Atque hæc est illa vnica domus, in qua agnus editur, Apostolorum & Prophetarum fundamentis constituta: In hac domo nos habitamus Hardinge: hîc summa voluntatum consensione ambulamus: hîc illum Dei agnum comedimus, omnes fratres & membra vnius corporis, & omnes vnũ in Christo Iesu. Deum precor vt vos quoque in eam domum reducat denuò, vt apertis cordium oculis, clarè perspicere possitis, vnde excidistis.

Cyprianus de cœna domini. Psal. 54. Apoc. 2.

Quòd duos sacerdotes Missam separatim celebrantes vnâ posse communicare dicis, nihil id impediente tanta interualli distantia, verissimum esse facilè profectò concedo. Etenim scelere perpetrando, Dei mandato violando, populo decipiendo communicant: quemadmodum scelerati filij cum impijs parentibus nequitia communicare solent: cuiusmodi est quod Christus Pharisæis dicere videtur: *A vobis requiretur omnis sanguis iustus effusus, à sanguine Abel iusti, ad sanguinem Zachariæ, Implete mensuram patrum vestrorum.*

Mat. 23. Luc. 11.

His iam obseruatis, ad contemplanda Hardingi argumenta facilior nobis aditus patebit.

1. *Tota Ecclesia (inquit) per vniuersum orbem fusa, vna tantum domus est: Ergo fas est sacerdoti priuatam Missam procurare.*
2. *Fideles, qui à se inuicem procul absunt, animorum consensu communicant: Ergo Sacramentorum perceptione communicant.*
3. *Hieronymus & Augustinus fide & doctrina communicabant: Ergo in celebranda Missa communicabant.* Si Paulo contigisset, vt cum Hardingo sermonem conferret, atque istas rationes inuestigasset, nec ille Corinthios adeo asperè neutiquam reprehendisset atque exagitasset, neque his ad eos verbis scripsisset. *Inuicem expectate.* Quæ verba ipse Hugo Cardinalis sic interpretatur: *Vt vna sit mensa: non habeat quilibet mensam suam.*

Hugo Cardinalis.

Sed quem possumus interpretem verborum Hieronymi magis idoneum reperire, quàm ipsum Hieronymũ. Sic scribit ad Theophilum aduersus Ioannem Hierosolymitanum. *Quod scribit, nos tecum pergere Romam & Ecclesiæ communicare ei, à qua videmur communione separati, non*

Hieronym. aduersus Ioan. Hierosolym.

necesse est ire tam longè: & hîc in Palæstina eodem modo ei iungimur. Et ne hoc, quòd procul sit: In viculo Bethleem presbyteris eius quantum in nobis est, communione sociamur. Quod ait, *quantum in nobis est*, eo nimirum coniunctum duntaxat Sacramentorum vsum excipere voluit. Nam in cæteris quidē rebus omnibus plenè, & cumulatè communicauerant, nec opus erat, vt illa verba, *quantum in nobis est*, adiungeret.

Quantum in nobis est.

Hæ autem Hardingi rationes peccant in æquiuocationis fallacia, quod est vitiosum argumētandi genus ex ambigua alicuius vocabuli, quod duas pluresve habet significationes, vsurpatione natum, ex quo aliud quidem specie ostenditur, aliud verò re concluditur. Hoc nomen, *Communio*, res duas notat atque indicat: Religionis nempe concentum, & sanctorum mysteriorum administrationem: quarum altera spiritualis est, altera corporea: hæc loci circunstantiam postulat, illa loco nullo astringitur. Si quis ergo ita dicat: Hieronymus & Augustinus tanto à se inuicem spatio remoti, religione communicarunt: Ergo etiam communicarunt frangendo, percipiendóque Sacramento: non magis sequitur, quàm si Hardingus hoc modo argumentari vellet: Hieronymus atque Augustinus spiritu communicarunt: Ergo communicarunt corpore. Vel ita: Spiritus ipsorum simul erant: Ergo & corpora itidem vnà fuerunt. Liceret ei æquè dicere: Spiritus Elizæi fuit cum Giezi in via: aut sic: Spiritus Pauli erat cum Corinthijs, ergo corpus Pauli præsens adfuit Corinthijs.

4. Reg. 5.
1. Cor. 5.

Potuit Hardingus ista ratione contra seipsum liquidò concludere: Vniuersa Dei Ecclesia vnica tantùm Domus est, & omnia ipsius membra per fidem & spiritum pariter communicant. Ex hoc licebit Maiorem hanc constituere: Particularis quæque Ecclesia vniuersalis Ecclesiæ imago debet esse: & hæc particularis communio debet esse quoddam quasi symbolum illius generalis communionis: illa autem est omnibus communis, & membrum quodque suam sortitur partem: Ergo particularem quoque communionem omnibus communiter præberi, & partem membro cuilibet suam impartiri oportet.

Aut hoc modo: Sanctæ communionis administratio eam, quam in fide habemus coniunctionem, & societatem repræsentat, & (iuxta illud Cypriani: *Gregem nostrum commixtione adunatæ multitudinis copulatum esse Domini sacramenta significant:*) at homines Christiani in vnum templū congregati, omnes pariter fide communicant: Ergo quando ita conueniunt, omnes ijsdem Sacramentis communicare debent.

Cyprian. ad Magnum.

Hardingus autem ex huius verbi natura longè alia argumenta contexere videtur:

Communio vocatur, inquit: Ergo potest esse priuata.

Communio dicitur: Ergo ab vno percipi potest.

Communio appellatur: Ergo licet sacerdoti eam sine communicantium numero accipere. Debes Hardinge, argumentorum tuorum vim diligentiùs ponderare, priusquam ea in publicū emittas. Ita enim Deum, tuámque ipsius conscientiam minùs offendes: fratribus tuis leuiùs impones: & minorem pueris admirandi de te occasionem dabis.

Iam vt insuper aliquid de Communionis vocabulo adijciamus, in quo tu omnes alios tam inhumanè inscitiæ atque imperitię insimulas, id quod in alijs etiam omnibus libri tui partibus facis, non alienum videtur, quid de ea re quidā authores, & veteres & recētiores scripserint exprimere. Non nunc est ea Pauli verba citare, quę ille de sacrosancta communione habet: *Omnes sumus vnus panis, omnes vnum corpus, quotcunque de vno pane communicamus.* Nec quod Hieronymus ait: *Oportet Cœnam Dominicam esse communem:* nec quod Chrysostomus: *Quod Dominicū est, priuatum faciunt: quæ verò Domini sunt, non huius sunt serui, non alterius, sed omnibus communia.* Nec quod Augustinus dicit: *Hunc cibum & potum, societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum*, Neque quod Chrysostomus habet: *Quidnam appello communicationem? idem ipsum corpus sumus. Quidnam significat panis? Corpus Christi. Quid fiunt qui accipiunt? Corpus Christi.* Etsi hi patres nobis non obscurè declarent, sacra mysteria fuisse suis ætatibus toti populo, communiter diuisa: hos tamē ego missos faciam, cum non ignorem Hardingum facilè responsurum, de vi ac natura huiusce vocabuli, ab illis de industria neutiquam disputari.

1 Cor. 10.
Hieron. 1. Cor. 11.
Chryso. 1. Cor. Homil. 27.
August. in Ioā. tractat. 26.
Chryso. 1 Cor. Homil. 24.

Igitur ad alios veniam, & vnum aut alterum nominatim proferam, quem de hac re disertè loquutum fuisse, vel inuitus fatebitur Hardingus. Pachymeres Græcus author, Dionysij paraphrastes, hæc verba habet: Ταύτην δὲ καὶ κοινωνίαν λέγει διὰ τὸ τότε κοινωνεῖν τοὺς ἀξίους πάντας τῶν μυστηρίων. *Hanc etiam communionem propterea vocat, quòd tunc omnes communicarent*, qui digni essent mysterijs. Sic Pachymeres homo non admodum antiquus in eundem illum Dionysij librum scripsit: neque est cur dubitemus, quin ipse authoris sui mentem, æquè ac Hardingus cognitam, atque perspectam habuerit. Hic Communionem ex eo appellatam esse dicit, quòd vnâ communicamus. Hardingus verò contrà sentit, & secus esse asseueranter affirmat.

Pachymeres in Dionys. cap. 3. κοινωνία.

Haimo in suis in epistolas Pauli commentarijs ait: *Calix appellatur communicatio, quasi participatio, quia omnes communicant ex illo.* Hugo Cardinalis sic habet: *Post hoc dicatur communio, quæ appellatur vt omnes communicemus.* Et insuper: *Vel dicitur communio quia in primitiua Ecclesia populus communicabat quolibet die.* Gerardus Lorichius sic scribit: *Dicitur Communio quia concorditer de vno pane, & vno calice multi participamus: & communio participationem & communicationem signi-*

Haimo in 1. Cor. 10.
Hugo Cardinalis in speculo Ecclesiæ.
De Missa publica proroganda.

significat. Et Micrologus: *Non potest propriè dici communio, nisi plures de eodem sacrificio participent.* Si nobis non credat Hardingus, at horum omnium authoritatem non aspernabitur: sunt enim sui omnes. Neque dicet, opinor, omnes ignaros atque indoctos extitisse, nec ea quæ scriberent satis intellexisse. A Lutherani dogmatis suspicione ætas profectò ipsa eos liberabit. Basilius Ecclesiasticum quoddam decretum, seu canonem citat, in quo sancitum fuit communioni sumendæ, quam ille Mysticum Pascha vocat, duodecim ad minimum homines interesse oportere.

Micrologus de Ecclesiast. obseruation. apud Cassandrum de Liturgijs cap. 22. Basil. exercit. ad pietat. Serm. 4.

Hardingus. 11. Sectio.

Qvid si quatuor, aut quinque ex diuersis familijs vnius parochiæ grassante morbo oppressi, & extra omnem vitæ spem positi, Sacramentum sibi, antequam discesserint, dari postulent? Sacerdos postquam Sacramentum in templo sumpserit, naturale alimentum capit, & prandet: pòst rogatus reliquum Sacramentum ad ægrotum defert vnius aut alterius miliaris spatium, & quamuis nemo sit in singulis familijs ad accipiendum præparatus, facit tamen quod postulatus est. Quod quando contingit[a] *nónne cum ipsis communicat sacerdos, & ipsi inter se mutuò communicant, cùm eam potiùs voluntatem habeant, vt in eodem loco vnà quoque communicarent, si liceret? Sin hæc pro legitima iustáque communione non esset habenda, ac proinde non vsurpanda, in istorum incommodorum alterutrum nobis necessariò incurrendum esset, vt vel*[b] *victus ille vitæ necessarius eis ex hac vita abeuntibus denegaretur, (quæ sanè crudelis esset iniuria, & exemplis, pijsque Ecclesiæ primitiuæ institutis contraria:) vel (quod etiam sanctis Ecclesiæ decretis repugnat) sacerdos sacrum illum cibum sumeret, postquam stomachum communibus cibis satiasset, idque non tam vllo sanctitatis studio commotus, quàm quòd Socios & comites haberet. Ita quoque sacerdos, qui in Missa solus accipit, cum illis omnibus communicat, qui in alijs locis atq; regionibus idem faciunt.*

[a] Falsum: Hardingus affirmat sacerdotē communicare & nō communicare simul: quod naturæ ipsi repugnat.

[b] Falsum: hæc ratio instituta fuit non cuiusque ægroti, sed hominum excommunicatorum gratia.

Episcopus Sarisburiensis.

QVi nusquam collineat, eum frustra & nequicquam iaculari est necesse. Quid (inquit Hardingus) si quatuor aut quinque homines, è diuersis vnius parochiæ familijs animam agentes Sacramentum deposcant, postquam pransus fuerit sacerdos? Hinc nempe validissimam Missæ suæ confirmationem peti posse existimat. Verùm, quid si sacerdos ieiunus esset, an & quatuor Missas facere deberet, vt omnibus satisfaceret? Et quid si nullus ægrotet? tunc sanè Hardingus præclarum è manibus amisit argumentum. Sed, proh dolor, quale quæso hoc est, antiquis omnibus Doctoribus, sanctísque patribus relictis, ab imminente morte subsidium aliquod Missæ mendicare? Quando huiusmodi aliquid accidit (inquit Hardingus) aut sacerdotem oportet post sumptum prandium communicare, quod canonum sanctionibus vetitum est: aut eum qui morbo detinetur, solum accipere necesse est, quod quidem valet ad priuatam Missam stabiliendam atque confirmādam: aut de hac vita decedere necessario illo victu priuatus debet, quod & crudelis cuiusdam iniuriæ plenum, & primitiuæ Ecclesiæ institutis planè contrarium esset. Vt ad hæc sigillatim respondeam, si sacerdos postquam fuerit pransus etiam communicauerit cum ægroto, tum Hardingus nullam adhuc priuatam inuenit Missam. Ex Augustino autem & vetustis quibusdam canonibus patet, & sacerdotem, & populum in Ecclesia primitiua aliquādo post Cœnam commuicasse.

Augusti. ad Ianuar. epist. 118.

Concil. Carth. 3. can. 6.

Sed quam tandem ob causam ita necessariam putat esse hanc cautionem? aut cur tam crudelis videtur eis iniuria, si ægrotum hinc migrare sine Sacramento contigerit? nemóne saluus esse potest, qui hoc modo decesserit? ea verò crudelis esset profectò iniuria. Innumeri infantes, alijque infiniti de hac vita in Dei misericordia absque illo victu exeunt. Hæc consuetudo apud primitiuæ Ecclesiæ Christianos vtilis habita est, non quidem ægrotantium causa (illi enim cum valerent quotidie ad communionem accedebant, & cum ægrotarent domum ad se missum Sacramentum vsitatè percipiebant) sed eorum gratiâ qui excommunicabantur, & Pœnitentes erant: qui propter insignia quædam flagitia ab illis admissa à reliquorum fidelium communione repellebantur: idque interdum ad totum vitæ suæ tempus, nisi duntaxat quando essent ex hac vita abituri. Hæc pœnæ grauitas adhibebatur ad alios deterrendos, & reconciliatio ista necessaria recreandis & consolandis in extremo spiritu huiusmodi hominibus videbatur, vt ne toti desperationi succumberent, sed in fidelium societatem se denuò receptos esse sibi persuaderent, atque ita læti è vita vt pote Christi membra emigrarent. Ob hanc verò causam decretum fuit in Concilio Carthaginensi: *Vt si quisquam post eam recōciliationem valetudinem recuperasset, ad Ecclesiæ tamen communionem minime admitteretur, sed tantùm publicis precibus interesse sineretur.* Hactenus atque his in rebus ea cautio, atque prouisio necessaria habebatur.

Augustin. de Sermone Domini in monte. Iustin. Mart. in Apol. 2.

Concil. Carth. 6. can. 13.

Verùm enimuerò non sanè inficiabor, quin aliquando secus vsuuenerit, & eò tandem superstitionis deuentum fuerit, vt Sacramentum in mortuorum ingereretur ora, quod ex Concilio Carthaginensi intelligi potest, in quo istud fieri prohibetur. Quod si autem populus nunc vellet singulis diebus communicare, quemadmodum tunc fecisse constat: aut saltem crebriùs, ac frequentiùs quàm nunc faciunt: hoc tum non perinde necessarium

Concil. Carth. 3. can. 6.

in extremo videretur,atque hic videri vult Hardingus:atque ita fieret,vt aliud quoque Hardingi argumentum intercideret.

Sed largiamur Hardingo,quod postulat:esto, sacerdos Sacramentum homini ægroto præbuerit: Quid hoc facit ad Priuatam Missam?Huius argumenti partes perinde sibi cohærent,atque ægrotantis alicuius hominis somnium,cuius nihil est cum altero concordans atque conueniens.Nam si hæc Missa fuerit,vter eam è duobus hisce celebrauit?ægrotúsne,an sacerdos?Sacerdos iam prandit,& idcirco non debet:ægrotus non est sacerdos, & propterea non potest. Hîc Hardingus Missam inuenire vehementer cupit,sed neminem habet, qui eam celebrarit, atque ita nullam omnino Missam hactenus inuenit.Itáne verò Missam ex eo quod nullum habet cum Missa commercium,confirmare se posse arbitratur?

Præterea concedamus,vt hoc sacerdotis factum non modò priuatã Missam euincat,sed etiam necessitate ea,qua ægrotus vrgetur spectata, legitimum iustúmque videatur. Non tamen ex eo effici potest, idem quoque palam in templo rectè fieri,vbi nulla istiusmodi necessitas tale quicquam efflagitat.Non est eadem loci,temporis, causæ,finis, atque modi aliquid agendi circunstantia. Fuit sacerdotibus Noruegianis permissum necessitate quadam id ipsum postulante, vt Mysticum calicem sine vino consecrarent: quandoquidem vinum in illam regionem importatum ab immensa frigoris vi citò corrumpitur. Neque tamen proinde alijs omnibus cuiúsque regionis sacerdotibus idem facere vnquam licuit.

Volater.lib. 7.

Hardingus. 12. Sectio.

IAmverò,si nec sacerdos,nec vllus alius homo Christianus sanctum hoc Sacramentum vnquam accipere deberet,nisi cum pluribus & in eodem loco:hinc tum sequeretur,vt si summo hoc,& necessario beneficio frui vellemus, loci aliqua conditione astringeremur,atque ita ecclesia ab omni seruitute per Christum in libertatem vindicata, adhuc tamen seruiret,& sub externis illis rebus esset, quas Paulus infirma,& egena,*seu vt Anglica Bibliorum translatio habet*, [a] mendica elementa *vocat. Sic quando Paulus increpans Galatas,ait,* Dies obseruatis,& menses,& tempora : *nos etiam ob hanc seruitutem reprehendere potuit,& dicere,* Vos loca obseruatis. *Sed Paulus nequaquam vult,nos ad hæc,quæ vocat elementa, denuò conuerti:esset enim illud quidem Iudaicum. Et in epistola sua ad Colossenses, ait:* Nos cum Christo mortui sumus ab elementis huius mundi. *Iam si ea excipiamus, quæ ad hoc Sacramentum necessariò ex Christi institutione requiruntur,vel scripturis clarè declarata, vel à Spiritu sancto tradita, cuiusmodi sunt panis,& vinum* [b] *aqua mixtum,quæ materiam constituunt:debita consecrationis verba, quæ formam continent:& sacerdos ritè ordinatus, habens intentionem, & propositum faciendi,ita vt Ecclesia facit, ad quem ministerium spectat:omnia ista elementa, & externa cuncta nobis subijciuntur, & nobis seruiunt, vt membris Ecclesiæ Christi.Cuius rei gratia Paulus ait ad Corinthios:* Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollos,siue Cephas,siue mundus,siue vita,siue mors,siue præsentia,siue futura, omnia vestra sunt,vos autem Christi,& Christus Dei.

[a] Sic ea Paulus vocat, πτωχὰ στοιχεῖα.

Gal. 4.

[b] Falsum: aquæ & vini mixtio neque catholica est,neque necessaria. Scotus.

Episcopus Sarisburiensis.

SI neque sacerdoti,neque vlli omnino Christiano homini fas sit soli accipere, tum (inquit Hardingus) de loco conuenire,in quo vnà percipiamus necessariò oportebit. Hîc autem ista verba: *Neque vlli omnino Christiano homini*,quæ quasi in transcursu arripuit,superuacanea sunt, & à proposito , atque instituto nostro prorsus remota. Neque enim de alio quoquam viro, aut muliere agimus,sed de Missa,& de solo sacerdote Missam celebrante.Iam verò,de loco aliquo statuere perinde nefarium esse Hardingus asserit,atque menses & dies obseruare,quod Paulus disertè vetuit: esset enim illud nihil aliud nisi Iudaica planè ceremonia,huius mundi elementum,atque ita miserabilis Ecclesię seruitus. Ab istiusmodi autem seruitute nos Christus asseruit.

Galat.4.

Incertus sum vtrum Hardingus ludat hîc,& facetè iocetur, an seriò,atque ex animi sententia loquatur.Si sunt hæc ab eo per iocum dicta, facit id,quod ipsa re indignum est:sin verò , ita vt sentit loquatur, tum sanè vix benè assequutus est,vel quæ sit ea seruitus,à qua nos Christus per sanguinem suum liberauit,vel quam libertatem Paulus intelligat.Illud sine controuersia verum est, Christum nos ab honestis,politicísque institutis, sine quibus & Ecclesiastica quæque , & ciuilis πολιτεία corruat necesse est,nequaquam vindicasse:sed à Legis maledictione,qua sub peccato obligati fuimus,& à ceremonijs atque ritibus per Mosen datis, qui quòd infirmi imperfectíque essent, pro temporum illorum conditione, proinde à Paulo mundi huius elementa appellantur.

Galat.3.

Hîc Hardingus Anglicam Bibliorum interpretationem obiter videtur perstringere, quæ huiusmodi elementa vocabulo Anglico mendicas ceremonias vocat , cum tamen ipse commodiorem nullam adferre posset. Quod si quis ab illo quæreret , quid interesse putaret inter Græcam dictionem πτωχὰ , & Latinam *Egena*, & Anglicum illud , cui Latinum, *Mendica*, congruit , nihil habiturum opinor,quod commodè responderet. Si nomen hoc non satis honestum atque augustum videatur, at Hieronymus in commentarijs non minùs inhonesto vocabulo vsus , *vilem intelligentiam traditionum* vocat , & Prophetæ rem hanc

Mendica elementa.

πτωχά. Egena.

hanc multò adhuc etiam magis extenuant. Hieremias Propheta ceremonias eas eo modo deprauatas,& alias ab hominibus excogitatas,paleam nominat, & fęces,& scoriam,& somnia. Esaias,sordes:Zacharias,maledictiones:Ezechiel,stercus humanum: & alia huiusmodi.

Ab hac seruitute,inquit Paulus,vos liberauit Deus:nunc liberi estis,non ampliùs serui: nunc filij estis, & hæredes Dei. Ab ista libertate Galatæ ad seruilem circuncisionum, lotionum, aliarúmque legis ceremoniarum obseruationem desciuerant. Itaque de hoc libertatis, atque seruitutis genere Paulus differit,de alio non meminit.

Galat. 4.

De loco conditioné vllam interponere Hardingus prorsus Iudaicũ esse contendit: nam sicut ad Galatas Paulus dicit: *Menses & dies obseruatis*, ita vobis quoque dicere potuit, *loca obseruatis*. Sic nempe Hardingus loquitur, quasi ipse nullum haberet loci, in quo Missam celebret, delectum. De loco verba facit, cuius est ab instituto nostro remota quæstio: numerum autem communicantium, de quo Paulus tam apertè loquitur, silentio præterit. Si res quaslibet externas pro mundanis elementis habeant, panem & vinum è sacra administratione, aquam è baptismo, verba Euangelij, totum ministerium, omnémque gubernandarum Rerumpublicarum rationem tollant,est necesse. Hæc omnia externa sunt nobis à Deo concessa,vt illis liberè,absque seruili aliqua obseruatione,aut conscientiæ seruitute vteremur. Sunt enim à Deo condita nostra gratia,non nos illorum.

Hardingus numerum cõmutat cũ loco.

Sed quid hoc rei est? num aduersarij nostri nunc tandem Ecclesiæ libertatem tueri,aut de seruitute queri volunt? Equidem (benigne Lector) non agunt apertè, fictè & simulatè loquuntur: nihil minus cogitant. Sacramenta Domini multitudine quadam superstitiosarum, & puerilium ceremoniarũ cõmacularunt,eísq; sanctiones eiusmodi addiderũt,vt hominum mentibus ingentem diuinæ iræ metum,& conscientiæ pondus maximum inijcerent. Dei populum sic instituunt: ne tangas hoc ne gustes hoc,hominum conscientias ciborum delectu onerant: legitimum matrimonium prohibent, in quo iugum hominibus intolerandum imponunt, laqueos eorum vitæ inijciunt,&,vt Paulus ait,Dæmonum doctrinam colunt. Augustinum de huiusmodi traditionibus,quas humanas præsumptiones vocat,querentem audiunt,quòd eo modo effectum esset,vt Christi Ecclesiæ suo tempore longè deterior,quàm vnquam fuerit synagogæ Iudæorum, conditio videretur,similes etiam aliorum recentioribus sęculis viuentium querelas acceperunt: neque tamen adduci adhuc vnquam potuerunt, vt ex tanto inanium ceremoniarum numero, vel vnam subtrahi paterentur,ne nunc quidem,postquam generale (vt ipsi vocant) Concilium ea de causa congregatum fuerit. Quo ergo iure possunt in homines, de seruitute alijs imposita conqueri? An illi verò libertatem Ecclesiæ nobis restituent?

Coloss. 2. 1. Cor. 7. 1. Tim 4. August. ad Iannuariũ: epistol. 118. Bernard. Clareuall. Gerson Cancellar. Parisiẽs.

Quanquam Hardingus, quid sentiret, haud obscurè declarauit: libertatem nimirum istam nihil aliud esse,quàm quicquid voluerit agendi licentiam:& seruitutem illam,quam dicit, in eo sitam, vt Dei subijciatur imperio. Etenim statim his adiungit, aquæ viníque permistionem, & sacerdotis intentionem ad Sacramentum consecrandũ necessariò requiri. Atque quod ad prius attinet, si solam superstitionem demas,nemo est,qui de eo vehementer laborabit. Non potest certè negari D. Cyprianum,alióśque è vetustis patribus,& mentionem illius facere, & tanquam necessarium vigere. Et Iustinus ille Martyr ποτήριον appellat ὕδατος καὶ κράματος, id est, *poculũ aquæ & mixturæ*. Verum hoc nunquam fuit, vel à Christo,vel ab Apostolorum quoquam nobis imperatum: neque communi vnquam Ecclesiæ consensu obseruatum, aut pro re necessaria habitum. Scotus enim atque Innocentius testes sunt locupletissimi, in Ecclesia Græcorum suo tẽpore nullum locum habuisse. Quapropter,nec potest,nec debet catholicum videri. De illius autem necessitate Scotus disertè ait: *Huic vino apponere aquam non est simpliciter necessarium de necessitate Sacramenti*. Hic iam pugnãtes hosce Doctores animaduertimus. Hardingus admistionem hanc Sacramento necessariam esse statuit: Scotus non esse necessariam defendit.

Hardingiana libertas.

Cyprian. contra Aquarios. Iustin. in Apolog. 2.

Ioan. Scotus in 4. sentent. dist. 11. q. 6. Innocent de officio Missæ part. 3. cap. 4.

Iam verò si conarer Hardingi mysteria enunciare,quæ ad hanc rem spectant: cuiusmodi sunt, vnam aut alteram aquæ guttam effundendam esse in terram: quantum aquæ cum vino commisceri debeat,ad commodam permistionem efficiendam: quò postea recedat aqua: vtrum in fluitantem quandam, & exilem, tenuémque naturam migret an in Christi sanguinem propter vini commistionem vertatur,an in Sacramentum ablutionis abeat,ad reliquum diluendum: hæc inquam orationem & longiorem postularent,& in isto tempore non necessariam. Neque ego vel verbum adeò de hac re fecissem vllum,nisi hunc hominum restituendæ libertatis Christianæ gloriam sibi aliquam superbè vendicare viderem.

Quòd ait: *Sacerdos debet intentionem habere ea faciendi, quæ Ecclesia facit*: nisi quid Ecclesia faciat, certum, atque exploratum habuerit,non potest sua sibi constare intentio,atque ita sequetur, vt Missam celebret cum intentione quadam faciendi quod nescit. Iam verò Ecclesiam varias habere intentiones perspicuum est. Romanæ siquidem Ecclesiæ intentio ad panis ac vini transsubstantiationem efficiendam dirigitur. Græca autem Ecclesia nunquam habuit huiusmodi intentionem,quemadmodum ex Concilio Florentino clarissimè apparet. Intentio Ecclesiæ Romanæ est consecrationem Christi verbis efficere,Græcæ autem Ecclesiæ precibus. Ad vtram verò Ecclesiam sese accommodabit sacerdotis intentio? Est hæc profectò abyssus incertæ dubiæque cognitionis. Cor hominis imperuestigabile est. Si mortalis cuiusquam hominis intentione nitamur,de nostro ipsorum baptismo dubitare meritò possumus.

Intentio Sacerdotis.

Concil. Florentinum, lessione vltima. Bessarion de Sacramento Eucharistiæ.

Chri-

Hardingi argumentationes.

Christus nos ab huius mundi elementis liberauit. Ergo fas est sacerdoti priuatam Missam habere. Menses & dies obseruare prohibemur: Ergo licet sacerdoti soli accipere.

Sic nempe ratiocinatur, ac si D. Pauli verba essent eiusmodi, vt ex illis quicquid vellet efficere posset. Panis quidem, & vinum, & aqua, & sacerdos ipse mundanæ sunt creaturæ, & proinde Christianæ libertati inseruiunt, æquè ac locus, vel tempus. Neque tamen proinde debet Hardingus communionem, vel absque sacerdote, vel pane, vel vino: aut baptismum sine aqua obire atque procurare. Christus nos à seruitute atque superstitioso creaturarū vsu, non ab ipsis creaturis liberauit. Nam alioquin eadem profectò argumentandi forma æquè liceret Hardingo concludere hoc modo, Apollos, Paulus, Petrus, vita, & futura sunt res mundanæ: sic enim Paulus habet, sicuti Hardingus recitauit: *Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollos, siue Petrus, siue mundus, siue vita, siue futura:* At Christus nos liberauit à creaturis mundanis: Ergo nos Christus à Paulo, ab Apollo, à Petro, à mundo, à vita, & à rebus futuris vindicauit. Huiusmodi scilicet argumenta Hardingus ad Missam suam confirmandam adducit.

1. Corinth. 3.

Hardingus. 13. Sectio.

Deinde, cum antiquus ille, & egregiè doctus Episcopus Cyrillus clarè, copioséque doceat admirabilem illam nostrum cum Christo, & nostrummet ipsorum in vnum corpus per hoc Sacramentum copulationem, atque coniunctionem: cúmque vniti & in vnum corpus redacti, non tamen in vnum aliquem locum congregemur, sed per omnes mundi partes dissipemur: ex eo rectè possumus concludere, ad hoc efficiendum non necessariò requiri, vt qui communicant, in vno loco præsentes simul adsint. Eius hæc sunt verba, non multùm à Dionysio Areopagita discrepantia, cuius facta est antè à nobis mentio: Vt igitur inter nos & Deum singulos vniret, quamuis corpore simul & anima distemus, modum tamen adinuenit cōsilio Patris & sapientiæ suæ conuenientem. Suo enim corpore credentes per communionem mysticam benedicens, & secum & inter nos vnum nos corpus efficit. Quis enim eos qui vnius sancti corporis vnione in vno Christo vniti sunt, ab hac vnione naturali alienos putabit? nam si omnes vnum panem manducamus, vnum omnes corpus efficimur. Diuidi enim atque seiungi Christus non patitur.

In Iohan. li. 11. cap. 26.

Nunc ergo perspicimus iuxta huius vetusti patris doctrinam sacris Scripturis stabilitam, omnes fideles Christi corpore benedictos per mysticam communionem vnum cum Christo & inter se ipsos corpus effici. Quæ tamen eximia Christi benedictio vim atque necessitatem in se maiorē habet, quàm vt loci vlla conditio eam frustrari possit, præsertim vbi nulla est decori, conuenientísque ordinis proposita perturbatio atque contemptio.

Episcopus Sarisburiensis.

Cum ex parte quadam facilè assentior ijs, quæ in hoc loco attulit Hardingus, Cyrillum nempe, atque Dionysium inter se consentire, quemadmodum confirmat: tum si Hardingus hunc Cyrillum priuatam Missam vnquam celebrasse, vel nomen adeo Missæ in libris suis semel vsurpasse, posit euincere, totum sanè non inuitus elargiar. Quòd si autem nullum de Missa verbum à Cyrillo factum vnquam fuerit, quare est ab Hardingo ad Missam confirmandam introductus? Verùmenimuerò non ignorant isti rem esse facillimam, glorioso patrum catholicorum nomine ad indoctorum imperitorúmque hominum fraudem abuti.

Cyrillus ait: quotcunque in Christum credunt, siue præsentes fuerint, siue absentes, siue Iudæi, siue Ethnici, siue liberi, siue serui, vnum esse in Christo Iesu corpus. Hoc neque negatur à quoquam, neque ad priuatam Missam quicquam omnino pertinet. Nos verò Christum per regenerationis Sacramentum (sicuti Chrysostomus ait) carnem nos de sua carne, & os de suis ossibus fecisse, nos membra, illum caput esse: etiam fideles omnes vnum esse corpus, omnes eodem spiritu donatos, & quanta fuerit maxima interualli distantia, alios tamen aliorum membra existere confitemur.

Chrysosto. in epist. ad Ephes. Homil. 20.

Hanc planè mirificam coniunctionem, & quasi corporis insitionem fides & inchoauit, & perfecit, quemadmodum Paulinus scribit ad Augustinum: *Per fidem nostram incorporamur in Christo Iesu Domino nostro.* Postea hæc eadem, quam vocant, incorporatio nobis in Baptismo nostro confirmatur atque augetur. Sic habet Augustinus: *Ad hoc Baptisma valet, vt baptizati Christo incorporentur, & membra eius efficiantur.* Cúmque nos natura nostra valde simus imperfecti, atque imbecilles, & proinde quotidiano progressu indigeamus, vt in hominem in Christo perfectum & integrum coalescamus: idcirco incorporationem istam, subinde renouari, & per sacrorum mysteriorum vsurpationem in nobis confirmari voluit Deus. In quo considerandum est, sacra hæc mysteria non efficere, sed potius seruare atque confirmare istam incorporationem. Primùm oportet nos Christi corpus esse, deinde Sacramentum corporis Christi accipere: quemadmodum rectè obseruauit Augustinus: *Corpus Christi si vis intelligere, Apostolum audi dicentem fidelibus: Vos estis corpus Christi, & membra: mysterium vestrum in mensa Domini positum est, mysterium Domini accipitis, ad id quod estis, respondetis Amen. Audis corpus Christi, & respondes, Amen. Esto membrum Christi, vt verum sit Amen tuum.*

Paulin. & Therasia ad Augu. epist. 31.

August. de Baptismo paruulorum De consecrat. dist. 4. Ad hoc.

August. in Sermone ad infantes. Citatur à Beda in 1. Cor. 10.

Neque tamen existimare debemus corpus Christi crassè atque corporaliter esse in nostra

corpora

corpora recipiendum. D. Cyprianus ait: *Cibus est non ventris, sed mentis.* Et Augustinus: *Crede & manducasti.* Et Cyrillus, quem hîc Hardingus citauit, sic contra obiectiones Theodoreti scribit: *Num hominis comestionem nostrum hoc pronuncias, & irreligiosè ad crassas cogitationes vrges eorū qui crediderunt mentem, & attentas humanis cogitationibus tractare, quæ sola pura & inacquisita fide accipiuntur?* Quare Athanasius ait: *Spirtualis cibus est, & in nobis spiritualiter digeritur.*

Cyprianus de cœna Domini. De consecrat. dist. 2. Vt quid Augustin. Cyrillus cōtra obiectiones Theodoreti. Athanasius in illa verba: Si quis dixerit verbum.

Sic Christus in illa sanctissima cœna nobis proponitur non ore percipiendus (*esset enim ea*, teste Cyrillo, *Crassa quædam & profana imaginatio*) sed pura simplicéque fide amplectendus. Atque, vt ait Athanasius, comedendus tanquam spiritualis cibus, & spiritualiter in omnia eius membra digerendus. Ita nos omnes vnum corpus, & vnus in Christo spiritus sumus, quandoquidem Christus est in nobis omnibus, & nos omnes in eo. Cuius rei cum sacra communio expressam quandam ostendat oculis nostris imaginem, Augustinus proinde eam vocat vnitatis mysterium. Sic nos inter nos arcto quodam vinculo sancta communio copulat, & coniungit, quantumuis simus numero infiniti, & quàm maxima locorum distantia disiuncti. In ea enim clarè profitemur, nos in eadem domo famulos esse, ad vnam omnes mensam accedere, vnóque omnes spirituali cibo pasci, carne nimirum & sanguine agni Dei. Quam rem Paulinus perspicuè D. Augustino videtur his verbis exposuisse: *Non mirum si & absentes adsumus nobis, & ignoti nosmet nouimus, cum vnius corporis membra simus, vnum habeamus caput, vnà perfundamur gratia, vno pane viuamus, vna incedamus via, eadem habitemus in domo.* Hos patres antiquos volui quasi comites Cyrillo adiungere, vt ipsius sententiam meliùs atque commodiùs intelligeremus.

August. de consecrat. dist. 2. Quia passus.

Paulinus epist. ad August. 33.

Ex his verbis Hardingus ad hunc modum concludere videtur: Per communionem omnes fideles, & Deo, & inter se coniunguntur: Ergo fas est sacerdoti priuatam Missam celebrare. Minimè sanè putauit bonus ille pater fore, vt ipsius verba tam violenter ad huiusmodi conclusiones torquerentur. Sed conclusionem istam, nos paulò adhuc diligentiùs persequamur, vt eius absurda, atque vitia magis elucere possint.

Soli sacerdotes in suis priuatis Missis communionem percipiunt: Ergo quod ad illam actionē, tempúsque attinet, soli sacerdotes vnum Christi corpus efficiuntur. Sed vt possis, Lector, clarè perspicuéque animaduertere, quid Hardingum nostrum in istam fraudem induxerit, debes meminisse Cyrillum, quod ad Sacramenti communionem spectat *ab effectis*, vt Dialectici vocant, *non a causis* argumentari: Hardingus contrà ratiocinatur à causis, non ab effectis. Quòd autem Cyrillus argumentum suum ab effectis ducat, manifestum est. Sacramenti siquidem perceptio non est efficiens nostræ in vnum cum Christo corpus coniunctionis causa, sed signum & testimoniū, & vt Paulus ait, sigillum & confirmatio illius effecti. Nam Iudas Sacramentum quidem accepit, æquè ac Petrus: Iudas tamen membrum Christi non fuit, quemadmodum Petrum fuisse certum est. Multi etiam infantes, & alij fideles, piique homines vera sunt illius corporis membra: quos tamen vel morte, vel aliis obstaculis impeditos, atque prohibitos corporis Christi Sacramenti nunquam contigit esse participes.

Rom. 4. Signaculum.

Quanquam autem Hardingus authoris sui verba in sensum alienum ita transtulerit, tamen difficile ei erit, Missam ex illis suam rectè commodéque concludere. Communionem verò optimè, atque directò inde colligere licebit. Nam si communis ea vis sit, vt quatenus à multis sumitur, fideles omnes vnum in Christo corpus esse testetur, atque declaret, iuxta Cyrilli sensum, ex eo sequitur eandem communionem à multis simul esse percipiendam: cum alioqui nihil tale testari atque significare possit. Huius argumenti antecedens multorum patrum testimoniis confirmatur. Cyprianus habet: *Quo amore & concordia omnes fideles Christiani coniungantur, Dominicum Sacrificium declarat.* Anselmus quoque non ita priscæ ætatis: *Frangimus & diuidimus panem in multas partes, ad designandam vnionem charitatis accipientium.* Hîc obseruandum illud est, quòd Anselmus hanc vnionis declarationem, in accipiendis Sacramentis, non in spectandis sitam atque collatam esse dicat. Neque eos Cyrillus qui Missam audiunt, sed qui mysticam benedictionem percipiunt, vnum cum Christo, & inter ipsos corpus effici scribit. Sicuti Paulus quoque habet: *Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Domini & nos, cū multi simus, omnes vnus panis, & vnum corpus sumus, quotquot de vno pane participamus.* His Pauli verbis consentiunt & illa Hieronymi, quæ in persona Christi loquutus est: *Benedic hæreditati tuæ, quam per corporis, & sanguinis mei mysterium in Ecclesia congregasti:* & Dionysius inquit: *Communis & pacifica vnius eiusdemq; panis & calicis distributio diuinam eis concordiam, vtpote vnà educatis, lege sancit.* Verè igitur rectéque dixit Hardingus Cyrillum cum Dionysio conspirare: sed ambo sanè ipsi aduersantur, & ambo priuatam eius Missam penitus damnant.

Cyprian. ad Magnum. Anselm. in 1. Cor. 10. Accipientium. Cyrill. in Ioan. lib. 11. cap. 26. 1. Cor. 10. Hieronym. in Ecclesiast. c. 3. De ecclesiast. Hierach. c. 3.

Hardingus. 14. Sectio.

QVòd ergo homines possint vnà cōmunicare, etsi fuerint locis separati (quod est à Iuello improbatū, argumento non minus inepto ab vsu excommunicationis sumpto, quàm est aliquod eorū, quæ ipse in Catholicorū hominū scriptis irridet) quodq; hoc legitimum, & pium [a] patribus antiquæ Ecclesiæ Apostolorum temporibus vicinæ visum sit, pluribus idoneis testimoniis confirmare atque comprobare licet.

Falsum: nihil enim tale in quoquam antiquo patre apparet.

Episcopus Sarisburiensis.

EGo verò sacro suggesto non ad iocum & ludibrium, sed qua decuit modestia reuerentiáque vsus sum: tantùm volui nonnullarum, quas vestri homines adducunt, rationum imbecil-

litatem ostendere, vt omnes, quàm infirmis vestra religio fundamentis niteretur, clarè perspicerent. Atque eò me indignissimi vestri, aliorúmque rumores in circulis sparsi iustissime impulerũt, in quibus populo persuadere conati estis, omnem nostram doctrinam leuem, & puerilem, & auribus hominum indignam esse. Quapropter vt populus auditis vtriusque partis nonnullis argumentis, facilius de iisdem iudicium facere posset, hoc eo tempore Papæ Innocentij argumentum proposui: *Sol maior est luna: Ergo, Papa est maior Imperatore.* Marginalis autem glossa in hunc locum sic habet: *Sol maior est luna septies & quinquagies: Ergo, Papa septies supra quinquagies maior est Imperatore.* Illud etiam Bonifacij octaui argumentum commemoraui: *In principio creauit Deus cœlum & terram, non in principiis. Ergo Papa est super omnes principes & imperatores.* Qui istorum aliorúmque similium argumentorum debilitatem prodit, non propterea statim vel iocari, vel ludere existimandus est.

De maioritate & obedientia. Ca. Solitę. De maioritate & obedient. Vnã sanctam.

De excommunicatione autem hæc fere habuit. Si sacerdos Louaniensis cum Calecutensi sacerdote communicare posset (quod Hardingus tanquam firmissimum ponit priuatæ Missæ fundamentum) hinc efficeretur, vt Ecclesia omnem suam, quod ad sacerdotes attinet, excommunicationis vsum amitteret. Nam excommunicato liceret, si sacerdos esset, dicere, se velle Missam celebrare, atque ita communionem cum eodem ipso Episcopo, vel inuito à quo fuerat excommunicatus, percipere. Hoc dictum Hardingus, vt ineptum, non ratione, sed authoritate tantum sua refutauit.

Excõmunicatio.

Romana certè quidem Ecclesia, cùm sacræ communionis, tum excommunicationis etiam omnem rationem penitus abiecit. Ista enim bina vocabula contrariam vim habent, & alterum eorum ab alterius priuatione pendet. In primitiua Ecclesia sicut pij omnes liberum habuerunt ad sancta mysteria aditum, sic diuini spiritus potestate, qui se insigni aliquo scelere atque flagitio astrinxerant, accessu prohibebantur: magna tamen adhibita cautione, pro facinorum, quæ perpetrarant atrocitate, quemadmodum disertè apud Gregorium Neocæsariensem habetur in quodam de ea re canone. Nam qui grauissimè peccarunt, ab Ecclesia omnino remoti fuerunt, tanquã fidelium societate prorsus indigni. Aliis concessum fuit templum inire, & sacras audire conciones: sed ante precum exordium expulsi sunt, tanquam indigni qui vnà cum fratribus suis orarent. Alij precibus Ecclesiæ interfuerunt, sed ineunte communione iussi exierunt. Reliqua fuit piorum multitudo, qui remanserunt, & concionem audierunt, & perseuerantes orarunt, & sacrosancta mysteria vnà acceperunt. Hanc Ecclesiæ consuetudinem è Socrate deprõptam Cassiodorus explicat. *Stant rei, & velut in lamentationibus constituti, & cum sacra celebratio fuerit adimpleta, communionem non percipiunt.* Sequitur deinceps: *Constituto verò tempore, velut quoddam debitum exoluentes, cum populo communionem participant.* Ita qui aliquid deliquerant, à communione arcebantur, cæterique omnes communicabant. Proinde canones Apostolorum habent: *Vt omnes fideles qui ad Ecclesiam conueniunt, scripturas audiant. Qui verò non perseuerauerint in oratione, vsquedum liturgia peragitur, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ mouentes, communione priuentur.* Populus etiam ad Timotheum episcopum Arrianum, sed hominem mitem atque mansuetum, cum propter alterum, eius consortium fugeret, propter alterum verò eum amaret, dixit: *Etsi tecum non communicamus, at amamus tamen.*

Gregorius Neocæsariensis. Lugentes. Audientes. Precantes.

Historia Tripartit. lib. 9. cap. 35.

Can. Aposto. can. 9.

Iam ergo si Hardingi principium firmum sit: sacerdotem Missam priuatam celebrantem, cum aliis omnibus omnium locorum idem facientibus posse communicare, ex eo consequitur sacerdotem nullum excommunicari posse. Quãuis enim neque sacerdos quisquam alius, neque è populo alius cum eo accipere voluerit, priuatam tamen ei licet Missam conficere, eóque modo statim cum omnibus illis communicare, simodò verum sit nouum istud Hardingi figmentum.

Verùm vt clarius hoc à nobis adhuc explicetur, tritum est illud in scholis, *Priuationem præsupponere habitum*: neque enim fieri potest, vt quisquam rem illam, quam non habet, amittat. Si quis ergo dicat à Sacramentis esse excommunicationem aliquam, vbi nulla sit Sacramentorum communio: vel eum à Dominica mensa repelli, qui neque iam ad eam accesserit, neque post sit accessurus: vel illum esse excommunicatum, qui prohibitus tantùm sit Missam audire: vel populum sacramenta sacerdotis ore satis commodè accipere: hoc certè doctrinæ genus in Ecclesia primitiua non modo peruersum, sed delirum etiam, & planè insanum videretur. Hoc modo Papa (vt fertur) locustas, & viperas, & bruchos, & alios huius generis vermiculos: & exorcistæ suos dæmones excommunicare solent: ac si hæ creaturæ, nisi istorum hominum authoritas intercederet, ad communionem sumendam non omnino ineptæ essent.

Hardingus. 15. Sectio.

IRenæus scribens ad Victorem Romanum Episcopum de Paschatis obseruatione, sicuti Eusebius Cæsariensis testatur, eúmque hortatur ne ab eorum communio ne abstineret, qui Paschatis festum celebrabant iuxta Asianæ Ecclesiæ consuetudinem, è Sancto Ioanne Euangelista institutam, ostendit in more positum fuisse Romanis Episcopis, quandocunque peregrini aliqui Episcopi Romam venirent, sacramentum illis accipiendum mittere, si modò fidem catholicam priùs tenuissent, ex quo mutuam inter eos communionem profitebantur. Hæc sunt Irenæi verba. Qui fuerunt ante te presbyteri (*id est Episcopi*) etiam cum non ita obseruarent, presbyteris Ecclesiarum cum Romam accederent,

Eccle. histor. lib. 5. cap. 24

Græca, sic habent, aliter quàm Ruffini versio vulgata.

derent, Eucharistiam mittebant. *Sic* [a] *vnà communicabant illi episcopi, priusquam in vnum locum conuenirent.*

[a] Falsum: neque enim Irenæus eos vnà cōmunicasse dicit.

Episcopus Sarisburiensis.

TRita est hæc, multísque nota historia. Occidentalis Ecclesia in obseruando Paschate D. Petrum sequuta est: Orientalis verò aliam tenuit consuetudinem à D. Ioanne introductam. Hinc exarsit contentio, atque in acerbum incendium, flammámque erupit. Hanc Victor Romanus: illā Polycarpus Smyrnensis Episcopus propugnabat, vterque & pietate inclytus, & martyrio decoratus. Alteri alteros impellebāt vt cederent. Victor acris atque vehementis ingenij vir, vniuersam Asianam Ecclesiam alióſque omnes, qui in celebrando Paschatis die à Romanis dissidebant, statuerat excommunicare. Irenæus Lugdunensis Episcopus, de eo factus certior, literas ad eum è Gallia satis acerbas scribit, in quibus eum, vt ab inceptis desisteret, monuit, quòd periculum esset ne tam graue inde nasceretur dissidium, vt post sedari minimè posset. Inter alia, hæc quoque verba habet, quæ hîc Hardingus recitauit. *Qui fuerunt ante te presbyteri, etiam cum non ita obseruarunt, presbyteris Ecclesiarum, cum Romam accederent, Eucharistiam mittebant.* Ex his concludit Hardingus: *Ergo hi Episcopi vnà communicabant, priusquam in vnum locum conuenirent*: & insuper in margine annotauit, Græcum contextum in Eusebio à vulgari trāslatione Rufini discrepare. Conciliorum tamen volumen eandem illam translationem adhibuit, atque vsurpauit, inter decreta Victoris. Verùm si Hardingus satis diligenti attentione fuisset vsus, suam ipse translationem Anglicam à Græco nonnihil discedere animaduertisset. In breui hac & contracta historia, tria præcipuè occurrunt consideranda. Primum, Irenæum Episcopum Gallicum ausum fuisse literas tam acres atque acerbas ad Romanum Episcopum dare, in quibus neque superiorem illum agnoscit, & eum aliosque ante ipsum Romæ Episcopos, presbyterorum tantùm nomine appellat.

Concil. tomo. 1. inter decreta victoris.

Alterum, tam eximia doctrina viros, & Christi quoque martyres in summis capitibus religionis concordantes atque conspirantes, de rebus tamen leuibus, quæque momenti pene nullius fuerant, inter se dissentiones tam vehementes, támque diuturnas exercuisse, vt nunquam conciliari possent. Hanc rem si Hardingus diligenter perpenderit, nullam repererit tantam triumphandi materiam, si quam Deus huiusmodi fortè discordiarum scintillulam in primariis, quæ nunc sunt, Ecclesiæ suæ membris comparare permiserit.

Tertium, vbi tum fuit illa potestatis atque authoritatis sublimitas, quam Romanus Pōtifex sibi vendicat, cum neque minas iactando, neque præcipiendo efficere potuerit, quin Britanniæ nostræ Ecclesia ad septingentos prope post Christum annos, Pascha iuxta Græcæ Ecclesiæ consuetudinem obseruaret, Romanam verò Ecclesiam non admodum curaret.

Beda eccles. histor. lib. 3. c. 25.

Sed vt ad rem ipsam veniamus: *Hi Episcopi* (inquit Hardingus) *vnà communicarunt, priusquam conuenirent.* Si fide eos atque religione communicasse intelligat, nemo negabit: sin vsurpatione Sacramentorum, id verò nondum euicit. Mea profectò sententia vocabulum istud, *Eucharistia*, in hoc Irenæi loco, non Sacramentum consecratum, sed panem communem significat, quem Episcopi ad se mutuò, tanquam firmissimum sui in religione consensus, ac Christianæ concordiæ pignus mittere consueuerunt: quem etiam is, qui acceperat, in sacra communione adhibere posset, si ita ei visum esset. Hoc sensu Paulinus ad D. Augustinum videtur scripsisse: *Panem vnum sanctitati tuæ charitatis gratia misimus, in quo etiam Trinitatis soliditas continetur. Hunc panem tu Eulogiam esse facies dignatione sumendi.* Et in ea, quæ proximè consequitur epistola: *Quinque panes misimus tibi pariter, & filio nostro Licentio. Non enim potuimus in benedictione secernere, quem cupimus eadem nobis gratia penitus annectere.* Ex his constare potest, hunc panem sacramentum nequaquam fuisse, maximè autem ex eo, quod Paulinus in alia Epistola scribit: *Panem vnum, quem vnanimitatis indicio misimus Charitati tuæ, rogamus vt accipiendo benedicas.* Si enim antè consecratus esset, minimè rogasset Augustinum, vt eum de integro benediceret.

Paulin. ad August. epist. 35.

Paulin. ad August. epist. 36.

Paulin. ad August. epist. 31.

At Irenæus hoc vocabulo, *Eucharistia*, vtitur, quod Sacramentum significat. Respondeo, Sacramentum rectè dici potuisse, quia fuit in vsum sacramenti destinatus: de hoc tamen non pugnabo. Tertullianus hospitalitatis contesseratione nominat, atque hoc de sacramento loquutus videtur. Atque vt istud ad hunc Irenæi locum accommodemus, nunc quid ex eo Hardingus efficiat videamus.

Tertullianus de præscript. aduersus Hæreticos.

Episcopus Romanus, inquit, Sacramentum ad eos, qui ex Asia venerant, misit: Ergo fuit ea priuata Missa.

Hæc conclusio longè petita, atque admodum eneruata est. Quæro enim quis è tribus illis Missam celebrarit? isne qui Sacramentum misit, an qui accepit, an qui detulit? Esset profectò stupendum, Missam habere, nec tamen qui eam celebrarit, quenquam extare. Equidem Irenæus neque communionis vllam, neque Missæ mentionem facit. Nisi fortè Hardingus dixerit *Mittere* nihil aliud esse, quàm communicare, aut *Mittere Eucharistiam* idem esse, atque Missam celebrare.

Si communis panis fuerit, certè nihil fuit aliud, quàm donum congratulandi causa missum: Si sacramentum fuit, tum non in itinere mox, aut multa fortasse nocte, aut in diuersorio, in publica mensa inter alias epulas, sed postea in Ecclesia sua, quando ei videretur, accipiendum

fuit. Videmus ergo primùm hunc locum ambiguum esse, deinde vt omni controuersia careret, ex eo tamen priuatam Missam euinci non posse. Verùm statim pòst disertè commemoratur, quæ fuerit episcoporum vnà communicantium ratio, quam Hardingus potiùs reticẽdam esse iu dicauit. *Cum res ita haberent, communicabant inter se mutuò, & in Ecclesia Anicetus concessit Eucharistiam Polycarpo.*

τούτων οὕτως ἐχόντων, ἐκοινώνησαν ἑαυτοῖς, καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ παρεχώρησεν ὁ Ανίκητος τὴν εὐχαριστίαν τῷ Πολυκάρπῳ.

Obserua lector Christiane, quòd Irenæus, tum eos communicasse dicit, quando in Ecclesia conuenerant, minimè verò sicut Hardingus affirmat, priusquam vnà essent. Anicetus teste Ireneo Sacramentum vnà cum Polycarpo sumpsit in Ecclesia, non in diuersorio, aut hospitio, quẽadmodum Hardingus statuere videtur.

Quæ cum eiusmodi sunt, qui hîc Hardingus adeptus est, quod ad priuatam Missam faciat?

Hardingus. 16. Sectio.

Similiter Iustinus Martyr, formam atque rationem Christianæ religionis suo tempore quoad sacramenti vsum commemorans hæc habet: Finitis ab eo, qui præfectus est gratiis & orationibus, & ab vniuerso populo facta acclamatione: Diaconi (quos ita vocamus,) vnicuique tunc temporis præsenti panis & aquæ & vini consecrati dant participationem, & ad eos qui non adsunt, deferunt. *Ita illo tempore, qui Deo in publico precum loco, vnà seruierunt, atque alij nonnulli, qui absuerunt, vel morbis, vel negotiis, vel aliis rebus impediti, quominus possent illorum cætui interesse,* [a] *simul tamen communicabant, quanquam non in vno loco: nec quisquam proinde violatam ab illis Christi institutionem exclamauit.*

[a] Falsum: nam Iustinus nullum verbũ facit de communicãdo simul.

Cum autem Iuellus ita acerbè in priuatam Missam eo nomine inuehatur, quòd Sacerdos Sacramentum solus accipiat, & quasi debellatum esset, triumphos ducat, istis sese verbis sed ineptè exhilarans. Vbi tum fuit priuata Missa? Vbi singularis ista communio toto hoc tempore extitit? *(Sexcentos scilicet eos post Christum annos intelligit, sicuti ipse ibidem explicat) clarissimis, atque euidentissimis testimoniis euincam, diu ante Gregorij tempora, de quibus loquitur, imò verò ab ipsis Ecclesiæ primordiis homines fideles* [b] *viros simul & fœminas Sacramentum solos percepisse, nec vnquam propterea vt ordinis à Christo instituti perturbatores fuisse reprehensos. Priusquam autem ad ea loca recitanda accedam quæ possum in hanc sententiam adferre, vnum hoc à Iuello quæro: si qui domi remanserunt, de quibus Iustinus Martyr scribit, communionem per se soli legitimè acceperunt, cur idem sacerdoti non licebit in Ecclesia Deo in sacrosancto Missæ sacrificio sanctissimè seruienti, si fortè sociis nulla sua culpa careat? Quæ nam enim Sacramentarios religio mouet, vt id in sacerdote damnent, in laicis verò excusent? Quid habet sacerdos, vnde hoc ei minùs, quàm populo liceat? Potéstne laicus diu apud se reseruatum Sacramentum accipere, cùm interim sacerdoti nefas sit statim accipere, cùm primùm consecrauerit, atque obtulerit? Quod si necessitatis ratio laicum excuset, eadem quoque sacerdotibus accommodari potest, si desint, qui vnà accipiant, nullo sacerdotum vitio: nam alioqui Dominicæ mortis memoria, atque recordatio minimè iuxta ipsius mandatum celebraretur atque annunciaretur. Nunc ad loca veniamus.*

Apolog. 2.

[b] Hardingus aliud pro alio adfert: simplicẽ cõmunionem pro priuata Missa: viros & fœminas pro sacerdote.

Episcopus Sarisburiensis.

NOn debes, æquissime Lector, nomina eorum, quos hic Hardingus adducit, patrum intueri, sed eorum rationes examinare. Eos ille in Missæ suæ confirmationem attulit, at ij Missam clarè atque perspicuè testimoniis suis euertunt: quorum sanè nullus est Iustino Martyre luculentior, atque dilucidior. Ex quo potes existimare, quàm se isti homines in citandis Doctoribus fideles integrósque præstent. Iustinus de hac re ita scribit: *Sub finem precum nos inter nos osculo salutamus. Deinde ei, qui præpositus est fratribus, panis offertur, & calix aqua dilutus: quæ cum accepit, laudem & gloriam omnium parenti, Filij, Spiritúsque sancti nomine tribuit, gratiásque diu agit, quòd ab eo his dignus sit habitus. Quibus rite perfectis, precibus & gratiarum actioni populus omnis, qui adest, benedicit, dicens Amen. Postea qui apud nos Diaconi dicuntur, dant vnicuique eorum, qui adsunt, percipiendum panem, vinum, & aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, & ad eos qui absunt perferunt.* Hic locus totam, & perspicuam sacræ Liturgiæ rationem in Ecclesia illo tempore vsitatam exponit. Sacerdos precatur, gratiásque agit populari sermone, tota concio ipsius sermonem audit, eundémque ratum facit *Amen* dicens. Sacra communio populo vtraque specie præbetur, totáque Ecclesia pariter accipit. Miror profectò quid hîc Hardingus priuatæ Missæ simile reperiat, nisi forsan vt antè priuatam quamque Missam communem esse dixit, ita nunc velit communionem omnem dicere priuatam.

Iust. Martyr in Apol. 2.

Πᾶς ὁ λαὸς ἐπευφημεῖ, λέγων Ἀμήν.

Ratio sacræ liturgiæ Iustini ætate.

Nos iam illam Iustini Liturgiam cum hac Hardingi Missa paucis conferamus. Atque vt alias omnes discriminis notas prætermittamus, in illa Iustini Missa totus populus accipiebat: in Hardingi verò Missa nullus è populo accipit. In Iustini Missa nemo abstinuit: in Hardingi Missa omnes abstinent. In Iustini Missa pars Sacramenti ad absentes mittebatur: in Hardingi Missa nulla vel præsentibus offertur. Qua ergo quisquam fronte possit ad docendam priuatæ Missæ vetustatem Iustino autore vti?

Iustini communio, & Hardingi Missa collata

Iuellus (inquit Hardingus) *triumphos agit & se ipse tanquam profligatis hostibus victor exhilarat atque lætificat.* Nequaquam verò triumphat Iuellus, Hardinge, sed omnem triumphum, victoriam, & gloriam Deo defert, qui veritatis suæ hostes prosternet, & inimicos pedum scabellum faciet.

Psalm. 110.

Euidentibus testimoniis (inquit Hardingus) *euincam, ab initio vsque Ecclesiæ homines fideles*

viros

viros simul,& fœminas Sacramentum solo accepisse. Nihil est,quod ego hæc testimonia magnopere pertimescam. Nam exceptis illis solùm de Amphilochio, & Ioanne Eleemosynario fabulis indignis, quæ recenseantur,cætera omnia ipse in mea concione adhibui. Ea & noram, & antè singula diligenter excusseram,ac proinde recitaram.Homines autem nonnullos fideles, tum viros, tum mulieres,vel persequutione perterritos,vel morbo laborantes,vel alia quauis necessitate impeditos domi sacramenta percepisse,quiuis verum esse fatebitur:sed hoc ab ista controuersia penitus remouetur.

Quòd si autem probasset Hardingus,vel virum quendam, vel mulierem in primitiua ecclesia priuatam vnquam Missam habuisse,tum verò ad causam disertè respondisset.

Videtur hoc modo concludere: Quidam Sacramentum soli acceperunt. Fuit ergo priuata Missa.

Huius rationis inepta consecutio ex simili argumento meliùs apparebit.Mulieres Sacramentum solæ accipiebant:Ergo mulieres priuatam Missam celebrabant.

Sed Hardingus ait, laicis hominibus solis accipere concessum fuit:quid ni ergo sacerdotibus quoque fas sit?Si ex sacerdotibus Missam suam probare potuisset,nunquam certè ad laicos confugisset:quanquàm facilis est & expedita responsio.Sua enim ipsum doctrina commonefacit sacerdoti licere Missam conficere, quod laico tentare nefas est: contrà est, vt inquit,laico integrum sub vna specie accipere, non autem sacerdoti. Verùm si laicorum exemplum sacerdotibus proponere necessariò voluit imitandum, ita potius argumentum conficiant. Ista Sacramenti priuatim accipiendi consuetudo laicis hominibus illicita fuit: Fuit enim à sanctissimis Episcopis in Concilio generali sublata: Ergo sacerdos non potuit sine scelere priuatam Missam administrare.

Concil. Cæsar. August. cap. 3.

Hardingus. 17. Sectio.

Confirmationes priuatæ Missæ.

Li. 2. ad vxorem.

T*Ertullianus vxorem suam à secundis nuptiis,si fortè superstes illa viueret,præsertim cum Ethnico contrahendis, deterrens,docénsque quàm alioquin ei futurum sit difficile religionem suam absque plurimis grauissimísque impedimentis tueri ac retinere,hæc habet.* Non sciet maritus,qui secretò ante omnem cibum gustes?& si sciuerit,Panem,non illum credet esse,qui dicitur. *Consimilem quoque sententiam habet in libro* de corona militis.*Is locus certissimo nobis argumento esse potest, vt quid Ecclesia tunc temporis de tribus magni momenti capitibus,a Iuello cæterísque Euangelicis penitus explosis, censerit,intelligamus. Primum, communionem reseruari posse: Alterum, ab vno homine priuatim accipi posse: Tertium, id quod religiosè atque piè ante alios cibos sumitur, panem nequaquam esse, sicuti tunc infideles iudicabant,& Sacramentarij nunc credunt: sed illum esse, quem Christiani homines esse dicunt: hoc est* [a]*conditorem,atque redemptorem nostrum, aut quod nihil aliud est, Dominicum corpus. Ex hoc quoque Tertulliani loco, quemadmodum ex compluribus quoque aliis antiquis Doctoribus colligere licet, persecutione sæuiente consuetudinem inualuisse, vt sacerdotes sanctis piisque hominibus viris pariter & fœminis Sacramentum consecratum in Ecclesia traderent, quod domum secum deferrent, eiúsque partem quandam singulis diebus manè sumerent ieiuni, prout ipsorum pia voluntas ferebat, quàm tectè atque occultè possent, ne eos fortè infideles conspicerent, & aliquam sacrorum mysteriorum notitiam consequerentur. Hoc autem ita gestum est,quia solennes aliquot cœtus atque conciones instituere tyrannorum,inter quos versabantur, metu non liceret. Necessitatis autem ratio non potuit eos à violati Christi præcepti crimine vindicare, si priuata communio fuisset disertè prohibita, quod ab his affirmatur qui contrariam sententiam tuentur. Origenes etiam vetustus ille doctor, necnon Augustinus summam hominum reuerentiam, & religionem, & curam testantur, quam omnes adhibebant in mundo linteo comparando, vt Sacramentum in eo inclusum domum in eum vsum deferrent. Cyprianus de quadam muliere meminit, quæ idem fecerat, sed indignè.* Cum quædam (*inquit*) arcam suam in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. *Hic Cypriani locus modum ostendit in seruando domi apud se Sacramento vsurpatum, vt ab homine pio priuatim,cum tempus postularet,sumi posset. Serapionis exemplum, de quo Dionysius Alexandrinus scribit, ab Eusebio commemoratum, nostram de priuata communione sententiam confirmat. Serapion iste homo Alexandrinus idolatriæ scelere se obstrinxerat, cúmque moribundus iaceret à sacerdote mitti sibi Sacramentum postulauit,vt Ecclesiæ priusquā decederet,reconciliari posset.Sacerdos morbo & inualetudine impeditus, quo minus ad illum iret, tradidit puero, qui missus fuerat,* Parum Eucharistiæ: quod infusum iussit seni præberi.*Postquam autem hunc ritum peregisset,(inquit Eusebius) velut vincula quædam,& catenas perrupisset,lætus expirauit.*

[a]Falsum:Sacramentum enim nunquam fuit, vel conditor, vel redemptor noster à quoquam antiquo patre appellatum.

In Sermone de lapsis.

Eccles. histor. li. 6. cap. 44.

Episcopus Sarisburiensis.

HArdingus pulchrè quidem, sed procul à scopo iaculatur.Etenim priuatam Missam in Ecclesia primitiua extitisse probaturus, sacerdotum inopia cogitur Tertulliani vxorem, quasdam è Cypriano mulieres, & Serapionis puerum testes accersere: homines nequaquam omnium maximè ad celebrandam Missam idoneos. Atque vt magis etiamnum clarè suam ostenderet futilitatem, huius rei peculiarem insuper in margine libri notam impressit his

verbis, *confirmationes priuatæ Missæ*. Quod sanè spem mihi nonnullam adfert, fore vt posthac nequaquam velit, communionis singularis velo obtentus elabi, sicuti priùs fecit, sed ingenuè, atque apertè, vt se facturum hîc omnibus fidem dedit, in nudis priuatæ Missæ vocabulis insistere. Alioquin enim ipsius nota vix digna notatu fuit.

Quod ad Tertullianum attinet, meminisse debemus, fideles eo tempore metu tyrannorum, quorum erant imperio obnoxij, seorsim ac separatim precari coactos fuisse. Quocirca quotiescunque secreta conuenticula agere liceret, non modo pariter omnes Sacramentum accipiebant, sed quasdam mysteriorum quoque portiones reseruabant, quibus domi post vterentur, vt assidua memoria faciliùs vnius se Ecclesiæ membra esse retinerent.

Hieronym. de Eccles. script. Tertullianus sacerdos maritus.

Hac Ecclesiæ consuetudine perpensa, Tertullianus, quem Hieronymus sacerdotem fuisse maritum testatur, ad vxorem suam scripsit, cámque hortatus est, vt si is diuina voluntate prior ex hoc mũdo commigraret, illa innupta permaneret, aut saltem viro a religione Christiana alieno minimè nuberet, ostensis illius matrimonij incommodis, cum neque solennia festa celebrare, neque vigilias agere, neque cum ecclesia precari permitteretur. Inter alia hæc quoque habet: *Nõ sciet maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes? Et si sciuerit, panem non illum (panem) credet esse, qui dicitur.*

Tertul. lib. 2. ad Vxorem.

Euangelici.

Hæc Hardingus, ac Christi Euangelium cœpisset ei esse odiosum, nos per probrum Euangelicos nuncupat, eius scilicet Euangelij nomine, ac vocabulo, à quo ipse tam improbè desciuit, ad pristinum reuersus vomitum. Ex his autem Tertulliani verbis tria se nos docturum esse profitetur: in quibus tamen priuata Missa non numeratur. De prima nobis aliâs dicendum est: Secundum in controuersiam non venit: in tertio Hardingus, cum verba Tertulliani, tum sensum manifestò corrupit & deprauauit. *Id* (inquit) *quod accipimus, panis non est:* at Tertullianus ita non ait. Hæc illius verba sunt: *Panem (tantùm) esse credent, non illum (panem) qui dicitur*, id est, Sacramentum corporis Christi, aut mysterium rei sacræ alicuius, quale homines Christiani esse credunt: sicuti Chrysostomus de Baptismi quoque aqua scribit: *Ethnicus cum audit lauacrum baptismi, persuadet sibi simpliciter esse aquam.*

Chrysost. in 1. Cor. Hom. 7.

Cæterùm id, quod ore sumitur, verum panem esse, & sacræ literæ, & veteres catholici patres non patiuntur esse ambiguum. D. Paulus quinquies in vno capite panem nominat.

1. Cor. 11. Cyril. in Ioan. lib. 4. cap. 14. In serm. ad infantes citatur a Beda. 1. Cor. 10

Cyrillus ait: *Christus discipulis suis fragmenta panis dedit.* Et Augustinus dicit: *Quod videtis panis est, id quod oculi renunciant.* Gelasium Theodoretum, Chrysostomum, Origenem, Iustinum, Martyrem, Irenæum, Clementem, & alios prætermitto, qui vno omnes consensu, atque concentu panis naturam atque substantiam in Sacramento remanere docent. Quapropter nimium sibi tribuebat Hardingus, cum nullum omnino panem remanere affirmaret, præsertim, cum in eo, quem citauit anthore, nihil quo niteretur, haberet.

Tertullianus ab Hardingo adulteratus. Ludouicus Viues de ciuitat. Dei li. 2. cap. 13. Ioan. 19. Petr. Crinit. lib. 13. cap. 6. Codrus Vrceus Sermo 8. Iudicum 12.

Insuper etiam, vt causæ suæ prodesset, Tertullianum peruertere atque adulterare, non dubitauit. Hæc enim verba: *illum panem* sic Anglicè conuertit, veluti hominis esset persona: quemadmodum olim Thomas Valesius in suis in Augustinum *de ciuitate Dei* annotationibus, hoc vocabulum, *Apex*, quod cristam, seu fastigium galeri, quo Flamines vtebantur, significat, in quendam Historicum mutauit: aut vt Theologi recentiores è Græca voce λόγχη id est lancea, quæ in Euangelio Ioannis habetur, Longinum quendam militem oculis captum commẽti sunt. Si Tertullianus non sensisset *illum panem*, nunquam dixisset *Illum*, sed *Illud* potiùs, vt ad corpus accommodaret. Pertenue discrimẽ est inter *Illum* & *illud*: sic quoque inter *Sibboleth* & *Shibboleth*: satis tamen ad proditorem indicandum valebat.

Cum autem Hardingus, ita coactè ac violenter, ipsa phrase formáque orationis repugnante, adeóque sua ipsius intelligentia atque conscientia (vt videri possit) reclamante *Illum panem* hoc modo transtulerit, quo nemo hactenus vnquam, quod sciam, transtulit, nimirum hominis fuisse veram personam intelligens, quam mulier manibus tenebat, atque ante alias escas comedebat, Cyrillus habet: *Nõ asseueramus anthropophagiam*, id est hominis cuiusquam, vel personæ deuorationem.

Contra obiect. Theodor.

Tertull. de corona militis. Tertull. contra Marcian. lib. 1. Anguft. contra Maxim. lib. 3. cap. 22. Chrysostom. 1. Cor. Hom. 7.

Quis autem magis idoneus esse possit Tertulliani interpres, quàm ipse Tertullianus, in eo libro, quem *de Corona militis* scripsit, de eadem re differens, eam *Sacramentum Eucharistiæ* vocat. Et contra Marcionem sic scribit: *Christus non reprobauit panem quo corpus suum repræsentat.* Augustinus similiter habet: *In Sacramentis videndum est, non quid sint, sed quid significent.* Idem abs Chrysostomo dicitur: *Ego non aspectu indico ea, quæ videntur, sed mentis oculis corpus Christi video.*

Hoc illud est, quod maritus a pietate Christiana auersus videre non potuit: cum enim in Christum minimè crederet, ratione assequi non valuit, quomodo panis Sacramentum, seu corporis Christi mysterium esse posset.

Atq; hunc reuera fuisse Tertull. sensum, ex iis verbis quæ statim consequuntur, clarissimè constare potest: *Et hæc ignorans quisque, rationem simpliciter sustinebit sine gemitu, sine suspicione panis, an veneni? Sustinent quidem sed vt vxorem dotes, obiectione nominis, mercedem silentij faciant, scilicet apud arbitru m speculatorem litigaturi.*

De Augustino autem & Origene, portio illa Sacramenti erat cum summa reuerentia tractanda, vtpote quæ corporis Christi sacramentum esset. Debemus etiam non minorem erga baptismi

ptismi aquam, Euangelij codicem, aliásque huiusmodi res sacrosanctas cautionem adhibere: sicuti Iudæis quoque præceptum fuit, vt Manna in aurea pyxide religiosè & splendidè custodirent. *Interrogo vos fratres, vel sorores* (inquit Augustinus) *Dicite mihi quid plus videtur vobis, corpus Christi* (hoc est Sacramentum corporis Christi) *An verbum Christi? Si vultis verò respondere, hoc dicere debetis, quòd non sit minus Dei verbum, quàm Christi corpus. Et ideo quanta solicitudine obseruamus, quando nobis Christi corpus ministratur, vt nihil ex ipso de manibus nostris in terram cadat, tanta solicitudine obseruemus, ne verbum Domini, quod nobis erogatur, de corde puro pereat.* Perinde est, quod Chrysostomus de eadem re habet: *Si hæc vasa sanctificata ad priuatos vsus transferre sic periculosum est, in quibus non est verum Corpus Christi, sed mysterium corporis Christi continetur, &c.* Hæc testimonia eò referuntur, vt Christi Sacramentis sanctè atque religiosè nobis vtendum esse doceat. Illud à Cypriano commemoratum exemplum, cum morem seruandi Sacramenti ostendit, tum etiam eam Deo minùs placuisse consuetudinem indicare videtur. Multa quoque huic similia in aqua baptismi, aliísque rebus sacris sæpenumerò contigisse ex Nicephoro, atque aliis compluribus apparet. Quapropter hic locus parum ad Hardingianam causam confert, nisi probare voluerit, quēadmodum hæc vnius per se separata Sacramenti in ædibus priuatis perceptio Deo tunc displicuit, ita nunc eum priuata quoque illa sumptione, quæ in Missa obtinet, offendi.

1. Quæst. 1. Interrogo vos.

Verbum Christi non minus est, quàm corpus Christi.

Chrysosto. in opere imperfecto Hom. 11.

Non verum Christi corpus in vasis sacris continetur.

Cypria. de lapsis Serm. 5.

Niceph. lib. 14. cap. 17.

Quod ad illam de Serapione spectat historiam, magnus hîc verborum apparatus adhibetur ad fidem ei conciliandam: veluti fuisse eam à Dionysio Alexandrino scriptam, ab Eusebio recitatam, quasi Serapion nihil aliud, quàm Sacramētum, antequam decederet, postulasset. Quod autem præcipuum est, quóque historia ipsa refertur, silentio præteritur. Eusebius disertis verbis refert librum illum, in quo hanc Dionysius historiam est complexus, inscriptum fuisse *de Pœnitentia.* Ex quo intelligere licet, Sacramenta non ad omnes promiscuè missa domum fuisse, sed ad eos duntaxat, qui excommunicati fuissent, nec interesse fidelium cœtui potuissent, & iam de valetudine ac vita desperassent.

Res autem ita se habuit: Serapion grassante persequutione mortis & cruciatus terrore victus idolo immolauerat. Fideles eo facto grauiter offensi illum ex Ecclesia expulerunt, & Satanæ potestati tradiderunt. Is ergo tanquam Ethnicus & idololatra derelictus, neque publicam Ecclesiam adire, neque precari, neque sanctam communionem percipere, neque spiritualis omnino cuiusquam inter fratres solatij particeps esse potuit. Adeo nempe seuera tum fuit in eos Ecclesia, qui in idololatriam fuissent prolapsi. Postquam verò nihil intentatum reliquisset, & fratres cum lachrymis obsecrasset, vt ei ignoscerent, nec quicquam tamen profecisset, animi dolore contabuit, & in morbum incidit, triúmque dierum spatio mutus, & propè exanimis iacuit. Quarto pòst die aliquantulum recreatus, ad eos qui præsentes aderant, dicit: Quousque tādem me hîc detinebitis, accersite aliquem sacerdotem, vt priùs restituar, quàm ex hac vita abeam.

Eusebius lib. 6. cap. 44.

Mens ipsius tristissima suæ conditionis recordatione cruciabatur, cum se à Deo defecisse reputaret. Sacerdos & ipse ægrotus, quò eum & restitutum esse, & tanquam Christi membrum posse hinc decedere declararet, Sacramentum ei deferendum ipsius pusioni tradidit. Cætera, quæ Hardingus addidit (*atque hac solennitate peracta, vt historia refert, veluti quædam vincula confregisset, lætabundus animam efflauit*) hæc inquam vel à Rufino, vel ab alio quouis mihi incognito attexta fuerunt, nec omnino ad historiam pertinent. Nam nec Dionysius, nec Eusebius in suis archetypis, vel celebritatis, vel vinculorum, vel catenarum meminerunt, vel de leto Serapionis decessu quicquam scripserunt: tantum hæc habent, καὶ μικρὸν καταβροχθίσας εὐθέως ἀπέδωκε τὸ πνεῦμα id est, *& parum deglutiens statim expirauit.* Quòd autem lætus decesserit, nihil quicquam dubito. Verùm ab homine morti iam propinquo, atque puero, non video quid effici potuerit magnopere solenne, cum præsertim illa externa pompa, atque magnificentia tunc temporis non inualuisset, quæ pòst solennioris ornatus causâ instituta fuit.

Rufinus lib. 6. cap. 34.

Nunc mihi rogandus es, Lector, vt paululum velis ad Hardingianam notam respicere in margine ad rei memoriam firmiùs tibi iniiciendā propositam, his verbis: *Confirmationes priuatæ Missæ:* quam in fine & conclusione cuiusque argumenti repeti necesse est. Ex istis itaque ab illo propositis historiis sic concludere debemus. Tertulliani vxor, itémque mulier illa, cuius meminit Cyprianus, sacramentum solæ sumpserunt: Ergo vxor Tertulliani, & altera illa fœmina priuatā Missam celebrarunt. Aut sic, Serapionis puer Sacramentum domino suo præbuit: Ergo Serapionis puer Missam priuatam procurauit. Nam ni hoc modo concludimus, aliud pro alio concludimus. Atque sanè hunc pusionem Hardingus perinde sacerdotem, atque huius rei gerendæ rationem Missam esse docuerit.

Hardingus. 18. Sectio.

Quòd Sacramentum domi clàm seruari, quódque à piis hominibus separatim sumi posset, nullum ex antiquis Doctoribus tam perspicuè declarasse autumo, ac Basilium in epistola quadam ad mulierem nobilem nomine Cæsariam, quæ Græcè extat, in qua insuper ostendit hanc consuetudinem non suo primùm tempore natam, sed multis antè seculis inueteratam. Verba sic se habent: Illud autem in persequutionibus necessitate cogi quempiam, non præsente sacerdote, aut ministro communionem propria manu sumere, nequaquam esse graue, superuacaneum est demonstrare, propterea quòd lō-

ga consuetudine,& ipso rerum vsu confirmatum est. Omnes enim in eremis solitariam vitam agentes,vbi non est sacerdos,communionem domi seruantes,à seipsis communicant. In Alexãdria verò & in Aegypto,vnusquisque eorum, qui sunt de populo, plurimùm habet communionem in domo sua. Semel enim sacrificium sacerdote consecrante,& distribuente, meritò participare & suscipere,credere oportet.Etenim & in Ecclesia sacerdos dat partem, & accipit eam is qui suscipit,cum omni libertate,& ipsam admouet ori propria manu.Idem igitur est virtute,siue vnam partem accipiat quisquam à sacerdote,siue plures partes simul. *Hactenus Basilius: In hoc autem Basilij loco obseruandum est: Primùm necessitatem hanc sacerdotis & Diaconi absentiam spectare: vt* [a] *eo demum tempore sacramentum ab homine fideli suis manibus percipi possit. Quódque ad illud astruendum diuturnam consuetudinem profert, quam nobis sanè liceret, ad hanc de priuata sacramenti acceptione controuersiam confirmandam multò luculentiùs adducere.* 1. 2.

[a] Falsum. Basilius enim præsente sacerdote sua manu sumpsisse communicantem scribit.

Deinde, sanctos Eremitas in solitudine extra hominum sacietatem degentes, & Alexandriæ quoque Ægyptique populum communionem separatim in cellis ædibúsque suis accepisse. Ad hæc,hostiam semel à sacerdote consecratam omnino sumendam esse,sed siue à pluribus simul,siue ab vno separatim,illi non videri magni interesse. 3. 4.

Denique,seu quis vnam Sacramenti partem,seu plures è manibus sacerdotis accipiat,eásque opportunis temporibus sumat,quando ipse voluerit:virtus & efficacitas,atque vis eadem est. Ex hoc loco Sacramenti reseruatio confirmatur. Equidem cum tam disertè ac peculiariter de diuersis rebus ad accipiendi formam pertinentibus disserat, si cum Iuello sensisset Sacramentum ab vno solo absque certo vnà communicantium numero percipi non debere,non tanto silentio illud præteriisset, multò quidem minùs tam apertè in contrariam sententiam scripsisset. Quòd autem communio isto modo in eremis,atque in Ægypto seruata,quæ loca solis ardore torrentur,in quibus exigua ea vini quantitas,quanta nempe ei muneri sufficiat,citò acescit, & in aliam naturam transit,panis duntaxat formam,non itidem vini haberet: in hoc tempore pluribus persequi supersedebo,quandoquidem hæc tractatio ad proximum articulum pertinet. 5.

Episcopus Sarisburiensis.

HVnc Basilij locum tutò licuisset incolumi interim defensione nostra præterire, cum & de rebus ab hoc instituto alienis agat, nec vllam de Missa mentionem faciat. Quum tamen Hardingus antiquum hunc patrem fucato quodam,& fallaci colore ita exornarit,quasi ille vnus omnium grauissimè ab illius partibus staret, cum interim & in hac ipsa sententia, & aliis etiam verbis proximè pręcurrentibus,quę Hardingus de industria celauit,haud obscura contra priuatam Missam testimonia dicat,non possum de illo omnino silere.

Primùm,vt fingamus esse populo,viris simul & fœminis concessum atque legitimum, vt aliquam Sacramenti partem domum secum deferant,eámque secretò accipiãt, vbi illis collibitum erit:si quis insuper quærat, liceátne hoiusmodi homini eandem tangere, propriisque manibus sumere,admodum mollis sit,& delicata quæstio,fœminæque nobili conueniens,qualis fuit Cæsaria. Atque ita quoque Basilio visa est,sicuti ex ipsius responso patet. Quisquis enim priscos patres sedulò euoluerit, hanc rem perpetuo Ecclesiæ vsu abundè explicatam, atque disceptatam perspexerit.

Cyprianus de lapsis Serm.1.

Cyprianus more receptum fuisse memoria sua ostendit, vt populus sacra mysteria propriis manibus acciperet à Diaconis:narrátque quendam,qui se idololatriæ scelere obligauerat,& postea ad communionem cum fidelibus percipiendam conuenerat, manu aperta Sacramentum in cineres conuersum inuenisse.

Tertull.lib.2. ad vxorem. Eusebius lib.7. cap.9. Manus porrexisset.

Eandem quoque accipiendi formam Tertullianus descripsit.Dionysius Alexandrinus Episcopus hæc habet verba,in epistola quadam ad Sistum Episcopum Romanum de eadem re, scribens de quodam,qui communionem in Ecclesia acceperat: *Postquam gratiarum actiones audisset, & vnà cum cæteris pronunciasset Amen,& mensæ astitisset, & manus ad sancti cibi susceptionem porrexisset: &c.*

Clemens Alexandri.Stromat.lib.1. Eusebius lib. 6. cap.33.

Clemens Alexandrinus illius Ecclesiæ consuetudinem his verbis exponit: *Etiam Eucharistiam cum quidam,vt mos est,diuiserint,permittunt vnicuique ex populo eius partem sumere.* Nouatus Hæreticus cum populo communionem traderet,iurare eos id,quod in manibus tenebant,hoc est,Sacramentum coegit,nunquam se ad Cornelium reuersuros.

August. contra liter.Petilian. lib 2.cap.23. Theodor.lib.5. cap.18.

D.Augustinus scribens contra quasdam Petiliani literas,hæc habet: *Ego illum commemoro, cui pacis osculum inter Sacramenta copulabatis,in cuius manibus Eucharistiam ponebatis.* Historiã de Ambrosio & Theodosio Imperatore,aliáque complura eiusdem argumẽti testimonia pretermitto.

Coloss.2.

Quandoquidem autem nonnullis per superstitionem atque ignorãtiam deceptis eorum vox imposuit,qui hoc modo dicunt: *Ne gustaris hoc, ne attigeris illud,quæ omnia*(iuxta Paulum)*præscripta sunt ex mandatis & doctrinis hominum,quæ rationem quidem habent sapientiæ in superstitione,& submissione animi:* consentaneum putaui vnum ad hanc quæstionem peculiariter spectantem locum è Constantinopolitano Concilio repetere, cuius verba ita se habent: *Eos qui pro manu vascula quædam aurea,vel ex alia materia construunt ad susceptionem Diuini doni, nullo modo admittimus, vt præferentes materiam inanimem Dei imagini. Si quis sacerdos particeps fecerit communionis huiusmodi vascula admouentes,excommunicetur,& qui hæc infert.*

Concil. Constantinop.6. cap.101.

Quòd

Quòd si verò nobilis ea fœmina de eo quidem non dubitârit,vtrum laico liceret tutò Sacramentum attingere, sed tantùm an fas esset huiusmodi homini Sacramētum ad os proprium admouere:Basilius respondet,de illo nequaquam esse ambigendum,quādoquidem vsus id diuturnus confirmasset.Nam & Eremitæ,inquit,& Aegyptius,Alexandrinúsque populus domi plerūque Sacramentum habet,& sibi quisque sumit.

Basil. ad Cæsariam patritiā.

In ipsa etiam Ecclesia,postquam sacerdos partem Sacramenti dederit,qui eam accepit, in os suum propria manu absque vllo conscientiæ scrupulo,aut dubitatione ingerit,& siue vnam,siue plures partes acceperit,efficacitas vna est, eadémque vis. Hoc nimirum Basilius voluit: quanquam maioris perspicuitatis gratia, sensu seruato, verborum ordinem aliquantulum immutauerim. Cæterùm quì possit Hardingus priuatam hinc Missam colligere suam, magnoperè demiror.

Quod ad illas quinque obseruationes attinet,quas summa ratione, ac iudicio distinxit, vt eas vniuersas veras esse concesserimus, nihil tamen inde firmamenti atque virium ad ipsius causam accesserit.Etenim Missa sua ex hoc numero non est.

Quòd Eremitæ Sacramentum priuatim acceperint, vti nostram defensionem nihil lædit,qui factum non negamus:ita neque ipsius causam adiuuat,nisi fortè eandem nunc laicis omnibus viris ac fœminis consuetudinem integram superesse velit.

Ratio illa,quam Basilius à consuetudine,atque vsu diuturno sumit, cum ob alias iustas, grauésque causas admodum imbecilla est,tum etiam quòd ea cōsuetudo, nec vnquam apud omnes inualuit,& pòst meliore Ecclesiæ iudicio ac consensu funditus sublata est. Etenim prudentissimus quisque in rebus ad pietatem,& Dei cultum pertinentibus cōsuetudinis semper suspectam authoritatem habuit.

Hæretici,quos vetustas *Aquarios* nominauit,qui in sacra liturgia sola aqua,nullo adhibito vino,vsi sunt,quantumuis manifestò Christi institutionem violarent, vt aduersarij nunc quoque nostri faciunt,factum tamen suum ex diuturnæ consuetudinis vsu defendebant. Cyprianus autem tum superstes,ita aduersus eos scripsit: *Victi ratione opponunt consuetudinem, quasi consuetudo sit maior veritate.Non est de consuetudine præscribendum,sed ratione vincendum. Consuetudo sine veritate vetustas erroris est.*

Ad Iubai an.de hæreticis baptizandis. Cyprianus ad Quirinum. Cypr.ad Pompeium, contra epist.Stephani.

Sed,vt demus & rationem firmam extitisse,& consuetudinem iam olim explosam nunc obtinere: ex hoc tamen loco nunquam valebit Hardingus liquidò atque solidè priuatam Missam confirmare.Si quis enim sic diceret,istos Eremitas non sibi fortasse solis seorsum singulos sumpsisse,sed vnum aliquem cæteris Eremitis in solitudine degentibus ministrasse,præsertim quando eos,& conuenisse,&vnâ Deum precatos esse temporibus certis constet:aut patresfamiliâs in Aegypto atque Alexandria non sibi solùm,sed suis singulos familiis Eucharistiam præbuisse, id quod de HippolytoMartyre referunt,qui cùm laicus esset,Eucharistiam à Iustino sacerdote accepit,eámque domum delatam,& vxori,& liberis,& famulis impertiuit: Si quis(inquam) ita diceret,Hardingus forsan altiùs secum suas perpenderet argumentationes. Atque hic sensus cum verbis Basilij optimè videtur quadrare: quanquam Hardingus in Anglica sua interpretatione, eum palam est ementitus. Cum enim Græcum exemplar habeat,ἀφ' ἑαυτῶν μεταλαμβάνουσι,& Latina versio *à seipsis communicant*,quorum verborum expeditus sensus est: nimirum alios ab aliis accepisse,cum nullum sacerdotem haberent,iste ea aliò detorsit ad suum sensum, itaque reddidit: ***Secum soli communicant.*** De quo etsi non magnoperè pugnabo,tamē neque hoc *Soli*, neque illud ***Secum***,vel in Græco,vel in Latino reperitur.

ἀφ' ἑαυτῶν μεταλαμβάνουσι.

Hoc tam prolixum testimonium è Basilio sumptum,& quicquid Hardingus ad ipsius explicationem addidit in hanc conclusionem cōcisè redigi potest. Eremitæ, homines non sacerdotes, soli accipiebant:Ergo Eremitæ,homines Laici priuatam Missam administrabant.

Hardingus insuper ait,hanc priuatim accipiendi rationem,vsus & consuetudo comprobauit: Ergo consuetudo priuatæ quoque Missæ fidem atque authoritatem tribuit.

Hæc ratio in ipsum aptè retorqueri potest:rectè enim respondere liceat:Priuata ista communicatio non nihil in se vitij habuit, & proinde ab Ecclesia sublata est,vel inuita consuetudine. Ergo priuata etiam Missa deprauatio quædam est,& proinde quantumuis repugnante consuetudine remouenda.

Nūc videamus,num ex his ipsis Basilij verbis ab Hardingo citatis elici quicquam possit,quod ad confirmandam sacrosanctam communionem faciat. Quodnam autem contra nos testimonium valere potest,si quæ Hardingus ipse testimonia adducit,*Eáque omnium* (vt ipse iactat) *planissima, ac clarissima* nostram causam conuincant.Atque vt hoc perspicuum esse possit,non in solitudinem nobis migrandum est,vbi neque sacerdotem fuisse, neque Diaconum omnium confessione constat:sed ipsæ Ecclesiæ adeundæ sunt,quæ Basilio florente viguerunt. Ex quo facilè intelligemus,ipsorum Liturgia fueritne communio,an priuata Missa.

Basilius in eodem loco sic habet: *Communicamus quater in hebdomada:die Dominica,die Mercurij,die Veneris,& die Saturni.* Si verba vrgere liceat:*Communicamus*, ait:non *Missam celebramus*: atque ita facimus,inquit,Basilius *quater per singulas hebdomadas.* Ergo quotidiano illo,quo Missa priuata fundatur,Sacrificio caruerunt.Multùm in computando fallitur, qui quotidie fieri dicit,quod in septem diebus quater tantùm fit.

a τελειῶσαντ & b εἰκότως.

Præterea Basilius: ait: *Semel enim Sacrificium Sacerdote* [a] *consecrante, & distribuente,* [b] *meritò participare, & suscipere credere oportet. Etenim & in Ecclesia sacerdos dat partem, & accipit eam is, qui suscipit, cum omni libertate, & ipsam admouet ori propria manu. Idem igitur est virtute, siue vnam partem accipiat quisquam à sacerdote, siue plures partes simul.*

Hîc, Lector, animaduerte, quàm multis modis Basilius priuatam Hardingi Missam euertat.

1. Basilius ait: *nos communicamus*: Hardingus in sua Missa non communicat.
2. Basilius *diuidit* & *distribuit*: Hardingus diuidit quidem, sed nihil distribuit.
3. In Basilij Missa *populus communicat*: in Hardingi Missa nequaquam.
4. In Basilij Missa *quisq; propria manu suscipit*: In Hardingi Missa nemo à sacerdotis quidem manu suscipit.
5. In Basilij Missa populus non modò præsens in Ecclesia communicabat, verùm etiam partes Eucharistiæ quasdam accepit, quibus domi vteretur: in Hardingi Missa nulla pars populo datur, quam vel in Ecclesia cum cæteris participet.
6. In Basilij Missa *sibi quisq; sumit & comedit*: in Hardingi Missa totus populus sacerdotis ore comedit. Quorsum verò eos Hardingus pro Missa testes adducit, qui tam clarum reddunt contra ipsius Missam testimoniũ? Quis ausit cũ eo in tenebris micare, quẽ ita nihil pudet in luce fallere?

Hardingus. 19. Sectio.

Hieronymus etiam locupletissimus testis est, hanc priuatim & domi accipiendæ communionis consuetudinem Romæ fuisse à Christianis vsurpatam, non solùm tempore persequutionis, sed etiam postquam Ecclesia pacem ac quietem peperisset, ita vt necessitatis excusatio non possit ijs inseruire, qui hoc factum fuisse perabsurdè negant. Hæc eius verba sunt: Scio Romæ hanc esse consuetudinem, vt fideles semper Christi corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo. Vnusquisque enim in suo sensu abũdat. Sed ipsorum conscientiam conuenio, qui eodem die post coitum cõmunicant, & iuxta Persium, Noctem flumine purgant: Quare ad martyres non audent? quare non ingrediuntur Ecclesias? an alius in publico, alius in domo Christus est? Quod in Ecclesia non licet, nec domi licet. Nihil Deo clausum est, & tenebræ quoque lucent apud Deũ. Probet se vnusquisque & sic ad corpus Christi accedat. *Hoc Hieronymus in Romanis improbat, quòd cũ D. Paulus sanxisset, vt vir, & coniunx certis temporibus à carnalibus complexibus abstinerent, quo meliùs vacare precibus possent, nihilominus ij, etsi cum vxoribus rem habuissent, ad sumendum Sacramentum quotidie accedebant. Et tamen eo die ausi non sunt ad templa, in quibus erant martyrum monimenta, proficisci, vt corpus Dominicum acciperet. Nam, vt ista nobis pleniùs innotescant, intelligendum est eos, qui alicuius turpitudinis sibi conscij erant, non ausos esse olim ad sepulchra martyrum accedere. Illic enim plerunque huiusmodi flagitia per miraculum indicata sunt, ipsis etiam eorum vel nolentium indicijs atque confessionibus patefacta, qui erant huiusmodi vitijs contaminati. Erasmus in suis super hoc Hieronymi loco scholijs, ita scribit:* Ex hoc loco colligimus, olim domi suæ quẽque corpus Christi sumere solere, qui voluisset. *Insuper ait:* Idẽ videtur innuere Paulus cum ait, an domos non habetis ad manducãdum? *Ita Erasmus priuatæ, seu, vt Iuellus eam per iocum nominat, singularis communionis confirmationem è Scripturis colligit: fuitq; in Scripturarum peritia omni ex parte cum Iuello comparandus. Ego tamen hac in re ipsum propriæ defensioni relinquo. Hinc perspici potest antiquis Ecclesiæ temporibus vni per se soli communionem sumere* [c] *licuisse. Et quanquam id ab vno tantùm homine fideli, & semel, & in vno loco fieret, communio tamen dicebatur, tum à Basilio, tum ab Hieronymo, contrà quàm Iuellus sentit. Existimandi autem sunt, Christi institutionem æquè habuisse cognitam, atque ipse, aut quisquam præterea ex hoc recentium Magistrorum numero: eáque fuisse pietate, vt si Christi institutionem violatam vidissent, nequaquam in eo scelere conuiuere, aut impio ipsorum silentio, tam improbam consuetudinem stabilire voluisse. Necessitatis certè quidem defensio ad excusandam hanc priuatam communionem non valebit.*

In Apolog. aduersus Iouin. Rom. 14.

Erasmus de priuata sumptione, non de priuata Missa loquitur.

Huius meminit Hierony. ad Vigilant. Augu. epist. 137. & Seuerus Sulpitius in vita D. Martini Dialog. 3. cap. 7.

c Hieronymus hanc consuetudinem improbat: sic habet, Quod in Ecclesia non licet, nec domi licet.

Episcopus Sarisburiensis.

Qvousque tandem Hardingus priscos Doctores aduersus seipsum testes citabit? Hîc nunc Hieronymum producit, ciúsque prima verba, quæ ad suam defensionem apta reperiebat, hæc fuerunt: *Scio Romæ hanc esse consuetudinem, vt fideles semper Christi corpus accipiant.* Hæc autem consuetudo à Petro primùm orta inueterasse penitus Romæ videtur. Hîc iure quæri possit, cum ea consuetudo obtineret, vt totus populus vnà quotidie communicaret, vbi tum esset illa priuatæ Missæ consuetudo? Huc accedit, quòd Hardingus populi in priuatis ædibus accipiendi morem comprobare cupiens, Hieronymum citauit authorem, qui eam consuetudinem vehementissimè reprehendit, nec cuiquam concedit, vt domi accipiat. Hæc Hieronymi verba sunt: *Quare ad martyres non audent? quare non ingrediuntur Ecclesias? An alius in publico, alius in domo Christus est?* Si populus rectè, legitiméque fecit, cur hoc eis Hieronymus vitio vertit? si contrà, cur eos laudat Hardingus?

Hieronym. in Apolo. aduersus Iouinianũ.

Hîc quædam Hardingus aliena, de coniugij munere interponit, Persei nimirum ethnici poetæ hemistichium, & superstitiosam illam ethnicorum ceremoniam, quæ mihi parum videntur ad ipsius Missam spectare. Cum vniuersus populus sacra mysteria quotidie perciperet, maritus

maritus & vxor interdum secum reputantes quid inter se ipsi occulti commercij habuissent, séque propterea cæteris impuriores aliquanto & contaminatiores esse iudicantes, ad Ecclesiam eo tempore non accesserunt, sed sacramentum domum ad se missum priuatim sumpserunt. Huic superstitioni Hieronymus ipse non mediocrem sæpenumero ansam præbuit, qui multa & scripsit sæpe, & dixit de matrimonio inuerecundiùs: in cuius rei defensionem Augustinus librum contra Iouinian m scripsit, *De bono coniugij* inscriptum. Hieronymus etiam postea suam hac de re ad Pammachium scripsit Apologiam. In hoc errore multi ex antiquis patribus versati sunt. Tertullianus ait: *Ergo, inquis, iam & primas, id est, vnas nuptias destruis. Nec immeritò: quoniam, & ipsæ ex eo constant, quod est stuprum.* Origenes habet: *Videtur mihi quod illius est solius offerre sacrificium indesinens (id est,* sacrificium orationis) *qui indesinenti, & perpetuæ se deuouerit castitati.* Hieronymus dicit: *Bonum est non tangere mulierem: Ergo malum est tangere mulierem.* Quo nonnulli errore imbuti, ab iis Ecclesiis abstinuerunt, in quibus martyres sepulti fuissent.

Tertul. in exhortation. ad castitatem. Origen. in Numeros Homil. 23. Hieronym. aduersus Iouin. lib. 1.

Hardingi autem interpretatio multum hic aberrauit ab archetypo. Nam Ecclesias transtulit *Martyrum Basilicas*: acsi sanctorum hominum ossa sacris tunc quibusdam cellis condita, & muneribus oblatis culta fuissent, sicuti nuper factitatum vidimus. Nemo sanè negabit, Deum ad doctrinam veritatémque suam illustrandam magna sępe miracula ex ipsis sanctorum suorum cadaueribus excitasse, vt inde testatum faceret, eos & ipsius nuncios, & voluntatis suæ organa extitisse. Verùm vt hæc initio optima fuerunt hominibus amplectendæ veritatis inuitamenta, ita pòst instar laqueorum quorundam extiterunt, quibus iidem illi homines in fraudem abducerentur: idque priscorum adeo patrum temporibus, annis abhinc mille supra centum. Augustinus habet: *Noui multos esse sepulchrorum, & picturarum adoratores: noui multos esse, qui luxuriosissimè super mortuos bibant, & epulas cadaueribus exhibentes, super sepultos seipsos sepeliant, & voracitates ebrietatésque suas deputent religioni.* Gelasius ait: *Nomine defunctorum, & (quantum dicitur) nec omnino fidelium constructiones, ædificatas sacris processionibus instituere memorantur.* B. Martinus ad sacellum fortè quoddam accessit, sancto cuidam martyri sacrum. Postea verò diuino instinctu edoctus est, hunc ipsum martyrem, & insignem prædonem extitisse, & latrocinij conuictum capitale supplicium subiisse, & vulgari quodam ac populari errore, sanctis honoribus cultum fuisse. Similiter Augustinus habet: *Alij membra martyrum, si tamen martyrum, venditant.*

Harding⁹ Hieronymum corrumpit.

Augustinus de moribus Ecclesiæ, & Manicheorū, ca. 34. Gelasius Can. 2 de Conse. dist. 1 Placuit. Sulpitius in vita Martini. De opere Monachio ca. 28.

Hæc hactenus habui de reliquiis ac miraculis, quæ à martyrum ossibus edita sunt, breuiter dicenda: quandoquidem Hardingus tam tenui occasione arrepta, sic illarum meminisse videtur, quasi eas denuo in pristinis suis sedibus condi statuíque exoptaret.

Piorum autem matrimonium castum esse, *& in omni hominum genere sanctum* Paulus docet, & proinde Chrysostomus ait: *Vtere cum moderatione nuptijs, & primus eris in regno.* Quin etiam idem Chrysostomus hæc verba Pauli exponens, *Matrimonium est honorabile*, sic scribit: *Hîc Iudæos pulsat, qui pollutum putabant coniugalem concubitum, & dicebant immundum esse, quicunque ab eo veniret. Non est pollutum, quod ex natura est, ô ingratissime & insensatissime Iudæe, &c.*

Ad Hebr. 13. Chrysostom. ad Hebræos Homil. 7. Chrysostom. ad Hebræos Homil. 8.

Erasmum autem Hardingus authorem repudiauit, suæque ipsum defensioni permisit. Quod verò ait, *omnes antiquitus solitos fuisse Sacramentum domi separatim percipere:* multò profectò Hardinganæ causæ aptiùs fuisset, si dixisset: *quemque solitum fuisse Missam domi separatim conficere.* Quanquam verò in breui illo scholio in Hieronymum, hæc Pauli verba, *An domos non habetis ad manducandum, & bibendum,* de sacramento priuatim sumendo interpretari videatur: aliàs tamen ex professo, ac consultò de eodem scribens, Paulum asserit de communibus tantùm epulis, non de sacramento loquutum. In sua paraphrasi sic ea verba interpretatus est: *Hîc vnanimitatis Christianæ mysterium agitur, non ventris, aut gulæ negotium, quod non in publico cœtu, sed priuatim in ædibus curatum oportuit. Si libebat explere aluū, an desunt vobis domus, in quibus seorsum hoc agatis?* Rursum: *Quod si quis tam auidus est cibi, vt dilationem non ferat, domi comedat.* Ita (inquit Hardingus) Erasmus priuatam Missam colligit è scripturis. Nimiùm festinanter concludit Hardingus. Consequens antè sibi assumit, quàm antecedens inspexerit. Nam Erasmus nullum ibi verbum neque de priuata Missa, neque de singulari communione habet.

Paraphrasis Erasmi in 1. Cor. 11.

Quinam ergo possit ab Erasmo exigere, quod Erasmus ipse non habet? Neque necessariò cōcludit hæc ratio: Homines Sacramentum domi sumpserunt: Ergo soli sacramentum acceperunt. Quid ni enim potuissent in suis quique domibus cum vxoribus, familiísque suis accipere, sicuti suprà Hippolyti martyris exemplo comprobauimus? Et Hieronymus ait, *Sacramentum domum missum fuisse ad virum & vxorem.* Alioqui enim dici potuit, quando Dominus præcepit, vt quisque Paschalem agnū domi comederet, simul iussisse, vt solus quisque priuatim comederet. Quāquam istuc ego non magni facio, quandoquidem nihil ad priuatam Missam spectat, volui modò conclusiuncularum istarum eneruatam rationem ostendere. At Hardingus dicit: *Hieronymus simul & Basilius communionem vocant, etiam si priuatim sumeretur: quod Iuelli sententiæ repugnat.* At verò neque Hieronymus neque Basilius Missæ eam vocabulo vnquam appellauit, atque hoc Hardingi sententiam parum adiuuat. Communionem autem non ideo vocant, quòd qui eum acciperet, cum aliis alibi communicaret, sicuti Hardingus somniat, sed quòd pars esset sacræ communionis, quæ publicè oblata distributáque fuit in Ecclesia, vt à fidelibus perciperetur. Ratio, quam hîc Hardingus colligit huiusmodi sit necesse est. Vir atque vxor sacramentum domi sumebant: Ergo sacerdos priuatam Missam habuit. Vehementer ignarum esse oportet, quem tam exilia

Hieronym. in Apologia aduersus Iouinianum.

Communio.

argumenta commoueant. Diserta ipsius Hieronymi verba contrariam sententiam necessariò concludunt. Nam si ea consuetudo Romæ quadringentorum annorum spatio obtineret, vt populus quotidie communicaret, tum nullam ibi eo omni tempore inueterasse priuatam Missam necessariò consequitur.

Nulla priuata Missa Romæ.

Hardingus. 20. Sectio.

Cumulius futilium & insulsarum coniecturarum.

a Ecclesia Hardingi iudicio domum priuatam significat.

Hardingus hęc verba secus recitat, ac leguntur.

DAmasus episcopus Romanus Hieronymi ætate, in libro Pontificali *scribit, Milciadem Papam, ac martyrem decreuisse, vt Sacramentum in plures partes diuisum, & ab episcopo consecratum per ecclesias dimitteretur propter hæreticos, quò catholicus populus ecclesiarum (quod vocabulum tantundem valet, atque Græcum illud,* Παροικία, *ex quo non est necessariò colligendum, Sacramentum fuisse ad materiales* a *ecclesias tantummodò missum, sed ad populum parœciarum) catholicam communionem perciperet, nec cũ hæreticis communicaret. Quod proculdubio intelligendũ est de priuata hac & singulari in catholici cuiusque domo cõmunione, idque ijs in locis in quibus hæretici plurimùm potuerũt, nec sacerdotibus per eos licuit iuxta catholicum morem consecrare. Nam alioqui si sacerdotibus integrum fuisset liberè absque vllo impedimento ita fecisse, quid tum Milciadi fuisset opus, eo modo cauisse de hostiis in illum vsum per episcopi consecrationem sanctificatis? Damasi locus ita habet:* Milciades fecit, vt oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi (propter Hæreticos) dirigerentur. *Duo illa vocabula,* propter Hæreticos, *addita ab Adone, qui martyrum vitas scripsit, illius decreti sensum, atq; sententiam illustrant.*

Episcopus Sarisburiensis.

HAEc verò cõiectura omniũ maximè incerta est, atque eneruata, eámq; Hardingus proinde nouis vndique coniecturis ac diuinationibus fulsit, vt vnam coniecturam altera sustẽtaret.

1. Prima est: Quid Damasus per hęc verba, *Propter Hæreticos,* sibi velit.
2. Secunda est: Milciadem hoc decretum tulisse contra Hæreticos quosdam, qui in sacra liturgia catholicum morem minimè seruarent.
3. Tertia est *Ecclesiæ nomen,* non materialem aliquam Ecclesiam, sed populum cuiusque parœciæ necessariò significare.
4. Quarta est: Sacramentum fuisse in minutis quibusdam, & rotundis placentis confectum, quales nuper in more positas vidimus.
5. Quinta est: Sacramentum fuisse ad singulas quasque domos missum, quod Diacono cum immensum laborem, tum molestiam incredibilem attulisset.
6. Sexta est: maritum quemque Sacramentum domi separatim primò accepisse, pòst vxorem, tum famulos, postremò liberos, seorsum singulos: quod ne Hardingo ipsi credibile videri censeo. Tot hîc in angustum coarctantur coniecturæ, quas si ego vniuersas negauero, eas non facilè Hardingus probauerit: si vltro omnes & ingenuè concessero, minimè tamen inde priuatam Missam euicerit.

In libro Concil. impresso Coloniæ. An. 1551.

Hardingus testimonijs sensu & ratione carẽtibus vtitur.

Primum in isto Damasi loco, neque vlla Missæ mentio habetur, neque aliquis est verborum satis explicatus sensus atque ratio. Sic enim se verba habent: *Milciades fecit, vt oblationes consecratæ per ecclesias ex consecratu episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.* Nihil autem vel præcedit, vel subsequitur, ex quo, quid sibi velint, diuinare liceat. Est sanè mirum, Hardingum, hominem egregiè doctum adeo esse authoritatibus orbum, vt ex iis locis Missam confirmare conetur, quæ & sensu & ratione careant. Quanquam iis quemque armis vti oportet, quæ comparari possunt. Istæ duæ voces, *propter Hæreticos,* ab Adone homine recente assutæ cum sensum nihil illustrant, tum illius temporis historiarum luce carent. Rectè enim ab Adone isto nouo doctore quærat aliquis, quinam tandem hi essent inauditi, atque incogniti hæretici, quos tu nunc demum commentus es? vbi orti sunt? vbi vixerunt? quid docuerunt? quandiu viguerunt? quis eis patrocinatus est? quis eos refutauit? quæ concilia damnarunt? Etenim vix profectò credibile videatur, vllas vnquam Hæreticorum turbas nonnisi domi cognitas in mundo extitisse.

Hardingus præter verba Authoris e suo addit.

Quod autem Hardingus de suo addit (neque enim tale quicquam in Damaso habetur) nouos istos Hæreticos in sua procuranda Liturgia à Catholica consuetudine discessisse, quò maior verbis fides constitisset, narrasse debebat, quo illi alio more non catholico vsi essent: non dum enim in Diuos relatus est, vt quicquid erit effatus pro oraculo habeatur. Nemo vel Adoni suo, nisi rationes attulerint, fidem vllam adhibuerit.

Ecclesia domus priuata.

Porro quò magis absurdus etiamnum videatur, his verbis *per ecclesias, non materiales ecclesias, sed populum ecclesiarum* significari ait: hoc est, vt planiùs dicam, Ecclesiam nihil aliud esse, quàm priuatam domum. Non sum nescius, Græcam vocem παροικία cœtum, & conuentum, eiusdem viciniæ, seu hominum intra fines quosdam siue latiores, siue angustiores habitantium numerum significare. Sic Eusebius ait: Διονύσιος γράφει βασιλείδῃ τῷ κατὰ πεντάπολιν παροικιῶν ἐπισκόπῳ. Athanasius Demetrium Episcopum Alexandriæ, καὶ τῶν παροικιῶν fuisse scribit. In his aliísque nonnullis locis, quæ ex Basilio, Nazianzeno, reliquísque Græcis patribus adduci potuerunt, hoc vocabulum παροικία, non separatam parœciam, sed integram Episcopi diœcesin videtur indicare.

Eusebius lib. 7. cap 26. Athanas. in epist. de sententia Dionisij aduersus Arrianos

Et

Et proinde Irenæus ad Victorem Romanum Episcopum sic scribit : *Presbyteri Romani Eucharistiam episcopis, qui è parœciis venirent miserunt.* Eusebius item de Hippolyto scribit: ἑτέρας πῶς καὶ αὐτὸς ἐπίσκοπος παροικίας. Hæc paucis de isto nomine παροικία habui, quæ dicerem, peregrina Hardingi interpretatione impulsus. Etenim ipse(opinor)fatebitur, post constitutam Ecclesię pacem,ac tranquillitatem,neque hoc verbum,*Ecclesia*,neque,*Parœcia*,priuatam domum apud vllum cuiusuis ætatis authorem significasse.

Eusebius lib. 5. cap. 26.

Verùm inquit Hardingus,Hæretici illi ab Adone commemorati (nam Damasus nullam facit Hæreticorum mentionem)summam potestatem habuerunt, neque catholicis hominibus per illos licuit in Ecclesia communicare. Ergo has priuatas fuisse domos necesse est. Quando verò tanta potestate,tantísque viribus fuerunt in Romana ecclesia hæretici ? aut si vllum tempus fuit eiusmodi,quod sanè minimè fatendum est,nisi principes illos Hæreticos intelligat,videlicet Papam atque Cardinales,an catholicos in publica ecclesia vnâ congregatos tam infirmis fuisse viribus existimabimus,priuatim verò ac seorsum in ædibus suis tantùm voluisse? Istíne Hæretici vniuersæ multitudini resistere potuerunt,singulis hominibus non potuerunt? Tecum diligentiùs reputa,optime Lector,quàm aptè Hardingi cohæreant argumenta. Nisi te vehementer stupidum iudicaret,huiusmodi coniecturis commoueri posse nunquam confideret.

Principes Hæretici.

Vt alia multa istiusmodi absurda prætermittam,argumenta Hardingi sic concludunt. Sacramentum in priuatis ædibus accipiebatur (quanquam hoc ex Damaso non constat) Ergo vnus homo priuatim accipiebat.Si quidem ita sit,ædes admodum sanè vacuas habuit. Ei nimirum licuit decantare *Tanquam passer solitarius in tecto.* Est autem verisimilius, eum vtpote hominem pium,vxorem,familiámque ad Eucharistiam vnâ percipiendam cohortari voluisse, vt suprà est à me dictum. Deinde,Eucharistia in parœcias dimitti solebat:Ergo priuata Missa fuit.Huius rationis vis satis manifesta est.At enim quis Missam hanc celebrauit?nunciúsne, an is, ad quē mittebatur,Hardingo deliberandum relinquo.Hoc modo conclusisset meliùs: Episcopus mysteria in parœcia dimisit,vtpopulus cōmunicaret:Ergo cōmunionem,nō priuatamMissam celebrauit.

Adhæc,necessitatis ratione factum istuc fuisse defendit propter hæreticos: tamen Missam ex eo suam confirmat,quæ nunc soluta est,& liberè procuratur:idque in Ecclesia Romana, in qua nullum omnino hæreticis locum esse contendit. Denique,mos hic Sacramenti vulgò dimittendi postea fuit in Concilio Laodicensi sublatus.

Concil. Laodicen. Can. 14.

Ita Hardingus vanis coniecturis nititur:nouos & hactenus inauditos Hæreticos cōgerit:vetustatis specie quæsita ineptos nec certam habentes sententiam Canones producit : huiusmodi consuetudines asserit atque obtrudit,quas olim damnatas esse nouit,in eásque suis Glossis ludit.

Hardingus. 21. Sectio.

MVlta nūc attuli,quæ priuatæ ac singulari cōmunioni fidē faciant,quibus eā nō modo grassante persequutione permissā,verū etiā quietis pacatisq; tēporib⁹ probatā fuisse docui,inipsa adeo Romana ecclesia,quæ verā[a]*religionē præ cæteris cūctis mundi partibus diligētissimè semper seruauit,*[b]*cuiq; omnes ecclesiæ occidētales lucē suā acceptā referūt:quēadmodū episcopi Galliæ,quæ nūc Frācia dicitur,in epistola quadā ad Leonē Papā scripta ingenuè agnoscūt his verbis:*vnde religionis nostræ propitio Christo,fons & origo manauit.

[a] Falsum. nunc enim Roma facta est *mater fornicationum. Apocal.* 17.

[b] Falsum. Fides enim occidētalis ecclesiæ Roma psimùm deriuata nōest.

Episcopus Sarisburiensis.

HArdingus inaudito quodam Dialecticæ genere vtitur: nam assumit ille quidem priuatam Missam,sed communionem simplicem concludit.Cur verò non perinde voluit apertè atque simpliciter priuatam suam Missam concludere?Prudens lector facilè iudicabit, si quidem inuenire eam potuisset,nequaquam fuisse celaturum.Quod de Ecclesia Romana meminit, prorsus superuacaneum fuit,nec quicquam ad priuatam Missam spectat. Omnes certè vno ore confitentur Romanam ecclesiam omnium,quas in occidentali mundi plaga institutas esse nouimus vetustissimam esse,Gallicásque ac cæterarum regionum ecclesias initio, & comprobationem doctrinæ suæ inde petiisse, & aliam quoque summam cum ea necessitudinem habuisse, & solatium maximum inde hausisse:quibus etiam nominibus Romana ecclesia Hierosolymis,& Antiochiæ,& aliis in Oriente magnis ecclesiis,nō minùs deuincta fuit.Quòd autē Roma profecti sint, qui primi Euangelij præcones in Gallia extiterunt,non ita facilè probari posse existimo. Quidā enim scribunt Nathanielem,quem Christus verum Israelitam appellauit,Treuiris,&Biturigibus Lazarum,quem Christus è sepulchro excitauit,Marsiliæ:Saturninū Tolosati,antequā PetrusRomam veniret,Euangelium annunciasse.Paulus etiam(vt nonnullis placet)carcere sub Nerone liberatus in Hispaniam profectus est,misso in Dalmatiā Tito,& in Gallatiā,seu iuxta Ephiphaniū in Galliā Crescente.Iosephus autē Arimathensis in Angliā venit. Neque tamen constat horum quenquā acceptis mandatis fuisse in cæteras regiones Roma legatos.At quid impulit Hardingū tā alieno loco in ecclesiæ Romanæ,quæ tā lōginquo tēpore fuit,laudes irrumpere.Cū re coniunctius fuisset eiusdē ecclesiæ statū præsentem considerasse.Sed vt olim quidā, *nō nunc Samniū inuenietis*,quia Sānium excisum,& euersum funditus,ac deletū fuit:ita ego aliquando Hardingū dicētem adiui,se ecclesiā Romanā Romæ quæsiuisse,nec inuenire Romæ potuisse,Episcopi,Cardinales,Sacerdotes neque docēt,neque hortantur,neque cōsolantur, neque vllā officij sui partē præstant:populus,sicuti iamdudū Hardingus confessus est,dissolutus est, & ab omni pietate auersus. Bernardus ait:ô *Domine sacerdotes tui facti sunt tonsores:Prælati,Pilati:Doctores,seductores.* Si talis ecclesia labi & errare nequeat,tum de ea licet vsurpare,quod olim Euripedes de Athenis, ὦ πόλις, πόλις,ὡς εὐτυχὴς εἶ μᾶλλον,ἢ καλῶς φρονεῖς?hoc est,*O ciuitas quàm es fortunata magis,quàm sapiens!*

Hardingus priuatam Missam sumit, & communionē simplicē cōcludit.

Nathaniel. Lazarus. Saturninus.

2. Tim. 4. Epiphanius contra Alogos.

Hardingus. 22. Sectio.

Plura adhuc potui in eandem sententiam adducere, quale est B. Hilariæ virginis exemplum, imperante Numeriano: D. Luciæ, quæ Diocletiano regnante martyrio affecta est: D. Mariæ Ægyptiacæ, & D. Ambrosij, quorum singuli, quemadmodum vetusta ecclesiasticorum Historicorum, & Paulini testimonia referunt, antè suam hinc ad Deum migrationem sanctum altaris Sacramentum separatim, tanquam viaticum suum, acceperunt. Sed ista sufficere arbitror. Aut enim hoc satis erit testimoniorum, aut nihil omnino satis erit.

Episcopus Sarisburiensis.

NVnc Hardingus ad exitum authoritatum suarum accelerans, vt eò perueniat expeditiùs, historias illas de Hilaria, Lucia, Maria AEgyptiaca, aliásque in Aurea (credo) Legenda conscriptas, consultò prætermittit, à quibus celebratam esse Missam paucis antè diebus, quàm excederent è vita, illi pro certo constat, vt videtur. Idem quoque de Ambrosio confirmat, morti iam propinquo. Verùm hoc mihi plusquam stupendum videtur, quòd cum Ambrosius Mediolanēsis ecclesiæ gubernacula annis plus minùs viginti duobus tractasset, vtque ea sanctitate esset, qua nullus fere temporibus illis, Hardingus tamen euincere nequeat, vllam vnquam ab eo habitam priuatam Missam, priusquam extremo pene spiritu animam ageret.

Paulinus in vi-at Ambrosij.

Hardingus. 23. Sectio.

POstquam ergo singularem communionem (vt illorum verbis vtar) euici, nunc à Iuello contendo, vt mihi paucis cum eo agenti placidè respondeat. Quid ergo ais? Missámne, an priuatam Missam improbas? opinor te, quodcunque tandem de hac re senseris, responsurum tamen esse, priuatam tibi Missam nō placere. Nam si oblationem corporis, & sanguinis Christi in Missa factam, ecclesiæ sacrificium esse, & noui testamenti propriam negabis, quam [a] Christus obseruari iuxta institutionem suam præcepit: quantumuis hoc eleues atque extenues, omnes tamen authoritates illæ, quas tu nos pro confirmatione magnæ illius propositorum à te articulorum multitudinis habere negas, contra te facere comperientur: Doctores inquam, generalia Concilia, antiquissimi authores, exempla primitiuæ ecclesiæ, Scripturæ: addo etiam, ratio, consensus vniuersalis & illibatus, atque traditio. Si hoc negaueris, vniuersa religio nostra ab Apostolorum temporibus ad nostram vsque ætatem continuata tibi neganda est, & nunc demum in extremo mundi seculo, in quo iniquitas redundat, & charitas deferbuit, cúmque Filius hominis veniens vix vllam in terris fidem inueniet, de integro nobis iacienda fundamenta sunt. Proinde cum hoc tibi, Iuelle, probè cognitum esset, quicquid reuera sentias, verbo videris, sicuti ex paruo illo libello tuo typis excuso patet, priuatam Missam improbare, adeóque vehementer insectari, atque exagitare.

[a] Falsum Christus enim nunquam huiusmodi sacrificium vel mandauit, vel nominauit.

Episcopus Sarisburiensis.

HActenus Hardingus doctores sine ratione, nunc rationem sine doctoribus adducit. *Quid autem ais?* (inquit) *Missámne, an priuatam Missam improbas?* Equidem (spero) nondum ei effluxit è mente, qua de re hoc toto tempore dissereret. Neque in eo controuersiæ summa versatur, quid ego vel probem, vel reprobem: sed quid ipse è Scripturis, priscísque Conciliis, ac patribus vel possit, vel non possit euincere.

Sed si diligenter attenderis, Christiane lector, facilè perspexeris, quàm peritè tectéque Hardingus aliò manus traducat, vt aspectum tuum fallat. Hactenus enim à nomine simul, & à confirmatione priuatæ Missæ abstinuit: & tantùm, *Simplicis perceptionis, ac singularis communionis* vocabula vsurpauit. Itaque magno studio probare conatus est, quod nemo vnquam negauit: quódque nos negamus, & totam causam continet, prorsus intactum reliquit. Nunc ex me quærit, vtrum Missam, an priuatam Missam vituperem. Quî verò fit, vt priuata Missa, & singularis communio in idem repente coaluerint? Non ignorat Hardingus harum vocum vim esse diuersam, vt non sit necesse ei, qui solus communicat, priuatam quoque Missam conficere. Hęc tam repentina vocabulorum commutatio meritò potest esse suspecta.

Quod porro adhibuit de *noui Testamenti sacrificio*, nihil aliud est, quàm excogitata ad perstringendam oculorum aciem impostura, ab hoc scopo prorsus aliena.

Neque enim vel sacrificium priuatam Missam arguit, vel simplex communicatio sacrificium concludit. Tamen vt paucis respondeam, nos vnicum illud habemus noui Testamenti sacrificiū: hoc est, corpus Iesu Christi in crucem acti, agnum illum Dei, qui mundi peccata sustulit, cuius sacrificij vis in sæcula durat sempiterna. Huic æterno sacrificio illud fictitium Missæ sacrificium vehementer iniuriosum est.

Quod autē Harding⁹ ait: *Si hoc negaueris, omnē nostrā religionē ab Apost. inde deductā tēporib. euerteris:* Verba hæc inania, otiosáq; sūt, neq; aliq d probāt. *In paruo* (inq t) *libello meo, priuatā Missā improbo.* Si

Si libelli exilitatem reprehendit,meminiſſe debuit,vnicam eo concionem contineri, & proinde breuem meritò fuiſſe.

Eſt tamen aliquanto certè vel Hippolyto Martyre, vel illa Amphilochiana fabula grandior, quos tamen libros,etſi breuiuſculos,haud quaquam in paruo pretio habet. Quod me priuatam Miſſam improbare dicit,equidem id improbo, quod infinita piorum & doctorum hominum multitudo improbauit, quódque Hardingus ipſe non multis retro annis in ſcholis ſimul, & in pulpitis damnauit,donec eum ipſa rerum commutatio in contrariam ſententiam abriperet. De iſtis duabus vocibus, *Priuata Miſſa*,nihil aptius habeo,quod dicam,quàm illud Gregorij, quòd Antichriſtus Deus vocandus eſſet. *Si quantitatem vocis perpendimus,ſunt duæ ſyllabæ: ſin pondus iniquitatis,vniuerſa pernicies.*

Lib.6.epiſt.30.

Hardingus. 24. Sectio.

EO igitur poſito,Miſſam generaliter acceptam approbandam eſſe:longiùs adhuc progrediar, atque hoc tecum argumento agam. Si priuata Miſſa eo tantum nomine improbari debeat, quòd ſit priuata, iuxta ſenſum tuum,hoc tum fit propter ſingularem,ſeu priuatam communionem,id eſt, quia ſacerdos Sacramentum ſolus accipit: at ſingularis communio legitima eſt,& ſancta,& pia: Ergo priuata Miſſa, non ideo vituperanda eſt,quòd priuata ſit,ſed probanda,& pro ſancta piáque habenda, atque vſurpanda. Si Maiorem negauero,debes tum oſtendere, quid aliud in priuata Miſſa reprehendas,ea ſolùm de cauſa, quòd priuata ſit,quàm ſingularem hanc communionem. Si quid aliud afferas, tum ab inſtituto noſtro aberras, & te Miſſam improbare demonſtras. Minorem negare non potes,cum eam videas à me luculẽter confirmatam. Quapropter priuata Miſſa in eo ſolùm,quòd priuata eſt,pro legitima habenda eſt, quemadmodum Miſſa quoque haberi debet.

Epiſcopus Sariſburienſis.

EX ſuperioribus hiſce vniuerſis teſtimoniis, de Tertulliani vxore,de Monachis in ſolitudine verſantibus, de Laicis hominibus, de mulieribus & pueris,hanc poſtremò Hardingus concluſionem colligit, quam ipſe adeo ex omni parte firmam eſſe iudicat, vt nulla ratione repelli poſſit.

Priuata Miſſa eſt ſingularis communio:
Singularis communio eſt legitima:
Ergo:priuata Miſſa eſt legitima.

Iſte ſyllogiſmus imperitis,atque ignaris admodum forſan terribilis videatur,non ſecus ac larua pueris,qui quid intus lateat neſciunt,ingentem formidinem adfert. Hardingus autem,qui eũ fabricauit,varium atque ridiculum eſſe nouit. Atque vt clariùs illuceſcat eius falſitas, eam ex ſimili argumentatione pateſaciam.

Adminiſtratio priuatæ Miſſæ eſt ſingularis communio:
Singularis communio mulieri legitima eſt: Ergo.
Priuata Miſſa adminiſtratio mulieri legitima eſt.

Idem prorſus argumentandi genus eſt,eadem forma, iidem termini:atque vt hoc captioſum eſt,ita quoque fallax illud fuit.Vitium in Minore ineſt,quod facilè perſpexeris,ſi in vniuerſalem propoſitionem redegeris,atque ſic in Hardingiana argumentatione poſueris:

Singularis quæque communio legitima eſt:

In altero verò argumento: *Quælibet ſingularis communio mulieri legitima eſt:* ſic facilè poſſis erratum explicare.

Ad hæc Medius terminus,qui argumentum complectitur,& connectit,Subiecto atque Prædicato conuenire debet in temporis,loci,perſonæ,ſubiecti circunſtantiis: quibus adhibitis legitimum aliquid eſſe poteſt,quod iis detractis contrarium fiet.Exempli cauſa, domi baptizare mulieri legitimum exiſtimatur, in Eccleſia verò baptizare nequaquam: res tamen eadem eſt, ſed commutata loci circunſtantia, rem ipſam quoque diuerſam facit. Item, ſacerdoti ante meridiem,& in Eccleſia licet Sacramentum procurare: non tamen idem ſacerdoti licet, vel cum pranſus erit,vel poſtquam cubitum diſceſſerit. Ambroſio verò aliiſque licuit hoc modo Sacramentum accipere. Ex quo videmus multum intereſſe, vt accurata habeatur circunſtantiarum diſtinctio.

Poſſunt hæc fortaſſis videri ſpinoſiora, ac proinde miſſa ea facio: interim tamen edico tibi, Lector, niſi cautam attentionem adhibueris,decipi te fallíque poſſe. Si caput in proprio loco ſupra humeros poſueris, homo eſt: ſi in pectore, aliáve huiuſmodi parte collocâris, monſtrum eſt.

Nunc vt ad Hardingi ſyllogiſmum redeã,vides Minorem non eſſe ſimpliciter(vt loquuntur) & ſine exceptione veram. Etenim ſingularis communio nunquam legitima habita eſt, niſi tantùm circunſtantiarum, & neceſſitatis ratione. Quibus vel omnino ſublatis, vel diligentiùs excuſſis, illud ſingularis communionis genus non ampliùs iudicatur eſſe legitimum. Sic ergo potes Hardingo reſpondere: *Quid ergo ais? probáſne ea, quæ attuliſti pro priuata Miſſa*

exempla, an non? Si probas, cur mulieribus non das, vt Eucharistiam domum deferant, & in cistis, linteisque sudariis custodiant, quemadmodum olim esse factitatum legimus? Si non probas, quòd labes essent, & corruptelæ, quid ergo conaris Missam ex iisdem confirmare, atque ita errorem errore stabilire? Nunc paululum ad illam notam respiciamus, quam Hardingus conseruandæ memoriæ causa in margine posuit, his verbis: *Confirmationes priuatæ Missæ.* Vt sacerdoti priuatam Missam celebrare legitimum esse videretur, Laicorum, mulierum, ægrotantium, puerorum exempla produxit. Itáne verò existimat Hardingus Laicos solitos olim fuisse Missam celebrare? Nullúsne sacerdos toto hoc tempore in orbe terrarum extitit sexcentorum annorum spatio, quin mulieribus puerísque necesse esset ad ista probanda atque testanda prodire? nihílne tum fuit inter simplicem communionem, atque priuatam Missam discriminis? an putabimus mulieres, pueróśque sacrosancta mysteria tum consecrasse, aut Christi corpus in sacrificium obtulisse, aut sacrificium pro viuis ac mortuis confecisse, aut Christi mortem aliis impartiisse? Vbi Hardingi Dialectica: vbi acumen est?

Quàm Hardingus ad id quod quæritur aptè respondeat.

Vide autem, optime Lector, quantum deflexerit ab eo, quo probandum suscepit. Ego de ecclesia quæro, is de priuatis ædibus respondet. Ego de sacerdotibus quæro: ille de mulieribus, pueris, Laicisque respondet. Ego de Missa quæro: ille de eo respondet, quod Missam minimè esse ipse fatetur. Ego de legitimo sacrosanctæ Cœnæ vsu quæro, qui debet esse perpetuus: hic de abusibus respondet, qui sublati abrogatíque sunt. Ego de more legitimo quæro: ille de necessitate causisque extraordinariis respondet. Tu ergo iudex esto, quàm hactenus plenè cumulatéque promissum suum exoluerit.

Hardingus. 25. Sectio.

Populi in diuinis officiis negligentia è Cleri socordia manauit.

QVanquam non nego, quin & laudatius esset, & ecclesiæ quoque sanctius, si multi animis ritè comparatis, atque exploratis Sacramenti vnà cum sacerdote participes esse vellent. Verùm etiamsi Cleri meritò reprehenditur hac in re socordia, quæ hanc populi etiam tarditatem, atque in rebus diuinis negligentiam peperisse videatur: nihilominus, hæc Catholicæ religionis pars salua manet, omnísque culpæ expers. Ipsa siquidem Missæ substantia, ex singulari sacerdotis communione, populo remisso, & pigritia torpente, nihil amittit dignitatis suæ. Nam alioqui si publicum ecclesiæ sacrificium non absque hominum numero, cum sacerdote communicantium in vno loco, offerri potuisset: tum sanè antiqui patres alicubi in tanta librorum suorum varietate conquesti fuissent de eius rei cessatione, quam vbique Quotidianum, & iuge sacrificium *vocant, quod illi* [a] *quotidie immolandum esse censent, vt Domini nostri mors, & redemptionis nostræ opus perpetua memoria celebraretur, atque retineretur, & nos ipsi iuxta officij nostri rationem memores gratósque exhiberemus. Patres verò nusquam de intermissione huius sacrificij, sed multa sæpe de populi pigritia conquesti sunt, quòd tam rarò ad sacrum hoc, & salubre epulum accederent: neque tamen eos vnquam illuc per vim adegerunt, sed, vt dignè accederent, hortari proprijs ipsos conscientiis reliquerunt.*

[a] Falsum: neque enim ita loquuntur Patres, sed planè contrà.

Episcopus Sarisburiensis.

Concil. Nicen. 2. Actio. 4.

PIctor ille, qui Medeam filium necantem pictura expressit, duas contrarias & inter se pugnātes affectiones in ipsius vultu singulari quadam arte fecit elucere: ex altera enim parte extremam rabiem ad cædem filij impellentem effinxit: ex altera verò maternum amorem, & pietatem à tam truculento flagitio reuocantem illustrauit. Huiusmodi duos diuersos & inter se luctantes animi motus in Hardingo licet intueri, ambos in eadem facie depictos atque descriptos. Etsi enim famæ, existimationísque suæ gratia Missam effert, & communionem sacrosanctam totis viribus deprimit: hîc tamen contrà conscientiæ suæ stimulis incitatus Missa communionem esse quidem meliorem confitetur: atque ita quicquid est ab illo consutum hactenus, nunc totum dissuit, & alios ei assentire priùs postulat, quàm ipse secum consentiat. Deus qui veritatem suam vel ex eorum confessione, qui veritati palam aduersantur, ita exprimere valet, perpetuis laudibus extollatur. Sed enim neque illum nos oportuit toties per contumeliam nouos Magistros, atque Euangelicos appellare ob eius rei defensionem, quam ipse agnoscit esse meliorem: neque post restitutam semel sanctam communionem, ad priuatam Missam populum reuocare, quod est, ipso confitente, præstantiori deterius anteponere.

Hardingus cōmunionem Missa præstantiorem esse cōfitetur.

Hardingus autem dicit: *Cum populi studium languescit, si sacerdos solus communicat, Missæ substantia nihil detrimenti patitur.* Ista Substantiæ atque Accidentium differentia in Christi institutione serò inuenta est, & neque Scripturis, neque vetustis patribus probatur. Quanquam Christi & exēplum, & præceptum, non pro Accidente, sed pro ipsa vi, atque substantia Cœnæ haberi debet. *Facite hoc,* inquit Christus, *quod me facientem vidistis: accipite, benedicite, frangite, diuidite in mei commemorationem.* Hæc verba Chrysostomus sic interpretatur: *Hoc facite in memoriam beneficij mei, salutis vestræ.* Hoc non accidens aliquod est, aut leuissimum quoddam commentum, quod nobis liceat pro arbitratu nostro prætermittere, sed ipsa Sacramenti res substantialis, quā vsque ad ipsius aduentum obseruare disertè iubemur: quáque desiderata Paulus Cœnam eam non esse

Matt. 26.

Ad populum Antioc. Ho. 61.

esse Dominicam Cœnam affirmat.

1. Cor. 11.

Equidem Alexander de Hales, atque Humbertus duo scholastici doctores Hardingo hac in re palam aduersantur. Alexander ait: *Consecratio est propter communionem: ergo communio maior est.* Humbertus ait: *Hoc quotiescunque feceritis, id est, benedixeritis, fregeritis, distribueritis, in mei memoriam facietis. Quia quodlibet horum trium, si sine reliquis fiat, perfectam memoriam Christi non repræsentat.* Putátne verò Hardingus, sacrificium, de quo neque Christus, neque ipsius discipuli verbum vllum fecerũt, esse huius Cœnę sustantiam: mysticam verò distributionem, in mortis ipsius recordationem factam, de qua nobis tam perspicuè atque disertè præcepit, nihil ad Cœnæ substantiam pertinere?

Par. 4. q. 35. m. 2. sol. 2.

Humbert. contra libellum Nicetæ Monachi ex Cassandro.

Cuius sacrificij mentio prorsus fuit ab ista causa disiuncta. Vetusti patres de illius intermissione nunquam conquesti sunt, quia certum exploratúmque habuerunt nunquam intermitti aut cessare potuisse. Vis enim virtúsque sacrificij à Christo facti, in seipso sita est, non in nostra diligentia consistit. *Christus sacerdos secundum ordinem Melchisedech vnum sacrificium in integrum obtulit in cruce, plenum, ac profectum:* proinde non est opus alio: *Vnum & æternum:* ergo minimè est necesse iterari: *Ipsi soli priuilegio quodam concessum:* quocirca à nullo alio confici peragique potest.

Hebr. 7. & 10.

Veruntamen illius sacrificij memoria recolitur, & quasi oculis nostris subiicitur in sacrorum mysteriorum celebratione, quemadmodum complures ex antiquis doctoribus præclarè testantur. Augustinus habet: *Nonne semel immolatus est Christus in seipso, & tamen in Sacramento non solum per omnes Paschæ solennitates, sed omni die populis immolatur, nec vtique mentitur, qui interrogatus eum responderit immolari? Si enim Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine, plerunque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quendam modum Sacramentum corporis Christi corpus Christi est, &c.* Iterum ait: *Cum non obliuiscimur munus saluatoris, nonne Christus quotidie nobis immolatur? Ex ipsis reliquiis cogitationis, & ex ipsa memoria quotidie nobis sic immolatur, quasi quotidie nos innouet.* Rursum similiter inquit: *Holocaustum Dominicæ passionis eo tempore offert quisque pro peccatis suis, quo eiusdem passionis fide dedicatur, & Christianorum fidelium nomine baptizatus imbuitur.*

August. epist. 23. ad Bonifacium.

August. Psalm. 75.

August. epist. ad Rom. sub finem.

Ita mortis Christi sacrificium in sacrosancta Liturgia effingitur atque exprimitur: non tamẽ sicuti Hardingus fingit ex aliqua sacerdotis solius actione, sed per communicationem atque participationem populi, quemadmodum Augustinus etiam alibi testatur: *Dum frangitur hostia, & sanguis* (hoc est Sacramentum sanguinis) *in ora fidelium funditur, quid aliud, quàm Dominici corporis in cruce immolatio designatur.*

De consec. dist. 2. ex sententia Prosperi. Designatur.

Hoc Christi sacrificium in cruce, quotidianum sacrificium dicitur, non quòd quotidie repetendum sit, atque renouandum, sed quia semel peractum, ratum in omnes dies, atque in perpetuum durat. Hæc ergo ratio, quam (quæso) vim habet? *Patres nunquam conquesti sunt de quotidiani sacrificij intermissione: Ergo habuerunt priuatam Missam.* Potest facilè & expeditè responderi: percepisse sacram communionem quotidie, & proinde minimè conquestos esse. Quanquam neque sacra communio ipsum est reuera iuge sacrificium, sed illius duntaxat memoriam continet: neque tum celebrata communio quotidie fuit. Hoc si nondum intelligat Hardingus, legat atque excutiat epistolam illam ab Alexandrino Concilio scriptam in Macarij cuiusdam defensionem, quem iniqui sui falsò detulerunt, quòd & in Ecclesiam per vim inuasisset, & calicem sacrum fregisset: verba sic se habent: *Atqui locus ille, in quo confractum poculum iactitauit, ecclesia non erat, nec quisquam presbyterorum ei loco vicinus, nec dies Dominica. Quum igitur neque ecclesia ibi esset, neque sacra fierent, neque dies hoc ipsum requireret, quale, aut vbi, aut quando, mysticum illud poculum fractum est?* Ex his Concilij verbis clarissimè constat Sacramentorum nullam Alexandriæ ea tempestate, nisi tantùm in diebus Dominicis extitisse celebrationem. Interim nemo vnquam de iugis sacrificij intermissione conquestus est. Mortis enim Christi sacrificium quotidianum perpetuúmque esse, nec vnquam cessare posse optimè nouerunt.

Epist. Synod. Concil. Alexandrini.

Communio in diebus tantum Dominicis celebrata.

Hardingus. 26. Sectio.

AMbrosius testatur populum Orientalem sua ætate, non nisi semel quotannis Sacramentum sumere consueuisse: eósque acriter reprehendit, qui hanc consuetudinem sequerentur: Si quotidianus est cibus *(inquit)* cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in oriente facere consueuerunt. *Idem quoque Augustinus iisdem prope verbis prodit: & in secundo libro de Sermone Domini in monte, capite duodecimo, quartam Dominicæ precationis petitionem exponens,* Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, *cum ostenderet hoc vel de terrestri pane, vel de Sacramento Dominici corporis, vel de spirituali cibo, quod ille maximè probat, intelligi posse: non vult Orientales de eo ambigere, quomodo Dominici corporis Sacramentum quotidianus illorum panis dici possit, licet non sint quotidie Dominicæ Cœnæ participes, cum tamen nihilo secius panis hic* [a] *quotidianus dicatur. Sic autem inquit:* Vt ergo illi taceant, neque de hac re sententiam suam defendant, vel ipsa authoritate Ecclesiæ sint contenti, quòd sine scandalo ista faciunt, neque ab eis,

[a] Falsum: Aug. enim ait: *Hic in illis partibus nõ intelligitur panis quotidianus.*

qui ecclesiis præsunt, facere prohibentur, neque non obtemperantes condemnantur. *Hic ex Augustino perspicimus homines Orientales, qui sacramentum ita raro, atque insolenter perceperunt, Christianos nihilominus ecclesiæ authoritate habitos fuisse, nec vllam offensionis ansam præbuisse, neque prohibitos fuisse quominus pristinum morem retinerent: & quanquam spiritualibus suis rectoribus, eos, vt sæpius comunicarent, hortantibus non parerent, non tamen vel damnatos, vel excommunicatos fuisse.*

Episcopus Sarisburiensis.

Ambrof. lib. 5. de Sacramen. cap. 4.

HAEc parum firmamenti habent ad id, quod quæritur, probandum. Ambrosius suorũ quorundam pigritiam increpat, qui minùs sępe communicabant, eósque cohortatur, vt omnes vnà quotidie communicent: in quo priuatam Missam penitus euertit.

Augustinus autem (vt verè dicam) iniquiùs ab Hardingo tractatus est, vtpote per vim, atque summam iniuriam coactus, & ea celare, quæ dicenda habuit, & id eloqui, quod minimè voluit: ad extremum tamen nullum verbum pro priuata Missa habet, sed contrarium haud obscurè probat. Primùm Augustinum facit dicentem Sacramentum corporis Christi populo Orientali quotidianum panem extitisse, etiamsi ij quotidie non acciperent. Hoc ex se parum ponderis habet: Augustinus tamen longè secus dixit, ídque non in alio libro, sed in ipsa eadem verborum comprehensione, ex qua Hardingus ista verba sumpsit: mox enim adiungit: *Vnde probatur, non hunc in illis partibus intelligi quotidianum panem. Nam Peccati magni crimine arguerentur, qui ex illo non accipiunt quotidie.* Quod autem attinet ad priuatam Missam, in eodem ipso loco sic habet: *Panis quotidianus potest accipi pro Sacramento corporis Christi, quod quotidie accipimus.* Augustinus populum eo tempore singulis diebus Sacramentum accepisse author est: ex quo necessariò consequitur, priuatam Missam nullo tum die habitam fuisse.

Augusl. de Sermone Domini in monte cap. 12.
Hardingus Augustini sensum corrumpit.
Sacramentum quotidie acceptum.

At Græci semel tantùm quotannis communicare soliti sunt: Ergo sacerdos aliis temporibus solus accepit. Augustinus verò hanc peruersam consuetudinem atque indiligentiam non per vniuersos Græciæ populos peruasisse, sed in quibusdam tantùm partibus extitisse testatur: sic enim habet, *Plurimi in Orientalibus partibus non quotidie communicant.* Vnde colligi rectè potest, nonnullos quotidie communicasse: alioqui enim frustra plurimos excepisset. Quòd autem cæteri quotidie communicarent, ex his Augustini verbis in eodem loco clarissimè apparet: *Vel autoritate ecclesiæ sint contenti, quod sine scandalo ista faciant.* Ista verba necessariò conuincunt reliquos communicasse, neque tamen fuisse fratrum, qui non communicarunt, negligentia offensos. Si enim ea negligentia per omnes manasset, populúsque vniuersus in integrum abstinuisset, sicuti hodie fit in Ecclesia Romana, nihil omnino fuisset, cur alter alteri ea de causa succensuisset.

Plurimi. In ecclesia Græca aliqui accipiebant quotidie.

Nunc, vt de reipsa dicamus, Iesus Christus Dei filius quotidianus noster æternúsque cibus est, haudquaquam remouendus, atque post aliquot dies, instar panum illorum propositionis Iudaicorum renouandus, sed perpetuò coram Dei propitiatorio sistendus. *Quotidianus noster panis* (inquit Germanus) *est Christus, qui est, quique antè fuit, & qui in æternum durat.* Similiter Augustinus: *Non iste panis, qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit.*

Germanus in rerum ecclesi. theoria.
Augustin. de verbo Domini secundum Lucam. Serm. 28.
Ambrof. de Sacrament. lib. 5. cap. 4.

Huius cibi Sacramentum est panis, quem Christus benedici, frangi, distribuíque in ipsius recordationem præcepit, quem etiam quotidianum panem appellare licet: non quia quotidie, ac singulis diebus accipitur, sed quia nullus dies est, in quo accipi non possit. Quòd autem in huiusmodi locis, in quibus populus Sacramentum quotidie non acciperet, à sacerdote nequaquam quotidie & priuatim eò sumeretur, quò perpetuaretur iuge & quotidianum sacrificium, vt Hardingus somniat, ex pluribus luculentissimis testimoniis patet. Atque vt Basilium, ad Cæsariam patritiam: Concilium Laodicenum: Constantinopolitanum Concilium in Trullo habitum: & Synodalem epistolam ab Orientalibus episcopis pro Macario scriptam prætermittamus, Augustinus sic habet: *Huius rei Sacramentum alibi quotidie, alicubi certis interuallis dierum, in Dominico præparatur, & de mensa Dominica sumitur.* Similiter Ambrosius: *Omni hebdomada offerendum est, etiamsi non quotidie peregrinis, incolis tamen vel bis in hebdomada.* Augustinus Sacramentum certis dierum interuallis celebratum fuisse, Ambrosius *aliquando bis in hebdomada, non quotidie scribit.* Quod autem huius rei testimonium illustrius afferri potest, quàm Concilium Toletanum? verba sic se habent: *Nonnulli sacerdotum in Hispania reperiuntur, qui Dominicam orationem, quam Saluator noster docuit, & præcepit, non quotidie, sed tantùm die Dominica dicant.* Ex his optimè colligitur, si Hispaniæ sacerdotes orationem Dominicam dominicis tantùm diebus recitarent, cùm communio sine Dominica oratione nunquam celebretur, proinde communionem à sacerdotibus Hispanis, non nisi Dominicis diebus fuisse administratam.

Basil. ad Cæsariam.
Concil. Laodicen. can. 49.
Concil. Constãtino. can. 52.
Conc. Alexan. epistola Synodalis. August. in Ioan. tract. 26.
Ambro. in epi. ad Tim. 1. ca. 3.
Concil. Toletanum. 4. can. 9.
Communio Dominicis tãtùm diebus celebrata.

His iam diligenter expensis, coniecturarum, quas attulit Hardingus, subtilitas faciliùs elucescet. Quòd enim ait, *Nonnulli è pupulo se subduxerunt: Ergo nemo communicabat.* Aut: *Multi abstinuerũt: Ergo sacerdos solus accepit:* hæ putidæ sunt rationes, atque indignæ, quibus respondeatur. Ex his enim præmissis contraria multò meliùs sequeretur conclusio. Augustinus ait: *Plurimi in Oriente abstinuerunt:* Ex quo rectè colligimus: Ergo aliqui non abstinuerunt.

Nam

Nam alioquin dixisset, Omnes non abstinuerunt, non plurimi. Deinde: Aliqui non abstinuerunt: Ergo aliqui cum sacerdote communicabant. Ex quo efficitur sacerdotem non solum accepisse: atque in Hardingum priuatam suam Missam nondum inuenisse.

Hardingus. 27. Sectio.

In 10. cap. ad Hebr. Homil. 17.

Chrysostomus populum sæpe hortatus, vt se ad communicandum præparet, saltem in Paschate, in vno loco sic habet: Quæ ergo sunt? plurimi ex hoc sacrificio semel accipiunt in toto anno, alij bis, alij sæpius. Ad omnes ergo nobis sermo est, non ad eos, qui hîc sunt tantùm, sed etiam ad eos, qui in eremo sedent. Illi enim semel in anno participant, fortasis enim, & post duos annos. Quid ergo est? Quos magis acceptabimus? eósne qui semel, an eos, qui sæpius, an illos qui raro accipiũt? Neque illos qui semel, neque qui sæpius, neque qui rarò, sed eos, qui cum munda conscientia, qui cum mundo corde, cum vita irreprehensibili, isti semper accedunt. Qui verò tales non sunt, neque semel. Quid ita? quia iudicium sibi accipiunt, & damnationem, & supplicium. *Antiqui Doctores, in primis Chrysostomus, atque Augustinus huiusmodi sententiis abundant.*

Episcopus Sarisburiensis.

Nihil opus est ad huiusmodi loca respondere, quæ speciem in se nullam momenti habent. Chrysostomus, vti Hardingus optimè nouit, neque hîc, neque omnino vsquam, vel nomen, vel sensum priuatæ Missæ habet. Populo modò suadet, vt se exploret atque præparet, vtque dignè ad Dominicam Cœnam accedat. Quòd si iam Hardingus se Missam suam hoc loco stabilire posse putet, idem sibi potest de Paulo quoque polliceri, quasi cum diceret, *probet seipsum homo*, priuatam Missam instituere cogitet.

Hardingus. 28. Sectio.

In hunc autem finem induco hæc testimonia, omissis aliis eiusdem sententiæ compluribus. Etsi sæpenumero populus a communione abstineret, vt [a] *nullus esset aliquando ad communicandum paratus, tamen sancti patres, Episcopi, atque sacerdotes eam non satis iustam causam iudicarunt, quò minus sanctum illud sacrificium quotidie offerrent, Missámque celebrarent. Quod quidem abundè probari potest, siue velit Iuellus, qui sibi contrà tam certò persuasum habet, manus dare atque subscribere iuxta promissum suum, siue nolit. De quotidiano sacrificio hæc verba Chrysostomi perspicua sunt:* Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? Offerimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis eius, & vnà est hostia, non multæ. *Hîc mihi videor Iuellum audire dicentem, etsi inuitum, quotidianum se sacrificium concedere, tamen constanter adhuc negare, ostendi posse, huiusmodi sacrificium fuisse vnquam celebratum absque communione, id est, vt ipsi volunt, idoneo aliquo hominum numero, qui Sacramentum cum sacerdote in eodem loco sumant. In huius confirmationem ista loca mihi profectò ipsi satisfaciunt. Non dubito autem, quin homines doctiores, qui plura legerunt, quàm ego, alia etiam habeant.*

[a] Falsum: Hardingus nullũ potest huiusmodi tẽpus ostẽdere.

Episcopus Sarisburiensis.

Hoc in loco Hardingus ipse se egregiè prodit, qui pauca Chrysostomi verba ad speciem proponit, eáque & à re aliena, & pro arbitrio libidinéque sua truncata atque mutilata, ac deinde nobis, quasi iam debellatum esset, subscriptionem imperat: cum interim hoc eodem loco, & vno ferè spiritu obscurè fateatur infirmas esse, quas attulit, rationes.

Chrysostom. ad Hebræos. Hom. 17.

Hæc D. Chrysostomi verba, cum nihil ad priuatam Missam faciunt, tum abundè ostendunt, quid antiqui patres per Oblationis, & Sacrificij nomina in sacra liturgia intelligerent. Chrysostomus sacrificia Iudæorum in lege, cum Christi sacrificio in Euangelio confert. Ait autem sacrificia legis multa extitisse atque imperfecta, & proinde fuisse quotidie iterata atque repetita: hoc verò Euangelij sacrificium vnum atque perfectum esse, proptereáque sempiternum: idque præstantissimo cuidam medicamento comparat, quod semel adhibitum sanitatem affert, vt non sit necesse sæpius sumi.

Præterea etiam nobis, qui sub Euangelio sumus, sacrificium quoddam reliquum esse docet, & quidem quotidianum, sed tamen eiusmodi, vt ad conseruandam illius vnici, semel in cruce sacrificij memoriam modò referatur.

Et quanquam in multis locis immolatus, tamen vnum solùm esse sacrificium ait, quia vnicum illud Christi sacrificium spectat. Ac proinde addit: *Quomodo vna est hostia, & non multæ? Quia semel oblata est, oblata est in sancta sanctorum. Hoc autem sacrificium* (id est, Sacramenti celebratio) *exemplar illius est.* Quid autem per hoc vocabulum (*exemplar*) velit in iis, quæ mox præcurrunt, ostendit: *Quæ formam tantùm alicuius habent, Exemplar ostendunt, non autem virtutem: Sicuti in imaginibus exemplar hominis habet imago, non etiam virtutem.* Ex his Chrysostomus sic concludit: *Hoc autem, quod facimus, in commemorationem quidem fit eius, quod factum est. Hoc enim facite* (inquit) *in meam commemorationem.* Nunc obscurum esse non potest, quemadmodum veteres patres Oblationis atque

Chrysostom. ad Hebr. Homil. 17.

Exemplar.

atque Sacrificij vocabulis vsi sunt.

Sed quid interim ista priuatam Hardingi Missam adiuuant? Quòd si nihil ad causam conferant, quorsum ea adduxit Hardingus? Est hæc sanè languida conclusio.

Chrysostomus habuit quotidianum sacrificium:
Ergo, Chrysostomus habuit priuatam Missam.

Hardingus Chrysostomi verba decurtat.

Equidem (Lector Christiane) si quæ proximis versibus sequuntur apud Chrysostomum, legendi tibi facultatem dedisset Hardingus, facilè potuisses omnem sacræ Liturgiæ rationem Chrysostomi memoria obseruatam animaduertere. Sic enim ad populum ait: *Per singulos dies intras in Ecclesiam.* Ista innuunt sacerdotem non fuisse in Ecclesia solum. Tum de perceptione sic ait: *Hoc etiam Diaconus insonat in illa hora sanctos vocans, & per hanc vocem veluti maculas inspiciens. Sicut enim in grege, vbi multæ quidem saluæ sunt pecudes, multæ autem scabie plenæ sunt, necesse est, vt hæ prohibeantur à sanis: sic etiam in Ecclesia, quoniam aliæ quidem sunt saluæ pecudes, aliæ vitiatæ, per hanc vocem prohibentur hæ ab illis: penetrat vbiq; per vocem illam tremendam sacerdos, sanctos vocans, & attrahens.* Nō ad alia te Chrysostomi loca remitto, & plura & planiora, sed tantum in hoc ipso insisto, ex quo Hardingus, quantum ei videretur, delibauit.

Vocat sanctos.

Sancta sanctis.

Populum Chrysostomus ad templum accessisse testatur: Diaconum voce sua sanos ab ægris distinxisse, vt alteri communicarent, alteri abstinerent: alteros ineunte communione exclusisse, alteros adduxisse, & Ecclesiæ obtulisse. Hæc Ecclesiæ legitima fuit Chrysostomi ætate consuetudo, quem nos nunc ex sui ipsius clarissimo testimonio intelligimus non accepisse solum.

Cæterùm Hardingus ait: *in huius rei confirmationem hæc, quæ sequuntur loca mihi quidem sufficiunt atque satisfaciunt.* Eneruata hæc & mollis conclusio, quidquid est ab eo hactenus dictum, facit esse suspectum, quippe quod minùs abundè videatur causam probare: atque ita suum illud insigne ad libri marginem positum his verbis *Confirmationes priuatæ Missæ*, ipse conuellit, totúmque fundamentorum suorum pondus subsequentibus hisce coniecturis imponit. Hactenus certè, quantum ex ipsius libro constare potest, quanquam & otio abundaret, & lectione valeret, & assidua cum suis omnibus commentatione vteretur, tamen neque nomen priuatæ Missæ in vetere quoquam, & catholico Doctore, neque singularem sacerdotis sumptionem inuenit. Siquidem omnes ei mortales fidem adhibere, atque subscribere velit, coniecturas mittat, & firma solidáque argumenta adducat est necesse.

Hardingus. 29. Sectio.

SOter Episcopus Romanus circiter annum Domini 170. *qui martyrio affectus est Antonio Vero imperatore, de celebrandæ Missæ formula hoc decretum fecit,* Vt nullus presbyterorum solennia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus, & ipse tertius habetur: quia cùm pluraliter ab eo dicitur *Dominus vobiscum.* & illud in secretis *Orate pro me*, apertissimè conuenit, vt illius respondeatur salutationi. *Hoc peruetustum decretum minimè flagitat, vt totus populus necessariò adsit,* [a] *nedum vt sacramentaliter etiam sæpe communicet, quod ne ab iis duobus postulat, quos interesse sacris oportuit. Si ex nudis huius decreti verbis satis firmum argumentum in hanc sententiam colligi non possit, ex eius rei affirmatione, cuius ibi fit mentio, alterius negationem, de qua nos agimus, concludendo: (quo genere argumentationis aduersarij nostri passim vtuntur) tum nonnihil ponderis addi ei potest hac ratione. Quum accipere Christi corpus multò quidem maius sit, quam sacerdoti Missam facienti respondere, si pius ille Episcopus simul & martyr illud ita necessarium existimasset, vt sine eo Missa celebrari non posset: fuisset profectò consentaneum, vt de eo potiùs, quàm de altero disertè cauisset. Sed quia secus iudicauit, duorum tantùm præsentium, vt necessariam decreuit, ob eam, quam suprà attuli, causam.*

De Concil. dist. 1. can. Hoc quoque statutum.

a Falsum: Omnes enim præsentes iussi sunt vel communicare, vel discedere.

Simplex collectio.

Episcopus Sarisburiensis.

Polydorus de inuentoribus rerum.

ALij ab Anacleto Papa, alij à Sotere factum hoc decretum existimant: itaque nondum videntur de eius authore penitus consentire. Verùm nisi Decretorum istorum, & Decretalium epistolarum meritò nobis esset suspecta authoritas atque fides, minùs sanè de illorum doctrina ambigeremus. Impostoribus ille semper mos fuit, vt suis scriptis eorum hominum nomina inscriberent, quos scirent ab omnibus plurimi fieri. Nam vt Homerum, Hesiodum, Ciceronem, Plautum aliósque homines doctrina excellentes atque apud Ethnicos in primis celebres prætermittam, quorum titulis multi adulterini libri prodierunt, Paulus ipse Thessalonicenses monet, ne se à fide abduci vel per spiritum, vel per sermonem, vel per epistolam tanquam ab illo scriptam patiantur. His autem postremis verbis inquit epistolas eius nomine suppositicias interdum in vulgus emanasse. Edita quoque sunt Euangelia Petri, Thomæ, & aliorum Apostolorum nominibus fucata: alia etiam leguntur, sed leuiora atque minutiora, Augustino, Hieronymo, Ambrosio, Cypriano, & similibus ascripta. Ludus erat nonnullis scripta suppositicia diuulgare, de quo multi sanctitate præcellentes patres vehementer conqueruntur.

2. Thessal. 2.

Quocirca

Quocirca minùs mirandum est, si idem Anacleto, Euaristo, Soteri, atque aliis consimilibus acciderit, qui mox Apostolorum ætati Romæ successerunt.

Gratianus de Decretalibus epistolis inter doctos dubitatum fuisse ostendit, & Doctor Smythus, quanquam illius authoritati non multum tribuo, ac D. Pauli crucem palam professus est, eas nullo modo posse illorum hominum esse, quorum esse prædicantur. Atque vt aliquid breuiter adferamus, vnde hoc verum esse euincatur, Epistolæ istæ Decretales Scripturas manifestò adulterant, ac corrumpūt, id quod Lectori vel eas inspicienti facilè apparebit. Nihil perinde faciunt, atque Papæ dignitatem regnúmque defendūt, cum tamen non ante aliquot centenos annos post Apostolorum tempora huiusmodi aliquis principatus constitutus, atque fundatus esset: ingentem inanium ceremoniarum multitudinem instituunt, aliísque huiusmodi ineptiis redundant, quibus Apostolorum doctrinæ nihil cogitari potèst dissimilius: ea apertè profitentur atque proclamant, quæ vel Hardingo teste manifesta sunt mendacia.

Dist. 19. de epistol. Anno 2 Edouardi sexti.

Anacletus, qui proximus à Petro fuit, iubet, atque præcipit, vt singuli episcopi semel quotannis Limina Petri inuisant Romæ: cum tamen adhuc nullum esset in Petri religionem Romæ extructum fanum. Nam Cornelius Papa (vt in Decretalibus est) se primum Petri corpus eruisse, & in Apollinis templo Romæ condidisse scribit, centum & quadraginta annis ad minimum post mortuum Anacletum.

Dist. 97. Iuxta sanctorum. In Decretalibus Cornelij.

Antherus Papa Eusebij Alexandrini, & Fœlicis meminit, qui quòd longo post illum mortuū tempore nati sunt, ei esse noti nullo modo potuerūt. Fabianus de Nouati in Italiam aduentu scribit: cum interim ex Cypriano atque Eusebio perspicuum sit, Nouatum Cornelio Papa, qui Fabiano proximus fuit, in Italiam primò venisse. Atque vt de aliis innumeris coniecturis taceam, de quibus fortassis pòst aptior dicendi locus dabitur, neque Hieronymus, neque Gennadius, qui scriptores Ecclesiasticos diligenter persequuti sunt, neque Damasus, qui de industria Pontificum Romanorum, quotquot ante illum fuerunt, vitas perscripsit, vel epistolarum, vel Decretorum istorum vllam mentionem fecerunt: quæ profectò nunquam celassent, si quæ huiusmodi ipsorū ætatibus edita, cognitáque fuissent. Paucis volui Decretales istas authoritates perstingere, quò certiùs Lectori constare posset, quid de eis sentire deberet.

Cyprian. lib. 1. epist. 3. Eusebius lib. 6. cap. 43.

Nunc ad rem descendamus. Si temporis illius conditionem ex historiis repetamus, Soterem Pontificem Romanum hanc legem promulgasse, vt sacerdoti Missam duobus duntaxat præsentibus celebrandi potestatem faceret, vix sanè credibile videatur.

1. Etenim & Augustinus, & Hieronymus, qui ducentis & quinquaginta post Soterem annis vixerunt, populum Romanum sua ætate vnà communicare solitum esse scriptis, prodiderunt: quæ profectò consuetudo cum hoc Hardingi commento malè conuenit.

August. epist. 118. ad Ianuar. August. in Ioā. tract. 26.

2. Ipsa quoque verba sibi manifestò repugnant. Illud enim vocabulum *Solennia*, quod hic vsurpatur, solennem aliquem cœtum, & populi conuentum innuere videtur. Iste tamen tres tantùm homines ad hoc munus obeundum postulat, cum iterim *Missarum solennia* nuncupet.

Hieronymus in apologia aduersus Iouinianum.

3. Quod autem ad causas illas attinet, quæ in hoc decreto adhibentur, videlicet, vt sacerdos commodè aptéque possit in plurali numero dicere *Dominus vobiscum*, & *Orate pro me fratres*, de eo plurimum ambigi potest, an hæ partes Romanæ Liturgiȩ essent Sotere Papa. Damasus enim, qui Romanus Episcopus ducentis & quinquaginta post annis fuit, ad Hieronymum scribit, omnia in Ecclesia Romana suo tēpore ita nudè ac simpliciter peragi solere, vt in diebus Dominicis nihil publicè populo legeretur, nisi vel epistola aliqua Apostoli, vel caput aliquod ex Euangelio: quod siue de sacra Liturgia senserit, siue secus, ampliùs deliberandum relinquo.

Damasus in epist. ad Hieronym.

4. Deinde hic ipse Soter tum hos duos, tum quotquot insuper præsentes adsunt, sacerdoti respondere vult: vnde consequitur, vt & ea sit loci propinquitas, in qua populus stans exaudiat, & sermo etiam vulgaris atque cognitus: quæ ambo Hardingianæ Missæ aduersantur.

5. Præterea de duobus his, quos præsentes adesse sacerdoti oportet, à Canonistis dubitatur, Clericine ambo, an ambo Laici esse debeāt: vel vnus Clericus, altera Laicus: vel vnus vir: alter fœmina. Tandem Clericum vtrumque esse oportere statuunt.

De Consecrat. dist. 1. Hoc quoque in Glossa.

6. Quanquam secus definitum, & conclusum est, vt si publica Missa fuerit, duos ad minimum interesse necesse sit: si priuata, vnum adesse sufficiat.

Summa Angelica Missa. 38.

7. Gerson quoque ait, sacerdotem rectè posse dicere *Dominus vobiscum*, etiamsi vnus tantùm Missam celebranti adsit. Existimari enim sacerdos potest (inquit) non illi vni solummodo loquutus esse, sed toti etiam Ecclesiæ. Atque ita quantumuis Soter binarium numerum sanxerit, eum tamen aliquando, si occasio postulauerit, imminui posse perspicimus.

Gerson contra Florentum. lib. 4.

8. Innocentius autem Papa aliud adhuc excogitauit remedium. Etsi (inquit) vnus tantùm adsit, potest tamen sacerdos dicere *Dominus vobiscum*, quandoquidem adesse Angeli possunt hominum loco.

Innocent. lib. 2. cap. 20. de officiis Missæ.

9. Postremò huiusmodi eo tempore in Missa fuisse mysteria, non facilè docuerit Hardingus. Tū enim Missæ quæque pars clarè apertéque pronunciabatur, vt eam populus exaudire posset, & dicere *Amen*. Atque sanè populo dicere *Orate pro me fratres & sorores*, vt hodie in Missa fit, nisi populus, quid dicatur & audiat, & intelligat, nihil aliud sit, quàm ludere. Durandus tamen ait: *Sacerdos ante secretellam voluens se ad populum dicturus, Orate fratres, &c. debet dicere, Dominus vobiscum sub silentio.*

Durand. lib. 4.

Hardingus autem ait.*Soter decreuit,non vt hi duo cum sacerdote communicarent,sed tantùm vt ei adessent:Ergo verisimile est,sacerdotem solum accepisse:quod genus argumentandi apud aduersarios nostros vsitatissimum est.* Verùm quid si hi duo, neque communicare, neque omnino interesse velint? Hardingus quidem existimat pium sacerdotis studium minimè debere sociorũ inopia impediri.Hęc enim paulo antè ipsius verba sunt:*Esto:nemo veniat. Non est hac satis iusta causa, cur nunc fidelis & pius sacerdos Dei amore inflammatus,& cœlestem cibum,atque potum esurire se, & sitire sentiens ab eo arceretur.&c.* Soter satis hanc magnam iustámque causam esse iudicat:Hardingus autem contrà sentit.Iudicium lectoris esto.

Quod attinet ad vim argumentationis illius,cuius nos aduersarios(vt illi placet) suos insimulat,spero equidem iamdudum discrimen aliquod inter nostras rationes, illiúsque coniecturas apparere.Illud autem argumentum,quod ipse intelligit,neque explanauit,in scholis appellatur *Argumentum ab authoritate negatiuè*,& tum demum valere existimatur, quando à verbo Dei ducitur: neque à nobis tantùm, sed & à D. Paulo multisque Patribus catholicis vsurpatur. D. Paulus ait: *Deus non dixit Abrahamo,in tuis seminibus omnes gentes benedicentur,sed in tuo semine, qui est Christus:* atque ex eo se rectè concludere iudicauit.

Ad Galatas.3.

Similiter Origenes ait:*Nam & dominus panem,quem discipulis dabat, & dicebat eis: Accipite & manducate:non distulit,nec seruari iussit in crastinum.* Huiusmodi argumenta Origeni, alisque eruditis patribus satis firma visa sunt,vtcunque ea Hardingo displiceant.Hoc genus in Diuinis præceptis tenere iudicatur, quia ea integra sunt, suisque numeris absoluta, Deúsque nobis, ne quicquam illis vel adderemus,vel detraheremus interdixit:& proinde ab illis non improbatur, qui à Christo didicerunt,*Vnus est magister vester Christus*:& Dei patris vocem de cœlo audiuerunt dicentem,*Ipsum audite.* Is autem,qui verbo Dei,quicquid illis libitum erit,apponunt, & Dei voluntatem suis placitis subiiciunt,atque mandata Dei propter suas traditiones violant, firmum videri non potest. Denique si hæc argumentatio legitima fuerit,cur eam Hardingus improbat? si vitiosa sit,cur illa vsus est ipse,etiam eodem in loco,in quo eam reprehendit?At Soterem Hardingus duorum tantùm præsentiam sanxisse contendit, quos tamen non iussit communicare: ergo sacerdos solus communicauit,atque inde priuata Missa necessariò concluditur. Verùm attende paululum,Lector.Primùm,si duo isti cum sacerdote communicare deberent,tum ex hoc decreto nihil adhuc nactus est Hardingus,quod ad priuatam Missam stabiliendam faciat.Deinde, hoc decretum perpende,quod Calixto adscribitur *Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus Sic enim & Apostoli statuerunt,& sancta Romana tenet Ecclesia.* Hoc decretum duos illos astrinxit,vel cum sacerdote cummunicandi,vel ex Ecclesia exeundi necessitate.Si communicarent,tum nullam hîc reperit Hardingus priuatam Missam:si discederent,tum nullam sacerdos omnino Missam celebrare potuit. Soter enim duorum ad minimum præsentiam postulat.

Origen. in Leuit.Homil.5.

Matth.23.
Matth.17.

Matth.15.

De consec.dist. 2.Peracta.

De consec.dist. 1. Episcopus.

Iam verò argumentum,quod Hardingus ex isto decreto concludit,

Tres homines adfuerunt.Ergo,
Duo ex illis communicarunt:

Prorsus ineptum est atque insulsum.Ita potius conclusisset:

Soter duos adesse præcipit,
Ergo,multo quidem magis eos communicare iubet.

Præterea verò & ratio ipsa,& communis Ecclesiæ illius vsus postulabat, vt isti duo, quos Soter sacerdoti adesse decreuit,vel presbyteri,vel diaconi,vel certè clerici essent, præter illam Laicorum multitudinem,sicuti reuera est in glossa definitum.Atque ita istud Soteris decretum cum altero Anacleti in eãdem ferè sententiam lato congruit. *Episcopus Deo sacrificans testes secum habeat aut septem,aut quinque,aut tres diaconos,& subdiaconos,atque reliquos ministros*: cum alio insuper ab eodem ipso Sotere facto *Sacerdos quisque sacrificans habeat post se vicini solaminis adiutorem, qui eius vicem exequatur intrepidus,si ei passio aliqua perniciosa vel inualetudo occurrerit.* Atque erat sanè presbytero necessarium præstò semper adesse,quantumuis alij vel clerici,vel laici adessent.

De con. dist.1. hoc quoque in glossa.
De cons. dist.1. Episcopus Deo.
De cons. dist.1. Vt illud.

Quare cum vel presbyteri,vel clerici essent,& Liturgiæ interessent,disertis legum Ecclesiasticarum sanctionibus cogebantur cum sacerdote communicare, quemadmodum ex hoc decreto inter Apostolorum canones numerato apparet: *Si quis Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, vel quilibet ex sacerdotali catalogo facta oblatione nen communicauerit:aut causam dicat, vt si rationabilis fuerit,veniam consequatur:aut si non dixerit,communione priuetur.* Quocirca, quicunque tandem isti duo essent,quos Soter sacerdoti præsentes adesse vult, siue laici, siue clerici, legum sanctionibus vnà cum sacerdote communicare vrgebantur. Itaque Hardingus hactenus communionem inuenit, priuatæ vero Missæ ne vestigium quidem vllum aspicere potuit.

Canon. Apost. Can.9.

Hardingus. 30. Sectio.

IN Concilio quodam Agathæ ciuitatis Franciæ,quæ tum Gallia dicebatur circiter Chrysostomi ætatem habito,vetus decretum Fabiani Episcopi Romani ac martyris, atque etiam consilij Elibertini sancto Syluestro Papa celebrati anno Domini 314.renouatum est,in quo sancitum fuit, vt omnes seculares ter quotannis communicarent,nempe in Paschate,Pentecoste,& Natalitiis.Cautum quoque in eodem concilio fuit,vt Missas

Ex consilio. Agathonis.cã.31.Missas die Dominico secularibus totas audire

speciali ordine præcipimus, ita, vt ante benedictionẽ sacerdotis egredi populus non præsumat. Quod si fecerint, ab Episcopo publicè confundantur. *De con. distin. 1. Cum ad celebrandas Missas.*

Missas die Dominico quoque integras audirent, neque ante sacerdotis benedictionem egrederentur. Ita ergo Missam singulis dominicis audire, communicare verò ter quotannis tenebantur. Idem quoque in Aureliano concilio decretũ fuit. Quare verisimile est in paruis oppidis ac vicis Missam aliquando fuisse celebratam, vt plures interim simul non communicarent.

Priuata Missa verisimilitudine cõfirmatur.

Episcopus Sarisburiensis.

NOn est nescius Hardingus istos canones, quorum hic meminit neque in Concilio Agathensi apud Gallos, neque in Elibertino apud Hispanos habito vnquam inueniri scriptos potuisse: sed centenis aliquot pòst annis à Gratiano quodam fuisse editos, horúmque conciliorũ titulis ornatos, homine singulari quidem industria, sicuti ex collectitiis ipsius scriptis patet, sed tenui admodum iudicio, quemadmodum ex rerum delectu, quo est vsus, intelligi potest. Hunc tamen in locum Hardingus plures ex illis contulit atque congessit, vt mutuam sibi operam nauarent, & authoritatis inde nonnihil conciliarent.

Hardingus concilia citat, quæ minimè extant.

Sed vt demus horum decretorum integram esse fidem, & Gratianum in iis colligendis nihil in se fraudis admisisse, Hardingo tamen parum profectò prosunt. Nam cum pluribus cum aliis nominibus opprimunt, tum priuatam ipsius Missam nihil subleuant. Sic enim ab vtroque concilio definitur: *Qui in Natali Domini, Paschate, & Pentecoste non communicant, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.* Ex his generalibus conciliis apparet, in tota Ecclesia Romana neminem omnino (Missatores quosdam sacerdotes excipio) dignum esse, qui catholicus cẽseatur.

De consf. dist. 2 Secularis.

Atque vt propiùs ad rem accedamus, qui horum decretorum sententiã accuratiùs inspexerit, ea nullo pacto posse cum illius Ecclesiæ statu congruere facilè animaduerterit. Nam, præterquã quòd suprà ex Hieronymi atque Augustini testimoniis euici, sacram communionẽ Romæ quotidie fuisse populo distributam, Fabianus Episcopus Romanus, quem hîc Hardingus etiam testem adduxit, disertè sanxit, vt populus non Missam singulis dominicis, sicuti Hardingus pro certo affirmauit, audiret, sed vt communionem singulis dominicis perciperet. Perspicua sunt ipsius verba. *Decernimus vt in omnibus dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus fiat, tam panis, quàm vini.* Ex his verbis non modò colligitur communionem Dominico quoque die fuisse celebratam, verùm etiã ἐν παρόδῳ animaduerti potest, ex hoc Fabiani testimonio ma nifestnm esse, & viros, & mulieres altaris sacrificium fecisse, idque panis & vini, ac proinde consentaneum ordini Melchisedec. Ideo Bernardus ait: *Non solus sacerdos sacrificat, sed totus conuentus fidelium.* His rebus diligenter expensis, ea sententia, quam ex his decretis tam vehementer Hardingus exprimere atque extorquere cupit, omnibus videbitur incredibilis. Porro, quando vel Augustinus, vel Hieronymus, vel Chrysostomus, vel alius quispiam eruditus pater aut doctor eo sæculo istiusmodi vnquam loquendi ratione vsus est, *Audire Missas?* Hæc orationis forma adeo fuit illis hominibus incognita atque peregrina, vt ne in prototypis quidem horum decretorum inueniatur: in quibus hæc modo verba sunt, *Tenere Missas*, sicuti ex libro conciliorum perspici potest, in quo ea in margine consultò notantur. Itali hodie videntur multos aptiùs loqui. Eos enim, qui Missas audiunt, neque audita intelligunt, *Videre Missas* dicunt.

Inter Decreta Fabiani. cap. 7.

Bernard. in serm. in die purific.

Concil. Agathen. can. 31.

Quandoquidem autem Hardingus tantopere delectari videtur hoc loquendi genere, *Audire Missas*, vt imperito fortasse alicui persuadet, populum, dum ea audit, quę non intelligit, pietatis & religionis partibus satisfacere, & in eo primitiuam Ecclesiã imitari, ego etiam ab illo quæram, quis vnquam eruditus doctor, quísue pater antiquus, hanc vocẽ, *Audire*, eo sensu vsurpauerit? Equidem Christus auditum ab intellectu in piis minimè seiungit. Sic ait: *Audite & intelligite.* Et Sapiens dicit: *Si inclinaueris aurem tuam, accipies scientiam.* Deus etiam ipse in Deuteronomio inquit: *Recitabis verba huius legis in conspectu totius populi Israel: &c. vt audientes discant, & metuant Dominum Deum vestrum, & custodiant atque impleant omnia verba huius legis.* In libro Regum ita scribitur: *Loquere nobis Syriacè: nam audimus*: id est intelligimus. Eò etiam nobis Deus audiendi facultatem largitus est, quò instrumento ad doctrinam, atque scientiam consequendam necessario instructi essemus: eáque de causa auditum Aristoteles intelligendi sensum appellauit.

Audire Missam

Matth. 15. Ecclef. 6. Deuter. 31. 4. Reg. cap. 18.

Audire enim nec quicquam intelligere, nihil minus est, quàm audire. Cicero habet: *In illis linguis, quas non intelligimus, quæ sunt innumerabiles, surdi profectò sumus.* Vnde cõstat, ignaros homines, qui Missam peregrina & ignota lingua celebratam audiunt, surdos esse, nec omnino Missam vllam audire. Iustinianus Imperator ait: *Non multum interest, vtrùm abfuerit tutor, cum negotium contraheretur, an præsens ignorauerit, quale esset, quod contrahebatur.* Alio etiam in loco similiter inquit: *Coram Titio aliquid facere iussus, non videtur præsente eo fecisse, nisi is intelligat.* In quæ verba sic scribit Alciatus: *Quid opus erat, eius præsentiam adhibere, qui quod agatur, non intelligat? Siquidem aiebat Epicharmus philosophus, mentem esse, quæ videt, non oculos. Qui ergo animo non adest, abesse videtur.*

Cic. in Tuscul. quæstionibus.

De authori. & consen. tutor. & cur. Non multum. De verbor. & rer. significat. Andre. Alciat.

His ego testimoniis, quàm alijs vti malui, quandoquidem in eis lumen sensúsque naturę elucet. Quínam ergo putauit Hardingus fieri posse, vt istorum verborum, *Audire Missam*, inuolucris tectus, hominum aspectum fugeret? Perinde certè à communi opinione atque iudicio abhorret, si quis se Missam audire velle dicat, atque concionem videre. Quid enim Missa habet, quod ab indoctis audiatur? Oblatio, quam illi fingunt, externa actio est, & proinde visu, non auditu percipitur: Consecratio cuiusmodi apud illos habetur, secreto peragitur, neque debet audiri: Com-

Audire Missam: Videre cõcionem.

munio prorsus nulla est,atque idcirco non potest audiri.Hæ tres illæ sunt principes atque οὐσιώδεις partes,ex quibus Hardingus vniuersam Missam constare defendit.Quare non video,quemadmodum Missa audiri à vulgo imperito dicatur,cum nullam eius partem audiat.

Si per hanc vocem,Missa,preces eas,quæ in Missa fiunt, intelligat, homines illiterati eas non intelligunt,& proinde ne audiunt quidem. Chrysostomus de eo loquens, qui conceptas alieno atque incognito sermone preces audit,ita ait:*Tu rectè oras,spiritu,scilicet,concitatus sonas: sed ille nec audiens,nec intelligẽs ea,quæ dicis,paruam ex ea re vtilitatem capit.* D.Paulus similiter ait: *Qui loquitur lingua,non hominibus loquitur, sed Deo: nullus enim audit.* Hardingus indoctos Missam, cæterásque preces audire contendit, etiamsi nihil prorsus eorum,quæ dicuntur, intelligant: Paulus autem, atque Chrysostomus indoctos proinde audire negant, quia nihil intelligunt. Deus impiis,non piis dicit,*Auribus audietis,& non intelligetis.*

Chrysost.in 1. Cor.hom.35. 1.Cor.14. Esa.6. Matth.13.

Nunc,quid Hardingus ex his duobus Conciliis concludat,videamus:*Ergo*(inquit)*verisimile est, in vicis præsertim ac pagis Missam fuisse procuratam sine omni communicantium multitudine.* *Verisimile est*,in scholis,& in disputando parum semper valuit.

Verisimile est.

Vides,lector optime,quicquid istuc rei tandem fuerit, nihil certè aliud esse, quàm coniecturam,eámque etiam,vt pòst apparebit,futilem cæcámque coniecturam. Mirum sanè est rem causámque tantam,tam leuibus argumentis comprobari.Vos populum edocuistis ipsum Christum in Missa illa vestra verè & reipsa pro mundi peccatis in sacrificium offerri: quicquid pro nobis vel egit,vel tulit,in ea ad viuum exprimi:reges,principes reliquósque omnes omnium ordinum homines ei se subiicere oportere.Interim eam per annos sexcentos non nisi in vicis, atque villis inuenire licuit,idque solummodo ex coniectura, vanissimáque diuinatione. Nunquámne potuit toto illo tempore ciuitates, & oppida maiora inire? Cúmque ea sit dignitate atque præstantia, ita nemo est,qui,à quo diuulgata primò & celebrata fuerit,indicare possit?

Innocent.3. in prologo de officio Missæ. Durand.lib.4. Rupertus de Missa.

Quid si autem ex ipsis huius Concilij verbis,quibus Missam Hardingus suam fulsit, argumentum minimè obscurum sumi possit,vnde ea refellatur.Verba sic habent: *Omnes seculares communicent ter quotannis.* Hoc nimirum secularibus duntaxat hominibus concessum indultúmque fuit: vnde necessariò fit,Ecclesiasticos homines ipsos scilicet sacerdotes,diaconos, clericos, aliósque eius generis vniuersos,nullo fuisse priuilegio donatos,quominus pro more pristino communicarent, quotiescunque vlla haberetur communio. Atque ita cum perspicua horum conciliorum verba sacerdotem non communicasse solum euincunt: tum suam Hardingus priuatam nondum inuenit Missam.

Verùm vt rem omnem certius perspectam non ex coniectura aliqua, sed ex ipsa Ecclesiastica illius ætatis politia habeamus,intelligendum est, hæc atque huiusmodi alia decreta non de maxima plebis parte,quæ eo tempore communicare consueuit, quandocunque conuentus aliquis ageretur,fuisse lata,sed de paucis duntaxat hominibus,quorum insignis extitit negligentia atque peruersitas.Nam quid in more plerisque esset,optimè potest ex omnibus illius Ecclesiæ monumentis patere.Quòd autem villas Hardingus & pagos excepit, in eísque priuatam fuisse Missam fingit,in quodam concilio Gerundæ Hispanorum habito decretum & cautum fuit, vt minores quæquæ rusticanæ Ecclesiæ se ad metropolitanas ciuitatum atque vrbium Ecclesias conformarent,& effingerent,non solùm in Communionis administrandæ ratione,verùm etiam in psalmodia,& reliqua omni liturgia. Sed in metropolitanis Ecclesiis nullam fuisse priuatam Missam ipse Hardingus confitetur:ex quo necessaria consequutione efficitur(obtinente hoc Gerundensi concilio)nullas extitisse eo tempore in pagis ac vicis priuatas Missas.

Concil. Gerunden.Can.1. De cons dist.2. Institutio Missarum.

Populum autem trita cõsuetudine sacramentum dominicis diebus quibusq;accepisse,ex certissimis firmissimísque testimoniis apparet.Concilium Matisconæ in Italia habitum hunc canonem tulit:*Decreuimus vt omnibus dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus offeratur.* Similiter in Antisiodorensi concilio decretum fuit:*Decernimus,vt vnaquæque mulier, quando communicat, Dominicalem suum habeat. Quòd si non habuerit, in alium diem dominicum non communicet.* Quinetiam Carolus Magnus, longo pòst interuallo cum alias leges Ecclesiasticas, tum istam promulgauit:*Vt populi oblationes sacerdotibus in Ecclesia offerant,& in die dominico communicent.* Ex his conciliis ac decretis planissimè, repudiatis omnibus coniecturis, constat, populum eo omni tempore,atque adeò multis pòst annis diebus quibusque dominicis sacra mysteria percipere consueuisse.Quapropter longiùs adhuc inuestiganda est sua Hardingo priuata Missa.

Concil. Matiscon.2.Can.4. Concil.Antisiodor.Can.42. Lib.6.cap.162. ex Cassandro.

Hardingus. 31. Sectio.

IN illo Agathensi concilio decretum quoddam reperitur, à patribus in eodem congregatis factum,ex quo [a]*manifestum esse potest,sacerdos Missas sæpenumero celebrasse,nemine interim vnà communicante. Illius hæc sunt verba*: Si quis extra parochias,in quibus legitimus est, ordinariúsque conuentus, oratorium habere voluerit,reliquis festiuitatibus,vt ibi Missam audiat,propter fatigationem familiæ, iusta ordinatione permittimus. Pascha verò, Natali Domini, Epiphania, Ascensione Domini, Pentecoste, & Natali sancti Ioannis Baptistæ, & si qui maximi dies in festiuitatibus habentur, non nisi in ciuitatibus,aut parochiis audiant: Clerici verò,si in his festiuitatibus, quas suprà diximus, nisi iubente aut permittente Episcopo, ibi Missas celebrare voluerint, communione priuen-

Can.21.

[a] Falsum: contrarium potius apparet, nedũ tale aliquid.

priuentur. *Ex isto decreto discimus, Missas tum vulgo habitas, fuisse domi in priuatis sacellis, quando populus ad communionem pro more & consuetudine non accederet. Nam quandocunque vel ex canonum præscripto, vel consuetudine communicaret, sicuti in diebus festis suprà memoratis, tum verò prohibiti sunt sacerdotes Missas in secretis oratoriis, aut sacellis extra parœciales Ecclesias celebrare. Ex hoc facilè intelligimus sacerdotes in huiusmodi locis Missam confecisse propria, & patrisfamiliâs pietate commotos, cum nullus ex domesticis vnâ communicare vellet. Similia decreta reperiuntur Concilij Aruernensis ca.14. Concilij Constantinopol. generalis in Trullo. Ca.31.*

Episcopus Sarisburiensis.

HIc locus nihil noui habet: quò faciliùs ex superiori responso expediri poterit. Obiter tamen hinc cognoscere licet, antiquos patres, quoties Missæ vocabulo vtuntur, non priuatam semper Missam, sicuti Hardingus omnibus persuasum esse contendit, sed Communionem intelligere. Verba sunt eiusmodi: Pascha, Natali Domini, Epiphania, Ascensione Domini, Pentecoste, & Natali sancti Ioannis Baptistæ, non nisi in ciuitatibus, aut parochiis teneant Missas. Iam verò constat, ipséque Hardingus confitetur, in maioribus parœciis atque ciuitatibus, cum festi dies agitarentur, generales communiones, quæ vniuersæ plebi inseruirent, non priuatas Missas fuisse institutas.

Missa significat cōmunionem.

Quanquam ad erroris præripiendam ansam, memoria etiam tenendum erit, Missæ nomen apud veteres authores nullam interdum omnino Missam, neque priuatam, neque publicam ostendere, sed popularem tantùm concionem loco & tempore precum congregatam significare, id quod cùm aliàs variis modis, tum ex vetustis Latinis è Græco translationibus intelligi potest. Quando enim Græcus author eo verbo vtitur, quod concilium seu cœtum populi declarat, Latinus interpres sæpenumero Missam conuertit. Exempli causa Sozomenus sic Græcè habet: ἐκκλησιάζοντος τοῦ λαοῦ, *Populo concionem habente*: Epiphanius autem sic latinè transtulit: *Cum populus congregaretur ad Missas.* Socrates quoque sic Græcè scripsit καθ' ἑαυτοὺς ἐκκλησιάζειν: id est, *Concilium per se habere*: Epiphanius verò sic Latinè reddidit: *Apud seipsos Missarum celebrare solennia.* Ex his aliísque eiusdem generis compluribus locis, quæ sciens prætereo, nemini potest esse dubium, quin *Missa* nomen nullo modo pro Missa, sed pro hominum multitudine in vnum locum conueniente sumatur: vnde etiam omnia publicarum precationum genera nonnunquam Missæ dicta sunt, sicuti ex Cassiano, antiquo scriptore, & Chrysostomi quondam auditore, patet *in Canone diuinarum orationum*, & ex Honoriō, atque aliis, quod attigisse modò satis est. Verùm enimuero, quæcunque tandem huius vocabuli significationes legantur, nunquam tamen apud vllum antiquum authorem pro priuata Missa reperiemus vsurpatum, quicquid hactenus Hardingus contenderit.

Missa quēuis populi conuentū significat.

Sozomenus lib. 7. cap. 5.
Epipha. in Tripartit. hist. lib. 9. cap. 9.
Socrates lib. 5. cap. 15.
Epipha. in Tripart. hist. lib. 7. cap. 31.
Cassianus. lib. 3. cap. 12.

Missa apud priscos authores nunquā sumitur pro priuata Missa.

Iam verò siquis defenderit, concilium istud Agathense, quod hîc introducitur, *Missæ* nomine nihil aliud, quàm preces consuetas ac vsitatas intellexisse, quò sensu à vetustis authoribus sæpius positum esse docui, atque ita hominibus iis, qui procul ab Ecclesia habitarent, veniam quondam permisisse, preces duntaxat vulgares domi suæ audiendi, vt quoties interim communicare vellent, ad parœciales Ecclesias proficiscerentur, nón multum fortasse repererit Hardingus, quod contradicat. Quòd si verò hanc violentam esse, & coactam interpretationem, à me solo excogitatam affirmauerit, eandem hanc consuetudinem in pluribus etiam intra hoc regnum parœciis hodie obseruatam esse, ipsúmque ius discrimen statuere *inter Ecclesiam parochialem, & Ecclesiam baptismalem, meminerit.*

16. quæst. quidā Abbas.

Verùm vt demus *Missam* hanc, in hisce canonibus pro Missa, hoc est, pro sacramentorum administratione sumi: non tamen ex eo poterit Hardingus quod proposuit efficere. Cuiusmodi est enim hæc ratio, *In solennioribus festis diebus sacerdos sacramentum solenniter in publica Ecclesia cum tota parœcia accepit: Ergo, aliis diebus solus sumpsit?* Vel quomodo cohæret hoc argumentum, *Quibusdam diebus totus populus communicauit: Ergo, aliis diebus sacerdos solus accepit?* Aut hoc, *Sacerdos in sacello sacramentum procurauit: Ergo, priuatam Missam obijt?* Quid Hardingum impulit, vt ita concluderet? Nemóne fuit in sacello, qui cum sacerdote communicaret? Ex ipso adeo canone constat, idoneum legitimúmque numerum esse oportere. Quòd autem huiusmodi conuentibus, atque in domibus etiam priuatis communio celebrari soleret, patet ex præfatione concilij Gangrensis contra hæreticum Eustachium instituti. Verba hæc sunt: *In domibus coniugatorum ne orationes quidem debere celebrari persuaserunt, in tantum, vt easdem fieri vetent: & oblationibus, quæ in domibus factæ fuerint, minimè communicandum esse decernant.* Hîc non modò communionem, sed & legitimam in ædibus priuatis communionem habemus.

Can. 21. In quibus est legitimus ordinariúsque conuentus.

In præfatione concil. Gāgren.

Proferat nunc tantūdem Hardingus pro legitima Missæ priuatæ celebratione, vel pro vlla omnino priuata Missa, remotis suis illis diuinationibus atque coniecturis: & nostram demum, quantum volet, subscriptionem vrgeat.

Vides,Lector,quàm hæc sint infirma auxilia. In superiore loco Missam suam in villis ac pagis peruestigauit,nunc eam in priuatis ædibus venatur,nec in eam incurrit. Hi priuatæ se Missæ suæ vsum atque possessionem mille quingentis sexaginta plus minùs annis habuisse iactitant. Quapropter illos ex tam diuturno tempore, ex tot doctoribus atque conciliis, eius nullas, nisi tam exiles confirmationes adducere posse mirandum videatur.

Concil. Agathen. Can. 60.

Sed vt ad obscuras Hardingi coniecturas apertiùs adhuc respondeamus, ex disertis eiusdem Agathensis concilij verbis apparet,eo seculo populum sacram Eucharistiam vnà cum sacerdote percepisse,non sibi sacerdotem soli confecisse. Hæc verba sunt: *Lapsi in hæresim agentes pœnitentiam,cum catechumeni egredi commonentur,discedant.* Iussi sunt egredi, non, vt Missam ne audirent, sed ne cum cæteris communicarent. Nam & Hardingus, & omnes ferè norunt, eos, qui nuper Christo nomen dedissent,neque adhuc baptizarentur,quos *Catechumenos* vocabant, similiter etiam *Pœnitentes* post finitam homiliam templo exclusos esse, antequam sacra mysteria peragerentur,ne cum reliquis fratribus communicarent. Ex quo liquidò claréque euinci potest, cæteros,qui remanserant,omnes simul communicasse. Atque hoc est, quod in eodem canone sequitur: *Hoc si obseruare voluerint,constituto tempore admittendis ad altare,*(id est, ad mensam eucharisticam,) *obseruatio relaxatur*, vt vnà cum Ecclesia communicent, neque deinceps exire iubeantur.

Epistola decretal. Silicij.

Huic autem alius canon astipulatur Siricij nomine editus de eadem re,his verbis: *Qui acta pœnitentia tanquam canes,ad pristinos vomitus redeunt, sola intra Ecclesiam fidelibus oratione iungantur, sacris mysteriorum celebritatibus,quanquam non mercantur,intersint,Dominicæ autem mensæ communione segregentur,vt hac saltem distinctione correcti,& ipsi in se sua errata castigent,& aliis exemplum tribuant.* Hinc perspicuè videmus,cum cæteros communicasse,tum eos,qui pietatem læserant, à communione fuisse prohibitos,vt aliis exemplo essent. Quale autem exemplum esse potuit,si omnes omnino à communione abstinuissent?

Hardingus. 32. Sectio.

Hardingus Missam suam puerili fabula confirmat.

[a] Ioannes Eleemosynarius claruit anno domini 610.

Nunc videamus quodnam antiquorum patrum pro priuata Missa exemplum habeamus. Leontius natione Græcus,ciuitatis cuiusdam in occidentali Ecclesia,quæ vocatur Neapolis,Episcopus,vitam beati Ioannis sancti illius Alexandriæ patriarchæ,qui propter singularem ipsius erga inopes munificentiam, vulgò [a] Eleemosynarius dictus est,scriptis illustrans,hanc historiam narrat,ex qua apparet fuisse eo tempore priuatam Missam. Quanquam interpres, qui huius vitam in Latinum transtulit, propter seculi,in quo vixit, inscitiam rudis sit & impolitus,veritatis tamen ergò non me pigebit ea describere, quæ meo proposito inseruiunt,recitatis ipsius authoris verbis.

Malitiam reseruantem quendam industrium contra alium principem, audiens hic magnus Ioannes,monuit eum sæpe,& suasit ad concordiam,&non potuit eum conuertere ad pacem. Semel ergo ad eum mittit,& adducit eum sanctus quasi pro republica, & facit Missas in oratorio suo,nullum habens secum nisi ministrum suum. Cum ergo sancta benedixisset patriarcha, & orationem Dominicam inchoasset,cœperunt dicere tantùm tres illi,Pater noster. Et quum peruenissent ad sermonem,quo dicitur,dimitte nobis debita nostra,sic it & nos dimittimus debitoribus nostris: Innuit domestico patriarcha, vt taceret. Siluit ergo & patriarcha, & remansit princeps solus dicens versum,dimitte nobis,sicut & nos dimittimus. Et statim conuersus sanctus dicit ei mansueta voce, vide in quàm terribili voce dicas Deo, quoniam sicut ego dimitto,ità & tu dimitte mihi. Et tanquam ab igne statim cruciatum ferens prædictus princeps cecidit in faciē ad pedes sancti,dicens: Quæcunque iusseris,domine,faciet seruus tuus. Et reconciliatus est inimico suo cum omni veritate.

Priuata Missa. priuata fabula.

Hic Iuellus fatebitur,opinor,priuatam hanc fuisse Missam,locus erat priuatus: cœtus non publicus, aut communis: propositum,quod ad principem illum attinebat,priuatum: Communio etiam priuata,quo ad ipsum patriarcham duntaxat. Præterquam enim quòd historia nullius præterea mentionem faciat,qui communicaret,nequaquam ille potuit certò statuere,an nobilis ille vnà communicaturus esset,nécne. Etenim,cum ei nullo modo potuisset antea persuadere,vt inimico suo ignosceret, exiguam spem habere potuit id tum efficiendi. Præterea etiamsi certò sibi persuasum habuisset, fore, vt eum alteri,quem odisset, hac sancta quadam arte reconciliaret,dubium tamen nobis esse potest,vtrum patriarcha statim nulla interposita vlteriore ac maturiore exploratione atque examinatione,quam Paulus in huiusmodi negotio exigit,potestatem ei facturus esset corporis Dominici ita derepentè sumendi. Iam verò, quod ad famulum attinet, incredibile penè videatur, tantum, támque sanctum patriarcham, atque Episcopum, præsertim ciuitatis eius, in qua tanta esset incolarum frequentia, quanta fuit Alexandriæ, cùm intelligeret Missam, nisi violata Christi institutione (sicut Iuellus opinatur) celebrari non potuisse sine idoneo hominum numero, qui in eodem loco pariter cum eo communicarent: nullum tamen è spirituali suo grege secum habuisse, præter vnum solum, eúmque etiam famulum domesticum. Non tam hebes fuit, vt non cogitaret, famulum subitaneo aliquo dolore correptum, aut indignitatis suæ recordatione ac conscientia improuisò perculsum impediri potuisse, ne communicaret. Si vel istud, vel aliud aliquod obstaculum oblatum fuisset, in quas tum angustias detrusus fuisset patriarcha? Erat ei necesse, si verum sit Iuelli

dogma, Christi institutionem, & consequenter Dei mandatum perrupisse ob alterius defectum, quod certè durum esset. Ego verò existimo Iuellum, qui ex ipso communionis vocabulo, tot, támque discordantia contra priuatam Missam producit argumenta, eam pro iusta ac legitima [a] *communione minimè habiturum, in qua vnus modò adsit, qui cum sacerdote communicet. Patet certè ex ipsius concione, vniuersum populum communicare, aut ex Ecclesia* [b] *extrudi oportere.*

[a] Sancitũ fuit, vt celebrandæ cõmunioni duodecim homines ad minimũ interessent. Basil. exercitat. ad piet. serm. 4.

[b] Hoc decretũ perlatũ fuit, vt aliqui putãt ab Anacleto, & Calixto statim post Apostolorum tẽpora. De cõse. distin. 1. Episcopus.

Episcopus Sarisburiensis.

HOc verò argumentum omnium est acerrimum: breuis responsio suffecerit: vel leuiter enim inspectum sibiipsi satisfecerit. Nulla est, neque in oratione fides, neque in re pondus: Translatio puerilis est: denique, quicquid est, extra sexcentorum annorum ambitum est. D. Augustinus scribit hæreticos quosdam sua ætate, quos Donatistas nominabant, quò & ipsum Augustinum, & cæteros orthodoxos Episcopos in disputationibus vicisse viderentur, cunctísque persuaderent, satis se frequentes habere astipulatores, fuci faciendi causa, articulis suis nomina quorundam subscribere solitos esse, qui & obiissent, nec vnquam cum Donato sensissent. Eandem hîc Hardingus (vt mihi videtur) artem exercere cœpit. Nam quis iste Leontius est, qui hanc historiam scriptis mandauit? Aut quis vnquam priùs eius nomen vel audiuit? Aliquem (opinor) è septem dormientibus excitauit, qui ei Missam facienti nauaret operam. Debuit nobis indicasse, vt mos ipsius est, quis nouus iste doctor esset: quæ opera scripsisset: vbi, quando, qua ætate, & quanta apud homines suos fide vixisset.

August. epist. 152.

Si quidem Ioannem Eleemosynarium istum post sexcentos à Christo annos floruisse, & hûc, qui scripsit eius vitam, Leontium illo adhuc longè fuisse recentiorem dixisset, hæc sola circunstantia toti rei abundè satisfecisset. Nam, vt cætera omnia, quæ finguntur, essent certissima, mea tamen defensio constaret, Hardingum nequaquam posse intra sexcentos post Christum annos priuatam suam Missam demonstrare. Vincentius in eo libro, quem speculum inscripsit, sic habet: *Gregorio successit Bonifacius in sede Romana. Hic ab imperatore Phoca impetrauit, vt Ecclesia Romana esset caput omnium Ecclesiarum, idq; propterea quòd Constantinopolitana Ecclesia eum sibi titulum arrogasset. Proximo post anno Augustinus, qui fuit Anglorum Episcopus obiit, sequente anno Ioannes Eleemosynarius claruit:* (quo primum tempore Mahometes suam disseminauit in Arabia religionẽ.) Eadem quoque annorum ratio ex Freculpho, Sabellico, Palmerio, aliísque colligitur. Potuit itaque Hardingus hanc fabulam omisisse, vtpote quæ ipsius tantùm meliorum argumentorum inopiam probat, eiúsque Missam Mahometi coæuam esse confirmet.

Hardingus extra 600. annorum ambitum vagatur.

Vincẽt. in speculo lib. 23. cap. 17.

Anno domini 610.

Verùm vt & temporis defensionem mittamus, & illibatam authoris fidem esse sinamus, ipsius facti probabilitatem perpendamus. Primùm autem, si Ioannem Eleemosynarium priuatam hanc in oratorio suo fecisse Missam constet, videamus quàm id ei per sancta canonum decreta liceret, quos violare Damasus *blasphemiã esse clamat in Spiritum sanctum.* Hardingianus Leõtius scribit Ioãnem Eleemosynarium Missam celebrasse domi in oratorio suo, cum certò sciret neminem vnà communicaturum, præter vnum ex domesticis ministris. Soter autem Papa, quemadmodum suprà meminit Hardingus, disertè vetuit, *ne sacerdos vllus Missam celebrare ausit, sine duobus ad minimum præsentibus.* Et rursum: *Ne presbyterorum quisquam præsumat sacramẽtum procurare, nisi alio presbytero præsente.* In Cõcilio etiam Aurelianensi sic decretum est: *Vnicuique fidelium in domo sua Oratorium habere licet: Missas autem ibi celebrare non licet.* Et in consilio Laodicensi: *Non oportet in domibus oblationes ab Episcopis, siue presbyteris fieri.* idem quoque in Aconensi concilio, & aliis compluribus conciliis, cautum fuit. Quæ cum & tot sint, & tam seueræ sanctiones, minimè est profectò credibile Ioannem Eleemosynarium, tanta præsertim pietate virum ea omnia fuisse sponte, sine causa violaturum. Neque sanè, si Hardingus penitus in rem ipsam intueri voluerit, vllum hîc, vel Missæ, vel panis, vel vini, vel consecrationis, vel oblationis, vel eleuationis, vel altaris, vel vestimenti, vel cuiusquam denique rei ad Missam faciendam necessariæ mentionem inuenerit. Quòd si etiam celebratam eo in loco Missam fuisse constiterit, alia tamen incurrit dubitatio, quisnam trium horum eam peregerit: Episcopúsne, an nobilis, an minister? Nihil enim hîc aliud dilucidè proditum est, quàm precationem Dominicam ab illis tribus esse recitatam. Quod priuatæ Missæ rationi nequaquam conuenit. In ea enim sacerdos cum solus accipit, tum orationem Dominicam solus nuncupat. In communione verò populus Dominicam precationem & totus simul pronunciabat, vti Gregorius perhibet, & totus simul communicabat. Ita pro Missa testem Hardingus adducit eum, qui nihil pro Missa testificetur. Ius ait, *Qui mutum exhibet, nihil exhibet.*

25. quest. 1. violatores.

De conse. dist. 1. hoc quoque.

De conse. dist. 1. vt illud.

De conse. dist. 1 vnicuique.]

Conci. Laodic. Can. 58.

Gregor. lib. 7. epist. 63.

De verb. & rer. significat. apud Labeonem.

At ipsum nomen Missæ obiiciet, quod hîc reperitur: *& facit Missas.* Deinde vt probabilitatis aliquid adiungat Hardingus, falsam ipse interpretationem interponit suam. Hæc enim verba, *Cum benedixisset sancta*, hoc modo conuertit, *cum consecrasset sacramentum*: Similiter ista verba, *post finem Orationum*, in hanc sententiam transtulit, *postquam perfecisset orationem consecrationis*: quanquam satis sciret, hisce verbis nullam, neque sacramenti, neque consecrationis mentionẽ contineri. Atq; ita vocat ea, quę nõ sunt, tanquã sint: nec metuit interim legẽ Corneliã de falsis. Non pugnabit tamẽ, credo, quò minùs, hîc quidẽ dolo se malo vsum esse fateatur. At hîc Missæ vocabulũ,

inquiet, disertè habetur. Constat hoc vocabulum minimè Græcum esse, & proinde Leontium istum, quicunque tandem esset, eo cum Græcè scriberet, vti non potuisse. Interpres autem, cum parum Latinè sciret, Græcè quidem multò minus potuisse iudicetur.

Sed vt demus in Missæ verbo nihil esse ambigui, non tamen necessariò consequitur, Missam hoc in loco significari. Nam, vt est à me iam antè pluribus testimoniis comprobatum, Missa sæpenumero pro quauis precatione vsurpatur. Id quod etiam insuper ex epistola quadam Chromatij, & Heliodori ad Hieronymum scripta de Gregorio Cordubensi Episcopo, atque ex Concilio Cabilonensi constare possit. Quod etiam egregiè cum consuetudine atque ratione Ecclesiæ Alexandrinæ tunc temporis consentit. De qua Nicephorus scribit ad hunc modum: *Quarta hebdomadis die, & ea, quæ Parasceue dicitur, Alexandrini scripturas legebant, doctoribus eas interpretantibus: omniáque quæ ad synaxin pertinent, peragebant, præter diuinorum mysteriorum perceptionem, atque eam illi antiquitus habuere consuetudinem.*

Chromatius.
De conf. dist. 2. Solent plures.
Niceph. lib. 12. cap. 34.

Quod ad ista verba attinet, *Benedicere sancta*, non magis ea sacramenti consecrationem significant, quemadmodum Hardingus est illa interpretatus, quàm hæc verba: *Extollite manus vestras in sancta*, iubent nos manus extollere in sacramentum. Chrysostomus in sua liturgia, eadem dicendi forma vsus est, in sensum prorsus discrepantem. Peracta enim iam communione, & populo exitum parante, scribit sacerdotem *benedicere sancta & exuere*: Si hoc, *sancta benedicere*, pro consecrare sumat hîc Hardingus, ingens absurdum sequatur necesse est, videlicet bis fuisse in vna communione consecratum: atque adeo consecrationis iam peractis omnibus fuisse adhibitam. Videri possit Chrysostomus his verbis solennem quandam precationem intellexisse, quæ rem totam concluderet. Mox enim sequitur: *Qui es impletio Legis, & Prophetarum, Christe Deus noster, qui implesti omnem dispensationem paternam, imple gaudio & exultatione corda nostra, nunc, & semper, & in secula seculorum.* Hoc est Chrysostomo, *Benedicite sancta*: atque ista videtur huius Leontij sententia esse, quisque ille tandem fuerit. Denique vt ista omnia concedantur, non tamen inde priuatam Missam Hardingus necessariò queat euincere. Verùm ait: *Locus erat priuatus, cœtus priuatus, propositum priuatum: Vnus tantum nobilis, vnus famulus, omnia priuata.* Tum adiungit: *Durum erat, Episcopum tam pium, in vrbe tam frequente, nullum potuisse reperire, qui vnà communicaret præter famulum duntaxat domesticum.* Durum verò hercle fuit, vt vir nobilis sacerdoti ad Missam ministrare cogeretur: Durum est Hardingum Alexandriam vsque cursare, mille vltra Christianum orbem milliaria, vt suam persequatur Missam, eámque non in publicis Ecclesiis, sed in priuato tantùm oratorio: Durum est sexcentorum à Christo annorum spatio nullam in vniuersa Ecclesia Romana Missam priuatam inueniri potuisse: Durum profectò est Hardingum eò redactum esse, vt Augustino, Hieronymo, Chrysostomo, cæterisque omnibus pietate ac doctrina claris patribus repudiatis, è situ atque puluere excitaret Hippolytum, Abdiam, Leontium, alióisque his consimiles nouos doctores, & nomine & fide carentes, qui hactenus sunt ab omnibus indigni iudicati, qui semel vel citarentur, vel appellarentur.

Chrysost. in liturgia ad finē.

Porro verò coniecturas suas vrget: *Nobilis ex improuiso venit: famulus repentino aliquo dolore, aut indignitatis suæ conscientia detineri potuit, ne communicaret, atque ita sacerdos solus percipere coactus fuisset.* Hic, vt coniecturam coniectura diluam, ita quoque sacerdos ipse fortasse potuisset subitanea aliqua passione tentari (id quod disertè in lege cauetur accidere posse) aut aliqua indignitatis propriæ conscientia commoueri: atque ita nulla fuisset omnino Missa. Istæ verò coniecturæ in re tam graui nimis profectò leues videantur.

De conf. dist. 1. Vt illud.

Collibitum est etiam Hardingo præterea dicere, *Iuellum multa dissonantia, & ἀνάρμοστα argumenta procudere.* Ego mea argumenta haud soleo venditare. Si in Dei auribus rectè sonent, satis congruis harmoniæ numeris constant. Deo laus tribuatur, nos populum vanis diuinationibus & coniecturis minimè seducimus: nos nouos doctores haud accersimus: nos hominum aures mendaciis & fabulis non obtundimus, sicuti Hardingus facit: nos neque mulieres, neque pueros ad communionem confirmandam euocamus, quemadmodum isti ad Missam suam comprobādam facere coguntur.

Ad hæc per ludibrium, vt solet, dicit, *nos eos omnes, qui communicare nolint, è templo eiectos velle.* Quousque tandem Hardinge vias Domini tam malitiosè peruertes? Nosti hanc neque doctrinam esse, neque consuetudinem Ecclesiæ nostræ. Quanquam antiqui doctores & docuerunt ita, & eam quoque disciplinam exercuerunt. Anacletus ait: *Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus.* Calixtus insuper addit: *Sic enim Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.* Iam vero Hardingus ait: *Locus erat priuatus, ergo fuit priuata Missa.* Puer quiuis infirmam hanc esse, & penitus dissolutam rationem facilè perspexerit. Nam quod locum fuisse priuatum ait, Gregorius sic habet de Cassio quodam Episcopo Narniensi: *Missam fecit* (hoc est, communionem celebrauit) *in Oratorio suo inter palatiū, suisq; manibus Dominicum corpus, pacémque omnibus dedit.* Idem extat in præfatione in Concilium Gangrense. In historia verò Tripartita ad hūc modum scribitur: *Nazianzenus Constātinopoli in paruo oratorio, συναγωγὰς ἐποιεῖτο*, hoc est, *Concionem habuit.* Hîc & actionem hanc publicam fuisse, & integram communionem celebratam videmus, quantumuis locus priuatus esset.

De conf. dist. 1. Episcopus.
De conf. dist. 2. Peracta.
Gregor. homil. 37. in Euangel.
In præfatione in Concil. Gangren.
Hist. tripart. li. 9. cap. 8.

Deinde inquit: *Tres tantum fuerunt:*

Ergo vnus solus sacramentum accepit.

Huius

Huius argumenti eadem est, quæ præcedentis, consecutio. Iam perpende, Lector, quàm Hardingus aptè respondeat ad id, quod quæritur. Ego Augustini, aut Hieronymi, aut alterius cuiuspiam Catholici, ac vetusti patris authoritatem postulo: ille fabulam puerilem proponit. Ego de publicæ Ecclesiæ consuetudine quæro: is de priuato oratorio respondet, quasi eo tempore nulla fuissent exædificata templa. Ego, quid in oculis omnium gestum fuerit, percontor: hic, quid in angulo actum esse suspicetur, respondet. Ego certissimam ab eo veritatem peto: ille coniecturas, & cæcas duntaxat augurationes suas expromit.

Equidem Hardingum suam ipsius causam sponte minimè læsurum arbitror. Siquid certius atque firmius inuenire potuisset, in medium proculdubio attulisset. Hæccine illa est vetustas? hæccine illa est, de qua tam gloriosè prædicant, vniuersalitas? Hæccine generalis illa est totius orbis consensio?

Meam nunc contrà huic Fabulæ responsionem, benignissime Lector, accipe.

1. Primùm, permultis decretis cautum fuit, ne sacramentum in priuatis ædibus administraretur: & proinde minimè est verisimile, Ioannem Eleemosynarium, præsertim ea sanctitate hominem contrà aliquid tentare voluisse.

2. Deinde, vocabulum hoc, *Missa*, quo rudis & imperitus interpres vsus est in hoc loco, non necessariò arguit Missam.

3. Tertiò, Hardingus fucandæ rei causa, translationem violenter, & volenter deprauauit.

4. Quartò, vt celebratum fuisse hîc sacramentum daremus, non tamen ex eo sequitur, sacerdotem solum sacramentum percepisse.

5. Quintò, etiamsi priuatam hanc fuisse Missam constaret, Hardingus tamen in rationibus annorum seipsum fefellit, atque ita nihil effecit: fuit enim extra ambitum sexcentorum annorum.

6. Postremò his addo, locum ipsum, in quo ista omnia finguntur esse gesta, malè fuisse delectum, vtpote huic proposito minimè conuenientem. Neque enim potest Hardingus euincere, vllam vnquam Alexandriæ, vel antè, vel pòst habitam fuisse priuatam Missam.

Hardingus. 33. Sectio.

Amphilochius Episcopus Iconiensis, quæ Metropolis est Lycaoniæ, cui Basilius librum suum De spiritu sancto, *& alterum, quem inscripsit* Ascetica, *dedicauit, scribens vitam Basilij, seu potius miracula ab eo vi diuina edita, quæ ipse vocat memoratu digna, vera, & magna miracula: præsertimque fuerunt à tribus illis spectatissimis viris, Gregorio Nazianzeno, Gregorio Nysseno, & diuino Effremo, in suis epitaphiis, seu funebribus scriptis prætermissa: inter cætera insignem quandam historiam commemorat, in qua clarissimum habemus priuatæ Missæ testimonium. Estque ob id ipsum Basilius, quod hac historia comprehenditur peræquè atque ob aliud aliquid, ab eodem Amphilochio* cœlestium virtutum collocutor, & angelicorum ordinum comminister *appellatus. Historia sic habet: Sanctus iste Episcopus Basilius precibus à Deo eam gratiam, sapientiam, & intellectum petiit, vt sacrificium sanguinis Christi offerre posset* propriis sermonibus, *vtque spiritus sanctus in eum superueniret, quò melius hoc ipsum præstare posset. Sex diebus elapsis, superueniente spiritu incidit in eum mentis excessus. Septimo die cœpit Deo ministrare, hoc est, Missam celebrauit quotidie. Cum hoc modo nonnihil temporis consumpsisset, cœpit manu sua per fidem & orationem scribere* Mysteria ministrationis. *Nocte quadam Dominus ad eum venit in visô cum Apostolis, & panem consecrandum in altari posuit, & Basilio excitato dixit:* Secundum postulationem tuam repleatur os tuum laude, vt sacrificium mihi propriis sermonibus offeras.

Fabula Amphilochiana.

Ille visionem oculis haurire minimè valens, tremens surrexit, & ad sacrum altare contendens cœpit recitare, quod in charta scripserat, sic: Repleatur os meum laude, & hymnum dicat gloriæ tuæ Domine Deus, qui creasti nos, & adduxisti in vitam hanc, & cæteras orationes sancti ministerij. *Sequitur deinde:* Et post finem orationum exaltauit panem sine intermissione orans, & dicens, Respice Domine è tabernaculo sancto tuo: & veni, sanctifica nos, qui sedes suprà cũ patre, & nobiscum es inuisibiliter, dignare nos potente manu tua liberare, & per nos omni populo tuo, sancta sanctis. [a]Populus respondit: vnus Sanctus, vnus Dominus noster Iesus Christus, cum Spiritu sancto in gloria Patris: Amen.

Iã videamus quid sequatur, nostro proposito maximè coniunctũ. Et diuidens panem in tres partes, vnã quidẽ cõmunicauit timore multo, alterã vero reseruauit consepelire secũ, tertiã verò imposuit columbæ aureæ, quæ pependit super altare. *Postea nõ multũ à fine huius tractatus sequitur, Basiliũ*[b] *ea hora, quæ ex vita excessit, hostiæ partem illam accepisse, quam secum contumulare decreuerat, & statim in lecto iacentem gratias egisse Deo, atque ita expirasse.*

[a] Populus respõdit, nec tamen aliquis populus præsens adfuit.

Sepultura sacramenti.

[b] Septem annis postquã hæc visio contigisset.

Hãc priuatã fuisse Missã nemo est, qui negare posit. Basilius sacramentum solus accepit, neq; enim homo quisquã in tẽpio vnà fuit. Populus, qui respõdebat is erat, quẽ secũ Christus adduxerat. Atq; hæc nõ somnio aliquo repræsentata, sed diuina volũtate sic verè gesta esse, licet per visum, quale Christus voluit exhibere, Amphilochius disertè testatur. Ait enim Eubulũ quendã, aliósque viros Ecclesiastici ordinis primarios, pro foribus tẽpli interea stãtes, lumina intra templũ, & homines cãdidis vestimentis amictos aspexisse, voceq; populi Deũ glorificãtis audiuisse, ac Basiliũ altari astãtẽ vidisse, atq; ob eã causam ad ipsius pedes, cũ exiret, procidisse. Hic Iuellus, eiusq; cõsacramẽtarij profectò hæsitãt. Nã priuatã Missã fateri nullo modo volũt, quãtũuis optimè cõfirmatã viderint. Aliq.d ergo ambiguitatis excogitãdũ est, quo testimoniũ hoc eludi possit. Quãquã de quo dubitarẽt, equidẽ nõ video. Si de panis, cæteriq; apparatus ad consecrandã hostiã necessarij repre

Huius Fabulæ coactio.

Christus, & Apostoli panem de cœlo deferunt.

3.Reg.11. 3.Reg.19. Daniel. 14.

sentatione ambigant: etiam ambigant de pane & carnibus, quibus Elias sustentatus est in torrente Cherith. In dubium vocent panem & vasculum aquæ quod habuit in Berseba sub Iunipero. Dubitent de pulmento, quod Propheta Abacuk Danieli attulit in prandium è Iudæa Babilonem vsque, cum in speluncam leonum detruderetur. At Amphilochij forsan huius authoritatem suspectam habent. Fieri sanè potest, vt vehementer cupiant insignem illum Episcopum nota aliqua aspergere. Erat enim vigilantissimus pastor, & prudentissimus Ecclesiæ gubernator, qui primus cum Letoio Episcopo Mileti, & cum Flauiano Antiochiæ hæreticos eos euertit, penitusq; profligauit, quos Messalianos, siue Euchitas vocabant, [a]primos sacramentariæ hæreseos parentes: Quorum ea fuit opinio, vt existimarent sacram Eucharistiam, hoc est, sanctissimum altaris sacramentum, neque prodesse quicquam, neque obesse: haud aliter, atque sacramentarij nostri omnia soli fidei tribuunt, ac dignissimum sacramentum nihil aliud vocant, quàm panem [b]typicum, qui nullam in se diuinam vim habeat, aut efficacitatem. Itaque non multum (inquam) miror, siquidem authoritatem Amphilochij imminutam velint. Ego verò Basilium Magnum illis opponam, qui tanti eum fecit, qui tam vnicè eũ amauit, qui dignum eum iudicauit, cui scripta tam excellentia dedicaret: opponam etiam eruditissimum Episcopum Theodoretum, qui æquè eximiis illum laudibus afficit, atque alium quempiam Episcopum, cuius in historia sua meminit, nunquam sine magna honoris præfatione vel nominans, nunc admirandum, nunc sapientissimum, tritissimè laudatissimum appellans. Si verò dubium videatur, an Basilius is esset, qui tale visum precibus à Deo impetrare mereretur, legant, quæ Gregorius Nyssenus, quæ diuinus Ephremus Syrus, & præcipuè, quæ Gregorius Nazianzenus de eo scripserunt: qui duo Gregorij non dubitant illum Eliæ, Mosi, D. Paulo, & si quis alius summus, propterque virtutem nobilissimus fuit, comparare. Vnde absque inuidia meritò dignus habitus est, qui multò sanè magis ob virtutem ac doctrinam præstantem ab omni posteritate Magnus diceretur, quàm cæteri illi Carolus Magnus, Pompeius Magnus, Alexander Magnus, propter militarem virtutem, eo nomine insignirentur. Si totam historiam negent, eámque nunquam fuisse ab Amphilochio scriptam contendant, id verò effugium esset singulare, sed tamen omnium turpissimum, & à ratione, ac doctissimorum consuetudine remotissimum, atque Alexandri facto non dissimile, qui fatalem illum nodum Gordium, quæ ciuitas est Phrygiæ, soluere cupiens, quandoquidem intelligeret orbis imperium satis portendi ei, qui id faceret, cum Liciorum fines explicare minimè posset, nec rationem enodandi reperiret, gladio educto dissecuit, quódque deerat scientiæ, violentia expleuit. Ad asserendam huius historiæ fidem hoc habeo, quod dicam. Præterquam quòd in [c]libro quodam Coloniæ impresso, in quo hominum quorundam sanctorum vitæ continentur, editur, totáque historia summam veritatis speciem præ se fert: etiam in bibliotheca D. Nazarij Veronæ, quæ est ciuitas Italiæ, cernitur, in membrana descripta ante trecentos abhinc annos, & nomen titulumq; Amphilochij Episcopi Iconiensis refert.

[a] Primos potiùs superstitiosorũ, otiosorúmque Monachorum parentes.

[b] Falsum: nunquam enim ita appellauimus.

Theodo. in ecclesiast. historia. lib. 4. c. 11

Theod. lib. 5. ecclesiast. hist. cap. 16.

In Monodia.

[c] Nuper cum aliis Fabulis edito.

Episcopus Sarisburiensis.

AVt hoc iam satis est, aut nihil, opinor, profectò satis erit. Basilij atque Amphilochij authoritas tanta: res tam perspicua: miraculum tam inauditum: memoria tam vetusta: fabula tam verisimilis: somnium tam enucleatum: Archetypum Veronæ, quæ est oppidum Italiæ, in sancti Nazarij bibliotheca summa religione instar reliquiarum quarundam seruatum, in membrana ante annos trecentos descriptum: Basilius singulari virtute Episcopus: Ephremus pater sanctissimus: Amphilochius, vir cælestium virtutum colloquio clarus: nulla denique circunstantia prætermissa, quæ vel tantillum ad fidem conciliandam conferat. Quid his opus erat, si nulla subesset suspicionis causa? Cui librum hunc nunquam videre, atque legere contigit, huiusmodi forsan imaginibus atque pigmentis falli poterit.

Ego autem ipse hunc incognitum doctorem in mea ipsius bibliotheca per hosce viginti annos habui, in membrana similiter exaratum, æquè emendatum atque elegantem, nec omnino minùs authenticum, quàm alterum illud Veronense exemplar: quanquam haud sub Amphilochij nomine: antiquum tamen imprimis, vt facilè apparet. Ipse enim idem author in eodem volumine Thomæ Becketi vitam perscripsit, qui annis ad minimum septingentis post demortuum Amphilochium natus est. Illa itaque de homine post tot demum secula futuro conscripta ab illo historia, diuinatio sit, non historia necesse est. Ipsa adeo nomina vetustorum, sanctitate præcellentium patrum venerationem meritò summam habent. Sed nemini obscurum est, multas futilissimas fabulas, simulatis antiquorum patrum nominibus fucatas prodiisse. Basilij vita à plurimis priscis & claris hominibus copiosè, summáque fide conscripta est, veluti à Gregorio Nysseno ipsius fratre: Gregorio Nazianzeno, amico eius intimo: Gregorio presbytero, Socrate, Theodoreto, Sozomeno, Nicephoro: eámque etiam Chrysostomus in nonnullis locis strictim & breuiter attigit. Tamen ante paucos hosce annos is, qui scripsit vitas patrum, & Iacobus de Voragine, & Vincentius in speculo, qui huic libello Amphilochij nomen imposuisse videntur, eam permultis insulsis inanibúsque fabulis ornarunt: Quanquam ex his nemo ea fuit impudentia, vt putidissimæ istius fabulæ de Missa Hardingiana vel leuiter meminerit.

Quandoquidem verò Augustissimum huiusce sancti patris nomen ad rem hanc testificãdam introducitur, noctu etiam per somnium atque visum gestam, Christo, suísque Apostolis aspectabiliter præsentibus: maximúmque causæ Hardingianæ pondus ex ea pendet, & multi rei nouitate attoniti esse videntur, nonnulli etiam tanquam certissimæ, verissimæque fidem impartiunt, maximè quòd liber iste minimè tritus sit, sumptúsque non exigui foret, Veronam vsque in Italiam

liam mittere nuncium,qui exemplar illinc comportet:dabis mihi veniam,lector optime, si illum tibi aliqua ex parte aperuero,quò ipse de cæteris per te facere iudicium,& cuiusmodi doctoribus Missam Hardingus suam confirmet,perspicere queas.

Vt vanissima cum Diabolis colloquia,visa,somnia,fabulas, aliásque consimiles ipsa futilitate ridendas ineptias prætercam,in quibus vniuersus iste liber consumitur,Tertullianus præclarè ac prudenter monet: *Furibus aliqua semper excidere solent in iudicium.* Quare conferamus istum Hardingianū Amphilochiū cū Socrate,Sozomeno,Gregorio Nazianzeno,Gregorio Nysseno,cæterisque vetustis integræ fidei authoribus,qui res Basilij gestas scriptis de industria mandarunt.

Tertull lib.5. contra Marciō.

Socrates & Sozomenus Basilium adolescentem,Libanij auditorem fuisse scribunt: Hardingianus iste Amphilochius Basilium Libanij fuisse condiscipulum affirmat.

Socrates lib. 4. cap.26. Sozome.lib. 6. cap.17.

Nazianzenus,& Gregorius presbyter Basilium Cæsareæ agentem Eusebio eiusdem ciuitatis episcopo familiariter vsum esse testatur,priusquā in Pontum migraret: Hardingianus Amphilochius eum Eusebio ignotum fuisse post ipsius è Ponto reditum,qui breui postea contigit,neque vllam inter eos necessitudinem,aut omnino notitiam priùs intercessisse scribit.

Nazian.in vita Basilij. Greg. presbyter in vita Nazianzeni.

Amphilochius Hardingianus Basilium Cæsareæ fuisse episcopum Imperante Iuliano dicit: vnde etiam profluxerunt vanissimæ nonnullæ fabulæ: Nazianzenus, qui ei familiarissimus extitit,author est eum Cæsareæ episcopum longo pòst tempore designatum esse, Imperatore Valente:Iuliano autem regnante,omnino episcopum illius ciuitatis non fuisse.

Nazianzen. in vita Basilij.

Hardingianus Amphilochius prolixam fabulam narrat,quemadmodum Mercurius quidam, qui tum obierat,& in diuis relatus fuerat Beatæ Mariæ iussu lanceam è proprio sacello, in quo seruabatur,suam arripuerit, eáque armatus, atque in castra profectus Iulianum Imperatorem interfecerit:quā etiam ait postea repertam esse sanguine respersam.Nazianzenus,Socrates,Theodoretus,& Sozomenus affirmant,nunquam constare potuisse,à quo esset occisus.Hardingianus Amphilochius asserit,Iuliani necem à Basilio fuisse prædictam.Theodoretus eam à Iuliano Sabba,non à Basilio præmonstratam scribit.

Nazianz. in orat.2.contra Iulian. Socrat.lib.3. cap.25. Theodo. lib. 5. cap.21. Sozom.lib.6. cap.2. Theodo. lib. 3. cap.23.

Hardingianus Amphilochius Valentem imperatorem Basilio cessisse dicit:Sozomenus Imperatorem non potuisse à proposito abduci,neque cedere voluisse scribit. Amphilochius Nazianzenum Basilij sepulturæ interfuisse refert:Nazianzenus ipse,cuius maximè intererat nosse, se serò venisse,nec interfuisse testatur.

Sozom.lib.6. cap.16. Nabianz. in Monod. & in epist.35.

Gregorius presbyter tradit,Nazianzenum diu pòst venisse,quàm Basilius sepultus esset:Hardingianus Amphilochius adeo impudens est,vt Nazianzenum,quanta potuit celeritate,accurrisse,& sanctum cadauer vidisse,atque in illud,cum in sepulchro iam poneretur, irruisse dicat. Ex quo patet Amphilochium istum non nimis fuisse prudentem,nec satis attendisse,quid ipse diceret.Si enim Nazianzenus Basilij corpus vidit,quî sepultum esse potuit?si fuit sepultum, quî tum videre licuit?

Gregor. presbyter in vita Nazianzen.

Deinde Hardingianus Amphilochius Gregorium Nazianzenum sedem Apostolicam rexisse annis duodecim scribit. Per sedem Apostolicam,vel Romam, vel Constantinopolin intelligat, necesse est. Si Romam,Nazianzenus ei sedi nunquam præfuit:Si Constantinopolin,cuius reuera ciuitatis episcopus extiterat,ea nunquam fuit sedes Apostolica dicta.Atque ita vtrumuis intelligat,mentitum esse constat.

Nunc,æquissime lector,tuum erit iudicium, num fieri potuisse censeas, vt Amphilochius Iconij episcopus summa necessitudine,& familiaritate cum Basilio coniunctus in eius vita, quem ita penitus nouerat,scribenda,tam multis modis labi potuerit? Si notus Hardingo meliùs fuisset,eius,credo,testimonio supersedisset. Quanquam Vlpianus habet, *etiam monstra, & portentosi partus prosunt.*

De verbor. & rer.significat. Queret aliquis.

Vt veniamus ad rem,Amphilochius Hardingianus ita narrationem instituit: Basilius,cum primùm episcopus esset constitutus, Deum obtestatus est, vt sibi incruentum sacrificium suis verbis offerre liceret:Incidit in eum ecstasis:ad se reuersus est, atque ita obtulit quotidie. Nocte quadam Christus cum Apostolis suis de cœlo ad illum venit : panem simul attulit: expergefecit Basilium,eúmque iussit surgere,& sacrificium offerre. Surrexit,altari repente astitit, preces, quas in chartula descriptas habuit,recitauit:panem eleuauit,eundémque rursus posuit, atque in tres partes diuisit,quarum vnam ipse accepit,alteram consepeliendam secum reseruauit,tertiam in columba aurea suspendit.Ista verò omnia sic gesta sunt Christo,suísque Apostolis adhuc præsentibus,qui ea solummodo de causa de cœlo descenderant, vt Basilio Missam celebranti ministrarent.Quis iam Homero non credat,Iouem diis suis comitatum descendere solitum in AEthiopiam epulandi,suíque oblectandi causa:Aut [a] Angelum Marco monacho sanctissimo sacramētum perpetuò ministrasse,aut [b] Angelos è cœlo venisse,vt Amphilochium Iconij episcopum cōsecrarent:aut [c] Spiritum S.cœlo demissum esse ad Remigium cum pixide sacri olei:aut cum [d] sanctus Arnulphus preces matutinas concubia nocte inciperet,ac diceret, *Domine labia &c.* cæteríque monachi somno sopirentur,Angelorum chorum præsto adfuisse,ac respondisse, *Et os meum annuntiabit laudem tuam.*

[a] Sozom.lib.6. cap.29. [b] Niceph. lib. 11.cap.26. [d] Paulus Aemilius.Gaguinus. [d] Henricus Herfordiensis. cap.49.

Verùm Hardingus plus addit adhuc ponderis, fabulámque hanc ad institutum suum violenter vrget:& quanquam ne semel in ea Missa nomen inueniatur,haud tamen grauatus est sententiam callidè corrumpere, septiésque simul Missæ vocabulum in translatione vsurpare. Nam

Hardingus suā ipsius fabulam corrumpit.

offerre sacrificiũ ei nihil aliud est, quàm Missam celebrare: similiter, *ministrare Deo*, est Missam obire: & *ministerium ministrationis* idem est, quod administratio Missæ. Quemadmodum enim Midas potuit solo contactu rem quamque in aurum conuertere: ita noster Hardingus admirabili quadam facultate præditus est, vt quicquid attigerit in Missam commutet.

Iam verò rei circunstantias atque probabiles coniecturas paucis perpendamus. Basilius Deũ obsecrauit, vt propriis verbis ei sacrificium facere liceret. An verò suis cũ verbis, libentiùs quàm Christi vsum fuisse putamus? experrectus est: constitit: & repentè ad altare media nocte admotus est. Quid? an æditimum fuisse, vel instar Eli ac Samuelis in templo pernoctasse, cúmque esset ea celebritate episcopus, nullum omnino famulum habuisse censebimus?

Aurea colũba.

Panem partitus est, eiúsque tertiam partem in aurea columba, quæ erat super altare posita, suspendit: cum ea tamen nondum facta esset, sicuti ex ipsius verbis constat. Nam mox in proximis versiculis sequitur: *Postquam hæc Basilius ita gessisset, & cum Eubulo aliísque sermonem contulisset, sequenti die aurificem accersit, & columbam ex auro integram fecit.* Mendacem oportet esse memorem. Si columba erat hæc antè fabricata, quî fuit pòst facta? Si conflata antè non erat, quî tum potuit esse super altare suspensa? aut quî potuit Basilius panem in illa priùs condere, quàm esset facta? Sed quorsum ille panis in columba reseruatus? & qua in re, aut vbi custoditur tertia illa pars, quam Basilius secum contumulandam seposuit? In quo sanè Hardingianus iste Amphilochius cum ea dicit, quæ manifestò blasphema sunt, tum de sanctissimo illo patre impudenter mentitur, eíque apertam & intolerandam iniuriam facit. Erat illud Benedicti inconsideratum factum, sicuti Gregorius refert, qui sacramentum hominis demortui pectori admouit: & illud item eorum haud minùs, qui mortuis sacramentum præbuerunt, & in ora illis intulerunt: quod est in Concilio Carthaginensi disertè vetitum. At sacramentum, quod est, vti Hardingus omnibus persuasum esse vehementer cupit, nec panis, nec vinum, atque ita ne sacramentum quidem, sed naturale, atque reale corpus Christi, sepelire, & quasi rem demortuam & exanimem in sepulchrum compingere, nefariæ cuiusdam blasphemiæ sit.

Dialog. lib. 2. cap. 24.

Concil. Carth. 3. can. 6.

Sacramenti sepultura.

Huc accedit, quòd somnium illud siue visum, si doctori huic credimus, Basilio contigit, quòdque is hanc sacramenti portionem conseruandam seposuit statim, postquam esset Cæsareæ factus episcopus, à quo tempore, quemadmodum ex aliis historiis constat, episcopus illius ciuitatis extitit ad minimum per septennium. Potes, humane lector, facilè existimare, qualis ille panis per septennium reseruatus futurus esset, qui homini penè confecto, & animam agenti præberetur. Tot nobis absurditates, tot repugnantias vel aspectus huius puerilis fabulæ ostendit.

Sacramentum per septẽnium reseruatum.

Hardingus tamen ait, *Hîc Iuellus cum suis consacramentarijs hæret, nec, quid respondeat, habet.* Nos verò certè, Hardinge, admirabilium ac iustorum Dei iudiciorum recordatione attoniti cohorremus, esse quenquam, qui clarissima Dei veritate reiecta ac repudiata, mendaciis se totum ita penitus dederet: aut suo ingenio & eloquentia fretus vanissimam fabulam venditaret, qua se cunctos mortales in suam sententiam traducturum confideret. Nam securibus, & machinis, quibus iste nodus dissoluatur, minimè opus est. Cuiuis enim vel puero eius extrema licet intueri: ipse se explicat, atque soluit. Christus de cœlo cum Apostolis adest, vt Missam audiat: Apostoli Missam musicorum modis atque tonis concinunt: Christus diaconi officio fungitur, & sacerdoti subseruit: Amphilochius Thomæ Becketi vitam perscribit septingentis, antequam nasceretur, annis: Basilius pernoctat in Vestiario: auream columbam primùm suspendit, deinde conflandam curat: sacramenti partem toto septennio reseruat: eandem moriturus sumit, secúmque contumulat. Mitto alias plurimas futilitates atque fabulas. Hic ille est admirabilis, ac fatalis nodus Gordius, qui non nisi ense dissoluitur.

Quanquam autem Amphilochius Hardingianus impudentis mendacij manifestus sit, fateor tamen, & est notum omnibus, ipsum Amphilochium Iconiensem episcopum sanctissimum & præstantissimum fuisse, atque in coercendis Messalianis fortem imprimis ac strenuum: quos hîc Hardingus primos extitisse sacramentariæ hæreseos parentes ait. Quanquam cæteri collegæ sui, adeóque ipse alio in loco Berengarium illius hæresis authorem facit. Pòst enim in quinto articulo hæc habet verba: *Berengarius primus cœpit impium sacramentariæ hæresis semen spargere.* Videtur ergo nondum satis Hardingo vel de ipsa hæresi, vel de tempore, quo nata primùm est, constare. Semen autem, quod hic impium vocat, neque fuit à Messalianis primùm, neque à Berengario sparsum, sed ab ipso Christo, eiúsque Apostolis.

Verus Amphilochius.

Hardingus sui oblitus.

Erant sanè Messaliani, quos Amphilochius extinxit, hæretici, multorúmque otiosorum examinum, quæ nondum sunt è mundo penitus sublata, parentes. A Græcis appellati sunt ψαλλιανοὶ, seu Εὐχῖται, ex diuturna fictáque precandi consuetudine. Augustinus habet: *Tantùm orant, vt ijs, qui hoc de illis audiunt, incredibile videatur. Dicuntur opinari Monachis non licere sustentandæ vitæ suæ causa aliquid operari, atque ita seipsos Monachos profiteri, vt omnino operibus vacent.* Hactenus Augustinus.

Primi otiosorũ monachorũ parentes.

August. in. ad Quod-vult-deum.

Theodor. Hær. fabu. li. 4. De opere monach. cap. 23.

Theodoretus ait, *Orationi vacantes maximam diei partem dormiunt.* Augustinus ait: *Tanquã conseruatricem Euangelij prædicant pigritiam.* Has ob causas Amphilochius Archiepiscopus Lycaoniensis, & Flauianus Episcopus Antiochenus illis restiterunt, suísque finibus eos exegerunt: & Le-

& Letoius vir acri quodam ardore atque zelo, eorum monasteria, siue vt ea Theodoretus vocat, latronum speluncas euertit & exussit. Tales extiterunt Messaliani: nihil autem palam defenderunt, quod à Mysticæ Cœnæ fide abhorreret, neque eos istius erroris vel Augustinus, vel Epiphanius vnquam insimulauit.

Scribit sanè Theodoretus clandestina quædam & occulta inter se fouisse de sacramentis dogmata, quòd ea nimirum nihil omnino vel prodessent, vel obessent. Intelligebant autem sacramentum Baptismi non minùs, quàm sacramẽtum corporis Christi. In quam illos fraudem impulit ea, quam de summa precum suarum perfectione atque sanctitate conceperant, opinio, præ quibus fratrum suorum communionem fastidiebant.

Quod autem Hardingus ait, *nostrum hoc esse dogma, & nos populum docere sacramentum corporis Christi nihil esse aliud, quàm panem typicum,* sua ipsum conscientia conuitij redarguet, ipséque in die Domini præstabit. Nos Christi sacramenta fidelibus quidẽ spiritus S. organa: impiis verò supplicij incrementa esse docemus.

Sicuti Augustinus etiam habet: *Sacramentum sumitur quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitiũ: Res verò ipsa, cuius est sacramentum, omni homini ad vitam, nulli ad mortem: quicunque eius particeps fuerit.* Hic Augustinus corpus Christi ab eiusdem corporis sacramento apertè distinguit. Estque hæc non Messalianorum Monachorum hæresis, sed Augustini, & Catholicorum fides. *Si quis hæc ab Amphilochio scripta fuisse negabit, id verò* (inquit Hardingus) *singulare quoddam effugium esset.* Ita loqui non dubitat Hardingus, quòd integrum (opinor) librum nunquam excusserit. Facilè enim animaduertere potuit, eum è Tripartita historia rudi quadam Minerua consarcinatum fuisse, in plerisque locis ad verbum, sine iudicio, mẽdaciis fabulísque per summam impudentiam interpositis. Neque potest Hardingus clarè euincere ab Amphilochio fuisse vnquam literis mãdatam Diui Basilij vitam. Quantumuis enim Nazianzeni Monodia, ea quæ nunc Latinè extat, tale aliquid innuere videatur, eum tamen latere minimè debet, illud totum, quicquid est, à Volaterrano interprete fuisse additum, qui permagnam illius libri partem peruertit & immutauit, id quod ex collatione librorum cuiuis vel mediocriter docto innotescet: neque in Græco habetur. Verùm deprauata conuersio nihil probat.

At liber iste *Veronæ* in Italia inuentus est. *Falsonæ* rectiùs diceret: *In διφθέρᾳ exaratus:* Parùm hoc quidem valet. Pellicula vitulina nunquam habita est satis luculenta veritatis index. Mendacia etiam aureis literis scripta prodierunt. Quod autem Hardingus ait, Basilium librum eum, qui inscribitur ἀσκητικὰ Amphilochio nuncupasse, plus ipsius lædere, quàm iuuare causam videtur. Nazianzenus enim omnia Basilij scripta enumerans, illud tanquam alienum præterit: & Sozomenus de eo semper fuisse dubitatum ait, vtpote quem non Basilius, sed hæreticus quidam nomine Eustathius scripsisse iudicaretur.

Est autem quidem ipse liber superstitionis ac impiæ doctrinæ plenus, & à Concilio Gangrensi nominatim damnatus.

At Eubulus testis est, & conscius harum rerum: nimirum per rimam introspexit, & quid intus agere tur, obseruauit. Dignus verò testis. Hominem aliquando accepi nullo nomine, hîc contrà nomen habemus nullo homine. Amphilochius noster Hardingianus Eubulum istum Basilio, tanquam intimum ipsius rerum omnium agendarum comitem associat: eius tamen nulla neque in Basilij epistolis, aliisve eius scriptis, neque in Nazianzeno, neque in Socrate, neque in Sozomeno, neque in Gregogio Nysseno, neque in Gregogio presbytero mentio reperitur. Atque hæc de istius Amphilochij fide dicta sufficiant. Sed vt hoc quicquid est certissimum verissimúmque esse largiamur, quid tamen aliud sit, quàm miraculum, quàm visum, & fortasse quàm somnium, quàm res ab vno homine gesta, & semel tantùm gesta, idque noctu, non interdiu, sine sociis, sine testibus? Ni Eubulus iste, qui profectò nullus fuit, vidisset, nullus vnquam de ea re quicquam audiuisset.

Iam verò, quod ad Missam attinet à Basilio verè celebratam, eius rationem possumus sine somnio, & viso facilè & perspicuè cognoscere. Basilius in ea, quæ ipsius nomine circumfertur, Liturgia, omnem illius formam dilucidè proponit, his verbis: *Sacerdos populum aperta voce alloquitur, totus populus respondet, vnus Sanctus, vnus Dominus, vnus Iesus Christus in gloria Patris. Tum,* inquit Basilius, *chorus canit communionem, & sic omnes communicant.*

Hîc clarè licet formã & rationem Missæ, quam Basilius habuit, animaduertere. Nulla fuit hîc sola acceptio, nulla sola communio, nulla priuata Missa: vniuersus populus vnà cum sacerdote clara voce precatus est, & communionem pariter percepit.

Quid si autem ipse Hardingianus Amphilochius, quantumuis fabuletur plurima, id ipsum te stetur? Num testem possumus locupletiorem desiderare? Disertè profectò populum in templo fuisse cum Basilio, & communionem ab eo accepisse scribit. Sic enim loquitur Basilius, quemadmodum Amphilochius iste fingit: *Dignare Domine dare nobis, & per nos omni populo, sancta sanctis: respondet populus, Vnus sanctus, &c.* Verba non immuto, sed eodem ordine repeto, quo & Amphilochius ea scripsit, & Hardingus ipse hoc in loco recitauit.

Nunc reputa, Lector, quid hic adiumenti adeptus sit Hardingus, quo Missam priuatam sustentet. Amphilochius ipse ait, *Sancta fuisse toti populo distributa.* Hardingus *D. Basilium solum accepisse dicit.* Amphilochius interfuisse populum affirmat: Hardingus negat. *Populus autem*

μᾶλλον δὲ λῃστρικὰ σπήλαια. Theodo. li. 4. cap. 11.

August. in Ioã. tract. 26.

Amphilochius Basilij vitam nunquam scripsit.

Nazianze. in Monod.

Sozom. lib. 3. cap. 13.

Præfat. in Concil. Gangrense.

Eubulus.

Liturg. Basilij.

Basilij Missa nõ Missa est, sed Communio.

Hardingus suo Amphilochio aduersatur.

iste, inquit, Harding[a] *Christus erat, & eius Apostoli.* Mirificū profectò populi genus. Tū, Basilius eloquentia celeberrimus animi scilicet sui cogitatum sermone vernaculo exprimere non potuit, qui *omnem populum* diceret, nec tamen vllum videret: *Da omni populo*, inquit, cum tamen neminé adesse sciret, cui daret. Ex his iam concludi potest vel ipso Hardingo authore, populum illum nullum fuisse populum: Christum illum, nullum Christum: Eubulum illum, nullum Eubulum: Amphilochium illum, nullum Amphilochium: Basilium illum, nullum Basilium: Columbam illam, nullā columbam: denique Missam illam, nullam omnino Missam. Tales nimirum sunt Missæ priuatæ confirmationes.

Hardingus. 34. Sectio.

[a] Falsum: priuata enim Missa nunquam reperitur apud Chrysostomū.

Hom. 61. ad populum Antiochenum.

VNum nunc insuper locum pro priuata Missa adhibebo in exitu huius causæ explicando, atque ita huius articuli finem faciam. [a] *Iste autem locus bis reperitur apud Chrysostomum in homilia in Epistolam ad Ephesios, & clariùs in homilia quadam ad populum Antiochenum, in qua hæc habet:* Multam video rerum inæqualitatem. In aliis quidem temporibus, cum puri frequenter sitis, non acceditis: In Pascha verò, licet sit aliquid à vobis patratum, acceditis. O consuetudinem. O præsumptionem! Sacrificium frustra quotidianum. Incassum assistimus altari. Nullus, qui communicetur.

In eo autem, quod Chrysostomus ait, quotidianum sacrificium frustra fuisse celebratum, & sacerdotes altari incassum astitisse, *minimè intelligi debet de ipso in se sacrificio, quasi frustra, atque incassum fieret: sed hoc ad populum referendum est. Erat enim frustra, quod ad populum attineret, quem oportuit cum sacerdotibus communicasse, quémque illi quotidie expectabant, & pro more proclamabant:* Sancta sanctis: *Ac posteaquam ipsi panem accepissent, calicem populo ostentantes dicebant:* Cum timore Dei, & fide, & dilectione accedite. *Sed frustra.* [b] *nemo enim accessit: vsque adeo perfrixit eorum hac in re zelus. Quòd si ergo Chrysostomus meritò potuit populi socordiam in frequentanda communione accusare, in ea maxima & frequentissima ciuitate Antiochensi, in qua* [c] *scripturæ quotidie explanabantur & docebantur, in qua disciplina & ordo diligenter obseruabatur, in qua, propter innumeram multitudinem, credibile erat alios alijs pietatis ardore præcelluisse: quid de infinitis oppidis ac villis vbique per orbem censebimus, vbi verbi præcones rarò auditi fuerunt, vbi disciplina remissior fuit, vbi ob fidelium paucitatem, quòs etiam secularia negotia distraxerunt, vix quisquam reperiebatur, qui deuotionis exemplum reliquis præberet? Ibi verò necesse est multò sanè minorem populi ad Missas, in quibus sacramentum cum sacerdote acciperent, fuisse concursum. Quòd autem, ne locus iste videretur clarè euincere Missam fuisse absque numero hominum cum episcopo, aut sacerdote communicantium celebratam, ad eludendam hanc authoritatem Euangelici per coniecturam respondent, Chrysostomi ætate presbyteros & diaconos quotidie communicasse cum eo, qui sacrificium offerebat, quamuis nullus è populo se illis adiungeret: prædicimus illis miserum hoc effugium minimè valere. Etsi enim dixerint aliquem semper idoneum numerum cum eo communicasse, qui quotidianū sacrificium celebrabat in magna ea, celebríque ecclesia Antiochena, in qua multi erant presbyteri ac diaconi, (quod tamen, si negetur, nunquam probare poterint) quid dicendum, & cogitandum est de infinitis alijs minoribus vbique terrarum ecclesiis, in quibus sacerdos, qui Missam administrabat, non semper paratū habuit satis magnum numerum aliorum presbyterorum atque diaconorum, qui vnà communicarent, vt communicantium numerus esset expletus. De huiusmodi ecclesiis fatendum est, vel cessasse sacrificium, neque peractum esse, quod* [d] *Christus in ipsius recordationem peragi iussit, quod minimè concedendum est: vel mortis Dominicæ memoriam frequenter à sacerdotibus in quotidiana oblatione fuisse celebratam, minimè autem in alia tempora dilatam, quousque communicantium conflari numerus posset: atque ita has ecclesias Missam priuatam habuisse, quemadmodum ecclesiæ hodie habent. Quare vt concludam, ex hac planissima Chrysostomi sententia, vel puer quiuis argumentum pro priuata, quam vocant, Missa inuictum contra Iuellum colligere poterit, hoc modo. Chrysostomus sacrificium sua ætate quotidie oblatum, id est, Missam celebratam esse testatur: Verùm nullus interdum sacramentaliter cum sacerdotibus communicabat, vt* [e] *suprà docuimus: ergo Missæ aliquando celebratæ sunt, nemine cum sacerdote communicante: Ex quo porro efficitur: Ergo priuatæ Missæ Chrysostomi seculo non fuerunt inauditæ. Et, vt vnum adhuc vestigium promoueam, atque in eo consistam: ergo Iuellum oportet iuxta ipsius promissum, ac fidem, manus dare, subscribere, & palinodiam canere.*

[b] Falsum: multi enim & laici & clerici accesserunt.

[c] Falsum: nulla enim fuit huiusmodi assidua scripturarum explanatio. Hardingus suā peruestigat in villis ac pagis Missam.

Priuata Missa tenui coniectura cōfirmatur.

[d] Falsum: Christus quotidianū huiusmodi sacrificium non præcepit.

[e] Falsum: istuc nunquam probare potuit Hardingus.

Episcopus Sarisburiensis.

VEnisse se iam tandem Hardingus ait ad glomum complicandum: ex quo quicquid hactenus attulit, filo tenui appensum esse innuit.

Chryso. ad populum Antioc. Hom. 61.

Ista coniectura è quibusdam Chrysostomi verbis sumitur: cuius tota vis hoc duntaxat vocabulo, *Nullus*, nititur. Chrysostomi verba ita se habent: *Sacrificium quotidie offerimus, & nullus est qui communicet: ergo Chrysostomus,* inquit, *solus communicauit:* & tum priuatam fuisse Missam sine cō trouersia planissimè constat.

Primum velim mihi dicat Hardingus, in ipsisne nudis Chrystomi verbis acquiescere, an moderata quadam verborum interpretatione adhibita, verborum etiam sententiam sensúmque cōsectari velit. Si ipsa verba ita, vt videtur, angustè vrgebit, tum ne ipse quidem Chrysostomus com-

communicauit. Nam is aliquis fuit: & diserta verba sunt: *Nullus, qui communicetur.* Quibus sanè verbis ipse Chrysostomus perȩquè excipitur, atque reliqui. Ita nulla erat non modò priuata perceptio, sed ne perceptio quidem: ac proinde nulla fuit priuata Missa.

Si verò mentem Chrysostomi spectabit, ea nimirum fuisse videtur, vt populi summam negligentiam reprehenderet & exagitaret, quòd è tam frequente ciuitate, ita rari & infrequentes ad communionem accederent: Quem ille paucorum hominum conuentum per δείνωσιν respectu vniuersorum *nullum* vocat. Eadem loquendi ratio in scripturis etiam interdum reperitur. D. Ioannes de Christo ait: *Testimonium eius nemo accipit:* Non quòd prorsus nemo ipsius testimonium reciperet, cùm illud & Apostoli, & alij complures amplecterentur: sed quòd ex ingenti multitudine admodum pauci probarent. Eodem dicendi genere Chrysostomus ipse alibi vsus est: *Nemo diuina sapit, nemo contemnit ea, quæ in terra sunt, nemo attendit ad cœlum.* Hîc verò Chrysostomum oratione quodammodò exardescentem κατὰ σύγκρισιν posuisse, *nullos*, pro, *paucos*, vel inuitus fateatur Hardingus, est necesse. Quanquam autem vel hæc responsio, cum Chrysostomi dicendi genere, quod plerunque vehementius incalescit, cúmque illius ecclesiæ vsu collata homini veritatis, quàm contentionis cupidiori satisfaciat: tamen facilè me probare posse confido, quantumuis licet Hardingus suum illud, *Nemo*, iactet, Chrysostomum in sacra peragenda Liturgia neque fuisse, neque esse potuisse solum, & proinde priuatam Missam minimè confecisse. Vt enim vniuersus laicorum cœtus illum prorsus defecisset, supererat tamen satis frequens presbyterorum, & diaconorum, & reliquorum clericorum multitudo: vtque hi omnes suum officium penitus neglexissent, laici tamen satis multi suppetebant, id quod luculenter confirmari potest. Quod autem eo tempore frequens esset ministrorum numerus, multiplici locupletissimorum testimoniorum authoritate euinci potest. Ignatius presbyterium, sacrum nempe collegium, quasi consiliarios ac collegas episcopi vocat.

Ioan. 3.

Chrysosto. ad Hebr. Hom. 12.

Ignatius ad Trallian. τὸ ἱερὸν σύστημα

Chrysostomus ipse in Liturgia sua sic habet: *Diaconi portant discos cum sacramento ad sacrum altare: reliqui portant calices.* Vnde & nonnullam ministrorum multitudinem, & apparatum etiam tantum, quantus communicantibus sufficeret, fuisse constat.

Chrysostom. in Liturg.

Cornelius in ecclesia Romana presbyteros quadraginta sex: diaconos septem: subdiaconos septem: acoluthos quadraginta duos: exorcistas, anagnostas, aliósque similes quinquaginta duos: viduas, cæterósque inopes, quos ecclesia sustentabat, mille quingentos fuisse scribit.

Epist. Cornel. ad Fabiū Antioch. ex Euseb. lib. 6. c. 43.

Nazianzenus clericorum multitudinem sua ætate eò creuisse conqueritur, vt ipsis etiam pene laicis frequentiores esse viderentur. Ac proinde Iustinianus Imperator postea minuendum esse numerum iudicauit, & lege sanxit, vt in magna illa ecclesia Constantinopolitana, cuius Chrysostomus episcopus extitit, presbyteri essent tantùm sexaginta: diaconi centum: quadraginta mulieres: subdiaconi octoginta decem: anagnostæ decem supra centum: & cantores viginti quinque. Hinc apparet Chrysostomum Antiochiæ in vrbe incolarum refertissima versantem, quantumuis laicorum comitatu careret, ab omnibus tamen penitus derelinqui nequaquam certè potuisse.

Nazianzen. in Apolog. καὶ εἰσὶ σχεδὸν τι πλείους κατ' ἀριθμὸν, ἢ ὅσων ἄρχουσι.

In authē. colla. prima, titu. vt determinatus sit numerus clericorum.

Iam verò si quosdam ex hisce presbyteris, aut diaconis, aut cæteris cum Episcopo communicasse dixerimus, *prædico* (inquit Hardingus) præfidenter sanè, & fronte composita, quod multum facit ad causam probandam, *istuc miserum esse refugium, neque illis prodesse posse.* Modò sit verum, miserum esse non potest: modò cum ipsius Chrysostomi sententia congruat, non potest effugium appellari, ideóque nostro instituto optimè inseruit.

Quandoquidem autem Hardingus ad nuda verba tam penitus adhærescit, omnésque suas spes in suo *Nemine* collocat, si hîc liberet captiones consectari, abundè nobis ex ipsis perspicuis Chrysostomi verbis suppeteret, quo totum hoc expediri posset. Ita enim se verba habent: *Frustra assistimus:* Assistimus (inquit) non assisto: atque ideo plures vno fuisse necesse est. Quanquam nostra non adeo misera sunt effugia: non opus habemus tam leues, & exiles captare defensiones.

Decreuerunt Apostoli in suis Canonibus: *Vt si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut quilibet ex sacerdotali catalogo, facta oblatione non communicaret, nisi causam rationabilē dixerit communione priuaretur.* Non tum tanta vel altarium multitudo, vel Missarum nundinatio fuit, quanta sequētibus seculis. Omnes presbyteri vnam communionem percipiebant. Eandem legem postea Anacletus Papa in Romanam Ecclesiam introduxit.

Can. Apostol. can. 9. ἐκ τοῦ καταλόγου ἱερατικοῦ. De cons. dist. 1. Episcopus.

Niceni Concilij patres sic sanxerunt: *Accipiant diaconi secundum ordinem post presbyteros ab episcopis, vel à presbytero communionem.*

Concil. Nicen. Can. 14.

Similiter in Concilio Carthaginensi: *Accipiant diaconi ex ordine eucharistiam post presbyteros, eis dante episcopo, vel presbytero.*

Concil. Carth. 6 can. 18.

In Laodicensi etiam Concilio: *Solis ministris altaris liceat ingredi ad Altare, & ibidem communicare.*

Concil. Laodi. can. 19.

Necnon in Concilio Toletano: *Sacerdotes & Leuitæ ante altare communicent, in Choro clerici, extra Chorum populus.*

Concil. Tolet. 4. can. 17.

Nicolaus Cusanus scribens ad clerum, & literatos Bohemiæ, hæc verba habet: *Hoc est singulariter attendendum, quod sacerdotes nunquam sine diacono celebrabant, & in omni Missa diaconus de manu sacerdotis accepit eucharistiam sub specie panis, & sacerdos de manu diaconi calicem.*

Nicolaus Cusanus ad Clerū, & literatos Bohemiæ.

Chryſoſtom. in Liturg.

Sed quid in re manifeſta teſtimoniis vtor non neceſſariis? ipſe Chryſoſtomus in Liturgia, quæ eius nomen præfert, eundem morem imitatur: *Poſtquam ſacerdotes acceperint*, inquit, *archidiaconus iubet diaconos prodire, illique prodeuntes accipiunt, vt ſacerdotes fecerant.* Hæc erat Miſſæ à Chryſoſtomo inſtitutæ ratio, quantum ad clericos attinebat: eáque ipſius Chryſoſtomi teſtimonio confirmata. Iam Hardingus ipſe pro ſua æquitate æſtimet, adeóne hæc miſera ſint effugia, atque is ea videri velit.

Quòd ſi verò totus clerus vſque adeo fuiſſet pietatis oblitus, vt cum ita frequens eſſet, & legibus etiam ſeueriſſimis aſtringeretur, nullus tamen omnino exiſteret, qui cum ſacerdote communicaret, cuius eum negligentiæ Hardingus ſua tantùm authoritate fretus, ſine certo vllo teſtimonio inſimulat, videamus tamẽ an ille Hardingianus *Nemo*, plebem etiam vniuerſam neceſſariò excluſerit.

Chryſoſtomus variis in locis populum omnem in tres ordines partitur, in *pœnitentes, negligentes, & deuotos.* Pœnitentes exire iuſſi ſunt, nec eis communicandi data copia eſt: negligentes nonnunquam ſua ſponte diſceſſerunt, atque ſe à communione remouerunt: tertij illi reſtiterunt, ſimúlque communicarunt. Quòd autem iſti (quos *deuotos* nuncupabant) cum Chryſoſtomo remanſerint, dum ſacra myſteria tractaret, ex eo ipſo loco, quem hic pro ſe Hardingus citauit, clariſſimè apparet. Sic enim Chryſoſtomus ad populum ait: *Veniſti, ceciniſti Deo laudem, cum omnibus es confeſſus de dignis eſſe, cum indignis non ſecedendo.* His verbis alios dignos, indignos fuiſſe alios oſtendit: hos diſceſſiſſe, illos minimè. Et rurſus in eadem homilia, inquit: *Diaconus ſublimis conſtitutus terribili clamore, hos vocat, hos arcet, hos pellit, hos introducit.* Chryſoſtomus *alios vocari, alios introduci ad communicandum cum ſacerdote* confirmat. Vbi ergò ille eſt Hardingianus *Nemo?* Sanè, ſi populus omnino aliquis cum ſacerdote fuit, tum *Nemini* locus nullus fuit: Si *Nemo* communicauit, falſum ergo eſt, quod Chryſoſtomus ſcribit, *aliquos communicaſſe.*

Chryſoſto. ad pop. Antiochẽ. Hom. 61.

Hîc Hardingus è principio falſo ſimilem pro more ſuo coniecturam concludit: *Si in tam frequente ciuitate, nimirum Antiochia, in qua ſacræ literæ quotidie explicabantur atque docebantur, tam rari fuerunt, in ruſticanis eccleſiis omnino fuiſſe nullos eſt credibile.* Hoc argumentum, vt cætera ſua, nuda nititur coniectura. Atque in ordinem redactum ad hunc modum tenet: nulla fuit Antiochiæ Miſſa priuata: fuit ergo in villis ruſticanis. Argumentatio verò certè ruſticana, qualiſcũque Hardingo videatur.

In quo autem vrbis efferendæ, deprimendíque ruris cauſâ populum vrbanum aſſiduis fuiſſe concionibus informatum ait, non ferat moleſtiùs, ſi eius coniecturæ veritatem anteponamus. Ipſe ſiquidem Chryſoſtomus contrarium affirmat. Sic ad populum vrbanum loquitur: *Dum per hebdomadam ſemel vocamus vos, & ignaui eſtis, & alij quidem non aduenitis, alij autem præſentes ſine lucro diſceditis, quid non faceretis, ſi nos hoc continuò faceremus?*

Chryſoſtom. in Acta. Hom. 45. Idem in Mat. Homil. 5.

Hæc eò proferuntur, non quò perpetuam docendi, concionandíque rationem improbem, ſed quò falſitatem tam confidenter aſſeueratam redarguam. Hardingus tamen ait: *In paruis pagorum eccleſiis ſacerdos aut quotidianum ſacrificium intermiſit, aut ipſe ſolus accepit: ſacrificium autem iuge nunquam interquieuit (tum enim infectum fuiſſet, quod Chriſtus fieri præcepit.) Ergo fuiſſe priuatam Miſſam ſequitur.* Siccine eſt ἀδύνατον, Hardinge, veſtram niſi mendaciis fultam, conſiſtere poſſe diſciplinam? Tot falſitates in locum tam exiguum coactæ! nulla hominum verecundia, nullus Dei metus! Vbínam vobis præcepit Chriſtus quotidianum iſtud ſacrificium conficere? quibus mandatis? quibus verbis? Vbi Chriſtus quotidie facere iuſſit? Vbi tandem Chriſtus ſacrificium illud quotidianum appellauit? Aut vnde mortis Chriſti commemorationem ad ſacerdotem magis, quàm ad populum pertinere didiciſti? Quod ſi autem Miſſa veſtra ſacrificium illud fuerit, quis vnquam ſacerdoti veſtro præcepit, vt quotidianam veſtram Miſſam celebraret? Quæ lex, quod decretum, quæ Decretalis, quæ legantina, quod prouinciale? Denique quis vnquam ſacerdos eam quotidie celebrauit?

De celebrat. Miſſæ can. Altiſſimus.

Peccamus in ſuo Prouinciali nequaquam adeo reſtrictus fuit: tantùm ait: *Statuimus, vt quilibet ſacerdos, quem Canonica neceſſitas non excuſat, conficiat omni hebdomada, ſaltem ſemel.* Semel in hebdomada, & in die ſemel nonnihil diſcrepant. Lanvvoodus autem ſcribens in hæc ipſa verba, ex Auguſtino hæc adducit: *Quotidie Euchariſtiæ communicare nec laudo, nec vitupero.* Innocentius tertius ſua ætate quoſdam fuiſſe ſacerdotes ſcribit, qui Miſſam vix quater quotannis obirent. Thomas etiam Aquinas ſufficere putat ſacerdoti, qui cura vacat, Miſſam præcipuis tantùm feriis conficere. Inſuper ſcriptum eſt *in vitis patrum*, virum quendam pietate non vulgari, cum eſſet ſacerdos factus nunquam tamen Miſſam celebrare voluiſſe per totam vitam. Atque horum tamen nullus vnquam in crimen vocatus eſt, quòd intercapedinem atque intermiſſionem fecerit quotidiani ſacrificij, aut eius rei procurationem omiſerit, quam Chriſtus dederat in mandatis.

De conſe. diſt. 2. Quotidie. Extra de celebrat. Miſſæ. dolentes. In ſumma parte vltima quæſtio. 82. artic. 1.

Cæterùm, quod ad ſolam ſacerdotis perceptionem attinet, quæ ſeipſa tantummodo nititur, neque vllam confirmationem habet, nihil video, quòminus Nicolao de Cuſa Cardinali quondam Romano æquè magnam fidem atque Hardingo coniecturas proferenti tribuamus. Ipſe ait, ſuáque verba attentè animaduerti poſtulat, ſicuti ſupra memoratum eſt, illo ſeculo ſacerdotem ſine diacono nunquam communicaſſe: Hardingus tamen ruſticanos ſacerdotes ſolos accepiſſe ſuſpicatur.

Cuſanus ad clerũ & literatos Bohemiæ.

Verùm

Verùm quid hoc,quæso,monstri est? Missa,quam adeo antiquam, sanctam, catholicam, gloriosamque esse defendunt,neque in templis, neque in sacellis,neque in secretis oratoriis, neque in priuatis domibus,aut paganis aut vrbanis reperitur:in minuta,nescio qua,& rusticana parœcia perquiritur,idque ex sola etiam coniectura ac diuinatione, atque eiusmodi testimoniis, quibus tota Missæ ratio penitus euertitur,quæque nemini interesse permittunt,nisi duntaxat iis qui cõmunicare statuerunt.

Sic enim inquit Chrysostomus: *Omnis, qui mysteriorum participatione non fruitur, impudens & procax est,si adstat. Indigni sunt istis videntium oculi,indignæ aures. Indignus sum,inquis. Indignus es igitur & ea communione,quæ in precibus est. Nihil hic tibi, quàm Catechumeno plus licet.* De se autem ait: *Sacrificium frustra quotidianum: incassum assistimus altari.* In quibus verbis hoc nimirum intellexit,sicuti videtur,si Missam priuatam propter communicantium penuriam celebraret, inanem esse eam futuram.Hic autem Hardingus Missam suam suo ipsius testimonio periculosè cõcussam,atque adeò inanẽ habitã esse perspiciẽs, ei scilicet pro viribus diligẽter mederi conatur.

Chrysost.ad Ephe.homil. 3.& ad pop. Antioc. homil. 61.

Missa,inquit,*per se non est quidem inutilis, sed ijs tantùm, qui ea vti nolunt.* Hæc à textu aliena glossa est:eam tamen tanquam veram recipiamus. Verùm, si qui Missæ procurationi intersunt, rem ita Deo gratam, sibíque salutarem obeunt, si Christus in ea verè pro mundi peccatis immolatur: si sacerdoti soli pro reliquis communicare licet: si plebi satis est, vt spiritualiter communicet,quemadmodum est ab Hardingo confirmatum:tum ne plebi profectò inutilis erit Missæ celebratio,etiamsi nunquam communicare vellet. Chrysostomus ait:*frustra sacrificium:* Hardingus ait: *nequaquam frustra.* Atque vt illustriorem adhuc repugnantiam videas,ipse Hardingus hoc in loco *eam populo inutilem esse dicit:* Antea tamen idem ipse hoc modo loquutus est: *Populo satis fuerit si spiritualiter communicauerit:populo minimè inutilis est.* Si quidem Hardingus in Chrysostomi iudicio acquiescere voluerit,tergiuersari aliquando desinat, & cum Chrysostomo clarè atque disertè eos,qui ad Missam audiendam accedunt,his verbis alloquatur: *Si communicare nolueritis,profligati estis,impudentes estis, communium precum societate indigni estis, excedite ecclesia: nihil hîc vobis magis,quam Turcis atque Ethnicis licet: Oculi vestri harum rerum aspectu, aures auditu sunt indignæ: Missæ nostræ nihil vobis prodesse,nihil promereri possunt: Deo nequaquam placent: Iram eius concitant,frustra fiunt.* Hæc Chrysostomi perspicua est sententia,hic sensus. Atque hæc illa est præclara Hardingiani fili glomeratio.

Sect 9.

Nunc hoc inuictum argumentum excutiamus,quo puer quiuis, quemadmodum Hardingus prædicat,priuatam Missam facilè euincere possit. *Maior* ista est,*Sacrificium,Chrysostomi æuo,quotidie fiebat.* *Minor* hęc,*At sæpenumero nullus cum sacerdote communicabat.*: Conclusio:*Ergo fuit priuata Missa.*

Maior autem manifestò falsa est: *Minor* cæcis solummodo coniecturis constat, nec omnino ostenditur:Quare conclusionem dissolutam esse necesse est.Erit verò omnium iudiciis puerile argumentum,nisi prospexerit Hardingus. De Maiore enim,perspicuum est ex sexto Constantinopolitano concilio:ex Augustino in Ioannem: ex Basilio ad Cæsariam Patritiam: ex epistola concilij Alexandrini pro Macario scripta: atque ex concilio Laodiceæ habito, aliisque pluribus in eam sententiam suprà adductis testimoniis, sacrificium neutiquam fuisse quotidie oblatum, sicuti Hardingus fingit.

Concil.Constã. tinop.6. Canon.52. August. in Ioã. tract. 26. Basil. ad Cæsa.patrit. Concil. Laodicen.ca.49.

Minor autem minimè quidem probatur,sed ea sola, vti dixi, coniectura pendet. Ipse Hardingus facilè perspexit,hanc nullius esse momenti rationem: *Chrysostomus sacram communionem quotidie celebrauit: Ergo solus accepit.* Itaque longiùs abiit,suámque illam singularem Communionem ruri quæsiuit. At Chrysostomus dicit: *Nemo qui communicetur.* Hinc apparet,sicuti antè à me dictum est,ipsum non communicasse Chrysostomum: nisi forte Chrysostomum, *Neminem* fuisse dixerimus:atque ita *Nemo* accepit solus:& *Nemo* ipse Hardingi priuatam Missam confecit: ac proinde *Nemo* prodire possit,& mecum de subscriptione iure agere.Quare falsa Maiore,Minore dubia,conclusione non consequente:vides Christiane lector,quàm inuictas attulerit Hardingus Missæ confirmationes.

Quandoquidem verò glomum ipse suum tanti facere videtur, illum nos euoluere atque explicare conabimur,vt & fundum eius perscrutemur,& quàm arctè peritéque conuolutus fuerit perspiciamus.

1. Primùm,in omni hoc glomere nullum scripturarum filum reperitur:sed apertissimum Christi,atque Apostolorum exemplum repudiatur.

2. Deinde,priuata Missa nullo alio fundamento sustinetur, quàm negligentia, seu, quemadmodum Hardingus loquitur,*indeuotione* populari.

3. Tertiò,ratio quædam excogitata est,qua duo sacerdotes Missas in variis regionibus celebrantes, pane frangendo communicare possint, quantumuis magnum loci interiectum fuerit interuallum,idque nullius aut scripturæ,aut Doctoris authoritate.

4. Quartò,Laici homines,mulieres,ægroti,pueri,qui vel communicarunt,vel sacramentum obierunt soli, ad hanc causam testandam introducuntur,quasi mulieribus,aut pueris fas tum fuisset Missam celebrare.

5. Quintò,quia D.Ambrosius,Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, Basilius,alíique consimiles authores parum valebant, magna minutorum doctorum multitudo accersitur, qui

quidem omnes fide sunt suspecta, plerique etiam iamdudum improbati, atque ab ecclesia damnati.

6. Sextò, visis, insomniis, fabulisque confirmat, quod proposuit.

7. Septimò, canones conciliorum, qui nusquam extant, à Gratiano quodam sine iudicio collecti citantur: quorum tamen nullus vel probat, vel semel nominat priuatam Missam.

8. Octauò, quandoquidem Hardingus Missam in vniuersa ecclesia Romana suam, per sexcentos à Christo annos inuenire non potuit, eam proinde Alexandriæ in AEgypto, Antiochiæ in Syria, Cæsareæ in Cappadocia perquisiuit, atque indagauit, mille vltra Christiani orbis fines milliaria, in quibus locis nulla vnquam habita est priuata Missa, neque tunc, neque antè, neque postea.

9. Nonò, Metropolitanis, aliisque grandioribus ecclesiis desperatis, sacella, cellas, oratoria, & priuatas domos peruestigauit: & cum omnem ab oppidis atque ciuitatibus spem perdidisset, paruas villarum ecclesias consectatus est.

10. Decimò, tametsi tantum in inquirendo laborem consumpsit, nondum tamen neque nomen priuatæ Missæ reperit, neque sacerdotem quenquam, qui eam celebraret, atque solus perciperet.

11. Postremò, tota argumentationum, confirmationúmque, quibus vtitur, summa sua solummodo coniectura nititur, neque vllam veritatis, aut exploratam, aut probabilem rationem habet. Hæc Hardingiano glomere continẽtur, atque istæ sunt rationes certissimæ, quibus Missæ suæ vetustatem simul atque communitatem confirmauit.

Iam verò, quò tibi, Christiane lector, tenuem duntaxat aliquem gustum in hoc tempore præbeam earum rerum, quæ ad nostram stabiliendam defensionem adduci possunt, primùm nemini obscurum est, Christum seruatorem, quando cum discipulis suis postremam Cœnam suam agitaret sacram communionem, non autem priuatam Missam instituisse, suisque discipulis, vt idẽ in sui commemorationem facerent, præcepisse.

Hieron. 1. Corinth. 11. — Similiter D. Paulus Corinthiis mandauit, vt alij alios in sacra liturgia expectarent, séque ad exemplum Christi conformarent. Quo Hieronymus inductus inquit: *Dominica Cœna omnibus debet esse communis: quia Dominus omnibus discipulis, qui aderant, æqualiter tradidit sacramenta.* Atque Ambrosius itidem ista verba explicans, *Inuicem expectate*, sic habet: *Ad inuicem expectandũ dicit, vt multorum oblatio simul celebretur, vtq; omnibus ministretur.*

Ambros. 1. Corinth. 11. Can. Apost. 9. De cons. dist. 2. Peracta. De cons. dist. 1. Episcopus. De cons. dist. 2. Si non. De cons. dist. 2. Si quis.

Canonibus Apostolorum sancitum est, vt siquis ad ecclesiam accederet, & scripturas audiret, atque à communione abstineret, is tanquã ecclesiasticę disciplinę perturbator excõmunicaretur.

Similia decreta Calixto, Anacleto, Martino, Hilario, aliísque ascribuntur: vnde certissimè constat, totam ecclesiam eo tempore vnà communicasse.

Clem. epist. 2. — Clemens, quem Apostolorum Hardingus socium nuncupat, hæc habet: *Tot in altari hostiæ offerantur, quot populo sufficiant.*

Augustinus de serm. domini in mõte lib. 2. Augustin. in psalm. 10. — Augustinus de ecclesia suæ ætatis sic habet: *Quotidie sacramentum corporis Dominici accipimus:* quod apertiùs atque distributiùs ostendit his verbis: *Vnde confido in eis, quibus heri communicasti, & hodie communicas, & cras communicabis?*

Clemens stromat. lib. 1. — Clemens Alexandrinus ait: *Eucharistiam cum quidam, vt mos est, diuiserint, permittunt vnicuique ex populo eius partem sumere.*

Chrisost. in 1. Cor. homil. 27. — Chrysostomus communionis rationem eo tempore tritam luculenter exponit hisce verbis: *Spiritualia & reuerenda sacramenta diuitibus & pauperibus æqualiter proponuntur: nec ijs diues magis, pauper minùs fruitur: Omnes æqualem dignitatem, æqualem accessum habent, Sacramenta semel proposita* (qui mos tum fuit populo communicandi) *non auferuntur, donec tota plebs communicauerit, & partem illius spiritualis cibi ceperit: Sacerdotes autem stant, & expectant omnes etiam pauperrimos.* Iterum inquit: *Est autem, vbi nihil differt sacerdos à subdito, vt quando fruendum est horrendis mysterijs. Similiter enim omnes, vt illa percipiamus, digni habemur.*

Chrysostom. 2. Cor. homil. 18. Grego. dialog. lib. 2. cap. 23. — Gregorius suo adeo seculo consuetudinem obtinuisse testatur, vt inter sacram Communionẽ celebrandam diaconus assurgeret, & populo clarè denunciaret: *Si quis non cõmunicat, det locum.*

Missa. — *Missa* nomen Tertulliani, Cyprianíque seculo dimissionem, seu abeundi copiam significabat: Communioni autem propriè tributum est, ob eam, quam hîc commemorabo, causam. Ij, qui tũ *catechumeni* dicti sunt, id est nouitij in fide, nec dum baptismo donati, interesse cõmunione permittebantur vsque ad euangelij finem. Tum eos diaconus exire iussit, his verbis palam pronunciatis: *Catechumeni exeunto*: aut his, *Ite Missa est.* Propter hanc Catechumenων, atque aliorum dimissionem, atque ablegationem ipsa liturgia tunc *Missa* nominata est. Reliqui in ecclesia remanserunt, & vnà cum sacerdote communionem sumpserunt. Præterea, panis frangendi consuetudo, quæ hodie in Missa retinetur, sacramenti distributionem populo faciendam indicat, quemadmodum Augustinus docet ad Paulinum: *Ad distribuendum comminuitur.* Huc accedit, quòd sacerdos ipse in Missa sic loquitur: *Hæc sacra mixtio, & consecratio mihi & omnibus percipientibus sit saluti.* Iam & ipsum nomen Missæ, & fractio ac comminutio panis, & gestus denique ac verba, quibus sacerdos in Missa vtitur, clarissimum contra priuatam Missam testimonium dicũt.

Isidorus in lexico. Fractio panis. Augustin. ad Paulinum Epist. 59.

Atque hoc loco magnam conciliorum, canonum, veterúmque patrum copiam prætermitto, veluti Iustinum Martyrem, Dionysium, Tertullianum, Epiphanium, Eusebium, atque alios præterea complures antiquos authores, Græcos simul & Latinos, satis esse statuens ex istis paucis

tan-

tantum delibasse, quantum ad testificanda aliorum iudicia sufficeret.

Nostræ non ex coniecturis atque ambiguis diuinationibus pendent rationes: Nos ægrotantium, mulierum, puerorum, & pusionum opem ad sacrosanctam communionem probandam non imploramus, sicuti Hardingus ad Missam suam confirmandam facere cogitur. Nos abdita oratoria, aut priuata sacella non exquirimus. Nos nullos nouos & hactenus ignotos hominibus doctores procudimus, quemadmodum isti, propter meliorum inopiam, faciũt. Nos neque somnia, neque visa, neque fabulas adhibemus. Nos sacris & diuinis scripturis, nos authoritate priscorum doctorum ac conciliorum, nos vniuersali celeberrimarum vrbium atque ecclesiarum orbis terrarum consuetudine nitimur.

His rebus diligenter collatis atque consideratis, te iam, lector, appello iudicem, nunquid Hardingus iustæ causæ nactus hucusque fuerit, quamobrem vel ita gloriosè triumpharet, vel subscriptionem aliis imperaret.

FINIS.

DE COMMVNIONE SVB VTRAQVE SPECIE, SECVNDVS ARTICVLVS.

Episcopus Sarisburiensis.

VEL tum sacram communionem fuisse vna duntaxat specie administratam.

Hardingus. 1. Sectio.

QVandoquidem hoc vnitatis est sacramentum, vnumquemque verè Christianum decet in eo suspiciendo, illud potius spectare, qua ratione illa & conciliari, & custodiri possit, quàm vllo conscientiæ scrupulo propter externi panis vinique symbola ad illius administrationem adhibita commoueri: idque tantò certè magis, quantò finis cuiusque rei pluris æstimandus est, quàm ea, quæ ad finem referuntur. Alioqui enim vnitatis violatio in eo admissa non modo accurata externæ ceremoniæ obseruatione non compensatur, sed etiam iuxta Augustini dictum, Quicunque accipit mysterium vnitatis, & vinculum pacis non seruat, non mysterium sibi, sed contra se testimonium accipit. *Eos igitur diligenter secum, quid in hoc sacramento accipiant expendere conuenit, qui exilibus pro vtraque specie compositis argumentis adducti, temerè nec sine suo periculo ecclesiam condemnant, quia illud vna duntaxat specie omnibus præbet, qui non ipsi illud consecrant, offerúntque in commemorationem sacrificij semel in cruce peracti. Quò autem ecclesiam hac in parte firmis esse fultam fundamentis sentiant, nimirum intelligant, fructum istius sacramenti (cuius ij, qui dignè communicant, participes fiunt,) non de externis panis, atque vini symbolis pendere, sed ex carnis ac sanguinis Christi virtute redundare. Cùm igitur sub vtrauis specie* [a] *totus Christus verè præsens adsit (etenim post eius à mortuis resurrectionem caro ipsius & sanguis ampliùs separari non possunt, quia scilicet ampliùs ipse non moritur) hoc salutare sacramentum, à fidelibus Christianis non minore cum fructu vna specie, quàm vtraque accipitur. Sacramentarios autem, qui corporis atque sanguinis Christi in hoc sacramento veritatem minimè credunt, ad multiplices piásque aliorum pro veræ fidei defensione conscriptas disputationes remitto, atque relego. De hac enim re, atque cæteris omnibus, quas nondum Iuellus in Concione sua apertè attigit, hîc dicere minimè necessarium indico.*

[a] Falsum: à crasso Transsubstãtiationis figmẽto manans.

Episcopus Sarisburiensis.

PRiuatam Missam, de qua est superior articulus, Hardingus ipse non à Deo authore, sed è populi negligentia fluxisse confitetur: communionis autem sub vna specie vitiosa procuratio, vndecunque tandem primordia ceperit, nunc in sola sacerdotum peruicacia posita est: qui cum institutionem, & legem à Christo datam videant sciántque, rationes tamen, quas ipsi norunt esse vanissimas, ad eandem infringendam excogitarunt. Quò verò res tota faciliùs exponatur, controuersiæ, de qua disceptatur, hic status est: *Vtrum sacra communio vnquam intra sexcentos post Christum annos palam in ecclesiæ populo sub vna specie administrata fuerit.* Ad eam autem confirmandam Hardingus mulieres, pueros, ægrotos, infantes, & insanos hîc introduxit: quos nimirum vnam duntaxat speciem aliquando accepisse contendit, alios in priuatis ædibus, alios in lectis animam agentes, alios aliter, quemadmodum suprà pro confirmatione priuatæ Missæ fecit. Si quidem in omni hac satis longa defensione vnum modò exemplum, aut testimonium communionis palam in vlla vnquam ecclesia vna specie celebratæ sine vlla exceptione luculentum adduxerit, dignus profectò fuerit, cui fides habeatur: sin autem tanta verborum iactatione vsus, edito etiam libro, cui à nemine ex omni hominum multitudine, quos sol aspiceret, responderi potuisse creditum est, hactenus tamen nullum omnino neque exemplum neque testimonium attulerit, meritò tum, & iure existimare possumus nihil planè adferri posse: in eo autem omne studium ab illo positum & consumptum esse, vt eloquentia atque incredibili illo dicendi genere, quo præstat, lectoris mētem inscitia, & ignoratione implicatam perstringeret.

Concilium Basiliense. Tridentinum concilium.

Concilium Basiliense supra centum & triginta annos, Bohemiæ regno liberam potestatem vtraque specie vtendi facilè concessit: & nostrum illud, quod nunc Tridenti habetur concilium, aliis regnis atque regionibus eandem licentiam certis conditionibus tribuit: atque sanè modò ne Romanam ecclesiam in errore versatam esse fateri viderentur, eam ipsam vniuerso orbi non grauatè permitterent. Nullus omnium est, qui vel quando, vel vbi, vel quomodo hic primùm error natus sit, dicere possit. Aliqui ex superstitione quadam, populíque inscientia ortum esse existimant. Verùm qualemcunque tandem originem habuerit, sicuti Tertullianus de pertinacia quorundam sui seculi scribit, nunc necessariò contra veritatem vindicandus atque defendēdus est. Illius hæc verba sunt: *Consuetudo initium ab aliqua ignorantia, vel simplicitate sortita in vsum per successionem corroboratur, & ita aduersus veritatem vendicatur. Sed dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem, cognominauit. viderint ergo, quibus nouum est, quod sibi vetus est. hæreses non tam nouitas, quàm veritas reuincit. Quodcunque aduersus veritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetus consuetudo.*

Stepha. Gardinerus in Sophistica diabolica. Tertullian. de Virginib. velandis.

Vt propiùs ad rem accedamus, *vnitas* (inquit Hardingus) *huius sacramenti substantia est, & quisquis illud non accipit in vnitate, testimonium aduersus seipsum recipit.* Vt hoc verum est, & ab Augustino affirmatum, nec à nobis negatum, sic etiam verum est, quod Ambrosius scribit: *Indignus est Domino, qui aliter mysterium celebrat, quàm ab eo traditum est. Non enim potest deuotus esse, qui aliter præsumit, quàm datum est ab authore.* Hæc autem excusatio, vnitatis simulatione subnixa, nonnullam habet, etsi occultam criminis confessionem. Quid enim? num vnitatem nullo modo, nisi rupta Christi institutione, integram permanere posse putant? aut Apostolos, sanctósque patres, qui communionem vtraque specie administrabant, ab vnitate discessisse arbitrantur? aut in ecclesia nullam vnquam constitutam fuisse vnitatem, mille & quadringentis plus minùs annis à Christo nato vsque ad Concilium Constantiense, in quo hoc fuit primò decretum? In eo autem posita est mystica illa vnitas, quòd vnus panis omnibus est distributus, vnúmque poculum omnibus peræquè absque discrimine traditum: quódque quemadmodum à Chrysostomo, dicitur, *nulla est inter sacerdotem atque populum differentia*, sed omnes sunt æquales. Aduersarij tamen nostri differentiam hac in re quandam inter sacerdotem & populum sine causa inuexerunt, eámque necessariò retinendam esse contendunt.

Ambrosi. 1. Cor. 11.

Chrysost. in 2. Corinth. Homil. 18.

Ioan. Sleidanus lib. 9.

Cum rex Francorum, qui ad hunc vsque diem communionem vtraque specie expletam sumit, à suis Theologis requireret, quid esset, quamobrem hoc ipsi magis, quàm cæteris liceret, sic est ei responsum: *Quoniam* (inquiunt) *reges perinde vnguntur, atque sacerdotes.* Gerson ait, si laici vtraque specie, æquè ac sacerdotes, vterentur, *dignitatem sacerdotis non fore supra dignitatem laicorum.* Et Gabriel Biel sacerdotem Dominæ Virgini, & omnibus sanctis præfert, quandoquidem is vtraque specie communicare potest, illi nequaquam. Ita, quod erat æqualitatis, & consensus mysterium, hi differentiæ atque dissensionis esse sacramentum fecerunt. *Fructus sacramenti* (inquit Hardingus) *non ex panis viníque formis pendet.* Est quidem hæc perobscura ignaris dicendi forma, qui quid sibi istæ formæ velint, minùs intelligunt. Caue autem tibi lector: latet enim sub hoc verbo laqueus. D. Paulus quinquies vno in loco panem nominat, hic autem noster formam, similitudinem, speciem panis vocat: cupit tamen tibi persuasum, nullum reuera esse panem.

Gerson in Tra. contra hæresim cōmunicandi laicos sub vtraque specie. Gabriel Biel.

1. Corinth. 11.

Non

Non id nos latet, fructum sacramenti neque in formis esse situm, neque in pane, aut vino quæ externa quadam ratione, ore nimirum corporis sumuntur, sed in carne & sanguine Christi positum, quæ solummodò spiritu recipiuntur in animam.

His adiungit: *Totus Christus alterutra specie continetur: proinde qui in altera tantùm specie communicat, nihil habet, quod quæratur.* Si quidem hoc quidem fuisset ab vllo antiquo doctore positum, faciliùs meritò fidem habuisset. Hardingus autem ex falsis principiis, quæ propria sunt & sua, conclusiones se similes confidenter efficere posse putat. Habent hæ nugæ, quo vanam imaginationem delectent, multùm: quo piæ conscientiæ satisfaciant, parùm. Verùm qui fit, vt integrum Christum vtrauis specie includi Hardingus cognosceret, Christus ipse non cognosceret? aut si cognouit, nonne suam ipse institutionem rescindere, atque huic incommodo subuenire potuit, æquè ac quisquam alius? Nos perspectum exploratúmque habemus, & certissimè persuasi sumus integram Christi humanitatem, tum carnem, tum sanguinem cœlo contineri, quòd autem eadem illa Christi humanitas in sacramento esset crassa quadam ratione, qualem aduersarij nostri fingunt, quantumuis multi multa iactarunt gloriosè, nunquam fuit tamen hactenus probatum. Et quanquam Hardingus in hanc mentionem intempestiuiùs incidit, cum ea sit ab instituta quæstione disiuncta, haud tamen alienum iudico, paucis tanquam in transitu annotare, quid de hac re veteres catholici patres senserint.

Consentius Augustino huiusmodi quæstionem ptoponit: *Vtrum corpus Christi nunc in cœlis agens sanguinem in se habeat, necne.* Atque vt hoc in loco Augustini responsionem prætermittam, facilè quiuis perspicere possit, si Consentius firmissimè credidisset, quemadmodum videri vult Hardingus, Christi corpus sacramentarium sanguine esse præditum, eum nunquam profectò quæstionem hanc de Christi corpore, quod in cœlis versaretur, positurum fuisse. Sed vt has nouas ineptorum hominum cogitationes, de quibus haud apparet antiquos & catholicos doctores vnquam meminisse, missas faciamus, illud nos intelligamus oportet, panem esse sacramentum corporis Christi, & vinū esse sacramentum sanguinis ipsius. Sic Beda ait: *Panis ad corpus Christi mysticè, vinum refertur ad sanguinem.* Similiter etiam Paulus, *Panis, quem frangimus, nonne est communicatio corporis Christi: & poculum benedictionis, quod benedicimus, nonne est communicatio sanguinis Christi.* Paulus non alterutrum in alterutro inesse, sed vtrumque propriam & separatam obtinere significationem docet.

Libr epistol. Epistola 146.

Beda in Lucam cap. 22. lib. 6.

1. Corint. 10.

Verùm, vt ita planè esset, atque Hardingus, ac quidam alij recentiores crassè finxerunt, tamen populus altera specie priuatus iniuriam accipit, quemadmodum potest Hardingo ex Alexandro Halensi, & Durando, & ex aliis ipsius doctoribus constare. Alexandri hæc verba sunt: *Licet illa sumptio, quæ est in accipiendo sub vna specie sufficiat, tamen illa, quæ est sub duabus, est maioris meriti.* Et mox sequitur: *Sumptio sub vtraqae specie, quem modum sumendi tradidit Dominus, est maioris efficaciæ, & maioris complementi.* Idem Alexander iterum ait: *Totus Christus non continetur sub vtraque specie sacramentaliter, sed caro tantùm sub specie panis, & sanguis sub specie vini.* Eadem potuerunt è Durando, & aliis adferri. Hîc Doctores Hardingiani fatentur populum vna specie communicantem perfectò minimè frui sacramento, nec sanguinem Christi sacramentaliter percipere, atque hoc populi factum minoris esse virtutis, atque meriti, quàm sacerdotum. Quapropter quòd populum Hardingus altera duntaxat sacramenti specie communicantem nullam pati iniuriam scribit, duplicem illi eo nomine iniuriam facit.

Alexan. 4. q. 53. M. 1.

Ale[illegible] 4. q. 40 M. 3. [illegible] 2.

His autem scholasticis subtilitatibus prætermissis, hoc nos scire conuenit, Christum Dei filium ita sanxisse, vt corporis sui sacramentum in pane, sanguinis in vino præberetur. Atque hæc sacrosancta sunt corporis & sanguinis Christi mysteria. Non hîc considerandū, quid in alterutro inesse futilis imaginatio statuat, sed attēdēdū potiùs quid Christ⁹ primò instituerit, obseruādúmque prescripserit. Neq; verò nos hîc ecclesiā cōdēnamus, sicuti falsò ab Hardingo accusamur, sed optamus, Deúmque precamur, vt vniuersa ipsius ecclesia ad Christi exemplum atque institutionem aliquando tandem instauretur, ac reformetur. Absque illo enim ecclesia, nulla est ecclesia: neque ius vllum habet, quod non eius promisso nitatur: promissum autem sine verbo nullum extat. Quod autem Hardingus dicit rationes à nobis pro Christi institutione conclusas adeo esse tenues, si suas ipse priùs expendisset, æquiorem se forsan nostris exhibuisset. Non eas dico rationes, quas alij eiusdem gregis à barbis, à metu paralyseos, ac tremoris, & huiusmodi morborum, atque incommodorum, quæ incidere possunt, desumpserunt, sed illas nimirum intelligo, quas in acie quodammodo, & primo causæ vestibulo collocauit.

Prima autem hæc est: *Est sacramentum vnitatis. Ergo, si abusus aliquis irrepserit, emendari non debet.* 1.

Altera hæc, *Fructus sacramenti, panis & vini formas non respicit: Ergo, licet Christi sanctionem contemnere.* 2.

Tertia huiusmodi est: *Integer Christus* (sicuti Hardingus ait:) *est in alterutra parte sacramenti: Ergo, iniquum non est populum altera priuare.* Istæ verò quidem rationes admodum videntur esse pertenues, præsertim quæ perspicuum Dei mandatum irritum faciant. Sententia quam Basilius in hac causa tulit, est imprimis terribilis: *Qui vetat quod Deus præcepit: aut præcipit quòd Deus vetuit, maledictus habeatur omnibus, qui amant Dominum.* 3.

Basil. Moral. Summa cap. 14.

Hardingus. 2. Sectio.

[a] Falsum. Panis enim & vinum significãt corpus & sanguinẽ Christi, Albedo autẽ & rotũditas, & cæteræ externæ formæ nihil significãt.

DE externis autem formis panis ac vini, earum vsus in [a] *significatione solummodo situs est, neque sunt ita necessariæ, vt digna sacramentorum sumptio gratiam minimè præbeat, nisi vtraque species adhibeatur. Proinde in consecratione sacramenti iuxta Christi institutionem ambæ species sunt necessariæ, quia non modò ideo præparatur, vt sumatur, sed etiam vt Dominicæ mortis recordatio renouetur & excitetur. Quatenus ergo sacramentum inseruit sacrificio, quo mors & oblatio Christi repræsentatur, vtraque species necessariò requiritur: quò varius ac diuersis formis, sanguis Christi pro peccatis nostris effusus, & separatus à corpore euidenter significetur. Quatenus autem populus fidelis, sacramentum percipit, quò spiritualem inde gratiam & animarum suarum salutem adipiscatur; formarum seu specierum, quæ significationis tantùm causa adhibentur, superuacanea est varietas. In vna autem specie, quandoquidem integer Christus in ea præbetur, abundantia omnis gratiæ semel datur, & adeo quidem vt ex alterius speciei accessione (quæ eundem dat, non alium Christum) nullum amplius gratiæ spiritualis incrementum acquiri possit. Itaque Ecclesia Catholica omnem veritatem à spiritu sancto edocta, dum in quotidiano sacrificio mortis, & supplicij Domini memoria celebratur, quandoquidem est necesse, in eo quàm apertissimè exprimere effusionem & separationem sanguinis à corpore, quod crucifixum fuit, ob eam causam diligenter vtraque specie panis simul & vini vsa est. In distribuendo autem sacramento Christianis hominibus libertatem retinuit, (quam Christus nunquam vetuit) prout ea* [b] *semper maximè eorum qui accipiebant interfuit, & nunc vtarmque speciem, nunc tantùm alteram præbuit, sicut opportunissimum & temporibus, & locis, & personis iudicatum fuit.*

[b] Falsum. Ecclesia enim nunquam sacramẽtum ita populo distribuit in vllo publico cætu intra sexcẽtos annos.

Episcopus Sarisburiensis.

VErborum hîc multum, rationis nihil. Fateor quidem ministrum communionem ritè & legitimè peragentem, mortis, quam Christus oppetiit, memoriam renouare, quemadmodum ipse præcepit: *hoc facite in mei commemorationem.* Non tamen hinc illud rectè concluditur, præscriptam à Christo normam violare fas esse, neque verò ita perspicuè est adhuc demonstratum, sacerdotem Missæ sacra procurantem Christi sanguinem ab eius corpore separatum repræsentare. Etenim præterquam quòd ad hanc rem confirmandam nullus ex priscis doctoribus adducitur, possem non iniuria quærere, quibusnam verbis, quo gestu, aut cui tandem mortali hanc separationem demonstret. Verba eius peregrina sunt, gestus occultus, populus nihil audit, nihil videt, nihil intelligit. Atque vt illud etiam demus, separationem scilicet corporis & sanguinis Christi in sacris mysteriis designari, vnde tamen Hardingus accepit hanc ad sacerdotem potiùs, quàm ad populum pertinere repræsentationem? Christi quidem sanguis est pro omnibus communiter fidelibus effusus, populo peræquè ac sacerdote, inter quos nullum, quod ad hanc rem attinet, intercedit discrimen, quemadmodum antè è Chrysostomo docui. Nam quòd Hardingus sacrificij vocabulo ad aliquam huius rei confirmandæ speciem abutitur, sciat non eam modò partem, quam sacerdos sumit, sed illam etiam, quæ populo distribuitur, ab antiquis patribus sacrificium esse appellatam. Augustinus sic habet: *Mos apud Carthaginem cœperat, vt hymni ad altare dicerentur de libro psalmorum, siue ante oblationem, siue cum distribueretur populo, quod fuisset oblatum.* Hæc diserta verba apertè declarant, & sacerdotem, & populum vnum sacrificium percepisse. Clemens autem, quem Hardingus Apostolorum socium nominat, hæc habet: *Tanta in altario Holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant.*

Chrysost. in 2. ad Corinth. homil. 18.

Retractat. lib. 2. cap. 11.

Clem. epist. 2.

Quòd autem insuper ait, sacerdotem in eo quòd vtramque partem separatim accipit, ad viuũ quodammodo exprimere, quemadmodum corpus Christi ab ipsius sanguine seiungeretur, scripturæ, veterésque patres nos secus erudierunt, nullum scilicet gustum sacerdotis, sed ipsam sacræ communionis administrationem, & totam populi actionem, mortis Christi formam ac rationẽ nobis describere atque delineare. Paulus ait: *Quotiescunque panem hunc comederitis, & de poculo isto biberitis, mortem Domini annunciabitis, quousque venerit.* Hoc autem Paulus non solùm ad sacerdotes, sed ad vniuersam etiam Corinthiorum Ecclesiam scripsit. Augustinus de eadem re similiter habet: *Cum frangitur hostia, & sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quàm Dominici corporis in cruce immolatio, eiusq; sanguinis de latere effusio designatur?* Quare manifestum est hanc corporis Christi ab ipsius sanguine secretionem, à populo non minùs, quàm à sacerdote adumbrari. Itaque discrimẽ quoddã excogitare sine causa, & falsum inde cõcludere, duplicis est imprudẽtiæ.

1. Cor. 11.

De consec. dist. 2. Cum frangitur.

Formarum, ac specierum varietas (inquit Hardingus) *ad significationem solummodo refertur, nec vllum præterea vsum obtinei.* Etsi quidem huius sententiæ veritas alioqui constaret, tamen quod ex ea cõsequitur, periculum nonnullum ostendere videtur. Nostrum quidem est Dei mandatis obtemperare, non ea excutere, aut corrigere, neque quod nobis à Christo Dei filio imperatur, superuacaneum aut inutile appellare. Libertas autem Ecclesiæ, quæ hic vendicatur, si vbi, & quando ea esset data, quæreremus vehementiùs, diploma fortè non ita facilè proferri posset. Ecclesiæ libertas non in eo consistit, vt Deo repugnes, aut sanctiones eius conuellas. Neque adhuc euicit Hardingus Ecclesiam intra sexcentos post Christum annos, in aliqua concione aut cætu populi (quę est istius quæstionis constitutio) vlla huiusmodi licentia vsam fuisse.

In his

In his verbis Hardingus nonnulla argumenta rectè disposuit, quæ quam vim & momentum habeant, quæso, Lector, cognoscito.

Primum hoc est: Sacerdos sacramentum consecrat: Ergo populus non nec esse habet vtramque speciem sumere.

Alterum est: Sacerdos sacrificium offert, & sanguinis ac corporis Christi separationem designat: Ergo populus vna tantummodo specie contentus esse debet.

Tertium ita se habet: Ecclesiæ sua libertas constat: Ergo ad institutionem Christi non astringitur.

Hui! quàm ista dissolutè colligantur, tamen hæc ea sunt argumenta quæ dilui nunquam posse videbantur.

Hardingus. 3. Sectio.

Ante passionem nobis solis præcepit hoc facere, inquiunt Apostoli apud Clementem lib. 8. Constitut. Apost. cap. vltimo.

ILla autem verba Christi, Bibite ex hoc omnes *ad solos Apostolos, eorúmque successores pertinent: Illis enim* [a] *solis in mandatis dedit, vt idem facerent, quod ipse in cœna fecerat, quemadmodum Clemens ait:* Illis solis, dicens. Hoc facite in mei commemorationem, præcepit, consecrare, offerre, & recipere sacramentum in commemorationem mortis & passionis ipsius, iisdémque verbis illos noui testamenti ministros instituit. *Quamobrem hoc non spectat ad laicos, neque ex hoc loco aptè colligi potest, eos necessitate* [b] *quadam, & sub pœna mortalis peccati alligari ad Sacramentum sub vtraque specie communicandum.*

[a] Falsum: Hæc enim verba peræquè ad populum ac sacerdotem pertinent, vt planū faciā.
[b] Hîc Hardingus quæstionis statum mutat.

Episcopus Sarisburiensis.

QVando hæc verba lego Hardingi, equidem totus metu & horrore contremisco terribilis iudicij Dei consideratione perculsus: vehementer enim metuo, ne qui ad hunc modum à verbo abducitur, non ignoratione offendat (tum enim errato dari faciliùs venia potuit) sed in manifestam & cognitam veritatem, inque spiritum Dei peccet. Quod enim Christus ait, *Bibite ex hoc omnes*, si τὸ ῥητὸν sequi voluerit, omnes bibere disertè præcipiuntur: si non tam verborum momenta, quàm ipsam sententiā expendere maluerit, eam Paulus explanauit. Etenim in epistola ad vniuersam Ecclesiam Corinthiam scripta hæc habet. *Quotiescunque hunc panem comederitis, & de poculo isto biberitis, mortem Domini annuntiabitis, donec venerit.* Si Paulo non credit, at vsus tamen ipse, & perpetua primitiuæ Ecclesiæ consuetudo apertissimè, quid Christus sentiret, declarat. Tritum autem est, & peruulgatum: *Consuetudo est optima interpres legis.* Quod si vero neque verbis Christi, neque sententiæ stare voluerit, quid illi faciam nescio. Iterum hîc Clementem Apostolorum æqualem profert: at quem tandem Clementem? illum quidem ipsum, qui & administrauit, & fidelibus iis, qui tum Romæ agebant, communionem vtraque specie integram præbuit, sicuti ex diuturno illius Ecclesiæ more patet, eodem prorsus modo, quo Christus suis eam discipulis tradiderat: neque potest Hardingus probare, Clementem hunc aliter vnquam communionem celebrasse. Sentit ille quidem & perspicit vocabulum illud *Omnes*, ei repugnare, sensum repugnare, vsum Ecclesiæ repugnare, suum ipsius Clementem repugnare. Perinde tamen sese iactat, ac si omnia explorata essent. Denique, si Christus cum diceret, *Bibite omnes*, non id voluit, vt omnes biberent, quî fit, vt Paulus, cunctíque Apostoli, totáque Ecclesia primitiua, sic & interpretarentur, & obseruarent, ac si ita planè sensisset. Si verò ita sensit, quamobrem Hardingus præstigiis nos circumscribit, nec ita sensisse confirmat.

1. Cor. 11.

At Clemens ait: *Christus hæc verba, Hoc facite in mei commemorationem ad solos Apostolos habuit:* Ergo (inquit Hardingus) hæc verba *Bibite omnes*, ad Apostolos duntaxat, eorúmque successores pertinent. Admonendus es, lector, Clementem in hoc loco, quem Hardingus citat, nullū omnino verbum, neque de altera, neque de vtraque specie facere, sed hæc tantùm scribere, Christum Apostolis suis munus sanctæ administrationis, quam ille spiritualem hostiam vocat, mandasse. Itaque Hardingum rem alienam ostentantem, & ex ea efficientem quodlibet, parum ingenuè atque apertè agere vides.

Argumentum autem quod ex his concludit, hanc formam obtinet: Clemens Christum solis Apostolis ministerij munus commisisse, & spiritualis sacrificij offerendi potestatem tribuisse ait: Ergo hæc verba, *Bibite ex hoc omnes*, omnino ad populum non pertinent. Remissa admodum conclusio. Sic enim perinde poterit vtramque sacramenti partem populo eripere, atque nullum hoc modo sacramentum relinquere.

Hardingus. 4. Sectio.

AT que hoc illos non fugiebat, qui supra annos centum priuata sua authoritate subnixi veterem ecclesiæ consuetudinem communicandi in vna specie [a] *mutantes poculum attingere non dubitarunt. Cum enim viderent non satis se defensionis atque præsidy habere in his verbis,* Bibite ex hoc omnes: *quò nouum hunc suum conatum solertius venditare possent, satius esse duxerunt verba Christi apud Ioannem vsurpare:* Nisi comederetis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam

[a] Falsum: Non enim mutarūt, sed repetierunt veterem consuetudinem.

in vobis. *Quæ verba licet noui nostri magistri quadragenarij de spirituali, non de sacramētali mādducatione intelligi volūt: sicuti & intelligi possunt, & intelliguntur à doctoribus seorsum examinatis, tamē in toto illo capite, nulla est omnino aut poculi, aut vini mētio. Quapropter qui tantopere institutionē & præceptum Christi vociferātur, nullū possunt in Scripturis reperire, neque præceptū, quo sacramēt eo modo administrari iussit, neque exemplum adeò vllum, quo vllis vnquam præterquam Apostolis illud in vtraque specie præbuit. Cōtrà autem ostendi potest in nostræ sententiæ probationem sacramentum sub vna tantùm specie duobus discipulis Emauntem proficiscentibus traditum fuisse. Panem enim illum, quem Christus ibi accepit, & benedixit, & dedit illis, non nudum, & vulgarem panem fuisse, sed corporis & sanguinis sui sacramentū,[a] Chrysostomus,[b] Augustinus.[c] Beda, &[d] Theophilactus summa consensione testantur. Apparet etiam communionem sub vna specie Hierosolimis fuisse à Christi discipulis celebratam ex eo, quod Lucas scribit in actis Apostolicis de fractione panis. Quod si hoc in loco Iuellus hæc testimonia eludere peruulgata ipsorum figura* synecdoche *se posse putat, hoc suis fortasse sectariis probabit, hominibus autem recto, doctóque iudicio præditis, illud effugium nimis infirmum, vanúmque videbitur. Iam igitur, vt de sexto capite Ioannis concludam, sicuti nullum verbum ex eo proferre possunt, quo poculi aut vini mentio fiat ad vtramque speciem suam confirmandam, ita haud obscurè solam panis formam sufficere ostendit in eo, quod Christus ait,* Qui manducat panem hunc, viuet in æternum.

Luc. 24.
a In Matth. Homil. 17.
b De Cōsens. Euang. lib. 3. cap. 25.
c In Lucam.
d In Lucam. Act. 2.

Episcopus Sarisburiensis.

HAEc oratio non nos modò, sed etiam Apostolos Christi, vniuersósque Ecclesiæ primitiuæ patres, singularis inconsiderantiæ insimulat, qui suis omnes ætatibus sacramentum ea forma vulgò administrarunt, quæ quemadmodum nunc isti homines fingunt, neque exemplo vllo Christi nitatur, & mandato etiam careat. De institutione Christi ea iam antè dixi, quæ moderato ingenio satisfacere posse videantur: quò tamen ad illa aliquid addamus, placet ab Hardingo quærere: quibus rebus Christi institutionem absolui, & contineri censeat. Si *verbis*, Christi verba diserta sunt: si *exemplo*, Christus ipse vtramque speciem adhibuit: si *authoritate*, Christus discipulis suis, & consequenter omnibus Ecclesiæ suæ ministris, vt similiter facerent, præcepit: si *sententiæ explorata certitudine*, Apostoli spiritu sancto præditi eam formam tenuerunt, & hanc Christi fuisse mentem statuerunt: si *temporis diuturnitate*, eam rationem vsque ad secundum ipsius aduentum obseruari iussit. Quòd si igitur, neque verba, neque exemplum, neque mandatum Christi, neque iudicium, & obseruatio Apostolorum Christi institutionem comprehensam ac firmam nobis reddere possunt, quid tum illis certum esse queat, qui his rebus omnibus destituti, nulla se re alia sustentant, quemadmodum doctissimi illius factionis agnoscunt, quàm religiosa populi simplicitate? Postquam Christus vtramque speciem discipulis suis præbuisset, sic dixit eis, *Hoc facite, quod à me factum vidistis.* vbi autem dixit aliquando Christus, vobis ipsis vno modo, cæteris alio ministrate: vel sic, vos vtramque speciem accipite, reliqui omnes nonnisi alteram sumant?

a Steph. Gardinerus in Sophistica Diabolica.

Etsi hæc perspicua sunt, & ex se minimè dubia, quò tamen istorum hominum inertia ac fatuitas magis eluceat, non erit alienum viri cuiusdam de ista testimonium attendere, qui inter ipsorum doctores non vltimum locum obtinet. Gerardus Lorichius in libro, qui inscribitur, de Missa publica proroganda, hæc verba habet: *Sunt pseudocatholici, qui reformationem Ecclesiæ quoquo modo remorari non verētur. Hine Laicis altera species restituatur, nullis parcūnt blasphemiis. Dicunt enim Christum, solis Apostolis dixisse, Bibite ex eo omnes. Atqui verba canonis habent, Accipite, & manducate ex hoc omnes. Hîc dicant, oro, num & hoc ad solos dictum sit Apostolos. Ergo Laicis & à specie panis est abstinendum: Quod dicere est hæresis, & blasphemia pestilens, & execrabilis: Consequitur ergo, vtrumque verbum dictum esse ad omnem Ecclesiam.* Hactenus Lorichius, acerrimus & transsubstantiationis, & primatus Papæ, & Missæ priuatæ adstipulator: ne fortè illum Hardingus è Lutheri auditoribus aliquem fuisse obiiceret, eiúsque, quasi rei, testimonium repudiaret. Iulius itidem Romanus olim Episcopus, cum accepisset quosdam panem intingere primùm in vinum, deinde populo præbere solitos, huius facti correctionem ex sola Christi institutione petebat. Sic namque ait: *Quod pro complemento communionis, intinctam tradunt Eucharistiam populis, nec hoc prolatum ex Euangelio testimonium receperunt.* Tū addit: *Seorsum enim Panis, & seorsum Calicis commendatio memoratur.* Hæc ille de administratione sacramenti locutus est, quod non modo sacerdotibus, verùm etiam populo debetur.

b Gerard. Lorichius in 7. parte Canonis.

c De consec. dist. 2. Cum omne.

Literati homines Bohemi nullum sibi firmamentum in Christi institutione collocatum esse videbant: & proinde quò suos stabilirent nouos conatus (sic enim nominare visum est Hardingo) *coacti sunt verba Christi è sexto capite Ioannis vsurpare, Nisi comederitis carnem Filij hominis, & sanguinem eius biberitis, non habebitis vitam in vobis. Hæc autem verba, quæ sunt in sexto capite Ioannis* (inquit Hardingus) *nouitij nostri magistri de spirituali, non de sacramentali manducatione esse intelligenda contendunt.* Bohemi verò quamobrem nouitatis accusari debeant, non video. Etenim hoc tantùm postulabant, vt Ecclesiæ primitiuæ formam retinere possent, quam in nonnullis Ecclesiis ab Apostolorum ætate ductam Thomas Aquinas ad sua vsque tempora mille & trecentis annis remansisse illibatam testatur. Christianum autem hominē, & Apostolicæ sedis sectatorem minimè

d Parte 3. q. 80. art. 12.

decet, Christi & eius discipulorum factum conquisitæ cuiusdam nouitatis insimulare. De rationibus ipsorum in hanc causam comparatis vt aliquid dicam,non est necesse. Eiusmodi sanè fuerunt, quæ apud doctissimum totius orbis quemque valuerunt,ob quod Dei nomen summis laudibus afficiatur.Qualescunque ipsorum Hardingo *præmissæ* videatur,*conclusio* fuit hæc,Nulli mortali creaturæ fas esse Dei immortalis legem infirmare.

At noui hi magistri (inquit Hardingus) *verba Ioannis de spirituali manducatione intelligi volunt.* Si aut quidam effrænus naturæ impetus,aut Catholicæ disciplinæ mos Hardingum ad huiusmodi cauillationes impellat,tolerandus nimirum est:quanquam contrà facit,ac professus,pollicitúsque est.Quod attinet ad sensum verborum, quæ Christus in sexto capite Ioannis habuit, non ij omnes pro nouis magistris sunt habendi, qui illa eo modo sunt interpretati. Nam vt Augustinum,Origenem,alióſque antiquos prætermittam , Nicolaus Lyranus homo non perinde vetustus,eadem illa Christi verba non nisi spiritualiter intelligi oportere affirmat: *Ista intelligi debent de manducatione,& potatione spirituali:Quia sequitur,Qui manducat meam carnem , & bibit meum sanguinem,in me manet,& ego in eo.Quod B.Augustinus exponens ait:Hoc est manducare illam escam, & bibere illum potum,in Christo manere,& Christum manentem in se habere:quod nihil aliud est, quàm esse in charitate Christi.* Patet ergo Nicolaum Lyranum , qui supra annos ducentos vixit, & ob eam causam magister non ita recens existimandus est, hæc verba ad spiritualem manducationem retulisse.Hardingus tamen contrà ait *eundem locum ad sacramentalem manducationem accommodari posse.* Lyranus autem secus iudicat,& propterea adiungit: *Hoc verbum nihil directè pertinet ad sacramentalem,vel corporalem manducationem. Non hoc verbum fuit dictum diu, antequam sacramentum Eucharistiæ esset institutum. Ex illa igitur litera, de sacramentali communione,non potest fieri argumentum efficax.*

Nicol. Lyra in Psalmum III.

Nicol. Lyra in Psalm.III.

Præterea Michael Væheus,homo recens,& sectæ Hardingianæ alumnus de eadem re sic scribit: *Infirmum est argumentum: Quæ enim de spirituali manducatione dicta sunt, ille ad sacramentalem torquet.* Videat igitur hîc Hardingus,præter Augustinum,Origenem aliosque perantiquos,& catholicos patres,quorum testimonia silentio præterij,quos & quales viros *nouorum magistrorum* nomine appellauit.Nicolaus de Lyra homo Anglus fuit,& ducentis annis Lutheri tempora superauit: Michael autem Væheus recentior extitit,& contra Lutherum nonnulla nominatim scripsit.

Michael Væheus tractatu 5. contra Lutherum.

Quid quæris?si Christus,eiúsque Apostoli nunc denuò in hominum societate degeret, ni quæ ipsi olim docuerunt,eadem nunc dedocerent atque abiudicarent,nullo modo *nouorum magistrorum* appellationem effugere possent.

Etsi autem ista verba,quæ sexto capite Ioannis continentur,de spirituali manducatione, & dicuntur,& accipiuntur,sicuti iam probauimus,ab antiquis tamen patribus nonnunquam ad sacramentum accommodantur,quanquam hoc minùs rectè,vt suprà Lyranus admonuit. Loca autem præsertim tam multa,neque doctis incognita,recitare nimis longum esset. De Christi autem in Emaunte , & discipulorum in Hierosolymitana ciuitate fractione panis, quandoquidem Hardingus alibi etiam meminit,suo loco pòst videbimus.

Rationes,quas hîc Hardingus collegit,eiusmodi sunt: *In sexto capite Ioannis nulla fit neque poculi, neque vini mentio: Ergo populo fas est vna specie communicare.* Infirma sanè ratio:Etenim peræquè liceat ex iisdem verbis ad hunc modum concludere:Ergo sacerdoti licet vna specie communicare: quod quidem ipse Christi institutioni fatetur aduersari. Contrà multò rectiùs conclusisset ita: Laici fide & pietate præstantes,fide ac cordibus suis verè Christi sanguinem bibunt: quapropter non repugnat, quominus eiusdem sacramentum bibant, & quemadmodum Eckius,doctor illarum partium ait: *Populus bibit in persona sacerdotis* : quocirca perinde licet , & absque periculo , in sua ipsius persona bibere.

Eckius in locis communibus.

Alia ratio huiusmodi est:Christus nullis vnquam,quod extet,nisi tantùm discipulis suis vtramque speciem ministrauit:Ergo populo licet altera communicare.Miror quonam fato,Hardingus in istiusmodi conclusiunculas sit delatus.Etenim vllàne est necessaria consequutionis forma , aut ab Apostolis ad populum:aut ab vtroque symbolo,ad alterum:aut ab Affirmatiua ad Negatiuam ducta? Ratio ad hanc summam refertur : Apostolis imperatum est , vt vtramque partem acciperent:Ergo hoc populo neutiquam imperatum est : Cuius aperta est,& sese ipsa prodit infirmitas. Multò autem meliùs & conuenientiùs hoc modo concluditur : Populus præcipitur eandem obseruare formam communicandi,qua vsi sunt Apostoli,quandoquidem nulla diserta discriminis ratio exponitur: Apostoli autem vtrumque symbolum perceperunt: Ergo populus etiam iubetur vtroque symbolo communicare.Quare,etsi confidenter est hîc ob Hardingo iactatum , nos neque exemplo vllo,neque institutione niti , spero tamen haud obscurum esse nos & exemplum Christi,qui sacramentum vtraque specie aduinistrauit,imitari:& à Christi institutione pendere, à quo iussi sunt Apostoli,vt similiter facerent.

Hardingus. 5. Sectio.

ITaque aduersarij nihil habent quod è scripturis adferant contra vsum Catholicæ Ecclesiæ, communionem vna specie administrantis. Neque tamen desinunt violationem diserti mandati Christi obiicere. Et Iuellus ipse pro sua parte in prima ipsius ad D. Colum responsione affirmat, Concilium Constantiense palam

contra Christum ipsum decreuisse. Sed cum hac in causa adeò ferueant, volo eos ad Martinum Lutherum ipsorum patriarcham remittere, vt vel eius hac in re moderatione aliquando reddantur mitiores, vel eius atque auditorum suorum inconstantia adducantur, vt sui se pudeat. Etsi loca ipsa peruulgata sunt vtpote quæ sæpenumerò à Catholicis scriptoribus nostræ ætatis contra Euangelicos citentur placuit tamen hîc allegare, quò indoctiores sentiant, ipsos non tanti æstimare hunc articulum, quanti esse aliqui populo persuadere cupiunt. Lutherus ad Bohemos hæc ipsa scribit. Quoniam pulchrum quidem esset, vtraque specie Eucharistiæ vti, & Christus hac in re nihil tanquam necessarium præcepit: præstaret pacem, & vnitatem, quam Christus vbique præcepit, sectari, quàm de speciebus sacramenti contendere. *Hæc quoque uerba eius sunt in quodam tractatu de sacramento:* Non dixi, neque consului, neque est intentio mea, vt vnus aut aliquot Episcopi, propria authoritate alicui incipiant vtramque speciem porrigere, nisi ita constitueretur, & mandaretur in concilio generali.

Episcopus Sarisburiensis.

DOlet Hardingo, quòd Constantiense Concilium contra Christum ipsum decreuisse affirmamus, ideóque nos ad ipsum Lutherum relegat, vt eius perspecta inconstantia nostri nos pudere possit. In quo ex vna syllaba oblectandi fuimet ansam arripere voluit: quanquam quod attinet ad inconstantiam, quo nomine tam gloriosè de D. Luthero triumphat, sui penitus esse oblitus videtur. Nemo est enim, qui nescit, D. Lutherum semel tantùm in vita mutationem fecisse, eámque à manifesto errore, ad apertam agnitámque veritatem. Hardingus autem, quàm iustis de causis non dicam, doctrinæ suæ, fideique summam intra duorum annorum spatium bis mutauit. Neque essem huius rei mentionem facturus, nisi quòd eum velim esse sui ipsius memorem.

De Missa publica proroganda.

Quod autem Constantiensis Concilij sanctio Christi decretis repugnaret, præterquàm quòd Gerardus Lorichius Hardingianæ scholæ doctor, acri quodam orationis genere ad ipsum affirmet, quid clarius esse potest, quàm quæ Paulus ad Corinthios scribit: *Quod accepi à Domino, idipsum vobis tradidi.* Pòst vtriusque symboli separatim meminit, ostenditque, quòd quemadmodum Christus panem accepit, sic etiam & poculum: quódque Apostoli vtramque partem è Christi manibus acceperint, non modò sibi ipsis, sed etiam populo. Quare in quo Hardingus, nobis communionem poculi partem esse institutionis Christi contendentibus, tanta vociferatione reclamat, si ista diligentiùs consideraret, & veteres Catholicos patres consuluisset, prudentius secum fortasse statuisset. Nam vt vnum pro multis breuitatis causa proferam, Cypriani de ista re verba perspicua sunt: *Quidam vel ignoranter, vel simpliciter, in calice Dominico sanctificando, & plebi ministrando, non hoc faciunt, quod Iesus Christus Dominus, & Deus noster huius sacrificij author, & Doctor fecit, & docuit:* Tum addit, *Si quis in isto errore adhuc teneatur, veritatis luce perspecta ad radicem atque originem Traditionis Dominicæ reuertatur.* Postea etiam in eadem epistola habet: *Inueniemus non obseruari à nobis, quod mandatum est, nisi eadem, quæ Dominus fecit nos quoque faciamus.* In his verbis ita paucis Cyprianus ait, *Dominum & fecisse, & faciendum docuisse: Dominicam, & traditionem, & mandatum* vocat. Neque hîc potest Hardingus tanquam densa quadam caligine offusus furtim se eripere, quasi nimirum hæc à Cypriano de poculo, quod sacerdos sibi ipsi consecrat, dicerentur: ipsa enim verba contrà ferunt, *In calice Dominico sanctificando, & plebi ministrando.* Iam verò si Cyprianus iustissimis causis adductus fuit, vt hæc contra hæreticos scriberet, qui Aquarij fuerunt nominati, quòd in sacra communione vinum nullum adhiberent, sed vini loco aquam consecrarent, plebíque ministrarent: multò nos quidem eadem æquiùs contra nostros aduersarios vsurpare possumus, qui nullum omnino calicem consecrant, & plebi ministrant. Itaque in fine eiusdem epistolæ conclusiones his verbis absoluit: *Non hoc idem facere, quod fecerit Dominus, quid aliud est, quàm sermones eius abiicere, & disciplinam Dominicam contemnere: nec terrena, sed spiritualia furta, & adulteria committere, dum quis de Euangelica veritate furatur Domini nostri verba & facta, & corrumpit, atque adulterat præcepta diuina? sicut apud Hieremiam scriptum est: Quid est, inquit, paleis ad triticum! propter hoc ecce ego ad Prophetas, dicit Dominus, qui furantur verba mea vnusquisque à proximo suo, & seducunt populum meum in mendaciis suis, & in erroribus suis.*

1. Cor. 11.

Cyprian. lib. 2. epistol. 3.

Hierem. 23.

Ea quæ Lutherus ad Bohemos, alióSque hoc in loco memoratos scripsit, antè fuerunt ab eo perscripta, quàm fuisset ad promulgandum Euangelium à Deo designatus. Itaque nihilo magis ei sunt obiicienda, quòd cum posterioribus eius scriptis dissentiunt, tanquam mobilitatis & inconstantiæ crimina, quàm Hardingi conciones Edouardo rege palàm habitæ, ad infirmandam horum scriptorum fidem valere debent.

Hardingus. 6. Sectio.

H*Ec priùs scripsit, quàm odium in Ecclesiam inueteratum concepisset: postquam autem diabolo familiarior esse cœpit, ab eóque cum illo aspectabiliter versante argumentis contra sacrificium Missæ conquisitis informatus fuit, quò* [a] *memoria nostræ redemptionis per Christum in cruce peractæ penitus deleretur: de ista re longè secus scripsit:* Si quo casu concilium statueret, minimè omnium nos vellemus vtraque specie potiri: imò tunc primùm in despectum concilij, vellemus aut vna aut neutra, & nequaquam

[a] Falsum cũ probro, & conuicio iunctũ: nullus autẽ de Christi in cruce oblatione honorificentiùs est loquutus.

quã vtraq; potiri,& eos planè anathema habere,quicũque talis cõcilij authoritate potirẽtur vtraque. *Hæc verba declarãt quo spiritu Lutherus esset,eúmque ostẽdunt,qualis erat. Quicũque eius libros mente non præiudicata perlegerit,facilè perspexerit ab Apostolorum temporibus neminem vnquam neque tam arroganter,neque tam malitiosè contra Ecclesiam scripsisse,neque tam sibi ipsi contrariè. Quæ quidem notæ ita certè claræ sunt, vt qui eas videre nolit, sed se in errorem, Ecclesiæ odium, pietatis contemptum, aut ab ipso,aut ab ipsius sectatoribus abduci patiatur:nisi resipuerit,seq; ad saniorem mentem traduxerit suæ ipsius damnationis reus est,& penitus corruit,& peccat* ἀναπολογήτως, *suo ipsius iudicio damnatus.Sed quò istorum defensio aliqua esset,in libro de Captiuitate Babylonica fatetur,sic se scripsisse, non quò ita sentiret, aut quò vnius speciei vsum illegitimum iudicaret,sed quòd odio atque ira impelleretur, vt ita scriberet: verba ita planè sonant:*Scripsi(*inquit*)secus ac sensi animo,Prouocatus,imò per vim raptus. *Hîc autem minimè dubito,quin viri sapientes ea potius attendenda esse iudicauerint, quæ Lutherus mente composita ac sedata,quàm quæ turbulentis vitiosarum affectionum tempestatibus commotus scripserit.*

Episcopus Sarisburiensis.

NIhil tam in promptu,quàm maledicere.Non enim fuit quicquam tam à Lutheri animo,cõsilióque alienum,quàm propter cuiusquam concilij decretum, sacramentum vno symbolo diminutum administrare,Christíque eo modo institutionem distrahere, ac dilacerare. Tamen ei minimè consentaneum visum est,vt æterna Dei veritas,ex hominis caduci penderet authoritate,& tantum modò fidei haberet, quantum ei mortalis homo tribueret. Quanquam hoc ius & hanc authoritatem Papa sibi vendicauit, hominesque credere coegit, ius omne se legémque in scrinio pectoris sui reconditam habere,quemadmodum ipse scribit. Et quidem Syluester Prierias,qui Leonis Papæ palatio præfuit,nec pudore fuit,nec metu prohibitus, quò minùs ad hunc modum scriberet,*A doctrina Romanæ Ecclesiæ,& Romani Pontificis sacra scriptura robur & authoritatem trahit.* Hoc nimirum fuit, quod Lutherus improbauit, & intolerandum esse existimauit. Quapropter verbum Dei eo tantum nomine amplectendũ esse dixit,quòd Dei verbum,atque ab ipso Deo editum esset,non quòd à Concilio probatum, ac confirmatum fuisset.Quòd si autem Concilium communicationem vna specie sanciret, se vtramque adhibiturum esse professus est, quia Christus vtramque sumendam esse instituit:si verò Episcopi in Concilium conuenientes de vtraque parte,tanquam de re in arbitrio iudicióque suo constituta consentirent, quasi ipsi summam potestatem vel rescindendæ vel sanciendæ diuinæ voluntatis haberent, tum verò se illius Concilij, quòd se Deo præponeret, authoritatem pro nihilo habiturum esse, sed vel vna vel nulla specie vsurum affirmauit. Hac de causa Lutherum Hardingus tam acerbè reprehendit, eúmque arrogantem vocat,quandoquidem Dei voluntatem hominum placitis omnibus anteposuit.

Extra.de Cõst. Licet Roman*. Syluester Prierias, Magister Palatij.

Quanquam nemini ignotum est D. Paulum simili in causa similiter egisse. Nam etiamsi Timotheum vt circuncideret adductus est, postquam tamen ingressos esse quosdam animaduerteret, qui Tito etiam circuncisionem tanquam necessariam imponerent, illis hominibus singulari quadam animi fortitudine restitit, neque cedere voluit. Ad hunc autem modum scribit: *Sed neque Titus, qui mecum erat, coactus fuit circuncidi: propter emissarios, falsos fratres, qui irrepserant ad explorandam libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, vt nos in seruitutem adigerent: quibus ne ad momentum quidem cessimus, vt veritas Euangelij permaneret apud vos.*

Act.16. Gal.2.

Eusebius in historia scribit, legem Romæ antiquam fuisse, quæ prohiberet ne imperatorum aliquis consecraret, & publicè dedicaret aliquem deum, quem non senatus antè probasset. Tyberius autem Cæsar,postquam incredibilia illa à Christo edita in Iudæa miracula fama atque auditione accepisset, Deum esse Christum ratus, retulit ad Senatum de Christo promulgando,& in deorum numero censendo. Senatus verò non est assensus, nec illum pro Deo habuit. Tertullianus illorũ fatuitatem irridet, *Apud vos de humano arbitrio diuinitas pensitatur: nisi homini Deus placuerit,non erit Deus,homo iam Deo propitius esse debet.* Non minùs profectò inepti esse videntur ij,qui diuinam veritatem pro veritate minimè habendam esse arbitrantur,nisi concilij approbatio,consensioque accesserit.In hunc ipsum finem Lutherus librum scripsit ad nobiles ordinis Teutonici,postquam à Papa licentiam ineundarum nuptiarum impetrassent,votisque liberati essent.Præcipit autem ne *illa dispensatione freti nuptias cõiungant:alioquin* inquit,*Deum offendunt,& peiores sunt adulteris,vtpote qui hominis,quàm Dei maiorem rationem habeant, cúmque diuina dispensatione vti possunt,quasi ea non sufficeret,humanam insuper quærant.*

Euseb ius lib.2 cap.2. Tertul. in Apologetico. Ad nobiles ordinis Teutonici

Lutherus non eò hæc scripsit, quò pium vllum Concilium despicatui haberet, nihil quidem magis,quàm Esaias Propheta,cùm diceret *Inite concilium,& dissipabitur.* Verùm nullo modo ferre potuit Dei gloriæ tantam inuri maculam, vt hominum multitudo authoritatem probandæ simul,& improbandæ diuinæ veritatis sibi assumeret,quasi in se vera non esset,sed ipsorum vel caderet, vel staret arbitratu. Quæ sequuntur,nihil aliud,quàm impura conuitia ac maledicta continent. Deus autem qui virum illum linguis vanis ac mendacibus liberauit, perpetua prædicatione extollatur.

Esai.8.

At Lutherus(inquit Hardingus)*secum ipse pugnauit.* Similiter quidem Marcion hæreticus Paulum incusauit,quò verbis ceremonias oppugnaret,ipse tamen caput suum raderet Cenchreæ, ceremoniásque obseruaret:quòd Titum circuncidere nollet,cùm antè Timotheum circuncidisset: quòd interdum legem tueretur,interdum eandem conscinderet, atque sic perpetuò sibi contrarius esset.Neque fortasse magnoperè dubitaret is, qui eodem spiritu imbutus esset quo Hardingus, D.Paulum peræquè ac Lutherum inconstantiæ crimine arcessere. Vt quidem Lutherus contrarium aliquando dixisset,atque antea dixerat,minimè tamen Hardingo omnium conueniebat,vt illum eo nomine in reprehensionem adduceret.Lutherus autem Deo vocanti semper obtemperauit,neque vnquam est ad vomitum reuersus priorem, neque cum sua ipsius conscientia pugnauit,aut exploratæ veritati restitit.Etsi igitur sibi ipse aliquando contrarius esset, facta ab errore ad veritatem transitione,Deo tamen haudquaquam fuit contrarius.

Act.21.

Hardingus. 7. Sectio.

IAm verò quò hoc perspicuum magis fiat, Lutherum scilicet, siue vna specie communicetur,siue vtraque, rem existimasse ἀδιάφορον,id est,indifferentem,Philippus Melancthon ipsius auditor,& intimus à concilijs scribit:Sicut edere suillam,aut abstinere à suilla,sic alterutra signi parte vti medium esse. *Signi scilicet nomine,sacramentum significat,nouum hoc vocabulum magis probans,quàm quod est Ecclesiæ vsitatum,ne fortè à fratribus suis sectariis in aliqua re cum catholicis sentire iudicaretur.*

In locis communibus.

Bucerus etiam est eiusdem opinionis, qui in colloquio Ratisbonensi inter catholicos & protestantes ad dissidia de religione componenda instituto,hunc articulum consensu suo comprobauit his verbis : Ad controuersiam quæ est de vna aut vtraque specie tollendam cum primis conducturum,vt sancta Ecclesia liberam faceret potestatem,Sacramentum hoc in vna vel in vtraque specie sumendi.Ea tamen lege, vt nulli per hoc detur occasio, quem vsum tempore retinuit Ecclesia temere condemnandi,aut inuicem iudicandi. *Equidem qui liberum oportere esse contendit, sacramentum, vel in vna,vel in vtraque specie sumere, eáque opinione est, vt veterem consuetudinem vnius tantùm speciei sumendæ minimè condemnandam esse censeat,satis videtur ingenuè fateri,nihil hac in re institutum mandatúmque à Christo esse,quasi necessarium ad salutem.*

Manifestum igitur est eos,qui se à mystico corpore Christi,id est,Ecclesia ipsius,remouerunt, qui nimirum doctrina,& iudicio cæteris præstiterunt,in medijs rebus ponere, (ita vt reuera ex se est,in Ecclesiæ libertate situm)vtrum sacramentum vna,an vtraque specie administretur. Atque hoc quidem etiam contra Iuellum,eiúsque factionem confessi sunt non modò docti aduersarij è Catholicis nostræ ætatis, sed etiam Bohemus quidam,vir eruditus,supra sexaginta abhinc annos: Ioanni Przyxsamo nomen fuit,è cuius scriptis quædam edita sunt. Iste vir doctus, cum probare conaretur vtriusque speciei vsum, è verbis Christi apud Ioannem: Nisi comederitis carnem Filij hominis,& biberitis sanguinem,non habebitis vitam in vobis, *ad extremum hæc verba,prout hominum temporis eloquentia ferebat,edit:*Verumtamen hîc Deum timens, & mores impios aliorum præcauens fateor quòd quaslibet personas de Ecclesia communioni fidelium sub vtraque specie repugnantes damnare aut hæreticare non intendo.*Quod si verò Deus iusserit sacramentum vtraque specie,ab omnibus communicari, quamobrem Dei metu prohiberetur, ne illos damnaret,qui illi formæ communionis aduersantur? cum præsertim quisquis contrà facit,ac Deus præcipit, dignus sit,qui condemnetur. Huius igitur viri testimonio conuincitur vnius vel vtriusque speciei vsum esse indifferentem.*

In lib.de professione fidei catholicæ. cap.19.

Nos igitur possumus Lutheri, Buceri, Melancthonis, & illius literati Bohemi testimonia adhibere pro ἀδιαφορίᾳ communionis vel vna vel ambabus speciebus administrandæ. In quo non id volo, vsum sacramenti sic esse cuiuis homini liberum, vt vnusquisque pro arbitrio suo vel vtramque speciem exigere, vel vna solummodò specie contentus esse possit. Nequaquam verò: debet enim quisque ad Ecclesiæ instituta sese conformare:Ecclesia autem nulla diuini mandati necessitate astringitur ad communionem Laicis vtraque specie ministrandam.

Episcopus Sarisburiensis.

QVò probet Hardingus,communionem dimidiatam in rebus indifferentibus esse habendam Melancthonis,Buceri,& hominis cuiusdam Bohemi, doctrina clari authoritatem adducit: quorum quidem alios ementitus est,alios nullum testimonium dicentes produxit. Neque verò illos eò testes excitauit, quò eis se tanquam magistris & authoribus dederet: quandoquidem hi neque scriptis vnquam suis, neque Ecclesiæ suæ administrandæ forma atque ratione ad violandam Christi institutionem conspirauerunt: sed in eo veterum doctorum penuriam prodit suam.Si enim illis potuisset authoribus & patronis vti,istorum haud quenquam vsurpare profectò voluisset. In Melancthone formam loquendi reprehendit eam,quæ sacramentum dixit esse signum: *quod vocabulum*(inquit)*nouum est,& Ecclesiæ vsitatum.*Si criminationes,quas auidè captat, sine causa conquisitas omittere voluisset,non est ille quidem nescius,sacramentum omnibus Ecclesiæ temporibus,atque ætatibus signi nomine fuisse appellatum.

Petrus Lombardus ad hunc modum sacramentum definit.*Sacramentum est signum rei sacræ.*Ipsa autem

autem οὐσία cuiusque rei & natura non vllo modo meliùs intelligi posse existimatur, quàm definitione. Augustinus inquit: *Signa cum ad res diuinas adhibentur, sacramenta vocantur.* Alio etiã in loco de differentia sacramentorum veteris nouíque testamenti verba faciens, hæc habet: *In signis diuersis eadem fides.*

In libro etiam contra Adimantum ait: *Non dubitauit Dominus dicere, hoc est corpus meum, cum daret signum corporis sui.* Similiter Chrysostomus inquit: *Si mortuus Christus non est, cuius symbolum ac signum hoc sacrificium est.* Ne cui autem obscurum forte videretur, vocabulum hoc, *Signum*, quam vim ac significationem haberet, Augustinus ipse ad hunc modum est interpretatus: *Signum est res præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud quiddam faciens ex se in cognitionem venire.* Ex his apparet, signi nomen non perinde nouum esse, aut ecclesiæ inauditum, atque Hardingus statuit. Etsi quidem molestè fert nos facta antiquorum patrum imitari, vocabula tamen, ac dicendi formulas, quibus ij sunt vsi, nobis vsurpare permitteret.

Auguſt. de doctrina Christiana li. 3. ca. 15. In Ioan. tract. 45. Auguſt. contra Adimantum cap. 12. Chrysoſt. in Mat. homil. 83. Auguſt. de doctrina christiana lib. 2. De conſe. diſt. 2. Signum eſt.

Sed Melancthon (inquit Hardingus) *& Bucerus hoc medium esse affirmant.* Re quidem vera hi singulari eruditione viri, postquam perspicerent aduersariorum suorum malitia fieri, quò minùs ipsi efficere possent, vt Christi institutio in Ecclesiam vniuersam reduceretur, in eo summam contentionem adhibuerunt, vt integrum solutúmque singulis ecclesijs relinqueretur, quod ipsis maximè videretur hac in re sequi, idque sine fremitu offensionéque aliorum. Atque eatenus contenderunt, vt res hæc in integro esset, non quòd existimarent, neutiquam sanxisse Christum, vt sacramentum plebi, vtroque symbolo traderetur, aut hanc rem per se esse indifferentem, sed quò fidelis Christianorum multitudo ἀδιαφόρως, & liberè eo vteretur, néve Christi imitatio hæreseos crimine condemnaretur.

Eodem modo sancti patres, qui primis temporibus Ecclesię vixerunt, quando principibus, & nationibus ethnicis persuadere minimè potuerunt, vt Euangelium amplecterentur, in lucro tamen maximo posuerunt, Deóque gratias egerunt, si quando locus ipsis & potestas liberè, & absque conscientiæ periculo conueniendi, & Euangelij prædicandi permitteretur.

Ista libertas Hardingo odiosa est: vniuersæ ecclesiæ de ea statuere integrum esse vult, non tamen particulari cuiuis Ecclesiæ. Hæc ad rudium fraudem apparata stropha est. Neque enim nescius est cæteras omnes Ecclesias per orbem terrarum fusas, à primo vsque Euangelij satu ad diẽ hodiernum, sacrosanctam communionem vtraque specie perpetuò administrasse, quemadmodum Christus præcepit: Christíque institutionem nusquam fuisse palam, & facta quasi conspiratione dissolutam, nisi in Romana tantùm Ecclesia, quæ quidem minimè vniuersalis est, sed planè particularis, eámque etiam diuinæ sanctionis violationem non ab episcoporum, hominúmque eruditione præcellentium consentientibus iudicijs fluxisse, sed quemadmodum suprà demonstrauimus, *à simplici* (vt loquuntur) *deuotione populi.* An verò existimat Hardingus populo fas esse institutionem Christi perrumpere, sine concilio generali: neque tamen tutò se ad eandem referre absque generali concilio posse? Certè verò concilio minimè opus est, vbi ex concilij decreto nihil gestum est.

De ἀδιαφορία autem huius rei, in qua Hardingus istius tractatus fundamentum collocauit, & qua ratione institutionis Christi contemptio ἀδιάφορος videri possit, non habeo, quod aptiùs respondeam, quàm quod à Cypriano responsum est, in causa simili: *Si quis de antecessoribus meis non hoc obseruauit & tenuit, quod nos Dominus exemplo & Magisterio suo docuit, potest simplicitati eius de indulgentia Domini venia concedi, nobis verò non poterit ignosci, qui nunc à Domino admoniti & instructi sumus. Agentes gratias, quòd dum instruit in futurum, quid facere debeamus, de præterito ignoscit, quòd simpliciter errauimus.* Hucusque tolerari posse diuinæ legis violationem Cyprianus censuit. Sed istis addit: *Post inspirationem verò, & reuelationem factam, qui in eo quod errauerat perseuerat prudens & sciens, sine venia ignorantiæ peccat, præsumptione, atque obstinatione superatus.*

Cyprian. lib. 2. Epist. 3.

Cyprianus ad Iubaianum de hæreticis baptizandis.

Hardingus. 8. Sectio.

Etsi autem sacramentum vtraque specie administratum fuit Corinthi, quemadmodum ex Paulo apparet, & in alijs compluribus locis, sicuti scripta nonnullorum veterum patrum testantur, ecclesia tamen multis grauibúsque causis adducta fuit ad legem constituendam, quæ populo vna tantùm specie communicare permitteret, non modò in Concilio Basiliensi, sed etiam in Constantiensi, & antè, mille plus minus annis, in [a] *primo Concilio Ephesino, quemadmodum multi probabiliter colligunt, & nominatim vrbanus Regius Lutheranæ scholæ professor idipsum fatetur in libro suo de* locis Communibus.

Vna causa, eáque non minima fuit, quò Nestorij hæresis eo modo faciliùs extingueretur, qui ad alios errores & hanc opinionem adiunxit, [b] *formam panis in sacramento corpus Christi sanguine vacuum, vini formam, sanguinem à corpore disiunctum continere. Multæ etiam* [c] *aliæ causæ illos patres commouerunt, vt eam rationem introducerent, quò multis incommodis, periculis, atque offensionibus ansam præriperent, quæ in poculi vsum incidere potuerunt: veluti exempli causa, minus decora tanti sacramenti tractatio, cui Christiani homines principio admirabilem reuerentiam præbuerunt: nausea nonnullorum,*

[a] Falsum: nullum enim in eo Cõcilio huiuſmodi decretum vel tentatum.
[b] Falsum: nunquã enim Neſtorius de huiuſmodi commẽto ſomniauit.
[c] Preclarę nimirũ cauſæ propter quas Chriſti inſtitutio violetur.

qui vinum fastidiunt: difficilis vini importatio: & impossibilis eiusdem conseruatio, ne corrumpatur, in regionibus septentrionalibus, in eo climate sitis, in quo summum frigus existit. His etiam aliæ complures causæ addi potuerunt, è quibus manifestum esse posset, nequaquam fuisse rationi consentaneum, vt omnes necessario vtriusque speciei vsu astringerentur.

Episcopus Sarisburiensis.

NOn inficiatur Hardingus, & D. Paulum Corinthi, & alios summa sanctitate, & religione patres in suis singulos ecclesijs sacramentum vtraque specie administrasse. Potuit æquè dixisse, omnes Apostolos, & omnes sanctos patres, nisi hoc ipsius causæ perniciosum fuisset. *Verum ecclesia temporis decursu* (sicuti hîc Hardingus iactat) *contrariam formam instituit, quò nominatim Nestorium hæreticum refutaret.*

Hîc te, Christiane lector, diligentem præstare attentionem oportet. Quæstionis hic status est: vtrùm mutilata ista communio, quam Hardingus tuetur, palam vnquam & in oculis totius ecclesiæ populo fuerit solenni vsu tradita intra sexcentorum post Christum annorum spacium. Quô hanc rem probet, ait Concilia Constantiæ atque Basileæ habita, illam formam atque rationem sanxisse: quorum quidem prius initum habitúmque est anno Domini millesimo quadringentesimo, & decimo quarto: quod etiam eiusmodi fuit, vt nec vniuersale esset, nec καθολικῶς vnquam obtineret. Quid igitur habet, quod defensioni Hardingianæ aliquid momenti impartiat? *Colligitur etiam probabili coniectura* (inquit Hardingus) *eandem formam mille annis antè in primo Concilio Ephesino decretam fuisse.* Hoc in loco Hardingus in eas est adductus angustias, vt non doctrina atque scientia sustentetur, sed quemadmodum consueuit, nuda tantùm coniectura nitatur. Quòd si verò nouum hoc inuentum ad Nestorium hæreticum refellendum fuerit introductum, quî tum factum est, vt non ante Concilium Constantiense ac Basiliense ratum haberetur, mille demum annis postquam Nestorius è vita exijsset, eiúsque ex hominum memoria sublata fuisset heresis? Si in concilio Ephesino eiusmodi decretum perlatum fuit, quamobrem nullum extat eiusdem in illo Concilio monumentum atque mentio, neque doctus quisquam mille annorum spacio tale aliquid literis prodidit?

Anno Domini 1414.

Verùm, Vrbanus Regius Lutheranæ scholæ doctor idipsum confitetur. Primùm Vrbanus Regius ex hac vita migrauit non supra annos ab hinc viginti: & propterea testis videri debet nimis recens, qui de re tam longo ante tempore gesta testimonium dicat. Huc accedit, quòd liber *de communibus locis,* illius nomine editus, nihil aliud habeat, quàm quendam rerum diuturna lectione à se congestarum cumulum, quemadmodum studiosi solent, è diuersis variisque authoribus tam harum, quàm illarum partium multa colligere, memoriæ tantùm adiuuandæ, & augendæ scientiæ causa. Neque ab ipso Regio emendatus atque editus erat ille liber, sed typographo traditus est ab ipsius vidua, postquam ipse mortuus esset, sine castigationibus, quemadmodum Pomeranus testatur, qui librum principi Mensburgensi dedicauit. Quapropter hæc collectitia scripta hominis diligentiam arguunt, non ostendunt iudicium. Quod autem ad illam de concilio Ephesino obseruationem attinet, verisimile est ex Alardo, aut Michaele Væhæo, aut aliquo ætati suæ æquali scriptore desumpsisse.

Nestorius præter alios errores (inquit Hardingus) *hanc opinionem habuit, specie panis in Sacramento corpus Christi separatum ab ipsius sanguine contineri, & vini specie sanguinem tantùm à corpore seiunctum.* Quid causæ est, quamobrem iste homo tanto studio vnum errorem alio fulcire cupit? Primùm ait, *Concilium Ephesinum decreuisse contra vtramque speciem.* Hoc falsum est, nec vnquam hactenus probatum fuit. Deinde causa aliqua excogitanda est, quæ patres illos ad huiusmodi sanciendum decretum impelleret. Ea autem, vti hîc Hardingus fingit, Nestorij fuit hæresis. Causa ficta satis apta est, ad effectum probandum commentitium. Eò autem adactus est Hardingus, vt non modò doctores nouos, & noua Conciliorum decreta comminiscatur, sed hæreses etiam nouas confingat, quales antea nunquam fuerunt auditæ: eadem planè ratione, eodémque consilio, quo nonnulli Aristotelem aliquando absurdas & prodigiosas, sed imaginarias tantùm opiniones Democrito, Parmenidi, Melisso, aliisque philosophis attribuisse iudicant, non quòd ipsi ita vnquam vel scripsissent, vel docuissent, sed quò disputandi materiam aucuparetur, & illustrius suæ eruditionis specimen ostenderet. Si verum sit, quod ille de Nestorio opinatur, tum tota Hardingi defensio hæresi tãtùm nititur: si falsum sit, vti est reuera falsissimũ, tum è manifesta falsitate pendet: ex quo consequitur, vt siue verum sit, siue falsum, infirmo admodum fundamento sustentetur.

Quod autem ad Nestorium spectat, notum quidem & nemini dubium est, eum impium atque blasphemum hæreticum extetisse, & meritissimè à multis sanctis patribus, ac Concilijs damnatum fuisse. Philastrius, Augustinus, Epiphanius de eius hæresi nominatim scripserunt: Concilium Ephesinum, & Calchedonense, Cælestinus, Gelasius, Leo episcopi Romani, Cyrillus episcopus Alexandrinus resecuerunt, euulserúntque omnes heresis pestilentissimæ fibras, eásque damnarunt. Quorum tamen nemo est, qui Nestorio nouam hanc hæresin ab Hardingo confictam obijceret. Si qua in re ipsa probabilitas inesset, Hardingns ea eloquentia copiáque dicẽdi prædi-

præditus, omnes circunſtantias diligenter expoſuiſſet, quo primùm tempore nouus iſte error natus eſſet, vbi & quandiu duraſſet, qui contrà ſcripſiſſent, à quo, atque in quo Concilio damnatus fuiſſet. Altum quidem hoc ſilentium, non habuiſſe, quod diceret, coarguit. Inuſitatam quãdam fuiſſe hæreſin oportet, quæ neque principium haberet, neque finem: neque patronum, neque aduerſarium: neque linguã, qua propagaretur: neque aures, quibus audiretur: neque calamum, quò ſcriptis mandaretur: neque tempus durandi: neque locum conquieſcendi. Atque vt hæc omnia de Neſtorio veriſsima exploratiſsimáque fuiſſent, nulla tamen ratio ſuaſiſſet, vt propter priuatum cuiuſque hominis errorem, Chriſti inſtitutio violaretur, atque rumperetur.

Verùm quò vana futilitas, & manifeſta iſtorum hominum falſitas teſtatior eſſe poſsit, intelligas velim, Lector, quòd qua in Regione Neſtorius vixit, ſuámque diſſeminauit hæreſin, in ea Chriſti inſtitutio vtraque parte integra ſit perpetuò conſeruata: in his autem terris, in quibus ne nomen quidem Neſtorij, niſi perpaucis, fuit cognitum, eius tamen hæreſis nunquam probata, ſummis cautionibus Neſtorium deuinxerunt, ídque mille annis, poſtquam eſſet mortuus. Cæteræ cauſæ, quas Hardingus grauiſsimas iuſtiſsimáſque vocat, vix vlla omnino dignæ ſunt reſponſione.

Aliqui homines à vino abhorrent: Aliquæ gentes difficulter comparare vinum, aliquæ ægrè cuſtodire poſſunt. Ergo, lex quædam vniuerſalis ſancienda eſt, quæ toti Chriſtiano orbi vna ſpecie communicandi neceſsitatem præſcribat. Si ſic autem concluſiſſet, Ergo, qui his morbis, & difficultatibus laborant, vna ſpecie communicare poſſunt, tolerabilius, hoc quidem fuiſſet. Rectè enim eſt à Pomponio obſeruatum: *Leges attingunt ea, quæ communiter, & vt plerunque contingunt, non quæ paucis, aut rarò.* Nam alioqui eædem rationes ſacerdotibus etiam conuenient: Aliqui ſacerdotes morbo implicati vinum guſtare nequeunt: aliqui in quibuſdam regionibus difficilè comparare, aliqui difficilè cuſtodire poſſunt: iure ergo caueri lege lata potuit, vt omnes ſacerdotes vna ſpecie ſacramentum adminiſtrarent. Nam vbi ſacerdotibus præparari vinum poteſt, populo etiam poteſt. Per enim mirum videri profectò poſſet, ſi plauſtrum, aut nauis integra vnam modò vini laguncula in aliquam regionem importaret.

De Legibus & ſenatuſconſul. & longa conſuetudine, ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἐκ παραλόγου.

Quidam ſcribunt ſacerdotes Teutonicos propter ſummam vini penuriam in mulſo conſecrare ſolitos fuiſſe: alij tradunt Innocentium octauum eadem cauſa commotum ſacerdotibus Noruegianis poteſtatem conceſsiſſe ſine vino conſecrandi. Iniquum eſſet & contra rationem, vniuerſam eccleſiam ad paucorum neceſsitatem atque imbecillitatem alligare. Etenim alioqui, quod hîc Hardingus de alterius partis ſacramenti penuria & ſumma ἀπορίᾳ vrget, ad alteram etiam accommodari poteſt. Nam & Arrianus in libro de rebus Indicis, & Strabo in Geographia ſua literarum monumentis mandarunt, integras gentes atque regiones exiſtere, quę pane careant. Ex eò igitur, quod Hardingus concludit, neceſſarium videatur, vt horum hominum gratiâ tota eccleſia ab altera quoque ſacramenti parte abſtineret, & totum hoc modo ſacramentum deperderet.

Cornelius Agrippa, de Vanit. ſcient. Volaterranus. Arrian. lib. 8. Strabo.

Hardingus. 9. Sectio.

I*Am verò vt aduerſarijs noſtris concederemus (quod tamen nequaquam concedimus) Chriſtum ſcilicet mandaſſe, vt Laici vtraque ſpecie communicarent: cum diceret,* Bibite ex hoc omnes: *nihilominus reſtricta diuini decreti ſanctio ſine peccato poteſt aliquando omitti, in huiuſmodi rebus, quæ neque ex ſe ipſæ, neque ex legis naturæ præſcripto neceſſariò ſunt obſeruandæ: ita tamen vt magnæ grauéſque cauſæ (charitatis interim norma accuratè conſeruata) idipſum exigant. Ad hanc autem rem clariſſimè confirmandam, exemplis & veteris & noui teſtamenti abundamus. An non mandauit Deus, vt nemo de pane propoſitionis comederet præter ſolos ſacerdotes? Dauid tamen comedit, & à Chriſto crimine liberatur. Lex circuncisionis tanta cautione lata, per annos quadraginta fuit à populo Iſraelitico prætermiſſa, dum ex Ægypto in terram promiſſam iter faceret, neque tamen hoc fuit illis à Deo culpæ datum. Deus legem ſanxit de ſabbato ſanctificando ſine exceptione: Machabæi tamen non dubitarunt arma contra Antiochum ſumere, eúmque diem in prælio & dimicatione pro vita ſua conſumere, nullo ſcrupulo conſcientiæ ob violatam illam legem impediti. Multa ſimilia exempla in veteri teſtamento inueniuntur. Sed veniamus ad nouum teſtamentum, atque ad ſacramentum temporis gratiæ. Quæ ſi debitè expendantur à nobis, perſpiciemus Chriſtum nullam ferè rem externam præcepiſſe, quam non moderandam & temperandam, & conſtituendam eccleſiæ ſuæ reliquerit, ita vti, pro temporis conditione, publico eccleſiæ emolumento, atque ædificationi maximè prodeſſe videretur: modò interim ne vlla fieret, à ſcopo & prima intentione aberratio, nec quiſquam eo bono fraudaretur, quod ex rebus externis comparari poſſet. Quod attinet ad Sacramentum Baptiſmi, etſi nihil dictum fuerit de erudiendis illis, aut in aquam intingendis, qui baptizandi ſunt, (quæ tamen Chriſti ſanctione de iſta re lata manifeſtò videntur exigi,* Ite, *inquit ad Apoſtolos ſuos,* & docete omnes gentes, baptizantes &c.) *Eccleſia tamen non eſt verita infantulos baptizare, qui nondum per ætatem capaces ſunt inſtitutionis: & ad legitimam huius ſacramenti adminiſtrationem, multis aſperſionem aquæ ſufficere iudicauit: etſi (inquam) de hac re nulla mentio fuerit, ad eius tamen conſiderationem nonnihil pertinet, quod Apoſtoli ad tempus non dubitarunt ipſam eſſentialem verborum formam mutare, quibus hoc ſacramentum Chriſtus miniſtratum voluit. Etenim quod ipſe eos iuſſit* baptizare in nomine patris, filij, & ſpiritus ſancti, *illi baptizarunt in nomine Ieſu Chriſti tantum, quò illud hoc modo illuſtrius, celelebriúſque redderent. Iam igitur, vt ad ſacramentum corporis, &*

Leuit. 24. 1. Reg. 21. Marc. 2. Geneſ. 17. & 34. Exod. 20. 1. Machab. 1.

Matth. 28.

a Falſum. Intoleranda ſcripturarum deprauatio.

sanguinis Christi, de quo agimus, reuertamur; nemo negare possit, quin multa in eius institutione facta sint exemplo & mandato Christi, quæ nunc non obseruantur: quod tamen culpa & reprehensione caret.

Christus Apostolorum pedes lauit, disertéque præcepit vt similiter facerent, his apertissimis verbis: Si ego laui pedes vestros dominus & magister, vos quoque debetis alij aliorum pedes lauare: exemplum enim præbui vobis, vt prout ego feci vobis, ita & vos faciatis. *Quod quidem mandatum Christi secundum externam literam, non minus nos profectò astringit, quàm hæc verba,* Bibite ex hoc omnes: *nunc tamen illud obseruatur, sed penitus exoleuit. Quanquam ex Bernardo apparet, qui hoc magnum sacramentum vocat, & antè ex Cypriani testimonio, Christum non modò Apostolorum suorum pedes lauisse, sed solenni etiam postulatione sanxisse atque instituisse, vt Apostoli postea eandem consuetudinem obseruarent. Vtrùm autem hoc decretum Christi ideo fuerit antiquatum, ne fortè rebaptizatio quædam haberetur, sicuti ex Augustino colligi potest, aut propter aliam aliquam causam, non magni hoc quidem interest. Illud tamen magnopere miror, hanc rem tam accuratè præscriptam tanto silentio præteriri, & infectam relinqui: in sacramenti autem administratione vsum poculi, tam factiosè, tantáque vociferatione flagitari. Neque in multis alijs ritibus atque ceremonijs ita facimus, vti Christus fecit. Christus hoc Sacramentum celebrauit, postquam esset cœnatus: nos manè, & ieiuni. Christus mensæ accubuit cum duodecim Apostolis: nos neque discumbimus, neque necessarium esse existimamus, illum numerum obseruari. Christus panem fregit: nos hostiam fidelibus, qui communicaturi sunt, distribuendam, non necessario frangi debere iudicamus. Hîc obseruandũ est, quòd Cyprianus illos homines redarguens, qui respersionem aquæ ad baptismum satis esse negarunt, ostendit sacramenta non ex ipsa summa atque rigidissima obseruatione, aut omnium externorum elementorum administratione: sed potius ex integritate & sanitate fidei dantis atque percipientis esse æstimanda: résque diuinas modo compendiario adhibitas credentibus plenam suam virtutem conferre, atque exhibere. Lib. 4. Epistol. 7. Multa alia Dei præcepta de rebus externis hoc in loco commemorare potui, quæ paulatim in Ecclesia obseruari desierunt, quemadmodum est illa à suffocatis, & sanguine abstinentia, quæ fuit à Deo in veteri testamento mandata, & iuxta placitum & iudicium spiritus sancti ab Apostolis in nouo testamento decreta: quoad res tamen externas, & hoc & alia multa consimilia temporis progressu desueuerunt, & sine vllo conscientiæ scrupulo abrogata sunt.*

Ioan. 13. In serm. de Cœna Domini. In sermo. de vnctione Chrismatis. Ad Ianuar. Ca. 18.

Episcopus Sarisburiensis.

NVllum istis hominibus occurrit firmamentum magis opportunum, quàm vt institutionẽ Christi negent atque respuant. Quam ob causam Hardingus hoc in loco sic ait, *Quod quidem nullo modo concedimus:* quæ sanè responsio fortis & virilis, sed exigui ad probandam causam momenti videatur. Sed his addit: *Etsi vel maximè ea fuisset Christi institutio, Ecclesiæ tamen authoritate, & iusta de causa rescindi potuit,* Rationes istas adfert: In veteri testamento Dauid comedit panes propositionis, quod fuerat prohibitum: populus in deserto circumcisionem intermisit, etsi ea fuisset mandata: Maccabæi dimicarunt, & pro vita sua propugnarunt die sabbati, etiamsi Deus illo die feriari, atque interquiescere iusserat. In nouo testamento, nos infantes baptizamus, licet ad institutionem percipiendam propter ætatem ineptos: atque illis aspersionem aliquando sufficere iudicamus: Apostoli etiam, secus ac Christus instituerat, in nomine Iesu tantùm baptizarunt. Si quod Hardingus eiusmodi exemplum aut testimonium proferre potuisset, quale postulabatur, minimè fuisset opus hæc tam exilia adiumenta collegisse. Hîc enim quæ dicuntur, partim vera sunt, partim falsa, partim cum instituta causa neque loco, neque tempore, neque fine, neque modo agendi, neque cæteris circunstantijs congruunt, vnde ad hanc rem parum accommodata sint est necesse.

1. Sam. 21. Iosue. 5. 1. Maccab. 2.

Dauid comedit panem sanctum: atqui eò fuit intolerabili fame impulsus neque vnquam decretum fecit, vt cæteris omnibus similiter facere liceret.

1. Sam. 21.

Populus à circuncisione abstinuit in solitudine: sed hoc fecit diserto ipsius Dei iussu, quemadmodũ annotauit Lyra, propterea quòd continuum iter ingressus sedes ac loca perpetuò mutarent: homines autem recens circuncisi, itineris molestiam sustinere non possent. Neque tamen lege promulgata, circuncisionem penitus sustulerunt.

Iosue. 5.

Maccabæis licuit se sabbato defendere: Christus enim sic legem, interpretatur, hominem non sabbati gratiâ, sed sabbatum hominis causa esse constitutum. Quapropter ij turpiter fecisse iudicandi sunt Iudæi, qui sabbato obsessi atque opugnati, teste Dione, arma abiecerunt, & hostibus se suis dediderũt. Veruntamen non ideo sanxerunt Maccabæi, licitum fore sabbato præliũ facere.

1. Maccab. 2. Matth. 12. Dion.

De baptismo autem, parentes primùm instituimus ac informamus, pòst ipsos pariter, & ipsorum liberos baptizamus: in quo Christi institutionem nequaquam violamus. Eam postquam semel Dei erimus facti populus, Deus *se & nostrũ, & liberorum nostrorum fore Deum promisit ac spopondit.* Et apud Prophetam Ezechielem ait, *Filij vestri mei sunt filij.* Qui quos baptizarunt, aqua respergere soliti sunt, ij & verbo, & elemento, seu forma aquę, quę prescripta fuerat, vsi sunt: neque sanè cõstat, Christũ quicquam præcepisse de intingendo in aquam eo, qui baptizaretur. Isti autem homines cum elementum speciémque vini, tũ verba, quibus cõsecratio conficitur, populo eripiunt.

Ezechiel. 16.

Postremò quod ait, *Apostolos contrà, ac Christus instituerat, Christi nomine tantum baptizasse,* præterquam quod σοφιστικῶς agit, verba etiam ementitus est, illud verbum in postremo loco, ponens, quod Lucas in priore posuerat.

Hardingus D. Lucæ verba ementitus est.

Quò

Quò meliùs autem possis dolos hominis cognoscere, id te, Christiane lector, scire oportet, Apostolorum tempore quosdam ex illis, qui baptizabantur ita Spiritu sancto donatos fuisse, vt eius manifesta in illis indicia extarent, statimque alij linguis loqui varijs, alij miracula alia edere possent. Quidam verò nullis huiusmodi miraculis instructi, sed solo baptismo imbuti sunt, veluti Samaritani, quos Philippus baptizauit. Iccirco Lucas, Petrum & Ioannem pro illis precatos esse tradit, vt ipsi spiritum sanctum, id est, aspectabilia spiritus sancti dona assequerentur. Nondum enim in quenquam illorum illapsus fuerat spiritus sanctus, sed baptizati tantùm sunt in nomine Iesu. Vocabulo autem, *Tantum*, miranda illa solummodo Spiritus sancti dona excipiuntur. Hardingus autem Lucæ verba arbitratu suo immutat, & illud *Tantum*, in fine collocat, atque ita formam baptismi ὅσιωδὴ remouet, quasi Christi tantùm vnius nomine fuissent baptizati, non etiam & patris, & spiritus sancti. Hunc (si Dijs placet) errorem scripturarum niti deprauatione oportet.

Act. 8.

In nomine Christi baptizare, est ita baptizare, vt Christus præscripsit, instituit, sanxit. Ista autem verba *in nomine Christi baptizare*, est ita baptizare, vt Christus præscripsit, instituit, sanxit. Ista autem verba *in nomine Christi* nihilo magis euincunt baptismum Christi tantùm fuisse nomine administratum, nec cuiusquam alterius, quàm hæc, *Paulus seruus Iesu Christi*, Paulum Christi tantùm, non itidem & patris, & spiritus sancti fuisse seruum arguunt: aut hæc verba, quæ Paulus locutus est, ad custodem carceris: *Crede in Dominum Iesum*, illum in alteras duas Trinitatis personas credendi necessitate liberant atque soluunt. Multum profectò sibi in sacras Dei scripturas assumat est necesse, qui ex istis verbis proiecta quadam audacia subnixus confirmare conetur Apostolos vel baptismi primam formam mutasse, vel hæreseos damnasse eos qui baptismi eam rationem retinerent, quam ipse Christus instituerat.

Act. 19.

Quod de lotione pedum obijcitur, & tritum est, & sæpenumero refutatum. *D. Bernardus sacramentum vocat*: fateor. At Bernardus doctor est recens, & leuioris proinde hac in re authoritatis. Neque tamen in eo, quod sacramentum esse dixit, naturã, vsitatámque definitionem sacramenti spectauit. Nam neque fuit vllum elementum nominatim ad eam rem designatum, neque verba aliqua ad conficiendum sacramentum instituta, neque vlla gratiæ promissio addita. Tantummodo sacramentum appellauit communi & generali vsus vocabulo. Ad eum autem sensum Hilarius habet: *sacramentum orationis: sacramentum ieiunij: sacramentum saturitatis: sacramentum sitis: sacramentum lachrymarum*. Bernardus etiam in alio loco similiter habet, *Sacramentum pictæ crucis*. In isto autem loco ait, pedum lotionem significare ablutionem abstersionémque peccatorum, quam ille significationem sacramentum nuncupat. At Christus inquit, *ego vobis exemplum dedi, vt prout ego feci, ita & vos faceretis: Ergo* (inquit Hardingus) *hoc præcepto nõ minùs astringimur, quàm illo, Bibite ex hoc omnes*. Quis Hardingo credat in tenebris, quando in luce tantopere fallere conatur? Nouit enim pedum lotionem neque à Christo fuisse institutam, neque vllam sacramenti partem extitisse, neque Apostolis, vt eam exercerent, mandatam fuisse, neque eiusdem violationem pro sacrilegio vnquam habitam, quo crimine istum dimidiatæ Communionis abusum damnatum fuisse Gelasius testatur. Vtrùm eam Apostoli ad tempus aliquod post resurrectionem Christi obseruarent, nécne, incertum est, neque quod sciam, quicquam de ea re scriptis proditur. Istis autem lauandorum pedum partes ad mulieres potiùs, quàm ad viros pertinuisse Paulus ostendit. Ex Augustino verò colligi posse videatur, hanc in Ecclesia ceremoniam ex alia causa natam esse, non ab institutione Christi, aut Apostolorum exemplo fluxisse. Sic enim ad Ianuariũ suum de eadem re scribit: *Si quæris, cur etiam lauandi mos ortus sit: nihil mihi de hac re cogitanti probabilius occurrit, nisi quia baptizandorum corpora per obseruationem quadragesimæ sordidata, cum offensione sensus ad fontem tractarentur, nisi aliqua die lauaremur. Istum autem diem potiùs ad hoc electum, quo cœna Dominica anniuersariè celebratur*. Hic Augustinus author est non institutionem & præceptum Christi, sed corporum squalorem, sensuúmque fastidium hanc primùm inuexisse ceremoniam. Communionis autem vtraque specie administrationem ab Apostolis esse vsurpatam, atque à Christo vsque ad ipsius aduentum perpetuò obseruari iussam, exploratum certúmque est.

In Sermon. de cœna domini.

Hilar. in Matt. Can. 5. 11. 12. 23. Hilar. de Trin. lib. 10. Bernardus de bonis desendendis.

De conse. Dist. 2. comperimus

1. Timoth. 5. August. ad Ianuarium epist. 118.

Quanam ergo iudicij æquitate poterit Hardingus ista inter se comparare: sacramentum, & non Sacramentum: institutionem, & non institutionem: rem in Ecclesia primitiua vbique vsitatissimam, & rem nullis testimonijs comprobatam, quibus manifestum fiat, eam Christi aliquando fuisse mandato obseruatam? Neque verò eò se Christus ad lauandos discipulorum pedes dimisit, quò ipsi factum illud prorsus imitarentur: sed quò discipulis in seipso suis perfectum humilitatis exemplum ostenderet. Illi enim adhuc Christum tanquam vnum ex regibus omni terrestris pompæ fulgore circumfusum esse venturum, séque regulos, & ipsi in administrando mundo assessores fore somniabant. Itaque vt istud illis somnium excuteret, hoc despicatissimum & seruile ministerium in se suscepit, ex quo intelligere possent, ipsum iccirco venisse, vt illis inseruiret, illique humiles esse discerent, vt ad illius exemplum alij alijs inseruirent. Eadem similiter de causa Christus paruulum ante oculos discipulorum statuit, præcepitque vt omnes paruulorum similes essent. Iussit eis vt puluerem calceamentis excuterent, vt nec baculum, nec peram secum in via gestarent, vt nemini obuiam venienti salutem dicerent: non quò ista ad restrictam verborum obseruationem reuocarent: sed quò hoc modo ad sublimiorem cogitationem, atque intelligentiã perducerentur. Eiusmodi fuit Sacramentum, & significatio lotionis pedum.

Mat. 20.

Matth. 18. Matth. 10. Matth. 8.

Quæ sequuntur rationes, eiusdem sunt momenti. Neque enim dicit Christus: Hoc facite à cœna, aut sedentes, aut mensæ accumbentes, aut tot numero: neque eo sensu eius vnquam verba acceperunt Apostoli. Postquam autem Sacramentum Apostolis suis vtraque specie præbuisset, iussit eos ita facere, prout ipse fecerat: & sic illius verba intellexerunt, & Sacramentum populo vtroque symbolo haud aliter ministrarunt Apostoli.

Verba Cypriani, quæ hoc in loco memorantur, de aspersione aut infusione aquæ in eos, qui baptizarentur, dicuntur: quæ res nihil aliud est, quàm ceremonia, & libera esse proinde debet, neque ad ipsam οὐσίαν baptismi pertinet. Neque tamen sequitur: *Ceremoniam omittere licet: Ergo licet substantiam Christi institutionis violare.* Hæc ratio contra Hardingum potiùs, eiúsque collegas valet. Si enim ceremoniæ liberè, neque ad summum exacta ratione obseruari debent, quemadmodum Cyprianus affirmat, quamobrem tandem illi Oleum suum, Palmas, Lucernas, aliásque consimiles res tam seuerè exigunt, vt licet earum rerum abusus maximus extiterit, nihil tamen de susceptis ceremonijs remiserint. Síque ipsi in ceremonijs colendis tam accurati duríque sunt, quas ipsi excogitarunt: quantò nos in rebus, quæ ad essentialem institutionis Dominicæ formam referuntur, obseruandis seueriores esse decet.

Hardingus. 10. Sectio.

EX his autem, quæ dixi, nullus (spero) colliget, contra Dei mandatum aliquid tentare fas esse. Multum quidem abest, vt sic sentiam. Neque assero, aut hoc Christi dictum in Matthæo, Bibite ex hoc omnes: *aut illud apud Ioannem,* Nisi comederitis carnem filij hominis, & sanguinem eius biberitis, non habebitis vitam in vobis: *aut vllum omnino Christi præceptum nequaquam esse obseruandum: hoc autem affirmo, & omnes etiam catholici defendunt, catholicam Ecclesiam certiùs scire, quænam Christi præcepta sint, & quomodo obseruari debeant, quàm Berengarium, VVicleffum, Hussum, Lutherum, Zuinglium, Caluinum, Cranmerum, Petrum Martyrem, aut ipsorum auditores, & sectatores, qui in varias sectarum familias distrahuntur. Exempli causa, Deus sic præcepit:* Non iurabis: & Non occides: *&* Si oculus tuus facit vt offendas, erue eum, & abijce abs te. *Vnde quædam Hæreticorum secta, quales nimirum sunt eorum, qui VValdenses & Picardi appellantur, ita sunt hæc dicta interpretatæ, vt nefas omnino existimarent vllum aut dare, aut accipere iuramentum: similiter quenquam vlla de causa capitali supplicio afficere: eodem modo secundum externam Euangelij literam astringi aliquando hominem ad suum ipsius oculum eruendum, atque abijciendum: quod etiam factitatum esse à Picardis aliquot, scriptis mandatum est, quasi secus Dei præceptum violaretur. Catholica autem Ecclesia ita sensit, vt etiamsi hæc pro Diuinis præceptis agnosceret, aliquo tamen tempore, & loco, & quibusdam de causis, hominem non modò legitimè posse, sed etiam debere absque vlla diuini præcepti violatione & iurare, & occidere iudicaret: similiter oculum saluum, & illæsum conseruare, vt Deo interim non displiceat. Sic catholica ecclesia statuit,* Bibite ex hoc omnes, *Christi quidem præceptum esse, & necessariò obseruari oportere: sed tantùm à sacerdotibus, quod ad necessitatem attinet, idque quando in ecclesiæ sacrificio mortis Christi commemoratio celebratur: secundi enim Apostolis in hoc dignitatis gradu successerunt, quibus hoc præceptum fuit propriè datum, cum sacerdotes noui testamenti consecrarentur, qui sic reuera biberunt, quemadmodum Marcus testatur:* Et biberunt ex eo omnes. *Ad hos solummodò, & ad nullos alios, [a] catholica ecclesia illius mandati necessitatem pertinere semper iudicauit. Alioqui enim, si eiusdem ad omnes necessitas redundaret, sícque quoniam à Christo dictum est:* Bibite ex hoc omnes, *omnes omnium conditionum homines de hoc poculo bibere necessariò deberent, qui tùm fit, vt ipsi aduersarij nostri (qui tam curiosam hac in re conscientiam præ se ferunt) ab eo infantes, puerósque arceant, donec ad maturam ætatem peruenerint: præsertim cum & ipsis ecclesia primitiua sacramenti communitatem tribuere consueuerit, quemadmodum manifestò apparet ex Dionysio, Cypriano, Augustino, Innocentio, Zosimo, & alijs antiquis patribus? Quam illi meliorẽ rationem habent, quamobrem infantibus poculum denegent, quam habent Anabaptistæ, cur eos à Baptismo excludant? Si dixerint, propterea quòd mortem Domini recordari nequeunt, instabunt Anabaptistæ eos similiter, neque disciplinam eam, atque informationem percipere posse, quam Christi institutio hac in re postulare videtur.*

Matth 5. Exod. 20.

Marc. 14.

[a] Falsum: Catholica enim Ecclesia nunquam hoc modo sensit: nisi tantùm Romana Ecclesia, quæ & recens est, & merè particularis.

Quapropter ipsi ecclesiæ hostes agnoscunt poculi vsum in sacramento non ad omnes necessariò pertinere. Ita neque pia charitate adduci possunt, vt se cum Ecclesia coniungant, nec rationes satis firmas habent, quibus eam impugnent.

Episcopus Sarisburiensis.

OPtima desertæ violatæque obedientiæ defensio diuinorum præceptorum improbatione continetur. Ea causa Hardingum induxit vt diceret, *Dimidiatam communionem cum institutione Christi minimè pugnare: Christum enim nunquam iussisse, vt integra communio plebi vtraque specie ministraretur. Et hoc* (inquit) *Ecclesia meliùs, nouit quàm Lutherus, aut Cranmerus, aut alij consimiles.* Quantumcunque Ecclesia lucis legitimæ est consequuta, non ex seipsa habet, sed ex sanctissimo Dei verbo accepit, quod lucernam pedibus eius præfert. A Christiana autem modestia abhorret, Dei dona tam gloriosè venditare. Sacrosanctus Dei spiritus, vbi volet, spirat. Vnus Daniel Susannæ innocentiâ sensit: iudices atque seniores non senserunt. Paphnutius solus reliquis omnibus

Psal. 119. Ioan. 3. Daniel. 13.

bus Niceni Concilij patribus contrà sentientibus prælatus est. D. Hieronymus toti Concilio Calchedonensi repugnauit,& probatus est. Et quandoquidem Hardingus odiosis huiusmodi contentionibus,sine causa delectatur,quid est quamobrem non liceret similiter dicere, Primitiuam ecclesiam,quæ Apostolorum,& aliorum Catholicorum Patrum,ac Conciliorum temporibus viguit,quæque Sacramentum integrum vtraque parte populo ministrauit, Christi institutionem æquè cognitam exploratámque habuisse,ac postea Concilium Constantiense, quo in Concilio mille & quadringentis post Christum plus minùs annis habito, sancitum ac decretum fuit,vt laici dimidium communionis acciperent,vnáque specie contenti essent. Deus autem sanctas scripturas eò donauit,vt Ecclesia rectam persequeretur viam,nec vnquam aberraret. Augustinus etiam habet: *Dominus semper veraciter iudicat: Ecclesiastici autem iudices, sicut homines, plerunque falluntur.*

Sozom.lib. cap.23.

August. contra Cresconium Grammaticū. lib.21.cap.2.

Exempla quæ hoc in loco adducuntur,de occidendo, de furando,de oculo eruendo, de sanguine & suffocato comedendo,plus ad speciem valent,quàm veritatem demonstrant. De primo autem,Deus priuato homini dicit, *Non occides:* Magistratui verò dixit, *Oculus tuus non parcet: Non sines impium magum viuere.* Hæc res nunquam fuit in dubium vocata: quòd si fuerit, ostendat Hardingus,quo in Concilio decisa fuerit,ac decreta. Quod ad iuramentum attinet, vetitum est, ne quisquam inconsideratè,aut sine grauissima causa iuret,atque ita Dei nomine abutatur: verùm imperante iudice iuramentum in iudicio,iustitia,& veritate suscipere Deus ipse præcepit.

Exod.20.

Leuit.20. Deuter.18.

Hierem.4.

De oculo euellendo præceptum allegoriam continet, qua figura seu tropo vnum dicitur, aliud intelligitur. Christus autem hoc vult,quisquis illum sequi in animo habeat,eum euellere,atque à se abijcere suas cupiditates, bona,amicos Euangelij causa debere, etiamsi hæ res tam fuerint ipsi charæ,quàm oculus cuique suus.

Matth.5.

Quod si Picardus ille secus intellexerit,simplicitatis errore abductus fuit,qualis etiam Origenis,& aliorum quorundam fuit,qui τὸ ῥητὸν crassè consectantes,seipsos castrasse propter regnum cœlorum commemorantur: neque ab hoc multum etiam discrepat Romani pontificis error,qui tenuissima occasione adductus horum verborum, *Ecce, duo gladij hic,* tum spiritualem, tum temporalem gladium,& consequenter totius mundi iurisdictionem sibi vendicat,atque assumit.

Euseb lib.6. cap.8.

De Maiorit. & obedient. Vnā sanctam.

Abstinentia à sanguine,& suffocato,Apostolorum tempore à fidelibus suscepta fuit,nō quasi Dei iussu instituta fuisset,aut quo perpetuò duraret,sed charitatis solummodo causâ,quò Iudæorum infirmitati succurrerent,quousque ad perfectam in Christo scientiam adolescerent. Ea autem remanente imbecillitate, hæc ad conseruandam charitatem inducta consuetudo apud reliquos pios Christianos permansit,quemadmodum ex Tertulliano,Arnobio,Eusebio, Oecumenio,atque alijs apparet. Postquam autem Iudæi instituti, certóque persuasi essent omnes à Deo conditas creaturas impuritatis expertes esse,abstinentia ista, quam illorum infirma conscientia peperit,sublata est.

Act.15.

Sed hæc Hardingus quî tandem posit cum instituto suo coniungere? aut quo modo ex his manifestam institutionis Christi violationem comprobare queat? Ecclesia in his rebus singulis Diuini verbi præscriptum,authoritatémque est sequuta. Nam de occidendo, Deus magistratui dicit, *Non sines impium viuere:* déque iurando, *Iurabis in veritate,iudicio,& iustitia:* de oculo eruendo Paulus ait: *Nemo vnquam odit suam ipsius carnem,sed enutrit,ac fouet eam:* de sanguine autem, & suffocatis Christus ait, *Quod intrat in os,non coinquinat hominem:* & Paulus ait: *Omnis creatura Dei bona est.* Quare Ecclesia istis in rebus tantùm abfuit,vt quicquam ex se ipsa noui excogitaret, aut vllam diuinitus institutam sanctionem violaret,vt verbi Diuini magisterium sequuta fuerit.

Hierem.4. Ephes.5.

Ex aduersa iam parte depromat Hardingus verbum Dei, quo Romana Ecclesia fuit inducta, vt dimidiatam communionem præscriberet. Vbi tandem Christus, eiúsve Apostoli prohibuerunt,ne populus integram communionem acciperet,sicuti erat principio institutum,sed vna tātum parte contentus abiret? Si nullum eiusmodi præceptum extet,quid hæ causæ simile habent? Quod si autem dissimiles sint,atque discrepantes, quorsum has Hardingus comparauit præstigias,& quamobrem sic eas inter se confert,quasi similes essent? Quid? an obsecundare præcepto Diuino,perinde esse videtur Hardingo,atque preceptum Diuinum violare? an quia potuit Abrahamus Diuino oraculo præmunitus Isaacum filium iure trucidasse,ideóne & Ismaelem occidere fas ei fuisse censet Hardingus,etsi id iniussu fecisset Dei? Periculosum est docere,Ecclesiam potentia quadam immensa præditam esse, Deique præcepta,vel comprobare,vel improbare promiscuè suo arbitratu posse. Nam vt est prudenter à Valentiniano, & Martiano imperatoribus cautum, *Qui post semel inuentam veritatem longius quærit,mendacium,non veritatem quærit.*

Genes.20.

In edicto imperatoris Valent. & Martia. In Chalcedō. Cōcil. Actio.3.

Verùm Christi non ea fuit institutio (inquit Hardingus) *vt vulgus laicum vtraq; specie communicaret.* Hoc ille quidem affirmat,& sæpenumero affirmat: authoritatem, nisi propriā nullam adfert. Hæc illum (credo) ratio commouet,quod nulli homines laici tum adessent Christo, quando illud conuiuium celebraret, sed soli Apostoli: quæ profectò ratio laicis non alterām modò partē eripiet,sed toto eos sacramento penitus priuabit. Quanquam sanè Lorichius quidam disciplinæ Hardingianæ Doctor habet: *Ipsius Sacramenti institutio vult,vt omnes vnà manducemus, & bibamus.* Doctor Hardingianus affirmat, Christi hanc institutionem esse, Hardingus ipse pernegat: vtri horum potiùs fides habenda sit, aliorum iudicijs relinquo.

De Missa publicā prorogādā.

Interea tamen, dum isti doctores in concordiam reducantur, id quidem ab omni dubitatione, & controuersia remotissimum est, quòd Christus discipulis suis totum Sacramentum vtraque parte expletum ministrauerit, illísque disertè præceperit, atque in mandatis dederit, vt ipsi similiter facerent. De communione autem diminuta, & dimidiata neque præceptum Christus vllum dedit, neque mentionem omnino aliquam fecit. Si Hardingus regerere voluerit, Christi hac de re verba ambigua esse, atque in varias interpretationes distrahi posse, tamen ad hanc obiectionem iam priùs responsum est. Iuris enim hæc vox est: *Si de interpretatione Legis quæratur, imprimis inspiciendum est, quo iure Ciuitas retro in huiusmodi casibus vsa fuerit. Optima est enim legum interpretatio Consuetudo.* Manifestò autem constat, consuetudinem eam, vsúmque in integerrima Ecclesia, quæ Apostolorum, aliorúmque veterum catholicorum Patrum temporibus extitit, inualuisse, vt plebi vtroque symbolo Sacramentum præberetur, ex quo concludere liceat, sic Christum & instituisse, & reuera sensisse. Quod si autem Consuetudinis authoritatem ad suum institutum Hardingus accommodare voluerit, & quandoquidem Romanæ Ecclesiæ per paucos hosce postremos annos vsus contrarius obtinuerit, proinde hanc fuisse Christi mentem concluserit, hæc etiam obiectio facilè refellitur. Nam & ius, & communis ratio dictat: *In ambiguo sermone non vtrumque dicimus, sed id duntaxat, quod volumus.* Quamobrem si Christus & eam formam intellexit, quam Apostoli, veterésque patres exercuerunt, & contrariam huic formulam eam, quam iampridem Romana inuexit Ecclesia, tum verò Christus, vno tempore, vnámque proloquens sententiam, non modò duas, sed discrepantes etiam contrariásque mentes habuit. Itaque Hardingi iudicio sic Christus sua ipsius verba interpretetur est necesse: *Bibite ex hoc omnes, soli, inquam, bibite ex eo sacerdotes: Bibite omnes, aliqui, inquam, non debetis bibere: Bibite omnes, contrà, inquam, neutiquam bibite omnes. Et quod dico, sic facite, prout ego feci, contrà volo, Non sic facite, quemadmodum ego feci.* Vetus est Hardinge dictum: *Maledicta glossa, quæ corrumpit textum.*

De Legibus & Senatusconsul. & longa consue. Si de.

De rebus ambiguis. In ambiguo.

Sic ais: *Sacerdotes debent necessariò vtramque speciem accipere: Laici non necessariò debent:* ex quo efficis, Christum duas diuersas sanxisse communiones, alteram alteri dissimilem, hanc sacerdotibus, illam Laicis conuenientem. Ergo, si tibi assentimur, Hieronymus nobis emendandus est, in quo ait: *Dominica cœna omnibus debet esse communis.* Simiter Chrysostomus, qui dicit: *Nihil differt sacerdos à subdito, quando fruendum est horrendis mysterijs.* Nunc enim contrà sancitum est, ne Dominica cœna omnibus communis sit, vtique in administrandis mysterijs discrimen sacerdotis, populique habeatur.

Hieron 1. Cor. 11. Chrysosto. 2. Corinth. 18.

Quod de pueris à Communione exclusis obijcitur, & puerile est, neque ad rem quicquam pertinet. In eo enim neque mysterij partes diuellimus, neque Christi institutionem vlla in re violamus: nihilo quidem magis, quàm quando excommunicationis disciplinam adhibentes, improbos & sceleratos homines à totius sacramenti communicatione remouemus, atque disiungimus. Etsi enim ex Augustino, Cypriano, alijsque appareat in Ecclesia primitiua, nonnullis quidem in locis, infantulos ad sacram communionem adhiberi fuisse solitos, postea tamen optimo consilio ab eadem meritò repellebantur, qui iuxta Pauli disciplinam se ipsi examinarent, atque explorarent, itáque de illo pane comederent, & de poculo illo biberent. In Mosaica similiter Repub. etsi masculi omnes pueri circuncidi iubebantur, nulli tamen ad Pascha communicandum admittebãtur, nisi tantùm ij, qui eius rei causam quærere potuerunt.

Ecclesia (inquit Hardingus) *interpres est mentis Dei: Ecclesia nouit hanc non fuisse Christi institutionem.* Si quidem iam demum hoc Ecclesia didicit, in eo perdiscendo longissimum certè tempus contriuit. Ecclesia enim Catholica prisca, quemadmodum notissimum est, multò secus sensit, ídque manifestis Christi verbis insistens, quibus Deus legitimè voluntatem suam declarare consueuit: & quandoquidem Christus discipulis suis vtraque specie ministrauit, eísque vt similiter facerent, præcepit, propterea hanc eius fuisse mentem illa Ecclesia iudicauit, plebíque Communionem vtroque symbolo integram tradidit.

Quod autem Hardingus ait, *Ecclesiam Romanam hanc recentem Diuinæ mentis cognitionem quandam, multò, quàm illam antiquam, retrusiorem esse adeptam,* videtur ille mihi fingere sibi cogitatione, Christum Apostolos ad hunc modum affari suos: *Sic facite alijs, prout me vobis facere animaduertistis: hoc ad tempus erit legitimum, pòst autem illicitum erit. Nunc mea est hæc institutio: erit illud tempus, cum esse institutio mea desierit. Post annos mille quadringentos futurum est Concilium quoddam quingentorum episcoporum, & Monachorum, & fratrum octingentorum, in quo terribilis concertatio futura est, vtrum Papa sit superior Concilio, an Concilium Papa. Vnus Papa abdicabitur, alius aduersus illum substituetur: alter alterum excommunicabit, & diris omnibus deuinciet, & sede deturbare molietur: Reges & principes partium studijs confligent, orbis totus tumultuabitur. Tunc ista decernentur: Quod ego præcipio, ij prohibebunt, quod ego ligo, ij soluent.* Nisi hoc modo Hardingus Christi verba voluerit interpretari, non admodum poterit ex illis adiuuari. Quare & nos rationibus abundamus, quibus Hardingianæ Ecclesiæ vanitatem errorémque refutemus, & pia charitate præditi sumus, qua nosmet cum Apostolorum sanctorúmque patrum Ecclesia consociemus: quam Dei fuisse Ecclesiam minimè profectò dubitamus.

Hardingus. 11. Sectio.

ETsi autem infantum, quod ad hanc rem attinet mentionem haud grauatim prætermittere potuimus: facilè tamen probare licet Communionis vtraque specie administrationem non fuisse vnquam generalem

lem. Et quemadmodum eam non damnamus, sed restitui potuisse fatemur authoritate ecclesiæ legitimè in Concilio generali congregatæ, re antè accuratè deliberata, & remedio incommodis, quæ inde existunt, apparato: sic idoneis testimonijs alterius tantùm speciei vsum nunc in ecclesia obseruatum defendere & confirmare possumus.

Episcopus Sarisburiensis.

HArdingus postulat de verbo Dei arbitros dari, Christíque præcepto ea tantùm conditione obtemperari, si modò paucis Episcopis Tridenti coactis visum ita fuerit. Nobis autem licet eiusmodi Concilio responsum dare, perinde ac Rex Agesilaus quondam Macedonibus respondit, à quibus petebat, vt per illorum fines ei contra hostes transeundi facultas daretur. Cum enim illi legati renunciassent rem esse magni momenti, & proinde deliberatione sibi opus esse: Deliberent, inquit, quandiu volent, ego interim transire decreui. Si Concilium suscepta deliberatione integram restituere Communionem in animo habet, qui tum accidit, vt Leo Papa hanc *Græcorum & Bohemorum hæresim* vocaret? aut quamobrem Gerson sic librum suum inscripsit: *Contra hæresim communicandi Laicos sub vtraq; specie?* Non enim eò Concilia conuocantur, opinor, quò hæreses restituantur, atque reuocentur. Summa illa incommoda, quibus Hardingus à generali Concilio prospectum esse voluit, Gerson eximius Constantiensis Conciliabuli patronus exposuit, quæ sic habent:

In Bulla Leonis 10. Gerson.

Liquor casu aliquo profundi potuit:
Circumgestari sine periculo nequit:
Hyeme citò acescit:
Æstate putrescet, & verminabit:
Fastidium bibentibus afferet:
In quibusdam regionibus difficilè comparatur:
Laici homines hoc modo poculum tangerent:
Aliqui eorum barbas habent, aliqui paralytici sunt:
Dignitas Sacerdotis, & Laicorum par esset:

Hæc atque alia huiusmodi incommoda Christo fuerunt, eiúsque Apostolis incognita: & tamen Concilium Tridenti nunc habitum post longam & solennem consultationem ad hunc modum pronunciauit atque promulguuit: *Si quis dixerit sanctam ecclesiam Catholicam non iustis causis & rationibus adductam fuisse, vt Laicos sub panis tantummodo specie communicaret, anathema sit.*

Et quanquam episcopi, qui ad illud Concilium confluxerunt, nonnullis nationibus ac regnis integram Communionem, prout Christus instituerat, adhibendi potestatem concesserant, conditiones tamen adeo futiles ac pueriles adiunxerunt, vt omnes intelligant illuc eos iccirco tantùm conuenisse, quò toti orbi licentiùs illuderent.

Hardingus. 12. Sectio.

QVandoquidem autem Iuellus tam gloriosè iactat, nihil à nobis in huius rei confirmationem adferri posse, quædam loca hîc citare visum est: quæ mihi eiusmodi videntur, vt clarissimè conuincant vtriusque speciei vsum non omnibus personis necessarium semper esse iudicatum, Communionémque vna specie administratam fuisse, & pro legitima habitam intra sexcentos illos post Christum annos, quibus nos alligare tantopere studet.

Hoc in loco primùm adducere licet Exemplum Domini ipsius è 24. cap. Lucæ, cuius antè meminimus, in quo declaratur, Christum duobus discipulis Emaunte sacramentum sub [a] *forma panis tantum præbuisse: qui certe locus aliquanto maius authoritatis pondus habere Catholici hominis iudicio videri debet, quandoquidem & à* [b] *Constantiensi, & à Basiliensi Concilio ad Communionis vna specie celebrationem confirmandam vsurpatur. Sacramentum hoc fuisse antiqui Doctores disertè affirmant, verba etiam, si cum verbis Dominicæ Cœnæ conferantur, concordant: neque opus esse poculi administrationem adiungere conjectura nostra, quemadmodum aduersarij nostri faciunt per Synecdochen suam, ex eo apparet, quòd ijdem illi duo discipuli duodecim Apostolis Hierosolymis congregatis renunciarunt, se Dominum agnouisse* in fractione panis, *quæ pro vino accipi nullo modo potest. Cum primùm autem illum è fractione panis agnouissent, statim è conspectu eorum euanuit, priusquam poculum in manus sumeret, & benediceret, & illis porrigeret, quemadmodum* [c] *Augustino, Bedæ, alijsque omnibus, qui non sunt pertinaces opinionum suarum propugnatores satis perspicue videtur. Deinde, quid opus est, vt in hoc scripturæ testimonio vim vllam adhibeamus, eique inuenti nostri particulam agglutinemus leuissima defensione figuræ freti, quandoquidem iuxta doctissimorum patrum sententiam, Christus hîc duobus discipulis, non partem sacramenti dedit, sed totum sacramentum, quemadmodum ex eiusdem effectu probatur: effectus autem causam præsupponit. Augustinus enim*

[a] B. Lucas nec Formæ, nec Tãtùm meminit.
[b] Anno Domini. 1414.
[c] Falsum: neque enim vel Augustinus, vel Beda, nec alius quisquam antiquus pater vllã huiusmodi mẽtionem habet, sed potiùs contrariam.

fatetur illo sacramento panis (*sic enim vocat*) Vnitate corporis participata remoueri impedimentum inimici, vt Christus posset agnosci. *Quid amplius adipisci potuissent, si poculum etiam accepissent?*

Episcopus Sarisburiensis.

SI tantum pro authoritate verba funderem, nec quicquam probarem, quemadmodum solet Hardingus facere, ad hæc omnia tribus pene verbis respondere ad hunc modum liceret. 1. Primùm panem, quem Christus Emaunte fregit, cibarium, & in mensis communibus vsitatum, neutiquam autem sacramentum extitisse.

2. Deinde, etsi sacramentum aliqui scriptores vocare videntur, neminem tamen eorum affirmare, vna specie fuisse administratum, quemadmodum Hardingus tenuissimis vsus coniecturis colligit.

3. Tertiò, etiamsi euincere certóque probare potuisset, Christum illo modo sacramentum eo tempore atque in eo loco administrasse, ex eo tamen haudquaquã, quod proposuit, efficeret. Nobis enim de populo lis est, ille de sacerdotibus respõdet: Ego de Ecclesia loquor, ille de hospitio: Denique ex isto exemplo constare posse videtur Christum ipsum vna specie communicasse, quæ profectò res vna, quicquid hactenus Hardingus exædificauit, totum demolitur.

Cúmque Hardingus fidenter, & omni remota dubitatione affirmet Christum Emaunte sacramentum procurasse, in mentem velim subeat illi, eos ipsos Doctores, quos hoc in loco testes adhibuit, alióśque complures, qui recentiore memoria floruerunt, optima ratione adductos contrà affirmasse. Augustinus author est illam panis fractionem hospitalitatis munus extitisse. Hæc ipsius verba sunt: *Quia hospitalitatem sectati sunt, eum quem in expositione scripturarum non agnouerunt, in panis fractione cognoscunt.* Hanc rem Gregorius apertiùs exposuit: *Mensam igitur ponunt panes cibósque offerunt, & Deum, quem in scripturarum expositione non cognouerant, in panis fractione cognoscunt.* Illud autem dictum cuiusmodi tandem esset, panis cibíque in mensa designationem, & apparatum ab hospite factum sacramenti fuisse administrationem. Atque vt Bedam alióśque prætermittamus, qui eandem sunt interpretationem sequuti, Dionysius quidam temporum recentiorum author, ac proinde, quæ temporum fuit illorum infantia ac imperitia, permultis erroribus abductus, sic habet: *Accepit panem, & Benedixit, non tamen in suum corpus conuertit, sicut in cœna, sed vt moris est benedicere cibum.* Antonius etiam Iulianus similiter habet: *Accepit panem, benedixit, fregit, & porrigebat illis, sicut consueuerat ante passionem.*

Augușt. in Catena in 24. Lucæ. / *Greg. in Euan. Homil. 23.* / *Dionys. in 24. Lucæ.* / *Anto. Iulianus in Postilla maiori.* / *Nicol. Lyra.*

Lyra ex eo scribit agnitum à discipulis fuisse Christum, quòd panem tam æquabiliter frangeret, quàm si cultro incideret. Ex his igitur scriptoribus constat panem hunc, quem Christus discipulis suis distribuebat, cibarium & vsitatum fuisse, sacramentum non fuisse.

Vvil. Vvideford contra Vvicleuum.

Quòd autem Hardingus Augustini testimonium in contrariam partem adducit, si quidem Guilielmi cuiusdam Vvidefordi suarum partium Doctoris, verba secum considerasset, quibus ille aduersus Vvicleuum vsus est, aut rectiùs fuisset (autumo) sensurus, aut suum ipsius Doctorem aspernaturus. Vvidefordi sic habent verba: *Hoc dico, quòd non habetur ex textu, vel ex glosa Lucæ 24. vel per antiquos Doctores, quòd ille panis, quem Christus fregit post Resurrectionem, fuit consecratus, vel Sacramentalis. Ideo ineptè, & consequenter dico, quòd falsò allegat authoritatem Augustini.*

Concilia illa duo, quorum alterum Constantiæ, alterum Basileæ habitum fuit, sic ea verba Lucæ intellexerunt: quod Catholici hominis iudicio, inquit, Hardingus, *grauissimum videri debet.* Horum Conciliorum quod antiquius est, recente memoria institutum fuit, supra mille quadringentos à virginis partu annos, eorúmque pondus iam antè ab alijs exploratum, examinatúmque est. Omnes namque Dominicani fraterculi, cæteríque vniuersi, qui se Thomæ Aquinatis disciplinæ dediderunt, eúmque sectati sunt, qui etiam doctrinæ & eruditionis palmam sibi ipsis detulerunt, Basiliense Concilium penitus semper repudiarunt, illúdque haud fuisse legitimè conuocatum iactarant. Similiter Albertus Pigghius de vtroque hoc Concilio, cum illo Basiliensi, tum hoc Constantiensi confitetur, *quòd contra legem naturæ, contra manifestas scripturas, contra vetustatis authoritatem, & contra Catholicam Ecclesiæ fidem decreuerint.*

Ludoui. Viues in 20. de ciuit. Dei. cap. 26. / *Pigghius in Hierarchia.*

Hoc est illud Conciliorum par, quod tantum Catholici hominis conscientiæ pondus afferre oportere contendit Hardingus. Neque meritò quisquam regerere posit, istorum quemquam Lutheranum extitisse. Etenim fratres Dominicani centum annis antè extiterunt, quàm Lutherus Euangelium doceret: Albertus autem Pigghius nominatim, deditáque opera contra Lutherum scripsit. Concilia quidem ista non ita videntur ponderosa, vt prisca illa cuncta grauissimorum & Catholicorum patrum, qui his antiquiores fuerunt, Concilia præponderent atque deprimant. D. Conciliorum verò authoritate, quandoquidem nonnunquam vsuuenit vt ea inter se dissideant atque discordent, Gelasio visum est rem ad hunc modum decidere: *In gestis Conciliorum, quotiescunq; discors sententia inuenitur, illius Concilij sententia magis teneatur, cuius antiquior & potior extat authoritas.* Quæ si legitimè facta decisio fuerit à Gelasio, nihil est quamobrem hæc tam noua Concilia Catholici cuiusquam hominis conscientiam vllam in partem inflectant, præsertim tot antiquissimis Concilijs repugnantibus atque reclamantibus. Illud verò omnem profectò admirationem superat, horum Conciliorum alterutrum id demum in verbis Lucæ animaduertere

Dist. 50. Domino sancto.

uertere potuisse, quod Apostolorum Concilium animaduertere non potuit.

Sed quò adiumenti aliquid Hardingo afferamus, age demus Augustinum hæc verba de sacramento intellexisse. Vocat re quidem vera in eodem loco *sacramentum panis*, quo significat panis in eo remanere substantiam: sed formam seu speciem panis neutiquam vocat, quemadmodum Hardingus nuncupat. Age verò, fuisse sacramentum fateamur. Hoc iam in loco, Lector, acerrimam oculorum aciem in digitos Hardingi intende, & quibus præstigijs atque imposturis Augustini verba implicuerit obserua. Augustinus ait: *per sacramentum panis vnitate corporis participata.* Hæc dilucida satis Augustini verba Hardingus sic Anglicè reddidit, quasi ad hunc modum sonarent: *Inde facti erant participes vnitatis corporis Christi, id est, vnum corpus cum Christo:* hui, quàm ista ab Augustini mente dissident. Caue autem Lector, hic tui fallendi vias quærit. Lyra ipse agnoscit horum Augustini verborum *mysticam esse interpretationem*, eóque nec de sacramento intelligi debere, nec de naturali corpore Christi, sed de ipsius mystico corpore, id est, Ecclesia, quíque particeps, aut membrum est Ecclesiæ, Christum cognoscit: & qui extra Ecclesiam est, Christum ignorat. Sed ista quis luculentiùs explicare, quàm Augustinus ipse potest? Eius hæc verba sunt & diserta, & clara, & in eodem loco, quanquam ea Hardingus dissimulauit: *Nec quisquam se Christum agnouisse arbitretur, si eius corporis particeps non est, id est, Ecclesiæ cuius vnitatem in sacramento panis Apostolus commendat dicens, vnus panis, vnum corpus multi sumus.* Ecclesia corpus illud erat, cuius facti sunt duo discipuli participes & membra, vnde ad Christi cognitionem peruenerunt.

August. de consensu Euangelistarum lib. 3. cap. 25.

Etsi iam ergo concessimus Augustinum hunc locum de sacramento esse interpretatum, non tamen affirmat Augustinus Christum discipulis suis sacramentum dimidiatum vna tantùm specie distribuisse. *Verùm*, inquit Hardingus, *Lucas panis solummodo meminit: Ergo vinum nullum fuit.* Istud argumentum Hardingi forsan Theologiæ probari potest: in vera autem Dialectica parum ponderis habet.

Synecdoche autem vestra, per quam ex parte totum intelligitis, (hæc Hardingi verba sunt) *vestri tantum inuenti particula est, nec ad rem quicquam conducit.* Augustinus tamen, & Gregorius, & Beda, & Iulianus, & Dionysius, & Lyra, & VVidefordus, atque alij, qui hæc verba Lucæ ad hospitalitatem referunt, figuræ præsidium implorent, panísque vocabulo & cibum & vinum significet est necesse: Etenim illis remotis, pertenue atque persiccum hoc fuisset epulum. Si facilè poterit Hardingus *Synecdochen* illis permittere, quid est, cur nobis restrictior esse velit. Trita est, atque vsitatissima scripturis loquendi formula.

At Christus statim se ex conspectu illorum abstulit post fractum panem, & ei proinde otium non fuit alteram partem ministrare, neque vlla est de poculo facta mentio. In quas, & quàm miserandas, ô Deus, angustias compulsi sunt isti homines! Quò fabulam compleant suam, coacti sunt vt otium defuisse Christo dicant. *Sed de poculo nullum interim verbum.* Fateor: neque vlla ibi mentio est de consecratione panis à Christo facta. Huic quidem loco plura, quàm vlli omnino, deferuntur priuilegia. Nihil scilicet de eo cogitandum est ampliùs, quàm quod enuncietur: fuit ergo sacramentum sine consecratione. Neque ex scripturis constat aut Christũ, aut discipulos panem illum comedisse. Sic ergo tandem Hardingus maximo labore & molestia suscepta nactus est non Communionem, quam perquisiuit vnius speciei, sed nullius prorsus speciei Communionem. Itaque sacramentum habemus sine sacramento, & Communionem absque Communione.

Quid dicam amplius? etiam vt darem vltro Hardingo quicquid petierit, nihil tamen contra me quidem, sed contra seipsum fuerit permultum nactus. Etenim quæstio instituta est de Laicis: Hardingus exempla producit de Christo, & de duobus discipulis, qui de septuaginta duorum numero fuerant, quo Christus ad diuulgandum Euangelium ablegauerat: Vnde verisimile sit, non Laicos, sed ministros extitisse. Lyra atque alij existimant horum alterum fuisse Lucam, Epiphanius Nathanaelem. Ex hoc igitur Hardingus egregiè concluserit sacerdotibus licitum esse vna specie communicare: quod ipse nullo modo concesserit: populo autem non licere, haudquaquam effecerit. Hoc Hardingi fatum est ea adferre, quæ ipsi maximè aduersantur.

Lyra in Lucã cap. 24.
Epiphanius cõtra Saturnilianos.

Hardingus. 13. Sectio.

LIceret hîc locum illum adducere, qui 2. *Cap. Actorum scribitur, in quo Communio fractionis panis memoratur, nulla interim poculi mentione facta: quem quidem locum hæretici, quos Vvaldenses nuncupabant, de sacramento esse intelligendum confessi sunt,* In confessione ad Vladislaum: *illum etiam locum, qui 20. capite habetur, & maximè eum, qui est in 27. Actorum: vbi Chrysostomus, aliíq; patres panem illum, quem D. Paulus, cum in naufragij periculo esset, cepit, actísq; gratijs fregit, atque edit, de sacramento intelligunt.*

[a] Falsum. eum enim locum Chrysostomus de cõmuni cibo intelligit.

Episcopus Sarisburiensis.

VErba ipsa silentio prætereunda homo sapiens iudicauit, quòd ea ad rem suam parum accommodata esse perspiceret. *Quòd duo priora loca de sacramento intellecta essent, nõn modò*

VValdenses (inquit) *sed etiam antiquorum patrum interpretationes declarant.* Nemo tamen illorum vnquam potuit ex alterutro horum locorum Communionem vna specie diminutam eruere. *Sed de poculo siletur: Ergo,* inquit Hardingus, *Communio solo pane administrata est.* Homo doctus antè, quid sequeretur attēdere debuit, quàm ita incōsideratè concluderet. Hardingus ipse fatetur, quemadmodum postea videbimus, sacerdotem, si vna tantùm specie communicarit, sacrilegio se obstringere: ita enim Gelasius sanxit. Hæc igitur duo Hardingi certa veráque inter se conferamus. Primum est, si sacerdos vna specie confecerit, sacrilegium admiserit: alterum est, Apostoli sacerdotes fuerunt, atque vna solummodo specie confecerunt: nulla est hic enim poculi mentio. Istæ ambæ præmissæ sunt Hardingi, è quibus necessariò consequitur illa conclusio, neque repelli potest, ipsos Christi Apostolos sacrilegij scelere alligatos fuisse. Sed quid isti non fateantur modò lucrentur quod volunt?

Hardingus cōcludit Christi Apostolos sacrilegij reos fuisse.

Argumentum Hardingi desumptum est, vt loquuntur in scholis, *ab authoritate negatiuè*, quod, nisi alia aliqua circunstantia spectetur, plusquam puerile videatur: Nam quod hic ait, *Non nisi panis fractio commemoratur: Ergo, poculum defuit:* sic perinde dixerit, Panis tantùm fracti mentio fit: Ergo, Christi corpus abfuit: Aut sic, Iacob in Aegyptum profectus est cum septuaginta animabus: Ergo, nullis fuit corporibus comitatus. Quemadmodum enim in hoc loco anima integrum perfectúmque hominem significat, sic etiam in illo altero, panis fractio totam procul dubio administrationem designat.

Genes.46.

Hardingus ementitur Chrysostomum.

Quòd autem panis fractionem illam, quæ 27. cap. Actorum exponitur, Hardingus de sacramento Chrysostomum esse interpretatum confirmat, in eo quidem vehementer lapsus est. Locus ipse nihil habet obscurum. Si Paulus sacramentum, tum quando in naue erat, præbuit: infidelibus, qui Christum ignorabant, præbuit. Chrysostomi etiam perspicua est in contrarium sensum interpretatio. Sic enim Pauli verba ad nautas habita περιφραςικῶς exponit. *Obsecro vos, vt sumatis cibum: hoc enim ad salutem vestram fuerit: hoc est, ne forsan fame pereatis, sumite cibum.* Ergo, aut hæc de sacramento dicta esse contendat, aut ementitum à se Hardingus authorem agnoscat suum.

Hardingus. 14. Sectio.

ILlud mirum videri non debet, quòd quanquam Paulus institutionem Dominicæ cœnæ Corinthijs vtraque specie tradiderit, ipse tamen occasione oblata, & temporis id postulante conditione [a] *communionem vna specie administrarit, quandoquidem sine dubio mysterium illud sacrum vna specie peractum pro integro sacramento acceperit, id quod ex ipsius verbis constat:* Vnus panis, & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus: *vbi nihil de* [b] *calice loquitur. Et ex verbis etiam, in quibus* disiunctiuè *loquitur, quemadmodum & Græcus, & verus Latinus textus habet:* Quicunque manducauerit panem vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini. *Ex quibus pendet è contrario argumentum, Quicunque comederit hunc panem dignè, aut biberit calicem hunc dignè, eum iustitiam ac vitam edere atque bibere.*

1.Cor.10.

[a] Falsum. Nunquā enim Paulus cōmunionē hoc modo administrauit.

[b] Falsum: Statim enim antè dixerat: Poculū benedictionis, cui benedicimus, nonne Cōmunio sanguinis Christi est?

Episcopus Sarisburiensis.

MIrum non est, inquit Hardingus, *quòd Paulus vna aliquando specie sacramentum administrarit.* Illud verò sanè mirum videatur, Christianum quenquam hominem repertum esse tam præfidentem, qui apertissimum errorem Pauli nomine prorogare non dubitaret. Quid tam arduum támque difficile possit esse, quod isti homines in se probandum suscipere vereantur, quando sic ausi sunt D. Paulum contra seipsum citare testem, ídque nec testimonio vllo Pauli, nec verbis commoti? *Imo verò Paulus ait,* inquit Hardingus, *vnus panis, & vnum corpus multi sumus, neque calicis meminit.* Vt id præteriens attingam, Paulum Hardingus sacrilegij crimen esse, si quis sacerdos, qualis extitit Paulus, sacramentum vna specie confecerit. *At verò,* inquit, *silentium magnum est de calice.* Quid de hoc homine iudicemus? Vtrúmne hic cæcus ipse est, an cæteros omnes cæcos esse arbitratur? Nihilne autem illic de calice? Attende verò, Christiane Lector, hominis huius præclaram integritatem, & ab illo tibi posthac caueto. Nisi loca ab eo vsurpata diligenter expenderis, facilè impelli poteris in fraudem. Verba Pauli sic habent: *Poculum benedictionis, cui benedicimus, nōnne Communio sanguinis Christi est? Panis, quem frangimus, nōnne Communio corporis Christi est? Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus, quotquot vnius panis participes sumus.* Hoc in loco Paulus vtriusque simul partis distributè meminit, atque adeo poculi priùs, quàm panis. Hardingus nihilominùs asserit *nullam esse de poculo mentionem,* Si fidelitatem hac in re probauit suam, poteris ei in cæteris fidem adhibere. Hieronymus certè sic ait: *Ideo de calice primùm dixit, vt posset postea de pane latiùs disputare.*

Paulum Hardingus sacrilegij accusat.

1.Cor.10. Hardingus Pauli verba emētitur.

Hieronym. in 1. Cor. 10.

Adiungit deinde Hardingus: *D. Paulus nota disiunctiua vsus est, quemadmodum tum ex Græco, tum ex Latino vero textu apparet.* Circumspectio tam accurata, scripturarúmque exquisita examinatio, si ad veritatis patrocinium adhibita fuisset, singularem laudem merita esset. Est enim in vna litera sæpenumero momentum, quemadmodum ex varijs inter Christianos, Arianósque habitis disceptationibus clarissimè constat. Hic autem nihil aliud tam laboriosè quærit,

quàm quo errori lâtebram inueniat. D. Hieronymus, Anselmus, Haimo, multíque præterea cum in ipso textu, tum in eiusdem expositione *Copulatiua* notæ vtuntur. Quanquam, vt *Disiunctiuam* Hardingo suam relinquamus, si perinde fuerit Digestorum sciens, ac in aliis sui libri partibus vi deri cupit, facilè meminerit, iuris sic decreuisse iudicium, Disiunctiuas aliquando Copulatiuarum, & Copulatiuas Disiunctiuarum locum obtinere. *Sæpe ita comparatum est, vt & Coniuncta pro Disiunctis accipiantur, & disiuncta pro Coniunctis.*

De verborũ & rerum significatione.

Quòd si verò Hardingi obtutus oculorũ tã sit acer, vt eum ne vna quidem minutula *Disiunctiua* particula effugere possit, sique non fucatè, sed sincerè agat, quî tum fit, vt tot in eodem loco *Copulatiuas* sic penitus prætereat, quasi cœcus esset? Paulus enim ait: *Quotiescunque ederitis panem hũc, & poculum hoc biberitis*: Et deinde, *Probet seipsum homo, & ita de pane illo edat, & de poculo bibat.* Iterum: *Qui edit & bibit indignè, damnationem sibiipsi edit & bibit.* Hoc in loco quatuor coniunctim reperiuntur *Copulatiuæ*, ex quibus suam vt interpretetur *Disiunctiuam* ratio flagitat, præsertim cum Paulus Institutionis verba commemorans *Copulatiua* vtatur, cui insuper & primitiuæ Ecclesiæ ratio, & Hieronymi aliorúmque interpretatio cõcordat. Quãdo autem huiusmodi casus inciderit, bene præcipit Tertullianus: *Oportet secundum plura intelligi pauciora. Sed proprium hoc est omnium hæreticorum. Nam quia pauca sunt, quæ in sylua inueniri possunt, pauca aduersus plura defendunt, & posteriora aduersus priora suscipiunt.* Hoc Hardingus factitat, queadmodum manifestò videmus, atque hoc, teste Tertulliano, hæreticorum omnium propriũ est.

1. Cor. 11.

Tertul. aduersus Praxeam.

Hardingus. 15. Sectio.

De hac re locũ insignẽ habemus in Hebraico Euangelico Matthæi, quod Hieronymus se & vidisse in bibliotheca Cæsariensi, & transtulisse testatur. Locus iste citatur ab Hieronymo in libro de Ecclesiasticis scriptoribus, in Iacobo fratre Domini. *Verba, quæ Communionem attingunt, ab Hieronymo commemorata, cum iis penitus consentiunt, quæ Lucæ 24. cap. habentur,* Matthæus sic refert. Dominus autem cum dedisset sindonem seruo sacerdotis, iuit ad Iacobum, & apparuit ei. Iurauerat enim Iacobus se non comesturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem à mortuis. *Paucis interiectis sequitur*: Afferte, inquit Dominus, mensam, & panem. Statímque addit: Tulit panem, & benedixit, & fregit, & dedit Iacobo Iusto, & dixit ei, Frater comede panem tuum, quia resurrexit filius hominis à dormientibus. *Nemini dubium esse potest, quin fuerit sacramentum. Vinum autem hîc nullum ministrabatur, quod quidem verisimile sit. Neque enim credibile est, Iacobum eo tempore domi vinum habuisse, quandoquidem Hegesippus, qui non diu post vixit, testis est illum nunquam bibisse vinum, nisi in cœna Dominica.*

Episcopus Sarisburiensis.

Qvid attinet multis respondere ei, qui nihil obiicit. Hæc nihilo magis ad sacramentum pertinent, quàm quod Christus de pisce asso, déque fauo apiario comedit: neque ad confirmationem quicquam adducitur, præter summam in verbis audaciam. Tamen quò potuisse nonnihil videretur, Euangelium D. Matthæi produxit, idque Hebraicè conscriptum, quasi Matthæus duo scripsisset Euangelia duabus diuersis linguis: nec verò duo tantùm, sed eadem dissimilia. Non me latet, nonnullos opinari Matthæum Hebraicè scripsisse Euangelium suum: quod Theophylactus Ioannem Euangelistam in Græcum conuertisse sermonem scribit. Quòd autem vlla fuerit historiæ, rerúmve repugnãtia aut discrepãtia, qualẽ Hardingus fingere videtur, nunquã certè accepit.

Luc. 24.

Hieronymus autem hoc in loco citatus, cum sacramentum ne semel nominat, tũ de D. Matteo nullum verbum facit. Quæ profectò res Hardingi fidem aliquanto reddit infirmiorem. Hieronymus Hebræorum modò meminit Euangelij, qnod se tum in Græcum, tum in Latinum transtulisse testatur, quódque sæpenumero est ab Origene vsurpatum. Eusebius autem illud pro Euangelio non agnoscit, sed tantùm in notharum scripturarum numero reponit.

Hieronym. de ecclesiasticis scriptor.
Eusebius lib. 3. cap. 25.

Verùm qualiscunque tandem eius authoritas extiterit, sic in eo scriptum est, *Christus accepit panẽ, & benedixit, & fregit*: Hîc, inquit Hardingus, *nemo dubitare possit, quin hoc sacramentum fuerit.* Hoc quidẽ illũ vehementer velle video. Atqui hic tamen neque in Hebraico Euangelio, neq; à D. Hieronymo vlla fit omnino vel leuissima sacramenti mentio. Neque id D. Iacobus vouerat, se nõ administraturũ, neque accepturũ Cõmunionem, sed cibarij panis nihil comesurum, quousque Christus fuisset è mortuis excitatus. Nã illa benedictio panis nõ erat sacramẽto peculiaris, sed generatim fuit à Christo obseruata, quandocunque Dei creaturis vteretur, queadmodum ex Euãgelica historia passim liquet. Quòd Christus eo tempore sacramentum celebrarit, Hardingi tantùm ea coniectura est. Hoc nullus antè perspexit antiquus author, ne ipse quidem Hieronymus, qui historiam hanc scriptis mandauit. Et tamen Hardingus quasi certus de eo fuisset in cœlo tertio factus ait, *ita clarum ac perpicuum esse, vt nemini dubium sit.*

Sed demus esse sacramentum: *Ergo*, inquit Hardingus, *vna tantùm specie procuratum fuit.* Quamobrem id tandem? Hic iam vnam coniecturam alteri subuenire opitularíque oportet: *Verisimile enim est*, inquit Hardingus, *nullũ domi vinũ fuisse.* Quid ita verò? *Quoniã D. Iacobus vinũ non bibebat.* Si suspiciones argumentorum momenta haberent, hæc confecta res esset. Verùm enimuero

quid hac coniectura infirmius, *D. Iacobus vini abstemius fuit: Ergo, nullum domi suæ habuit vinum?* Equidem Hegesippus ipse, qui Iacobum a vino semper adstinuisse tradit, author etiam est, *illum nunquam vnctum fuisse, lanea veste nunquam vsum esse, carnem nunquam per totam vitam gustasse.* Vnde concludere liceat, si Hardingo volumus in dialecticis vti magistro, Iacobum, neque vnguentum, neque vestimentum aliquod laneum, neque carnem domi suæ habuisse. At aliud tamen hinc grauius incommodum existit. Hieronymus D. Iacobum Hierosolymarum Episcopum extitisse refert triginta annorum spacio, vsque ad septimum annum Neronis. Si quod hoc in loco affirmatur, verè affirmatur, quod nunquam scilicet vinum biberit Iacobus, nisi tantùm in Christi cœna vltima, tum necessariò consequetur, per annos 30. quibus Ecclesiam Episcopus Hierosolymitanam gubernauit, Missam nunquam celebrasse, quod fatendum Hardingo non est: aut vna solum specie consecrasse, quod sacrilegium esse Gelasius decreuit. In vtram se partem Hardingus cõuertit, in alterum horum incommodorum necessariò inciderit.

Hegesippus. Abdias lib. 6.

Hieron. in Ecclesia. scriptor.

Huc accedit, quòd si reuera sacramenti hîc facta mentio fuerit, sique nihil in ædibus D. Iacobi vini extiterit, tum Christus ipse vna specie communicarit, cuius exemplo quemadmodum isti dicunt Episcopi atque sacerdotes stare necessariò debent. Posthac igitur populum ne fraudato, sed Christi exemplum sequuti & Episcopi, & sacerdotes perinde vna specie communicanto, ac Laici omnes.

Hardingus. 16. Sectio.

SEd quoniam aduersarij nostri, quò veritatem glossematis suis nebulosis obscurent, his authoribus caliginem forsan aliquam offundent, quæ trãquillis sobriisq; spiritui sancto per os Ecclesiæ loquenti auscultantibus satis claræ & illustres videantur: eiusmodi producam testimonia, atque confirmationis huius rei è vetustis patribus, quæ neque ratione vlla, neque sophistica astutia repelli possunt. Nonnulla ex illis locis, quæ in superiore articulo pro priuata communione adduxi, huic proposito præclarè inseruire possunt, & proinde volo hîc etiam aliquot eorum recitare.

Episcopus Sarisburiensis.

INdignum verò certè & iniquum foret, tenebris caliginem obducere. Hardingus autem etsi ea ad confirmandam dimidiatam suam & imperfectam Communionem attulit, quæ ipse facilè dilui refellíque posse non ignorat, quæque Guilelmus VVidefordus, eiusdem cum Hardingo disciplinę alumnus, ineptè & falsò conclusa confirmat, ea tamen sine iactatione, & ostentatione aliqua dimittere noluit. Posthac verò testimonia tam expressa, tam firma, tam inuicta prolaturus est vt vitari, depellique nullo modo possint. Quanquam sanè hæc neque ita ponderosa sunt, neque ita noua testimonia. Et ea cognoui antè, & momentis suis diligenter ponderaui, quàm quicquam ea de re essem eloquutus. Hoc in loco multa repetit replicátque, suprà ab eo ad probandam priuatam Missam allata, neque immeritò. Vtroque enim peræquè referuntur.

Guliel. VVidefordus contra VVicleuum.

Hardingus. 17. Sectio.

MIlciades constantissimus Christi Martyr, & Romæ Episcopus instituit, vt hostiæ complures Episcopi consecratione præparatæ, ad Ecclesias, & parochias passim mitterentur, ne Christiani homines in Catholica fide perseuerantes, sacramento ab hæreticis fraudarentur. Quod quidem de panis forma tantùm intelligi debet, quandoquidem vinum quantitate tantula, non ita commodè ab vno loco in alium ad eum vsum circumferri poterit, nedum longiori tempore conseruari ne corrumpatur.

Episcopus Sarisburiensis.

ISTud argumentum è vecturæ difficultate pendet. Si enim ratio aliqua aut via excogitari potuit qua sacramentum vtraque specie circumgestaretur, facilis & expedita ad hanc coniecturam responsio ostenderetur. Cæteroquin enim Milciades de Communione vnius speciei nullum verbum facit. Quòd autem vtriusque speciei vectio non sit ἀδύνατος, antiquitatis exempla demonstrant. Hieronymus sic scribit de Exuperio Episcopo Tolosano apud Gallos: *Nihil illo ditius, qui corpus Domini in canistro vimineo, sanguinem portabat in vitro*: similiter Iustinus Martyr Ecclesiæ sua ætate morem perscribens, ait: *Illis, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, vnusquisque participat: eadem ad eos, qui absunt, Diaconis dantur perferenda.* Quare autem non modò δυνατόν, sed tritum etiam vsitatúmque ac solenne fuit, sacramentum vtraque specie circunferre. Hoc primum est inuictum argumentum, quod à nemine omnium dilui potest.

Hierony. ad Rusticum. Iustinus Martyr. in apologia 2.

Hardingus. 18. Sectio.

NIcenum Concilium sanxit, vt in Ecclesiis, in quibus, neque Episcopi, neque presbyteri aderant, ipsi Diaconi proferrent ederentq; sacram Communionem. Quod ad vini formam accommodari nequit,

propterea

propterea quòd si vinum diutius aliquando custodiretur, accesseret, & corrumperetur.

Episcopus Sarisburiensis.

POsterior illa clausula, (*ipsi proferant & edant*) neque in Græco exemplari, neque in Decretis, neque in priori editione Conciliorum reperitur. Verba aliquot apud Rufinum eodem nonnihil spectantia habentur hoc modo: *Præsentibus presbyteris Diaconi ne diuidant Eucharistiam, sed illis agentibus solùm ministrent: si verò presbyter nullus sit in præsenti, tunc demum etiam ipsis liceat diuidere.* Hæc parum afferunt Hardingo adiumenti, nisi fortè dixerit, *Proferre*, aut *Diuidere* perinde esse, atque administrare vna specie. Quòd si autem hanc perridiculam, vti quidem est, esse interpretationem fateatur, testimonium hoc silentio præteriisset.

Rufin lib. 1. cap. 6.

Hardingus ex his verbis ea conatur hominibus opinionem inijcere, nempe Diaconum absente presbytero ad pixidem ire, indéque depromptum sacramentum accipere solitum esse. Rufinus autem nullum verbum facit neque de proferendo sacramento, neque de accipiendo à Diaconis, sed tantùm de eo diuidendo seu ministrando plebi. Hoc autem videtur sentire, Diacono fas esse, si presbyter abfuerit, consecrare, populóque ministrare. Quod quanquam aliqua ex parte cum alio eiusdem Concilij canone pugnare videatur, maximè præsente presbytero, eam tamen inualuisse in Ecclesia primitiua consuetudinem, clarissimis certissimísque argumentis confirmatur. Ambrosius fingit D. Laurentium, qui diaconus extiterat, Sixtum episcopum his verbis alloquutum esse, quando illum duci ad supplicium videret: *Experire vtrum idoneum ministrum elegeris, cum commiseris Dominici sanguinis Consecrationem.* Hinc intelligimus in more tum fuisse Diaconis consecrare. Eutropius igitur perperá sine causa Ambrosij verba corrumpit atque immutauit, & pro *Dominici sanguinis consecrationem*, supposuit *Dominici sanguinis dispensationem.* Statim enim in Ambrosio sequitur: *Et consummandorum consortium sacramentorum.* Iustinianus etiam Imperator in Authenticis suis *De Ecclesiasticis diuersis capitulis* habet: *Episcopus mulieribus sibi subiectis eiusmodi presbyterum aut Diaconum præficiat, qualem ipse elegerint, qui eis respondeat, aut sacram oblationem ministret.* Idem etiam manifestò patet ex secundo canone Concilij Ancyrani Verba sunt: *Diaconi similiter, qui immolauerunt, honorem quidem habeant: cessare verò debent ab omni sacro ministerio, siue à pane, siue à calice offerendo, vel prædicando.*

Cano. 18. Ambro. officiorum lib. 1. ca. 41

Eutropius.

Folio 356. Authen. De Eccl. diuer. capitulis.

Concil. Ancyran. Can. 2.

Istas autem Diaconorum partes postea multa decreta resciderunt atque antiquarunt. Primùm Bergomensis in vita Honorij ait: *Decreuit Zosymus Episcopus Romanus, vt Diaconus præsente Episcopo aut presbytero non ministraret.* Et multò antè in Concilio Arelatensi apud Gallos constitutum fuit, ne Diaconi omnino sacramentum administrarent. Verba sic habent: *De diaconis, quos cognouimus multis locis offerre, placuit id minimè fieri debere.*

Bergomen. in Honorio. Concil. Arelat. 1. Ca. 1.

Non inficiabitur Hardingus, quin hæc satis luculenta sint testimonia, Diaconos illis temporibus sacram fuisse Communionem celebrare solitos. Itaque non id voluit Concilium Nicenum, vt Diaconus repositum & reseruatum in pixide sacramentum inde depromeret, quemadmodũ Hardingus suspicatur, cùm ea verba neque in Græco, neque in prima Conciliorum editione extent, neque à Gratiano allegata sint: sed vt absente presbytero diaconus sacra mysteria consecraret, populóque distribueret, id quod è verbis Rufini perspicuè colligitur. Sed vt concedamus Hardingo sacramentum fuisse reseruatum: nihil hinc tamen est nactus, quod dimidiatæ communioni magnoperè prosit. Nam si ad hunc modum concluserit: sacramentum fuit reseruatum, Ergo vna specie fuit reseruatum, istius argumenti consequutio nimium infirma & dissoluta foret, nec vlla Dialectici cuiusquam facultate comprobari posset.

Non nego sacra mysteria in Ecclesia primitiua nonnunquam variis de causis fuisse reseruata: sed vtraque specie fuisse reseruata manifestò constat ex Nicephoro, & ex epistola prima queribunda Chrysostomi ad Innocentium. Cum igitur verissimum sit, neque negari possit, sacramentum vtraque specie fuisse seruatum, quid tandem Hardingus ex hoc inuicto argumento adeptus est, quod ad probandam dimidiatæ communionis administrationem faciat?

Niceph. lib. 13. cap. 19. Chrysost. epist. 1. ad Innocentium.

Hardingus. 19. Sectio.

QVod sæpissime patres testatum reliquerunt, Christianos homines persequutionis tempore à sacerdotibus in Ecclesiis sacramentum in plures partes distributum accepisse, domúmque linteolis detulisse, quo manè illud secretò comederent, prout ipsorum ferebat pietas: ea de causa & propter alias etiam circunstantias necessariò de forma, seu specie panis intelligi debet. Nota sunt Tertulliani & Cypriani loca. Tertullianus in libro ad vxorem, ei suadet, ne iterum nubat, præsertim viro infideli, si fortè ipse prior moreretur, quandoquidem tum non ei licitum foret propter maritum ea facere, quæ Christianam fœminam docerent. Non sciet (*inquit*) maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes? & si sciuerit panem, non illum, credet esse, qui dicitur? *Cyprianus in sermone* De Lapsis *scribit, quod quando mulier quædam tentasset arcam suam indignis manibus aperire, in qua Domini sanctum fuit, igne inde surgente deterrita esset, ne attingere auderet: quod proculdubio de altera illa sacramenti specie accipiendum est.*

Lib. 2. ad vxorem.

Episcopus Sarisburiensis.

RES quæ in controuersiam nostram atque disputationem abducitur, hac quæstione continetur, vtrùm populus in Ecclesiam congregatus, vnquam intra præfinitum illum annorum numerum, communionem vna specie acceperit. Hardingus non de consuetudine ipsius Ecclesiæ, sed de hominibus singulis, déque priuatis ædibus respondet. In quo & illud prætermittit, quod probandum ei fuit, & quod nulla confirmatione eget, vtpote à proposito disiunctum, sola coniectura confirmat. Quod ad illum autem Tertulliani locum attinet, in eo quidem manifesta deprauatione vsus est, quemadmodum suprà docui.

Coniecturæ, quas affert, hæ sunt: *Mulieres sacramentum linteis receperunt: Tertulliani vxor domi illud ante cibum gustauit. Cyprianus testatur mulierem quandam domi in arca illud seruasse: Ergo sacramentum vna specie administratum fuit:* hæ non confirmationes, sed frigidissimæ suspiciones sunt: sic namque dicere, Panem habuerunt, Ergo vino carebant, imbecilla admodum est ratio, atque è sola temporum illorum ignorantia pendet. Neque enim nouit Hardingus quanam hæc ratione obseruata fuerint. Quòd autem mulieres atque alij sacramentum reseruarent, secúmque non altera, sed vtraque specie circungestarent, certum est, neque potest negari.

Nazianz. in funere Gorgoniæ.

Gregorius Nazianzenus ad hunc modum scribit de sorore sua Gorgonia: Εἴ πουτι τῶν ἀντιτύπων τοῦ τιμίου σώματος καὶ αἵματος ἡ χεὶρ ἐθησαύρυσε, τοῦτο καταμιγνῦσα τοῖς δάκρυσι. &c. *Si quam symbolorum preciosi corporis & sanguinis partem manus reposuisset, eam lachrymis miscens, &c.* Hoc in loco Nazianzenus vtramque partem fuisse ab ea seruatam testatur, quod contrà Hardingo videtur. Et quorsum enumerandis exemplis insistam? Ipse Amphilochius, quem tanti Hardingus videtur æstimare, inter cæteras ipsius fabulas, quarum habet festiuam copiam, scribit Iudæum quendam se in cœtum fidelium insinuasse, vnáque cum illis communicasse, & partem secum vtriusque speciei domum detulisse. Qua autem ratione quóve instrumento vsus fuerit, non exponitur. Non tamen sic proinde sequitur, Hardingus ignorat quo in vase Iudæus ille vinum deportarit domum: Ergo falsus est, & vanus Amphilochius.

Amphilochius.

Iam verò, etiamsi concedatur Hardingo, quod postulat, tamen à proposito suo longè abest. Nam si ad hunc modum argumentari voluerit: *Vna muliercula dimidiatum sacramentum altera specie domi accepit: Ergo, populus publicè in Ecclesia similiter fecit* (quæ res ei probanda fuit) hæc ratio difficulter coherescit. Postremò vt paucis concludam, hæc tria hoc in loco commemorata exempla, nihil aliud habent, quàm meros sacramenti abusus: eáque de causa, quemadmodum è Cypriano apparet, Deus illo facto commotum se esse miraculo declarauit, mulierem illam flammis excitatis perterrefaciens. Decretum quoque fuit in Concilio Cæsaraugustæ habito apud Hispanos: *Vt si quis Eucharistiæ gratiam probaretur acceptam non consumpsisse in Ecclesia, anathema esset in perpetuum.* Sic igitur Hardingi rationes & sola coniectura nituntur, & praua ac vitiosa vsurpatione fundantur, & eiusmodi sunt, vt, quamuis concessæ fuerint, tamen quod cupit non efficiant.

Cyprian. de lapsis. serm. 5. Cōcilium Cęsaraugust. ca. 3.

Hardingus. 20. Sectio.

EXempla sacramenti, panis solummodo forma reseruati, vt in promptu esset ægrotis, alijsq́; in periculo versantibus, quò necessarium vitæ cibum ac viaticum hinc migraturi secū haberent, fere sunt infinita. Hoc tempore vnum aut alterum multorum loco sufficiat. Etsi enim Iuellus iactat, nos ne vnam quidem sententiam seu clausulā habere, qua hos articulos, ab ipso Negatiua *sua tantopere deformatos confirmemus, ego tamen tractatum hunc molesta exemplorum accumulatione non complebo. Ambrosius paulò antequam expirauit Communionem accepit vna specie, in eum vsum conseruatam, quemadmodum constat ex hoc testimonio Paulini, qui vitam illius scripsit. Et quia hinc alij optimè institui possunt, qua ratione rectè moriantur eius hic verba recitabo:* Eodem tempore, quo migrauit ad Dominum ab hora circiter vndecima diei, vsque ad illam horam, qua emisit spiritum, expansis manibus in modū crucis orauit: nos verò labia illius moueri videbamus, vocem autem non audiebamus. Honoratus autem sacerdos Ecclesiæ Vercellensis, cum in superiore domo se ad quietem composuisset, tertiò vocem vocantis se audiuit, dicentísque sibi, surge, festina, quia modò est recessurus. Qui descendens obtulit sancto Domini corpus. Quod vbi accepit, emisit spiritum, bonum viaticum secum ferens, vt in virtute escæ anima refectior, angelorum nūc consortio, quorū vitā vixit in terris, & Heliæ societate lætetur.

Episcopus Sarisburiensis.

HOc non est iactare, verum dicere. Neque ego negabam hominem aliquando quenquam vna specie communicasse. Nam & exempla noui hæc omnia, & eorum pondera examinaui: neque verò est tanti laboris ea cognoscere. Hoc autem illud est, quod negabam: *Vos vlum testimonium, aut exemplum luculentum & exploratum adferre posse, vnde constet populum vniuersum communionē in Ecclesia vna specie accepisse.* Ex hoc pēdet miranda illa *Negatiua*, quæ te tantopere offendit. Hæc illa est, quam tu probare confirmareque debuisti, sed hactenus non confirmasti. Ais te exempla cumulare nolle, quasi copia quadam nimia redundares: & tamen ægrotos, mulieres, infantes, amentes, coniecturas, suspiciones, miracula, fabulas coegisti & coaceruasti: & nihil denique, quod vspiam occurrebat, prætermisisti, quantumuis tuis rationibus nihil conduceret. Tanta nimirum exemplorum abundantia circunsfluis.

De Pau-

De Paulino autem, qui hanc Beati Ambrosij vitam perscripsisse à nonnullis existimatur, nihil ipse dicam: ad Erasmum te relegabo, cuius aliquantùm videri vis non improbare iudicium, sic inquit: *Idem est artifex, qui tam multa contaminauit in scriptis Hieronymi, & Augustini, natus ad hunc ludum. Habebat historiam Ambrosianæ vitæ, ei attexuit præfationem, vt vides, lepidam: intertexuit interlocutiones, addit coronidem, & affinxit aliquod prodigia. Conferat qui volet Paulini stylum cum huius assutis pãnis, &c.* Hic ille est Paulinus, quem Hardingus authorem delegit suum.

Erasm. in præfatione Ambrosij.

Res autem ipsa si concedatur, neq e Hardi gi causæ adiumenti quicquam, neque nostræ detrimẽti affert. Etenim quamuis Ambrosius accepto pane animã statim efflaret, & poculum proinde non acciperet, (quod integrum adhuc restat,) non tamen ex eo sequitur, hunc solennem fuisse Ecclesiæ morem. Quodnam hîc autem Hardingus præclarè moriendi exemplum repererit, sanè nõn video: nisi fortè sacramentum, eò duntaxat quòd accipitur, salutem efficere posse, rectéque moriendi causam esse senserit: quæ periculosa sententia est, atque ab ipso Hardingo iampridem reprobata. Quantum ex historia constare possit, Ambrosius eo tempore neque deferri ad se sacramentum iussit, neque verbum vllum effatus est, nec quid acciperet intellexit, mutus tantùm iacuit, deglutitóque pane animam exhalauit. Verùm Paulinus iste in eadem historia vnam eximiam atque singularem Ambrosij sententiam commemorat, quam Beatus Augustinus senectute prouectus crebra mentione ac prædicatione vsurpauit, quámque Hardingus hoc in loco dissimulanter prætermisit, è qua & summam consolationem capere, & reuera ad bene moriendi disciplinam præclarè proficere liceat. Etenim in lecto iacens, animámque agens dixit: *Non sic vixi, vt pudeat inter vos viuere: nec mori timeo, quia bonum habemus Dominum.*

Articul. 20.

Hardingus. 21. Sectio.

Ecclesiast. hist. lib. 6 cap. 44.

Dionysius Alexandrinus, qui circiter annum Domini 200. vixit, referente Eusebio: manifestò declarat, senem quendam nomine Serapionem vna specie cummunicasse statim ante decessum. Serapion iste, postquam mutus trium dierum spatio iacuisset sacramentum deferri iussit. Sacerdos morbo ipse ne veniret præpeditus, pusioni, qui eius rei causa venerat, sacramenti portionem tradidit, percepítque vt eam perfusam ac madefactam in os seni ingereret. Hæc hactenus verbis ipsis exprimuntur, ad Græcam veritatem conuersis. Puer ille domum reuersus cibum cœlestem liquore perfusum & seni discedẽdi, atque ad cœlum festinandi cupiditate anhelandi præparatum, illi in os infudit. Cum enim senis os, & guttur morbi atrocitate diu exaruisset, sacerdos experientia simili peritus, prudenter puerum monuerat, vt sacramentum humore aliquo madefaceret, & simul in os seni inferret. Quod ita fuisse à puero factum scribit Dionysius. Iam si vini forma allata fuisset, à puero seni ministranda, non fuisset opus huiusmodi mandato de liquore adhibendo, cuius adiumento pastum illum sanctum senex deglutiret. Quod autem hæc ratio fuerit sacramenti senibus sub mortem ministrandi, Theodoreti testimonio confirmatur, qui in Ecclesiastica sua historia scribit, quemadmodum Bassus quidam archipresbyter seni cuidam nomine Simeoni sanctitatis fama percelebri ministrauit: Bassus, *inquit*, cum inuiseret Ecclesias, incidit in Simeonem, illud orbis miraculum, decumbentem in lectulo ægrum, qui præ corporis debilitate nec loqui, nec mouere potuit. Cum Bassus eum videret moriturum, Eucharistiam illi priùs tradit. At quemadmodum obseruandum est, spongia petita, os humectat atque eluit, ac tum ei diuinum obtulit sacramentum. *Si solennis eo tempore sacrati poculi Communicatio extitisset, humoris ista accessio ad sacramentum facilius in stomachum vna specie ingerendum comparata superuacanea fuisset.*

ἀποβρέξαι κελεύσας, καὶ τῷ πρεσβύτῃ κατὰ τοῦ σόματος ἐπιστάξαι.

Amphilochius summus ille Iconij apud Lycaones Episcopus, de quo in superiori articulo mentio facta fuit, in vita Basilij scribit, eum, antequam animam effunderet, partem quandam sacramenti accepisse, quam diu antea seruandam curauit, vt ea secum in sepulchro conderetur. Quam panis tantùm fuisse formam, nemo repugnare possit.

Sacramenti sepultura.

Episcopus Sarisburiensis.

Hardingus ne fortè nihil respondisse videatur, alienum respondet. Quæritur in quæstione, quinam mos atque vsus Ecclesiæ extiterit: ille qui Serapion moribundus fecerit in lecto, respondet: quasi nullæ fuissent eo tempore exædificatæ Ecclesiæ.

Serapion iste propter apertam, qua se obstrinxerat, idololatriam, ex Ecclesia eiectus, atque fidelium societate penitus & omnino remotus fuit, idque tam exquisita seueritate, quò cæteros metus à simili scelere deterreret, vt nunquam postea per omnem vitam ei reditus ad Ecclesiam patuerit in hac tamen pœnæ acerbitate, quando certa & explorata pœnitentiæ sese ostendebant indicia, ne fortè, qui crimen admiserat, desperatione repletus totus exanimaretur, Ecclesia sæpenumerò charitatis & prudentiæ moderatione adhibita, de illa supplicij grauitate aliquid remisit, quemadmodũ ex Cypriano, Augustino aliisq; adeóq; ex ipso Dionysio, qui rem hanc narrauit, apparet.

Augustinus de persequutione temporibus scribens, ait: *An non cogitamus, cum ad istorum periculorum peruenitur extrema, quantus in Ecclesia fieri soleat concursus, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & sacramentorũ confectionem & erogationẽ? vbi si ministris desint, quantũ exitiũ sequitur eos, qui de isto seculo, vel nõ regenerati exeũt, vel*

August. epist. 180.

ligati? Similiter Cyprianus habet: *In hoc extremo mortis periculo excommunicatus expectare non debet, vt ab episcopo reconcilietur* (in Ecclesia nimirum, pro illius temporis ratione) *sed istis partibus coram Diacono defungatur, atque ita ad Dominum migret in pace.* Quapropter sacerdos perspecta cōditione, in qua senex ille Serapion excommunicatus versabatur, ipse inualetudine, quò minùs ad eum proficisci posset, prohibitus, ne ille ab omni consolatione ac spe prorsus derelictus excederet è vita, & quò sibi reconciliatam intelligeret Ecclesiam, sacramentum ei per pusionem misit, neque vna tantùm specie misit, sed vtraque. Fuit enim eiusmodi tum Ecclesiæ consuetudo, sicuti non obscurè exemplum illud Exuperij & Iustinus, & alij ostendunt. Puerum, cui deferendum tradiderat sacramentum, commonuit sacerdos, vt depellendi seni molestiæ causa panem in vinum Eucharisticum, quod secum detulerat, intingeret, quemadmodum Bassus Simeoni quoque fecit: quem Hardingus sanctitatis ergô mirificè laudat, etsi erat Messalianorum princeps, & sacramentariæ proinde, quemadmodum antè affirmat, hæreseos primus parens. Quid autem hinc nactus est Hardingus, quod ad dimidiatam Communionem faciat? sic inquiet: *puer iussus est panem immergere & Bassus Simeoni os eluebat: Ergo, vna specie accipiebant sacramentum.* Equidem Serapionis puero expeditum foret ad hoc argumentum respondere. Nam quæ est huius rationis consequentia? Os ægroti hominis siccum fuit: Ergo, poculum accipere non potuit? Quis præter Hardingum hoc modo concluderet? Ex isto namque fundamento ad hunc modum rationem rectiùs contexeret: AEgroti os siccum fuit: Ergo, panem accipere non potuit. Quod os ægroto proluebatur, id parum meo quidem iudicio valet, ad eripiendum ei sanguinis Christi sacramentum, & ad confirmandam dimidiatam Communionem.

Hieron. ad Rusticum. Iustin. apol. 20. Theodoret. lib. 4. cap. 11.

Quod autem ad Amphilochij illius fabulam attinet, iniquum sit aliter ad eam respondere, quā ad fabulam. Sic enim se habet: Panis septem annis, & plùs eo, conseruatus fuerat: eum Basilius paulò ante mortem deferri sibi iusserat, & ea de causa acceperat, vt secum vnà sepeliret, quemadmodum Hardingus ait. Quorum prima hæc affirmare, nempe quòd sacramentum aut per septem annos reseruatum, aut post tam longinquum tempus homini ægroto in lectulo iacenti conueniens aptúmque fuerit, summæ amentiæ sit: at verò affirmare, quemadmodum hic Hardingus facit, corpus Christi quod nunc immortale gloriosúmque, & ad Dei dextram existit, in tumulo reponi, atque sepeliri posse, manifestæ, & detestandæ cuiusdem blasphemiæ est. Abdias scribit D. Matthiam Apostolum, quando lapidabatur, petiisse vt duo lapides primi cum ipso sepelirentur, quo sceleris illorum, à quibus trucidatus fuit, indices essent: qui etsi est similium fabularum refertus, nō tamen ea dicit, quæ ab omni planè ratione abhorreant: Hardingi verò Amphilochius plusquàm impudens est. Iam quò argumenta Hardingi, vno aspectu & quasi præteriens iudices, Lector, attende ista. Ego de Laicis quæro: ille de Ambrosio, & Basilio episcopis respondet. Ego de vniuerso populo quæro: ille de singulis hominibus excommunicatis, qui extra Ecclesiam fuerunt, respondet. Denique, ego locupletissima & certissima testimonia requiro: ille coniecturas & fabulas adfert. Atque hæc illa sunt ipsius inuicta argumenta, quæ nullo modo refelli queunt.

Hardingus. 22. Sectio.

ᵃFalsum: fine vllo veritatis fuco aut specie.

In veterauit in ᵃ*Ecclesia Latina mos, ductus ab Apostolorum vsque temporibus, vt in die* Parasceues *tam sacerdotes, quàm Laici sacramentum sub panis tantùm forma acciperent, consecratum die præcedente, id est feria quinta, quæ dominicæ cœnæ dies appellatur, idq; non sine notatione mysterij singularis, & maximè rari: atque hæc legitima semper, & perfecta est habita Communio.*

Episcopus Sarisburiensis.

Tonstall. de Eucharist.

HOc argumentum cum illo die præclarè congruit: ita nudum à testibus, & inane prodit. Tonstallus, fateor, antiquitus eum in Latina Ecclesia inualuisse morem scribit, ab Apostolorum autem fuisse temporibus tractum, vt hoc in loco Hardingus, nō est ausus affirmare. Tamen vt ipsius supellectilem aliquando auctiorem reddam, insuper aliquid adiungam: nimirum Concilium Arausicanum primum in Gallia quondam habitum, & Innocentium primum sacrum illum sabbati diem, qui nunc paschæ vigilia nuncupatur, adiunxisse, confirmaréque traditionem eam in Ecclesia receptam fuisse, vt sacramentum illis duobus diebus prorsus non administraretur: à quibus non multum discrepant ea, quæ Socrates de parasceue, déque feria quarta præeunte scribit.

Concil. Arausicanum. 1.

Socrat. lib. 5. cap. 22. Innocent. 1. cap. 4. Thom 3. par. de Euch. q. 76. art. 2. Gerson contra Floret. lib. 4. Thom. 3. par. q. 81. art. 4. Innocent. 3. Hugo Cardinal. in Euang. secundum Lucam. ca. 24.

Summum illud huius moris mysterium, Hardingus tanquam mysterium celat. Innocentius ait: *Hoc ideo fit, quòd Apostoli eo die fugerent, & se absconderent.* Thomas Aquinas, & Gerson aiunt: *Quia si quis eo die consecrasset, dum Christus iaceret in sepulchro mortuus, corpus fuisset sine sanguine, & sanguis sine corpore.* Alij dicunt, *si sacramentum eo tempore fuisset seruatum, in pixide emortuum esset.* Hugo Cardinalis inquit: *Quinta feria duæ hostiæ consecrantur, & altera in crastinū reseruatur, quod eleganter fit. Christi enim passio veritas est, & sacramentum eiusdem figura est: accedente itaque veritate, figura cedit.* Hæc huius rei maximè sunt antiqua & religiosa mysteria, quæ ego vnquam audierim.

At hanc (inquit Hardingus) *legitimam omnes communionem semper æstimauerunt*: fateor. Nondum verò probasti, hanc dimidiatam fuisse communionem vestram. Nam si sic dixeris, Consecra-

secrabant die præcedente: Ergo, subsequenti die vna solummodo specie communicabant, nullam argumentum hoc formam habet. Etenim ecclesia Græca per Quadragesimam totam non nisi Sabbatis, & Dominicis diebus sacramentum consecrare solita fuit, quemadmodum in Constantinopolitano Concilio habetur: cæteris autem diebus communione rerum antè consecratarum vsa est, cum interim communionem vna specie administratam ad hodiernum vsque diem nunquam admitteret. Huic tamen Græcæ ecclesiæ mori Tonstallus parasceues adhibitam in Latina ecclesia ceremoniam confert. Vsqueadeo abest Hardingus, vt ex parasceue id, quod instituerat, probet.

Sexta Synod. Constantinop. Can. 52. τῇ θεία λειτουργία τῶν προηγιασμένων. Tonstal. de Eucharist.

Hardingus. 23. Sectio.

Quod autem in Græca etiam ecclesia, Chrysostomi adeo temporibus, communionis sub forma tantummodò panis celebratio & obseruata, & approbata fuit, ex hac insigni historia apparet, quam Sozomenus author Græcus narrat. Ea sic Latinè habet: Ioannes cum Constantinopolitanam ecclesiam optimè gubernaret, vir quidam sectator hæreseos Macedonianæ, eiusdem sectæ vxorem habebat. Hic cùm Ioannem de syncera erga Deum religione disserentem fortè audiuisset, doctrinam amplexus, & vxorem quoque, vt sibi consentiret, hortatus est: & quoniam illa notarum mulierum solita consuetudine captiua teneretur, vt maritus quamuis monuisset sæpe, nihil tamen proficeret, nisi, inquit, in religione mihi consors fueris, ne in vita quidem communione posthac eris. Ibi mulier data fide se id facturam, cum ancilla quadam, quam fidam arbitrabatur, de hac re communicat: eámque sibi ad fraudem marito faciendam adiungit sociam. Itaque tempore communionis (intelligunt autem, qui Christo initiati sunt, quid dicam) illa, quod acceperat continens, velut oratura procumbit: famula interim astans, furtim porrigit id, quod manibus adueniens ferebat, quod quidem simul atque dentibus admotum esset, in lapidem induruit. Tum mulier timore consternata, ne quid sibi grauius eueniret ob tantum miraculum in se diuinitus editum, cum festinatione ad episcopum accurrit, seipsam indicat, & lapidem ostendit, qui manifesta vestigia morsus, sed materiam ignotam, & insuitatum quendam colorem referebat. Cúmque profusis lachrymis veniam impetrasset, cum marito deinceps concors vixit. Si cui autem (inquit Sozomenus) hæc verisimilia non videntur esse, testis est ipse lapis, qui etiamnum hodie inter Constantinopolitanæ vrbis cimelia conseruatur. Ex hac historia manifestò patet Sacramentum eo tempore vna solùm specie administratum fuisse. Etenim mulier ea vnam illam formam accipiendo, viro suo persuadere voluit, se cum ipso, & cum sanctissimo illo episcopo communicasse. Alioquin enim si ambæ species tum fuissent procuratæ, aliam quandam fraudem, atque fallaciam qua poculum deuitasset, adhibere debuisset, quod non perinde fuisset expeditum.

Hist. eccle. li. 8. cap. 5. in Græco.

κειμήλια.

Episcopus Sarisburiensis.

Istius historiæ fidē affligere non debeo: quanquam & Sozomenus, & Nicephorus, à quibus eadem narratur ambobus, permulta habent, quæ limari meritò potuerunt. Nihil tamen adhuc video, quamobrem Hardingus tantopere exultaret. Etenim in omni hac bene longa narratione nullum planè verbum est de communione vnius speciei. Panis ille in lapidem cōuersus, atque inter ciuitatis illius monumenta conseruatus simulationis muliebris index fuit, non dimidiatæ cōmunionis Hardinganæ testis. *Attamen* (inquit) *ex hac historia constat sacramentum fuisse tunc vna tantùm specie administratum. Mulier namque ex eo, quòd vnam illam formam acciperet, viro suo persuadere voluit, cum ipso se communicasse. Alioquin enim, si ambæ species adhibitæ fuissent, alius aliquis tum ei dolus fuit exercendus, quo poculum eluderet, quod non peræquè facilè extitisset.* Frigida mehercules conclusio, ex muliebris tantùm ingenij (vt videtur) solertia & calliditate pendens. Nam vt rationem fœmina ista excogitauit, qua virum in altera re suum falleret, quid erat, quòd in altera non simili fraude vteretur? Quid ni potuit sumpto poculo se bibere simulare, nec bibere? Equidem huiusmodi ficta simulatio in poculo faciliùs, quàm in pane perficitur: quæque non dubitabat, in altera Diuini sacramenti parte fraudem committere, in altera similiter peccare nunquam erat veritura. Hîc coniecturarum, quibus Hardingus vtitur, quanta sit firmitudo perspicimus. Et ea ille metit quæ nunquam sata, & colligit ex authoribus suis ea, quæ nunquam fuerunt dicta.

Sed quod ad huius rei veritatem attinet, si placeret tantùm diuinare, quemadmodum Hardingus facit, quamobrem non liceret sic animo secum & cogitatione fingere? Si mulier ea, voluit in re tam periculosa huiusmodi simulatione vti, quid ei fuit opus panem de manu ancillæ accipere, præsertim eo tempore & eo in loco, & in oculis totius populi? aut qui potuit tā palam accipere, vt interim in suspicionem non veniret? aut cur non ipsa secum clam in linteo attulit? onus non magnum fuit, & illi erat hoc modo simulare promptius. Atque hæc hactenus, quo coniecturæ coniecturam regeramus.

Quòd autem nulla esset eo tempore sacræ communionis istiusmodi in partes distinctio, & quasi dilaceratio, optimè cognoscere licet tum ex Basilio, Nazianzeno, Gregorio Nysseno, alijsque, quos ætas ea tulit, tum ex his manifestissimis verbis Chrysostomi: *Est vbi nihil differat sacerdos à subdito: vt quando fruendum est horrendis mysterijs.* Huc accedit, quod Græca ecclesia, hac dimidiata communione, & ante semper, & postea caruit. Cuius rei causa Leo decimus Papa totius sacramenti vsum iuxta Christi institutionem adhibitum Bohemorum Græcorúmque hæ-

Chrysost. in 2. Cor. hom. 18.

resim appellat.

Hardingus. 24. Sectio.

Locum illum Basilij in epistola ad Cæsariam nulla sophistica techna eludere poterunt Euangelici. Hæc eius verba sunt: Omnes in eremis solitariam vitam agentes, vbi non est sacerdos, communionem domi seruantes à seipsis communicant. In Alexandria verò, & in AEgypto vnusquisque eorum, qui sunt de populo, plurimùm habet communionem in domo sua.

Hic à Iuello quæri possit, qua ratione fieri potuit, vt vinum consecratum in mensuris tam exiguis, quæ singulis nimirum hominibus, separatim ad communicandam sufficerent, conseruaretur in illis calidissimis regionibus, maximè in desertis, in quibus neque sacerdotem, neque Diaconum habuerunt, vt in eo loco Basilius scribit: ob quorum inopiam sacramentum longo tempore custodiebant, ne temporibus necessarijs eo destituerentur. Præterea quærere etiam liceat, vtrum panis solũmodo, an vini quoque forma esset, quam Christiani homines, præsertim mulieres à sacerdotibus solitæ fuerunt religiosè in mundis linteis, aut mantilibus recipere domum secum deportandam, cautissimè prouidentes ne qua pars in terram caderet, quemadmodũ tum Origenes, tum Augustinus testatur. Fatebitur opinor, vestem linteam, ad liquorem conseruandum minùs aptam esse.

Panis & Vinũ subitò in formas mutata.

Episcopus Sarisburiensis.

EVangelici, quos Hardingus eo nomine, vt probroso & contumelioso, quasi ad ipsum pars Euangelij Dei nulla pertineret, identidem appellat, parum opus habent ea vitare atque effugere, quæ sibi nihil officere, atque obstare perspiciunt. Quæritur namque de vniuersa ecclesia: respondetur autem de singulis personis. Nos de ecclesiarum more loquimur: Hardingus de locis desertis ac solitudinibus respondet. Si quidem in ecclesiis aliquid reperire potuisset, quod suo proposito conduceret, lustrare montes & peragrare solitudines noluisset: neque ex AEgypto vsque auxilium accersisset, si domestico vti licuisset & propiore.

Fundamentum istius argumenti eo nititur, quòd quibusdam in locis conseruari vinum nequit. Quod quidem hucusque Formæ vocabulo nuncupauit Hardingus, at nunc postquam semel coacuerit, vinum vocat. Tanta inest in appellationibus commutandis solertia. Verùm si nullum omnino vinum remanserit, quemadmodum isti cunctis mortalibus persuadere cupiunt, quod tum nomen illi rei tribuemus, quæ seruari tam difficulter potest, ne acescat? Christi sanguis certè non acescit: neque vini formæ omnis substantiæ expertes acescere possunt: Horum alterutrum peræquè regionis ardorem tolererare poterit, atque alterum. Gelasius autem habet, *In sacramentis remanet natura, ac substantia Panis, ac Vini.*

Macrobius.

Cæterùm an vinum in regionibus calidis conseruari poterit, hoc loco non disceptabo. Quanquam Macrobium memini literis prodidisse in AEgypto, quæ maximis omnium terrarum ardoribus torretur, vina nasci summè frigida, quæ sunt proinde, vt est credibile, diuturniora. Et licèt regio Neapolitana sit vehementer calida, eiusdem tamen vina annorum quadraginta aut quinquaginta spacio fuerunt conseruata, quemadmodum Plutarchus, & Athenæus, & alij prodiderũt. Sed hoc ad rem non multùm attinet. Verùm vt vino coacescere, sic pani contingit mucescere, id quod ex multis Missæ cautionibus ea de re factis constat. Illud tamen quæri hoc in loco potuit. Si vinum in exiguas mensuras dispertitum, ad paucos dies conseruari nequibat in montanis AEgypti locis, qui tum potuit vinum illud, quod Christus in Cana Galileæ ex aqua mutauerat, Aurelijs apud Gallos instar sacri cuiusdam monumenti mille & quingentis & triginta annis asseruari, ab eo tempore, ad diem vsque hodiernum, sine vlla adeo acoris tentatione. Atqui vt concedamus in montibus custodiri vinum nequiuisse, in templis tamen & comparari, & adseruari potuit, saltem durante communione: quod ad nostrum institutum satis est.

Plutarchus in Lucullo Athenæus. li. 1.

Vinum architriclini.

Quod de seruando in linteolo liquore dixit Hardingus, lepidè quidem dixit, sui potiùs oblectandi gratiâ, quàm quò multum ad rem faceret. Nam cæteroquin, vt panem in veste lintea posuerunt mulieres, sic vinum in ampulla, aut consimili vase deferre potuerunt. Quod esse ab illis etiam factitatum, non obscurè colligere liceat ex eo, quod de Gorgonia Nazianzeni sorore memoratur, déque Exuperio, cuius Hieronymus meminit: atque ex illa fabula de Iudæo, quam Amphilochius ipse Hardingianus recitat. Quod autem Hardingus tam facetè iocantur de custodiẽdo liquore in linteo, fuit in Concilio Altisiodorensi decretum, vt Chrisma Chrismario, & linteo imponant. Non dubito quin Hardingus facilè existimarit, linteum vino non minùs, quàm oleo custodiendo aptum esse.

Nazianz. in funere Gorgoniæ. Hieron. ad Rusticũ Narbon. Concil. Altisiodor. Can. 6.

Hardingus. 25. Sectio.

ET si potui magnum locorum aliorum numerum adferre, ad confirmandum vnius speciei vsum, qui secundum communissimam ecclesiæ regulam panis forma erat: hîc tamen mihi ipsi modum præscribam, Lectorẽ cõmonefaciens, cõmunionem quibusdã personis sub forma vini tantùm ministratam, & pro toto sacramento acceptam fuisse, præcipuè ijs, qui propter gutturis siccitatem sub panis forma deglutire

eam iam moribundi nequiuerunt. Cum ex beato Cypriano, atque etiam beato Augustino patet, sacramentum ipsorum seculo infantibus præberi solitum, tum in Cypriano legimus, quòd quando Diaconus quidam calicem sanguinis Dominici puellæ offerret, quæ nutricis suæ culpa de victimis Dæmoniorum gustauerat, infans. Diuinæ maiestatis (vt Cypriani verbis vtar) instinctu commota faciem auerteret, labia compressa contraheret, & poculum respueret. Postquam verò Diaconus ei paululum vini per vim infudisset, tantus singultus & vomitúsque est consequutus, vt potus ille sanctificatus in sanguine Christi è pollutis visceribus erumperet. Si Sacramentum antè fuisset infanti huic sub forma panis datum, panem ea non minus repudiasset, quàm poculum, ex quo tum Diaconus poculum non esset oblaturus. Et quo minus hoc mirandum videatur, Ioannes Teutonicus, qui scholia scripsit in Gratianum, testatur eam quibusdam in locis sua adeo ætate inualuisse consuetudinem, vt sacramentum infantibus darent, non corpus illis Domini tradentes, sed sanguinem illis in ora infundentes: quæ consuetudo iustis de causis fuit in ecclesia Romana antiquata: in ecclesia verò Græca seruata est, quemadmodum Lyra scribit in Ioannem.

Serm. 5. de Lapsis.

De consecr. dist. 4. Can. 4. Si qui apud illos hæreticos

Episcopus Sarisburiensis.

QVantumcunque Hardingus istiusmodi exemplorũ copiam habuerit, si meliora vlla adhibere potuisset, istis supersedere præstitisset. Hoc enim in loco ait: *Senes aliqui propter ætatem, atque siccitatem suam poculo tantùm communicare permissi sunt, vtpote qui panem deuorare nequirent.* Paulò antè dixit: *Ambrosium in lecto decumbentem, & animam agentem, Panem tantummodo accepisse: & Basilium simili occasione Sacramentum accepisse, quod tum vetus fuit, & siccum, quippe per septem annos seruatum, idque solum sine vino.* Seneca habet: *proprium est luxuriæ gaudere peruersis.*

Hardingus sibi ipsi aduersatur, & contraria loquitur.

Infantes, inquit Hardingus, vna specie communicabant: eóque Cypriani testimonium refert, quod est eiusmodi, vt licet ad hoc de infantibus propositum suum faceret, aliis tamen permagnis eius negotiis officeret. Primùm enim ex illo Cypriani loco constat, sacram Communionẽ fidelibus omnibus ita fuisse iudicatam necessariam, vt ab ea ne pueri quidem, atque infantes arcerentur: quæ res priuatam Missam penitus disturbat. Præterea vniuersam plebem vtraque specie communicasse ex Cypriani verbis manifesto intelligimus: quod Hardingi dimidiatæ Communioni magnopere aduersatur.

Cyprianum Hardingo aduersus se citat.

Cyprian. serm. 5. de Lapsis.

Ista omnia quoad populum Hardingus agnoscit, de quo ego litem solùm intendebam: ipse verò actionem suam ad infantes traducit, de quibus tamen me nihil loquutum esse nouit. Etsi quæ proponit omnia, probasset luculentissimè, quid tamen aliud, quàm infantem partibus adiunxisset suis? Quid si autem infans ea vtrámque speciem accepit? Nihil sanè in Cypriano reperias, quod contrarium euincat. Hieronymus autem, & Augustinus, atque alij scriptores antiqui testes sunt locupletissimi, eos qui baptizarentur, cum infantes, tum alios, nulla mora interposita, mox sacra mysteria vtroque symbolo accepisse. Hieronymus de quodam Hilario loquens ait: *Non potest baptisma tradere sine Eucharistia.* Cypriani verba ad hanc rem spectantia sic habent: *Vbi solennibus adimpletis calicẽ Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris, locus eius aduenit, faciẽ suam paruula instinctu Diuinæ Maiestatis auertere, &c.* Ex his colligere non iniuriâ liceat, quòd qua ratione sacerdos, Diaconi, reliquúsque populus communicabant, eadem etiam paruula ea, nec omnino dissimili aut varia vteretur.

Aug. de eccles. Dogmat. lib. 1. cap. 52.

Hieron. contra Luciferi.

Vrgebit autem Hardingus hoc modo: *mentio fit tantùm poculi: Ergo, infans alterã speciẽ neutiquã accipiebat.* Hæc nimis est tenuis coniectura: si tamen argumentari Hardingo vsitatum est. Quid inde verò sequatur incommodi, non satis perpendisse secum animo videtur. Peræquè enim ex eo concluserit, & ipsum sacerdotem, & Diaconos, totúmque populum poculo solùm communicasse. De altera enim parte nihil planè commemoratur.

Si panis fuisset infanti oblatus, illum perinde, atque poculum repudiasset. Hæc alia est necessariæ consequutionis expers coniectura. Hoc euentum tum accidit, cum Deo visum esset: cuius facta nostrum captum longè superant.

Lyra, atque Teutonicus mille trecentis plus minùs annis post Christum vixerunt: quorum proinde debet hac in re videri leuior authoritas. Quanquam Lyræ, meo certè iudicio, deprauata sententia est, in alium sensum scribentis. Nam quòd Augustinus disertè vsus est vocabulo ipso *Paruulorum,* Teutonicus in suo glossemate ait: *Hoc intellige de adultis.* Et quo errorem stabiliat suum, consuetudinem quandam recitat, sed à quibus vsurpatam, nescit: eámque probat, sed per quos, ignorat. Sic enim affirmat, *secundum quosdam,* quod genus testimoniorum nunquam in vllo foro valuit. Potuit itaque Hardingus istos Doctores aliquo causæ suæ damno tacitus dimisisse.

Hardingus. 26. Sectio.

QVartũ Conciliũ Carthaginense decreuit, vt si quis morbo laborans (qui publicè pœnitentiæ addictus erat) sacramentũ peteret, & antequã moreretur in phrenetidem incideret, aut mutus fieret, sacramentum illi in os infunderetur. Vt hoc de vini forma accipiendum putemus, adducimur decreto quodã vndecimi Concilij Toletani: in quo sic habetur: Solet humanæ naturæ infirmitas, in ipso mortis exitu prægrauata, tanto siccitatis pondere deprimi, vt ciborum illationibus refici, sed vix tandem illati

Can. 76.

Can. 11.

delectetur poculi gratia sustentari. *Tum sequitur:* Quod etiam in multorum exitu vidimus, qui optatum suis votis sacræ communionis expetentes viaticum, collatam sibi à sacerdote Euchari-stiã reiecerunt: non quòd infidelitate hæc agerent, sed quod propter Dominici calicis haustũ, traditam sibi non possent Eucharistiã deglutire. *Quomodocunque hæc accipiatur, patet ex hoc concilio, atq; ex alijs antiquis Cõcilijs, & Doctoribus, Catholicã ecclesiã solitã fuisse ægrotãtibus vnã speciẽ præbere.*

Episcopus Sarisburiensis.

HÆc sibi ipsæ respondent authoritates, quæ vt sint omnino exploratissimæ, nihil tamẽ Hardingo proficiunt. Omnis nostra est de trito, & cõmunissimo ecclesiæ more controuersia. Ad eum ostendendum homines Lunaticos, & phreneticos cõparauit, atque introduxit Hardingus. Nouum esset & inusitatum spectaculum ecclesiam videre huiusmodi hominibus refertam. Pondus istius argumenti hac solummodò coniectura nititur, *Panem nimirum in os ægroto infundi non posse.* Quanquam è tertio Concilio Carthaginensi, éque compendio Concilij Hipponensis rescíscere queat, *Sacramentum eo tempore in ora mortuis inferri solitum esse.* Neque istius argumentationis aliquam animaduerto necessariam consequentiam: *Phreneticus est, aut elinguis* (quæ fuit eius Concilij hypothesis) *Ergo, Panem accipere non potest sacramentalem.* Si accipiendi aliqua difficultas esse videatur, ea maximè ad poculum pertinet.

Concil. Carth. 3. Can. 6.

Canon ille Concilij Toletani hoc in loco recitatus, non habet Concilij huius Carthaginensis expositionem, quemadmodum Hardingus autumat: sed canonis cuiusdam in primo Concilio Toletano conditi explicationem continet: Sicuti ex his verbis liquet: *In collatione nostri cœtus relictus est Canon Concily Toletani primi, in quo præceptum est, vt si quis acceptam à sacerdote Eucharistiam non sumpserit, velut sacrilegus propellatur.* Hoc scitum nimis durum videbatur, præsertim cum sanctissimo cuique, vel propter infirmam valetudinem, vel propter aliam aliquam naturæ imbecillitatem accidere possit, vt sacramentum aut repudiaret, aut non in stomachũ ingereret, aut euomeret, atque reiiceret inuitus. Sic igitur Concilium quasi interpretatione adhibita statuit: vt si quis ista faceret morbi impulsus atrocitate, hoc ei fraudi non esset.

Concil. Toleta. 11. Can. 11.

Hinc ad hunc Hardingus modum concludit: *Patet ex hoc Concilio, atque ex multis alijs Concilijs atque Doctoribus, &c.* Hic nullius præterea Concilij, nullius Doctoris fit aliqua mentio. Hoc Concilium neque legem hac de re vllam sciscit: neque formam, aut morem vllum publicæ administrationis significat. Sed tantùm inuictam naturæ necessitatem atque infirmitatem excusat.

Quod autem ad vsum ritúmque Ecclesiæ attinet, hoc ipsum Concilium in eodem loco testatur, integrum sacramentum fuisse ipsis adeò ægrotis ministratum, atque ab illis propter imbecillitatem interdum reiectum. Quod argumento esse potest, eos sacramentum accepisse, atque infantes similiter fecisse. Ex quo colligere liceat, infantes tum sacramentum, eodem quo cæteros more sumpsisse.

Si quis acceptã Eucharistiam non sumpserit. Collatam à sacerdote Eucharistiam reiiciũt.

His omnibus rebus expensis, & consideratis, hoc modo rectè possit Hardingus cõtra seipsum concludere: Venia data fuit hominibus Lunaticis, & furiosis, aliisque morbo affectis, vt inualetudinis infirmitatísque suæ gratia, vna specie communicarent impunè: Ergo, cæteros omnes, qui neutiquam exciperentur, ipsa legis sanctio communicare vtroque symbolo coegit.

Hardingus. 27. Sectio.

I*Am verò, quòd nonnulli aiunt sacramentum, quod sub panis forma ministrandum erat, priùs in sanguinem Domini intingi solitum, idq; nunc etiam eo modo ægrotis adhiberi, atque pro toto & integro sacramento haberi volunt, quasi sacramentum sub panis forma ex se parum sufficeret: sciant illi antiquum hunc errorem esse supra mille ducentos abhinc annos damnatum à Iulio primo, acerrimo illo Athanasij propugnatore: qui hac de re in epistola ad episcopos Ægyptios ad hunc modum scripsit:* Illud verò, quod pro complemento communionis intinctam tradunt Eucharistiam populis, nec hoc prolatum ex Euangelio testimonium receperunt, vbi Apostolis corpus suum Dominus commendauit, & sanguinem. Seorsum enim panis, & seorsum calicis commendatio memoratur.

De con. Dist. 2. can. Cum omne crimen.

Quòd etiam aliqui postea tempore Vitelliani hanc abrogatam antiquitus consuetudinem renouare cõtenderunt, fuit ea similiter damnata & explosa in tertio Concilio Braccarensi. can. 1.

Episcopus Sarisburiensis.

VArij atque multiplices sacrorum mysteriorum abusus extiterunt, non modò quos recentiore memoria Ecclesia Romana inuexit, de quibus nos meritò conquerimur: sed etiam quos ecclesia Primitiua habuit, inde vsque ab ipsorum Apostolorum temporibus. Fuerunt enim aliqui, qui in aqua tantùm ministrarent: alij pro vino lac, vuas alij in poculam tritas atque pressas, nonnulli etiam panem cum caseo permixtum adhibuerunt: reperti sunt etiam qui sacramentum corporis Christi in sacramentum sanguinis intingerent. Sed neque has à Iulio commemoratas, neque vllas omnino similes apud antiquos receptas nos vnquam renouauimus ineptias. Hardingus verò quidem, & qui cum eo censent omnes, panem soliti sunt

De Cons. dist. 2. Cum omne. Augustin. ad Quod vult deum.

frange-

frangere, eiúsque tertiam partem in vinum immergere: illiúsque ceremoniæ mysterium excogitarunt non vulgare. Hoc enim aliqui dicunt *Christi resurrectionem à mortuis* significare: aliqui *fideles adhuc viuentes*: aliqui *sanctos cœlestes*: cùm interim Hardingus non ignoret Iulium hanc *schismaticam ambitionem & consuetudinem Apostolicæ doctrinæ contrariam appellare.*

Nos cum hac in re, tum in cæteris eiusmodi omnibus Christi solùm institutionem imitamur: qui prout Euangelistæ commemorant, ipséque Iulius testatur primùm panem tradidit seorsum, deinde etiam vinum seorsum: neque solùm dixit, *Edite*, verumetiam adiunxit, *Bibite*. Iuo tamen scribit ad vitandum profundendi periculum panem aliquando in poculum intingi, itáque populo præberi.

Iuo de diuinis officiis. Cassander.

Iulius iste à nostris omnino partibus stat: quò magis miror Hardingum voluisse abs illo auxilium quærere. Nam quòd ait Iulius, *Porrigunt Eucharistiam populis*, communionem innuit: Quòd autem intingendi abusum improbat, eúmque ad institutionis Christi normam reuocat atque corrigit, *& vtramque speciem separatim commendari præcipit*, in eo integram communionem vtraque parte expletam denotat: atque ita quicquid hactenus extruxit Hardingus, penitus diruit & disturbat.

Iulius vtramq. speciem sancit contra Hardingi doctrinam.

Hardingus. 28. Sectio.

NVnc Lectori iudicium permitto, cuiuscunque tandem opinionis fuerit, vtrùm ad confirmandam communionem vna specie celebratam, nos verbum, aut sententiam, aut clausulam aliquam habeamus, nec ne: atque vtrum hæc verba Iuelli, quibus in Concione sua vsus est, vera sint, an non, quæ sic habent: Communio per vniuersam catholicam ecclesiam sexcentis annis post Christi ascensionem sub vtraq; specie celebrata fuit sine exceptione. *Quòd ita celebrata fuerit, etiam per sexcentos annos & multò post non negamus: quòd autem semper eo modo, & vbique locorum, & sine exceptione celebrata sit, id verò pernegamus: & quibus id nixi fundamentis pernegamus, Iuellus ipse iudicet. Si quædam testimonia à nobis allegata, per vim possint à proposito nostro detorqueri, at pleraque tamen non possunt, authoritate interim antiquorum sanctorum patrum salua atque incolumi. Ex quo sequitur, Christum, si horum patrum iudiciis stamus in quo sanctum hoc sacramentum instituit, & vt celebraretur, atque in mortis suæ commemorationem acciperetur, præcepit,* [a] *nullum necessarium mandatum neque de altera, neque de vtraque specie dedisse (præter, & extra celebrationem sacrificij) sed hanc rem ecclesiæ permisisse arbitrio. Quapropter cum ecclesia ad vitandam irreuerentiam, & pericula & offensiones, aliásque graues, & maximi momenti causas, in duobus generalibus Conciliis decreuerit, vt Laici vna tantùm specie communicarent, æquum iudicamus ecclesiæ nos metipsos hac in re humillimè subijcere, cui Christus auscultandum parendúmque esse monuit, dicens:* Qui non auscultat Ecclesiæ, sit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus. *In quo etiam nobiscum ipsi consideramus, & reputamus terribile periculum, quod schismatum authores pacísque violatores manet.*

Quæstio est de publica ecclesiæ liturgia.

[a] Falsum. Christi enim institutio tã ad populum, quàm ad sacerdotem pertinet. Hæc duo Concilia habita sũt mille quadringentis & quatuordecim annis post Christum.

Mat. 18.

Episcopus Sarisburiensis.

QVando Hardingus, optime & Christiane lector, omnia iam deprompsit, quæcunque facultas ei sua suppeditare potuit, te oportet, si æquus esse volueris litis huius æstimator, ac disceptator, ipsum controuersiæ statum, & quasi τὸ κεινόμενον, quo tota quæstio continetur, diligentissimè perpendere. Nostra *Negatiua*, quæ illum adeò perturbat, hæc est: Quòd intra sexcentos annos post Christum, sacram communionem vnquam fuisse populo in Ecclesia, aut vllo publico cætu ministratam vna tantùm specie, quemadmodum hodie in Ecclesia Romana fit, ex nullo antiquo aut Doctore, aut Concilio demonstrari queat. Itaque causæ disputationísque nostræ summa est de more ac ritu Ecclesiæ.

Vt illum autem ostenderet Hardingus, exempla quædam adduxit particularia, siccitatis, inualetudinis, morbi, senectutis, ineuitabilis necessitatis, maximæ difficultatis, & infirmitatis naturæ. Ego verò, Lector, alia abs Hardingo argumenta expectabam. Hæc namque, reliquáque similia antè mihi cognita fuerũt omnia. Obiecit fractionem panis à Christo factam Emaunte: quam ad hoc institutum accommodare, quidã è suis doctoribus planè ineptum esse scribit: Obiecit duas mulieres: tres homines ægros, & iamiam morituros: Personas excommunicatas: Infantes: Phreneticos: & Furiosos.

VVil. VVidefordus.

Obiectat Lintea, Arculas, Cubicula, Montes, & Solitudines: & luculentioris etiam confirmationis ergô, Coniecturas, Diuinationes, Mendacia, atque Fabulas adduxit. Abusus profert iam olim damnatos: Scripturas recitat, & Doctores, & Concilia, quæ ipsi perspicuè & manifestò aduersantur.

Doctrina valet, & multiplici lectione abundat: eloquentia verò & dicendi tam mirifica copia præditus est, vt ex re nulla aliquam, ex aliqua ingentem efficere possit. Consuetudine diuturna, & colloquio omnium vsus est, quorum ipse voluit, aut intra hoc regnum, aut extra. Vidit, & euoluit quicquid Coclæus, Eckius, Pigghius, Hosmeisterus, Michael Vehæus, Hosius, Staphylus, cæteríque pontificij scripserunt. Spacium quinque annorum habuit ad librum componendum, digerendúmque suum. Ferre non potest, vt quisquam eos plebem dimidio sacramenti fraudasse, nec posse eius facti rationem aliquam adducere defendat. Se vehementer offensum commo-

tùmque esse haud obscurè fert, ideóque nos legitimis quasi nominibus Hæreticos, Schismaticos, Aduersarios Ecclesiæ, Dei inimicos, & similiter appellat. Nihilominus, etsi est ea eruditione, ea in dicendo facultate, ea disquisitione, ea lectione, cóque otio, animo etiam eo & stomacho, tamen hucusque nullum planè verbum aut è prisco Concilio, aut Doctore quoquam produxit, quo id euincat, quod à nobis negatur: scilicet sacramentum vnquam ministratum populo fuisse vna specie, palàm in vlla Ecclesia, aut publico vsu, ac more alicuius Ecclesiæ. At tum exædificata fuerunt templa: at tum sacerdotes & populus extiterunt: at tum sacra administratio publicè fuit ad morem quendam vsitatum, & formam reuocata, neque homines eruditi defuerunt, qui eam proderent, & literarum monumentis consignarent. Etsi hæc ita sint, Hardingus tamen nihil hactenus in publica liturgia totius Ecclesiæ, & popularis concionis reperit, quo dimidiatam suam communionem confirmaret. Quare nulla ratio repugnat, quo minùs Iuello liceat nunc affirmare, quemadmodum anteà in concione sua verè asseuerauit, Integram Communionem fuisse per vniuersam catholicam Ecclesiam vtraque specie administratam sexcentis annis post Christi ascensionem, in omnibus omnino conuentibus atque Ecclesiis.

At Christus hæc omnia arbitrio iudicióque Ecclesiæ permisit. Id verò quibus ex commentariis patebit? Hardingi vox diplomatis non habet authoritatem. Atque si ita reuera est, vbi tandem sic sciuit & decreuit Ecclesia intra sexcentorum annorum spacium? Augustini hac de re summam habet æquitatem sententia: sic enim ait: *Vbi authoritas deficit, ibi consuetudo maiorum pro lege tenenda est.* Quanquam Dei verbum, Christíque institutionem nobis suffragantem habentes, authoritate non caremus.

Ad Casulanũ.

Ecclesiæ authoritas permagna est: fateor. At causæ quibus inducta fuit Ecclesia Romana, vt Christi violaret institutionem, non perinde magnę sunt: exempli gratia, Vini seruandi difficultas, barbæ, paralyses, aliæque istiusmodi: licet eas Hardingus magnificas facit, & ponderosas grauésque nuncupat. Concilia illa duo, Basiliense, atque Constantiense, in quibus hæc causa primò constituta fuit, cum post mille quadringentos ad minimum à Christo annos habita fuerunt, & proptereà ab hac controuersia remoueri debent, tum authoritatem nondum ratam, & minimè dubiam obtinuerunt. Thomistæ siquidem asserunt Basiliense concilium iure congregatum nõ fuisse, ideóque irrita eius esse decreta omnia contendunt. Pigghius autem ait alterum illud Concilium Constantiense contra naturam, contra scripturas, contra antiquitatem, contráque Ecclesiæ fidem sciuisse. Hæc ea sunt gemina Concilia, quibus nos concedere vult Hardingus. *Ecclesiæ auscultare necessariò debemus,* inquit Hardingus. At multò certè quidem magis Deo. Hoc Cypriani dictum imprimis memoriæ mandandum est: *Non iungitur Ecclesiæ, qui ab Euangelio separatur.* Similiter scribens aduersus quosdam, qui Dominico poculo abuterentur, aquam pro vino ministrãtes, hoc præceptum dat episcopis, atque aliis omnibus de reformandæ Ecclesiæ rationes: *Religioni nostræ congruit, & timori & ipsi loco, & officio sacerdotij nostri custodire traditionis Dominicæ veritatem: & quòd prius videtur apud quosdam erratum, Domino monente corrigere, vt cum in claritate sua, & maiestate cælesti venire cœperit, inueniat nos tenere, quod monuit: obseruare, quod docuit: facere, quod fecit.*

Lodou. Viues in 20. lib. De ciuitate Dei cap. 26.

Cyprian. ad Cæc. l. lib. 2. epist. 3.

Hardingus. 29. Sectio.

AD locum autem illum, quem Iuellus è Gelasio protulit, quique omnium est præcipuus, quos ipse, cæterique omnes Ecclesiæ aduersarij ad suam defensionem adhibere possunt, ad hunc modum respondemus. Primum, esse falsò citatum à Iuello Gelasium, eiúsque sententiam Anglicè secus redditam, atque ea Latinè sonat. Sic enim ad verbum Iuellus in Concione sua habet. Gelasius antiquus pater Ecclesiæ, & Episcopus Romanus ait, Communionem administrare vna specie, esse manifestum sacrilegium. Vbi autem sic ait Gelasius? Hoc non est integrè atque syncerè agere. Quoniam verò satis animaduertit verba illius patris non tantundem valere: fraude quadam vsus ea Latinè recitat, nec Anglicam interpretationem adiungit, quàm certè non prætermisisset, si illa tam manifestò inseruisset proposito suo. Gelasii verba hæc sunt: Diuisio vnius eiusdémque mysterij sine grandi sacrilegio non potest peruenire. *Ex his verbis colligere non potest Gelasium communionem vna specie administratam manifestum sacrilegium dicere. Gelasius redarguit & detestatur illius sublimis mysterij diuisionem, quod & sub altera & sub vtraque forma,* vnum est idémque, *non vnum sub forma panis, & alterum sub forma vini: non vnum respectu corporis, & alterum respectu sanguinis, sed vnum idémque. Verba supra recitata è fragmento quodam Canonis, à Gelasio facti desumpta sunt, qui sic habet, quemadmodum in Gratiano inuenitur:* Comperimus autem, quòd quidam sumpta tantùm Corporis sacri portione, à Calice sacrati cruoris abstineant. Qui proculdubio (quoniam nescio qua superstitione docentur adstringi) at integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia diuisio vnius eiusdémque mysterij sine grandi sacrilegio non potest peruenire.

De Consec. dist. 2. Can. Comperimus.

Liceret hîc Iuello dicere: ostende nobis integram epistolam Gelasij, vnde hoc fragmentum desecatum sit, vt circunstantias, causásque ob quas eam scripsit, examinemus, præcedentia cum subsequentibus cõferamus: et tum æquum responsum dabimus. Verùm ea non extat, & proinde argumentum tuum ea ratione minùs valet.

Episco-

Episcopus Sarisburiensis.

NEque nos Ecclesiæ sumus aduersarij, neque in Gelasio, tãquam summo & præcipuo defensionis nostræ principe acquiescimus. Nos Christum imitamur, quemadmodum ipse nobis præcepit, quem etiam Gelasio sequi par erat. Sed quis non stuperet, cùm videat in quàm varias se species formásque Hardingus mutet, quò hoc subterfugere possit Gelasij decretum. Vniuersam collegarum suorum turbam mittit, & suis vnius vestigiis insistit.

Gelasium ex Leone interpretatur, quasi de eadem vtrique re scriberent: cum alij tamen Hardingi contubernales dicant, Leonem de hæreticis, Gelasium verò esse de Catholicis loquutum: Leonem de plebe, Gelasium de presbyteris. Queritur reliqua Gelasij non extare, quasi ea à quoquam occultata essent nostrûm: & opinio tamen est quorundam, in Papæ bibliotheca integra remanere. Nouas fingit vnitatis mysterij causas, quas Gelasius nunquam intellexit. Ad extremũ concludit hanc institutionis Christi violationem, dimidiatæque communionis administrationem, quæ nunc tam latè patet, quàm Romanæ Ecclesiæ fines, introductam primùm atque institutam fuisse à Manichæis, qui antiqua memoria nefarij, & consceleratí hæretici extiterunt.

In Pontificiali vt citatur in primo tomo Concil. in vita Gelasij.

Ait me Gelasij verba adulterasse, quóque ea fallacia citiùs deprehenderetur, notam in margine impressit eius rei disertam. Verumenimuero si ipse Hardingus nihil callidè, & malitiosè cogitasset, quam mihi obiicit fraudem, clarè & manifestò conuicisset: & quid ex ea aut adhibita commodi comparare, aut prætermissa detrimenti capere potuissem, demonstrasset. At verba Latina duntaxat recitabam, & Anglicè interpretari eram oblitus. Simplex verò & minimè captiosus dolus, cuius è margine deleri profectò potuit significatio.

Atqui sic dixi: *Gelasius ait, sacramentum administrare vna specie, esse manifestum sacrilegium.* Quænam verò subest his verbis fallacia? Hoc vocabulum, Sacrilegium, & illa, Abstinere à Calice, apud Gelasium nominatim reperiuntur. Illa igitur verba supersunt modò, Administrare sacramentũ: in quibus nimirum tectas esse insidias Hardingus clamat. Quanquam manifestum faciam, nihil me dixisse, quod non à Gelasio proditum fuerit, quódque ipse Hardingus Gelasio non attribuerit, Sic enim Gelasius habet: *Diuisio mysterij* (sacramentum autem intelligit) *sacrilegium est:* at sacerdos sacramentum vna specie administrans diuidit mysterium: Ergo, sacerdos vna specie communionem peragens, sacrilegium admittit. Hoc suis numeris partibúsque omnibus expletum est argumentum, atque ex ipsis adeò Gelasij verbis conclusum. Hic nullæ (puto) præstigiæ, nullæ captiones sunt.

Sacerdos vna specie conficiens sacrilegiũ committit.

Vnitas mysterij, quam hic Hardingus in eo sitam esse finxit, quod alterutra pars in altera insit, & proinde toties hæc verba, *vnum & idem* iterat, & quasi excepta ab aliis decantat, suum est ipsius inuentum. Neque Gelasium, neque quemuis alium vetustum patrem proferre potest, qui *Vnum & idem* eo vnquam modo interpretati sunt. Gelasius vocat *Vnum mysterium*, quemadmodum Hugo Cardinalis affirmat, author alioqui insulsus, *Propter vnitatem Institutionis: & propterea quòd Panis & Vinum, etsi diuersæ partes sunt, ad vnum tamen Christum ambo referuntur:* eámque etiã ob causam D. Paulus Hieronymi quidem sententia & opinione dixit, *Vna fides, Vnum baptisma:* Ob id etiam, vti est à me dictum, quòd licet duæ sint, & separatæ partes, non tamen duo efficiũt disiuncta sacramenta, sed vnum duntaxat sacramentum. Rectè igitur Durandus, scriptor recens, dixisse videtur: *In multis locis communicatur cum pane & vino, id est, cum toto sacramento.* Ex his autẽ verbis Lector, quantumuis rudis & imperitus, collegerit communionem vna specie celebratam dimidiatum esse sacramentum, & vnius mysterij diuisionem, & postremò illud ipsum, quod Gelasius appellauit, sacrilegium.

Vnum & Idem.

Hugo Cardin. 1. Cor. 11.
Hieronym. ad Ephes. lib. 2. cap. 4.
Durand. 4. lib. cap. 24.

Hardingus. 30. Sectio.

SEd quò præuertamus, quod hinc aduersarij concludunt, sciendum est hunc canonem latum esse contra quosdam hæreticos, qui vocati sunt Manichæi: quique tempore Leonis primi circiter 40. annos ante Gelasium, hæresin suam Romæ & in partibus Italiæ dispergere conabantur. Eorum autem hæretica opinio fuit Christum non assumpsisse carnem & sanguinem nostrum, sed corpus imaginarium habuisse, neque mortuum esse, & resurrexisse reuera, sed phantasticè. Ideóque in communione abstinebant à poculo, & quo melius hæresin dissimularent, sacramentum forma panis vnà cum reliquis Catholicis percipiebant. Aduersus quos sic Leo habet: Abdicant enim se sacramento salutis nostræ, & Christum Dominum nostrum, sicut in veritate carnis nostræ denegant natum, ita mortuum verè & resurrexisse non credunt. Et ob hoc diem salutis nostræ, & lætitiæ sui ieiunij mœrore condemnant: cúmque ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in sacramentorum communione se temperant, vt interim tutiùs lateant. Ore indigno Christi corpus accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant: quod ideo vestrã volumus scire sanctitatem, vt vobis huiusmodi homines & his manifestentur indiciis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega dissimulatio, notati & proditi à sanctorum societate sacerdotali authoritate pellantur. *Huc vsque Leo.*

Serm. 4. de quadragesima.

Gelasius qui post quadraginta annos Leoni successit, nihilo minus, quàm ille, contendit, vt illam

horribilem hæresin funditus tolleret atque deleret. Qui quidem, teste Platina, omnes, qui Romæ degebant Manichæos ex vrbe profligauit, & eorum libros palàm excussit. Et ne aliis in regionibus hæresis ea radices ageret, epistolam ad Maioricum, & Ioannem episcopos conscripsit, in qua præter cætera illos de ea admonuit. Ex qua epistola hoc fragmentum duntaxat desumptum fuit, in quo cum breuiter ostendit quemadmodum Manichæi infidelitatem (sic enim Leo vocat) suam occultabant, tum etiam quandoquidem eorum opinio sic ferebat, Christi corpus non habuisse verum sanguinem, cum esset merè imaginarium, & propterea ab illo sacri sanguinis poculo superstitiose abstinebant, præcipit & mandat, vt vel hæresin abycientes integra sacramenta accipiant, scilicet vtraque forma, aut vt ab integris arceantur. His igitur verbis Leonis, quorum ante meminimus, & hoc Canone Gelasy inter se collatis, præsertim historia illorum temporū cognita, facile cuiuis non hebeti apparebit, in quos nimirum hoc Gelasy fragmentum scriptum fuerit. Minimè profectò contra Ecclesiam, propter communionem vna specie administratam, sed contra detestandos Manichæos, qui mysterium corporis, & sanguinis Christi diuidere conantes, & negantes eum verum carnem & sanguinem assumpsisse, quantum in ipsis erat, Christum dissoluerunt, de quo Ioannes loquitur: & totum redemptionis nostræ opus inane efficere voluerunt.

Episcopus Sarisburiensis.

QVò incommoda, quæ ex hoc loco consequuntur, defugeret Hardingus, coactus est se à Piggij, Hosij, Tapperi, comitúmque insuper suorum omnium societate disiungere, atque alienare, & hoc à Gelasio contra Manichæos factum decretum affirmare: quanquam cæteri omnes, aduersus quosdam superstitiosos presbyteros scitum fuisse censent. Doctor Colus se in glossemate ibidem scripto acquiescere fatetur, cuius hæc sunt verba: *fuerunt quidam presbyteri, qui corpus & sanguinem Domini ritè consecrabant, & corpus accipiebant, sed à sanguine abstinebant. Aduersus eos Gelasius scribit.* Hæc illius glossematographi coniectura multis de causis incredibilis videtur. Primùm enim, nullius historiæ testimonio patet, neque vbi, neque quando vlli sacerdotes eiusmodi extiterint, qui hoc modo à sanguine abstinerent. Deinde Gelasium de iis scripsisse, qui instituendi fuerunt, non de institutoribus probabile sit: de iis, qui arcendi erant à sacramentis, non de presbyteris, qui illos arcerent: de sacrilegio, & nefaria impietate facti, non de personarum discrimine.

De consec. dist. 2. Comperimus. In glosa.

At Glossa nihilominus habet: *Presbyter consecrabat tum corpus, tum sanguinem, & corpus accipiebat, sed abstinebat à sanguine.* Hic me Doctor Colus doceat percupio, quid tum poculò fieret. Presbyterum non bibisse certum est: sic namque Glossa ait: Neque populum bibisse constat: Nam id etiam Glossa testatur, & seu verum, seu falsum fit, defendi oportebit.

Ex hoc tum consequatur necesse est sanguinem Christi eò fuisse consecratum, vt abiiceretur. Præuidisse Colus potuit, hanc in ipsum conuerti glossam facillimè potuisse. Nunc quid ex hoc ipso glossemate pro nostra causa concludi possit videamus. Sacramentum sanguinis Christi minimè abiiciebatur, neque à presbytero accipiebatur: Ergo, necessarium est à populo fuisse perceptum. Itaque D. Colus euincere & demonstrare cupiens populum vtraque specie communicasse, ipse nec opinans necessario argumento confirmat, populum vtroque symbolo communicasse. Quapropter Hardingi coniectura propiùs ad veritatem accedit. Etenim historia temporisque diligens ratio lectori attento facilè persuadebit, hoc à Gelasio aduersus Manichæos latum fuisse decretum.

Hinc igitur illud commodi nactus est Hardingus, vt nunc manifestum & perspicuum effecerit, primos huius diminutæ & discerptæ communionis authores, nefarios hæreticos extitisse: qui ea amentia præditi fuerunt, vt Christum carnem à Beata Maria neutiquam accepisse, nec natum, nec passum, nec mortuum fuisse, nec resurrexisse censerent. Quorum ex sacramentis luculentè reuincuntur errores. Sunt enim corporis & sanguinis Christi sacramenta: quare quicunque iis vtūtur, haud obscurè agnoscunt Christum è Virgine, & corpus & sanguinem sumpsisse. Sic Chrysostomus: *Si mortuus Christus non est, cuius symbolum & signum hoc sacramentum est?* Tertullianus etiam simili argumento sumpto à sacramento Marcionem refellit, qui Christum nō corpus, sed corporis tantùm speciem & imaginem habuisse iudicauit. *Christus acceptum panem, & distributum discipulis, corpus suum illum fecit dicendo: Hoc est corpus meum, hoc est figura Corporis mei. Figura autem nō esset, nisi veritatis esset corpus. Cæterùm, vacua res, quod est phantasma, figuram Capere non potest.* Sacramenta igitur Christum non phantasma quoddam & spectrum corporis, sed verum corpus assumpsisse clarè testantur. Ea de causa Manichæi à sacro poculo abstinuerunt, quemadmodum ex Leone apparet: quanquam Augustinus in quodam loco contra Manichæos nominatim scribens contrarium innuere videtur. Hæc sunt ipsius verba: *Sacramentum Panis & Calicis ita laudatis, vt in eo nobis pares esse volueritis.* Neque verò rationem aliquam disertam expromere potuerunt, ob quam ab altera magis parte, quàm ab altera refugerent. Nam panis sacramentum non minùs illorum redarguebat insaniam, quàm poculi: & quemadmodum Christi corpus non verum, sed imaginarium esse existimabant, ita Christi quoque sanguinem, non naturalem, sed phantasticum esse somniabant. Verùm si Leoni, atque Augustino non concesserunt, Christum vnum habere corpus, quantò minùs Hardingo assensuri essent, habere Christum bina corpora, alterum in pane, alterum verò in poculo, & alterutrum perfectè integréque in alterutro.

Hæretici primi Cōmunionis dimidiatæ magistri.

Chrysost in Matt. hom. 83. Contra Marcio. lib. 4.

Contra Faustū Manich. lib. 20. cap. 14.

Har-

Hardingus. 31. Sectio.

QVare quòd hunc in nos canonem Iuellus contorquet, magnam in eo nobis iniuriam facit, quandoquidem nos non diuidimus hoc diuinum mysterium, sed & corde constanter credimus, & ore ingenuè cõfitemur, sub vtraque specie veram carnem, & sanguinem Christi, & Christum adeò ipsum integrum præsentem adesse in sacramento, prorsus ita vt [a] *Gelasius credidit. Hac de causa in Italiæ partibus, in quibus Manichæi virus suum euomuerant, Communio sub vtraque specie instaurari, atque redintegrari præcepta fuit: cùm antea sacramentum ab alijs* [b] *vna specie, ab alijs verò vtraque acciperetur. Nam alioqui si communio vtriusque speciei pro necessaria institutione, & mandato Christi habita, atque generaliter ac inuiolabiliter vbique & semper sine exceptione obseruata fuisset: quorsum Gelasius decretum hoc de integris sacramentis accipiendis fecisset: cuius occasionem hac parenthesi,* (quoniam nescio qua superstitione docetur astringi) *manifestò exprimit? Deinde si tam inuiolabiliter ab omnibus semper ad illa vsque tempora obseruata fuisset, tum non potuissent Manichæi occultasse, & contegisse suam infidelitatem, quemadmodum Leo loquitur, ex sua cum reliquis Catholicis sub vna specie communicatione. Dum enim Catholici ex Ecclesia discederent, panis duntaxat forma contenti, incertum erat, qui communicandi causâ venerat, Manichæus ne, an Catholicus esset. Postquam verò, quò illi dijudicarentur, decretum esset, vt populus posthac à Communicatione poculi non abstineret: Catholici ita acceperunt, & Manichæi poculum repudiantes, seipsis prodiderunt. Vnde constat communionem sub vna specie prius vsurpatam, à Leone & Gelasio vetitam fuisse, quo Manichæorum hæresis inde meliùs agnosceretur, exterminaretur, & funditus tolleretur.*

Cùm igitur Dominici corporis, & sanguinis mysterium non diuidamus, sed agnoscamus, confiteamur, & doceamus, Christum à virgine Maria assumpsisse veram carnem, & verum sanguinem, & hominem integrum ac perfectum, sicuti etiam & Deum extitisse, eandémque integram carnem morti pro redemptione nostra tradidisse, & in eadem pro iustificatione nostra resurrexisse, & nobis eandem præbere, vt eius simus participes in beato sacramento ad vitam æternam, cùm hæc (inquam) ita sint, illud Gelasij decretum non potest iure contra nos allegatum videri: tantùm abest, vt aut dicere, aut sentire videatur, qui conficit vna specie, eum esse manifesti sacrilegij reum.

[a] Falsum: nequã enim ita credidit Gelasius.
[b] Falsum: nullã enim catholica Ecclesia sacramentum vnquã accepit vnã specie.

Episcopus Sarisburiensis.

QVeritur hoc in loco factam sibi iniuriam Hardingus, quòd hunc canonem ei quasi aduersarium obiiciamus: quandoquidem ipse in eadem est cum Gelasio fide, integrúmque Christum in alterutra sacramenti parte contineri credit. Id verò cuiusmodi est, fidem Gelasij absque ipsius verbis vsurpare, ac iactare, aut nouam, qualis hæc est, fidem prædicare, nec eam vel leuiter confirmare? Hic putidissimus est Hardingi error, minimè vel Gelasij, vel cuiusquam omnino præterea Catholici patris fides. Si enim sancti patres ita credidissent: verbis, quibus eam fidem declararent, non caruissent: Síque ista Catholicæ Ecclesiæ fides extitisset, non ea tam diu latuisset.

Gelasius autem quid crediderit ipsius abundè testari verba possunt. Sic contra Nestorium, Eutychetémque scribit: *Sacramenta, quæ sumimus corporis, & sanguinis Christi, diuinæ res sunt: propter quod & per eadem diuinæ efficimur consortes naturæ. Et tamen esse non desinit substantia, vel natura Panis & Vini:* Hæc Gelasij fuit, quòd ad has sacramenti partes attinet, fides.

Gelasius contra Eutychem.

Nunc verò aliud quoddam admirabilis Dei atque hominis in Christi coniunctionis mysterium excogitauit Hardingus, de quo Gelasius hoc in loco nullum verbum fecit, nec cur faceret, causa vlla fuit. Ad hæc, fingit Gelasium legem sancire, nequis illud mysterium diuidat, cùm diuidere nunquam in cuiusquam hominis potestate esset: neque hoc diuidere, sed planè & funditus dissoluere mysterium fuisset.

Ita, modò dixisse aliquid videatur, quid dicat, non magni æstimat: cunctáque examinat, quemadmodum ait Augustinus, *Non in statera æqua diuinarum scripturarum, sed in statera dolosa Consuetudinum suarum.* E poculo panem facit, è pane poculum: ex altero vtrumque, ex vtroque vicissim alterum, atque ex altero mysterio alterum efficit: eodem prorsus modo, quo Valentinum hæreticum fecisse scribit Irenæus: *Ordinem & textum scripturarum supergredientes, & quantum in ipsis est, soluentes, membra veritatis transferunt, & transfingunt, & alterum ex altero facientes, seducunt multos, ex his, quæ aptant ex Dominicis eloquijs malè composito phantasmati.*

Aug. cõtra Epi. Parmoniani lib. 3. cap. 2.

Irenæus lib. 1.

Mysterium, de quo loquutus est Gelasius, sacramentum est, quod etsi ex duabus partibus constat, vnum tamen efficit duntaxat sacramentum, non duo. Hoc verò Manichæi diuidebant, vnam partem accipientes, alteram omittentes: atque hoc illud nimirum est, quod Gelasius sacrilegium vocauit. Comminiscitur etiam hoc in loco Hardingus, Leonem, atque Gelasium perlatis à se decretis speciem vtramque Catholicis hominibus restituisse: quod penitus falsum est, & coniectum ab Hardingo bellè, sed non probatum. Leonis, & Gelasij decreta, in manibus omnium sunt, cognoscíque facilè possunt. Verùm ista decreta vbi reperiuntur? quibus in libris perscribuntur? quis illorum vnquam meminit. Hi verò sanctissimi patres Manichæos sacrilegij, non Catholicos arguebant, & qui deliquerunt, his vt se corrigerent, præceperunt, non qui nihil admiserant.

At qui internosci potuissent Manichæi (inquit Hardingus) *nisi Catholici, quibuscum iј sacramenta agitabant, vna specie communicassent?* Aliena verò quæstio. Mihi potiùs quærere liceat, Immo quî potuissent à Catholicis secerni Manichæi, si vtrique vna perinde specie communicassent? Ex hoc enim signo atque ex hac nota agnitos eos vult Leo: *sanguinem redemptionis nostræ haurire detrectãt:* Hinc clarè patet poculum iis, peræquè ac aliis oblatum, sed ab illis repudiatum fuisse.

Vides ergo, Christiane Lector, Hardingum tametsi inusitata sociis suis itinera consectantem, vnum mysterium in alterius locum supponentem, nouas leges, nouáque decreta hactenus inaudita fingentem, in varias se formas mutantem, ac rimas omnes, quibus crepat, perscrutantem, ad extremum tamen Leonis, quem ipse citauit, testimonio comperisse, Catholicum populum integram Communionem vtraque specie accepisse, prout Christus instituerat: atque Communionis huius dimidiatæ patronos atque principes, antiquos & sceleratos hæreticos extitisse, quos nominarunt Manichæos: eámque vnius integri mysterij diuisionem esse, ac proinde ex Gelasij sententia, manifestum sacrilegium iure appellari posse.

Iam verò si nostra omnia conarer expromere, infinitum laborem susciperem. Neque enim nostra nituntur Priuatis hominibus, Mulierculis, Linteis, atque Lineis, Ægrotantibus, Morientium lectulis, Miraculis, Fabulis, Pueris, Furiosis, quibus solis quicquid hactenus dixit Hardingus, fundatum fultúmque est: sed Christi institutione, sed Scripturarum authoritate, sed Apostolorũ, Ecclesięque primitiuæ consuetudine, sed antiquis canonibus, vetustis Conciliis, Catholicis patribus, Græcis pariter & Latinis, priscis simul & recentibus: ipsóque adeo Clemente, Abdía, Amphilochio, quos Hardingus, tanquam singulares doctores, suspicit & veneratur. Chrysostomus habet: *Est vbi nihil differat sacerdos à subdito: vt quando fruendum est horrendis mysterijs.* Dionysius habet: *Vnitas poculi omnibus distribuitur.* Ignatius habet: *Vnum poculum toti Ecclesiæ diuiditur.* Augustinus habet: *Simul bibimus, quia simul viuimus.* Verùm omnes antiquitatis authoritates enumerare esset (vt dixi) immensum.

Chrysost. in 2. Cor. homil. 18.
Ecclesiast. hierarch. cap 3.
Ignat. ad Philadelph.
de cons. dist. 2. Quia passus.
Thom. par. 3. q. 80. art. 1.

Doctores scholastici, recentis admodum memoriæ, dogmatis Hardingiani nouitatem & viderunt, & agnouerunt. Thomas Aquinas ait: *In quibusdam Ecclesiis prouidè obseruatur, vt populo sanguis non detur. In quibusdam Ecclesiis inquit, non in omnibus.*

Durand. lib. 4. cap. 42.
Alexan. parte 4. q. 55. m. 1.
Linvvoodus de sum. Trinit. & fide Catholi.

Similiter Durandus: *In multis locis communicatur cum pane & vino, id est, cum toto sacramento. In multis,* inquit, non in omnibus. Itidem quoque Alexander Halesius, scholasticus Doctor, non cõtemnendus. *Ita ferè vbiq; à Laicis fit in Ecclesia. Fere vbique,* non vbique, ait. Linvvoodus etiam in suis Prouincialibus: *solis celebrantibus sanguinem sub specie consecrati vini sumere, in huiusmodi minoribus Ecclesiis est concessum.* Minores duntaxat excipit, non maiores ciuitatum & oppidorum Ecclesias. Isti omnes Doctores intra trecentorum abhinc annorum ambitum vixerunt. Tam longa tot annorum series fluxit, antequam hoc, quod Hardingus tuetur, dogma, per omnes se partes vniuersum fundere potuisset. Antonius scribit regem Guilielmum Conquestorem, qui circiter millesimum à Christo vixit annum exercitui suo vniuerso Communionem ministrandam curasse, eámque prout illorum temporum mos ferebat, vtraque specie integram. Haimo, qui Guilielmum regem non multum ætate anteibat, habet: *Appellatur calix Communicatio, propter participationem: quia omnes communicãt ex illo.* Sic iam nostra doctrina non solùm antiquorum, verùm etiam recentium Doctorum testimoniis confirmatur.

Antonius.

Haimo in 1. Cor. 11.

Quare quod Hardingus manifestum sacrosanctorum mysteriorum abusum tanto conatu defendit, in eo quidẽ peccat in Christi institutionem, in scripturas, in sacramenti integritatem, in confirmationem noui Testamenti, in traditionem morémque Apostolorum, in vetusta Concilia, in Canones, in Doctores, tum veteres tum nouos. Apostoli Christi spiritu sancto completi, eodem modo Christi verba intellexerunt, quo ea nos nunc interpretamur. Et D. Hieronymus ait: *Quicunque aliter scripturam intelligit, quàm sensus spiritus sancti flagitat, quo conscripta est, licet de ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest.* Si verò Hardingus dixerit, id tunc fuisse verũ, hoc esse nunc, tum ei sic respondebo, quemadmodum Hilarius Arianis respondit: *Veritas ergo tẽporum erit magis, quàm euangeliorum:* Et vt Augustinus Donatistis: *Si aliud declamas, aliud recitas, nos post Pastori per ora Prophetarum, & os proprium, & per ora euangelistarum nobis apertissimè declaratam voces vestras non admittimus, non credimus, non accipimus.*

Hieron. ad Galat. lib. 3. cap. 5.

Hilarius ad Constantium Augustum.
August. de vnit. Ecclesiæ cap. 11.

Quandoquidem autem hoc vnitatis & coniunctionis est mysterium, concedat nobis Deus eã animorum humilitatem, qua nos omnes eius sacro verbo subiiciamus, vt sancta & perfecta vnitate atque concordia conglutinemur, vtque, quemadmodum ait Cyprianis, & est à me suprà vsurpatum: *Quod priùs apud quosdam videtur erratum Domino monente corrigamus: vt cum in claritate sua & Maiestate cœlesti venire cœperit, inueniat nos tenere, quod monuit: obseruare, quod docuit: facere, quod fecit. Amen.*

Cyprian. ad Cæcil. lib. 2. episto. 3.

FINIS.

DE PRECIBVS PEREGRINA LINGVA FACTIS, ARTICVLVS TERTIVS.

Episcopus Sarisburiensis.

VEL tum plebem preces publicas lingua peregrina, & incognita recitasse.

QVò hunc exornaret,& quasi luminibus quibusdam illustraret Hardingus articulum,incredibilem vim coaceruauit,Historiarum,Antiquitatum,Obseruationum è scriptoribus,Fundationum, Propagationum,Canonum,rituúmque ecclesiasticorum,Cosmographicorum,Interuallorum regionum, Deprauationum, ac mutationũ linguarum:quæ ille quidem omnia ad aliud institutum meliùs adhibuisset atque accommodasset. Potiùs enim ei ad multiplicis lectionis ostentationem,quàm ad argumentorum,fideíque faciendæ momentum prosint.In hanc causam, & in hunc tractatum effudit, quicquid aut ipse excogitare, aut in aliis inuenire potuit: ornatus etiam, & neruorum tantum adiunxit, quantum & sententiarum pondera,& pigmenta verborum subministrare potuerunt. Veruntamen, vasa magna non semper sunt plena,& quò sunt inaniora,eò sonitum reddunt ampliorem. Prudens lector ratione, non verbis examinandus est. Quemadmodum initio dixi, vnica sententiola apta,& idonea satis fuerit argumentorum:eiusmodi si aliquam in omni hoc libro reperias,ego,prout sum pollicitus victum me fatebor. Quòd si autem nulla omnino extiterit, tum ampliùs deliberare, & denuò exordori Hardingo necesse fuerit.Tametsi quod oratorem bonum præstare decuit, id Hardingus cumulatè exoluit:vt & docti eruditionem hominis,atque eloquentiam agnoscere, & indocti aliquid veri ab eo allatum esse possint existimare.

Hardingus. 1. Sectio.

SIquidem tu per plebis communeis preces,eas preces intelligas,Iuelle, quas tum communiter homines priuatim,prout ipsorum deuotio ferebat,Deo fecerunt,existimo sanè, ea lingua factas fuisse,quam ipsi intellexerunt: itaque hodie faciunt Christiani homines [a] *vbique ferè,neque fuit hoc vnquam à Catholico quoquam Doctore improbatũ. Sin autem per preces hasce communeis,publicas ecclesiæ preces intelligas,quas plerunque Episcopi,Presbyteri,Diaconi,aliíq; ecclesiastici ministri recitabant,& quibus populus subinde multis in partibus,acclamabat* Amen, *aut aliter assensum suum declarabat:aliqui sanè,fateor,linguam intellexerunt,qua conceptæ fuerunt, aliqui verò nequaquam: intelligo autem intra illud tempus,ad quod nos reuocas,sexcentorum scilicet à Christi in terris peregrinatione annorum.Etenim circiter nongentos abhinc annos,constat plebem in nonnullis regionibus,preces suas publicas* [b] *ignota lingua recitasse,id quod in Anglia nostra fuisse factitatum,manifestum faciam.*

[a] Falsum:sub Romano enim Põtifice plebs pro maxima parte latinè precatur.

[b] Falsum:hoc minimè constat.

Episcopus Sarisburiensis.

MOs hic precandi præposterus,&peruersus,quem nunc Hardingus tuendum,ac propugnãdum suscepit,non solùm diuinis scripturis contrarius est,sed etiam cum ipso naturæ instinctu pugnat.Nam si aues,ac bestiæ loqui possent,(sicuti posse Democritus Philosophus olim censuit,& Lactantius etiam author Christianus quadam ex parte videtur confirmare) cum volucres,& brutæ,& rationis expertes essent,ea tamen loqui minimè vellent,quæ nescirent.Quãdoquidem igitur,abusus iste Deo simul,& naturæ aduersatur, & nunc consentientibus nationum omnium iudiciis improbatur,atque damnatur:Hardingum decet omissis coniecturis, in eo neruos contendere,vt quod aggressus est,solidè cumulatéque perficiat.

Lactantius Institut.lib.3. cap.10.

Duas omnino res in hoc tractatu confessus est,quæ defensionem ipsius vniuersam labefactãt: altera est,*preces in ecclesia primitiua vulgari,& nota lingua conceptas fuisse*: altera verò, *consentaneum nunc etiam esse,vt populus preces intelligat suas.*

Hæc plana Musica sit,Basisque loco meritò habeatur: cætera discantus cuiusdam vani instar

sunt,eáque pro maxima parte,absona,atque absurda. Hæc autem distinctio precum communium,quarum alias ab Ecclesię ministro publicè factas,alias priuatim & domi à singulis hominibus seorsum,pietatis ardore incensis,nuncupatas fingit,& manca est, & non necessaria. Etenim occultæ preces,quas pij separatim facere solent,semper appellatæ fuerunt priuatæ,nunquam verò communes,seu publicæ.Hac autem ratione Thomas Aquinas,preces à ministro etiam, atque in ecclesia susceptas,dici posse priuatas existimat. *Plebem tum preces priuatas suas lingua intellecta fecisse censet,& nunc quoque Christianos homines similiter facere dicit.* Quorum quidem alterum absque omni controuersia verum est:in altero autem,quod ait: *Ita nunc Christianos homines factitare,* Dei nomen summis laudibus prędicetur,qui vt ita quidem factitare possent effecit re ipsa,ídque non Hardingi,nec suorum Catholicorum Doctorum opera,sed eorum hominum , quibus illi, ea de causa restiterunt,illósque hæreticos nominarunt. *Quod ad publicas autem preces attinet, à ministro recitatas,quibus populus acclamabat* Amen,*aliqui*(inquit Hardingus) *linguam,in qua conceptæ erant,intellexerunt,aliqui non item.* Hic Hardingus contraria,& inter se palàm pugnantia, imprudens loquutus est. Si enim aliqui non intellexerunt , qui tum potuerunt omnes respondere *Amen?* Paulus disertè ait , *Is qui implet locum idiotæ,quomodo dicturus est, Amen,ad tuam gratiarum actionem? Nam quid dicas nescit.* Hoc contra Hardingum directò spectat: vniuersus populus publicis Ecclesiæ precibus assensum præbuit,& dixit,Amen:Ergo populus vniuersus publicas preces intellexit.Consuetudo autem Ecclesiæ Anglicanæ, Augustini tempore obseruata , cuius hic meminit Hardingus,& de qua sibi adeò pro certo pollicetur,támque confidenter iactat,illud se manifestum facturum,quando in disceptationem iudiciúmque venerit, nihil quidem prorsus euincere poterit.Cæterùm,quod ad distinctionem illam spectat, inter publicas priuatásque preces,quas lingua etiam diuersas atque discrepantes esse vult Hardingus, sic censeo, quòd quæ lingua pia est,& ad mentem domi in priuatis precationibus excitandam , atque inflammandã proficit:eadem quoque pia sit,animúmque possit in publicis ecclesiæ officiis etiam non minùs erigere.Demiror autem,qua ratione homines adduci possint,vt secus iudicent.

Par.3.q.183. art.4.

Hardingus. 2. Sectio.

Hic Hardingus à proposito ineptè aberrat.

VErùm vt primo loco de vetustate,déque sexcentorum tuorum annorum spacio dicam , manifestum est ex variis antiquis monumentis,tum Doctorum,tum Conciliorum,maximè quidem concilij Laodiceni in Phrygia Pacatiana,ab Episcopis Asiæ minoris habiti,circiter annum Domini 364. Græcas Ecclesias Liturgiæ formam quandam solennem,& compositè ac pulcherrimè institutam habuisse : in qua psalmorum esset accurata distinctio,& lectionum,& horarum,& dierum,& Festorum,& Temporum anni,& silentij, & apertæ pronuntiationis,& osculi pacis Episcopo dandi,primùm à Presbyteris, deinde à Laicis,denique sacrificij offerendi,& ministrorum accessus ad altare communionis accipiendæ causa, cum alijs nonnullis festiuissimis ritibus.

Latinæ autem Ecclesiæ,preces quidem suas,& Liturgiam habuerunt,sed tam rato certóque ordine dispositam,non nisi multò post Græcas.Damasus namque Papa primus decreuit, vt psalmi in Ecclesia Romana canerentur alternatim: *eo more,quo nos iam illos in choro canimus:vtq; ad finem cuiusque psalmi recitaretur,* Gloria patri , & filio , & spiritui sancto,sicut erat,&c. *Quod quidem ille sanxit admonitu Hieronymi,quo fides 318. episcoporum Niceni Concilij simili societate,in ore Latinorum declararetur.Cui Damasus rescripsit,per Bonifacium Presbyterum Hierosolymas,vt Hieronymus ad eum mitteret* psallẽtiam Græcorum,*quam ab Alexandro episcopo didicerat in Oriente. In ea epistola querens de simplicitate Romanæ ecclesiæ,ait,in diebus dominicis vnicam tantùm epistolam Apostoli, & vnum caput euangelij recitari,nec cantum vllum vocis audiri,& hymnorum ignotam illis esse elegantiam.*

In rescripto Hieronymo ad 2.epist. Damasi Papæ ad Hieronymum Presbyterum. In 2.procemio commentar. epist.ad Gal. Lib. Confessionum.

Circiter hoc tempus Ambrosius etiam ecclesiæ Mediolanensis Liturgiam instituit,sacrósque hymnos ipse composuit. Cuius temporibus (vt scribit Augustinus) Iustina , noui Imperatoris Valentiniani matre, propter hæresim , qua fuit ab Arianis seducta,Catholicam fidem persequente , & plebe eiusdem ciuitatis , pijs vigilijs sæpius quàm antehac vacante , ac mori cum suo episcopo in ea causa parata : institutum fuit,vt hymni , ac psalmi canerentur, in ecclesia Mediolanensi , iuxta morem partium orientalium , quò religiosi homines aliquid solatij , ac spiritualis recreationis , in ea luctuosa conditione ac continuis ærumnis versantes caperent. Huius ad exemplum , reliquæ statim ecclesiæ occidentales sese conformarunt, eámque in omnibus regionibus imitatæ sunt. In secundo libro retractationum suarum , ostendit hanc canendi consuetudinem , suo tempore in Aphrica cœpisse. Ante hoc tempus Hilarius etiam episcopus Pictauiensis , apud Gallos , hymnos in eum vsum condiderat , de quibus Hieronymus mentionem facit.

Cap.11.

Episcopus Sarisburiensis.

FAcilè permittimus Hardingo,longè latéque excurrere in iis rebus,è quibus nihil comparare commodi queat. Si omnibus perinde facere liceret,nihil certè magni aut præclari esset , libros componere & conscribere. Multa in hunc locum congeruntur de precum, & liturgiæ formula,psalmorum distinctione,lectionibus,horis, diebus festis,Pacis distributione,Cõmunionis ritu,& primo cãtus in Ecclesia ortu,apud Græcos,Romæ,Mediolani,in Aphrica,in Gallia, ínq;

aliis

alijs locis. Ista nō sunt ex eorum numero, quæ in controuersiam, & quæstionem vocantur: atque idcirco, vt ad hanc rem propositam nihil Hardingo conducunt, ita, si alia spectes, vehementer ei & multiplici respectu incommodant. Etenim in eo ipso Concilio Laodicensi sancitum est, sicuti etiam in Carthaginensi, *vt populo nihil prælegeretur in Ecclesia, præter Canonicas scripturas.* Lectiones igitur, quarum ibi mentio est, non fuerunt è Festiuali, neque è legenda aurea selectæ, quemadmodum in Ecclesia Romana vsus obtinuit, sed è capitibus sacrorum bibliorum desumptæ, quē nunc Ecclesia Anglicana morem habet. Pax Episcopo data, non tabella quædam fuit, ex argento, aliáve materia, qualem Ecclesia Romana adhibuit: sed verum osculum, ad perfectam pacem, cōcordiámque fidei, & religionis testificandam, atque declarandam. Sic Iustinus Martyr, verba faciens de tempore sacræ administrationis, ait: *Alij alios osculo salutamus*: Similiter Chrysostomus atque alij.

Concil. Laodicens. Can. 59. Concil. Carthag. 3. Can. 47.

In Apolog. 2. Ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζόμεθα.

Quod ait Ecclesiam Romanam ab Hieronymo, Episcopísque Orientalibus, Psalmodiā atque aliam Ecclesiasticam musicam, morémque canendi, *Gloria patri* ad Psalmi cuiusque finem, accepisse & didicisse, cum antea simplex admodum ea, & ab huiusmodi ritibus nuda esset, ex eo facilè intelligemus, Romam non esse harum consuetudinum parentem, neque ita habendam esse.

Quod autem præterea asserit, Damasum instituisse, vt Psalmi canerentur, *alternatim, & partium quadam vicissitudine, sicuti nunc passim in choro canuntur*, hoc est (nam id velle videtur) presbyteris, clericísque solis canentibus, populo verò obmutescente, palam & manifestò falsum est. Etenim vniuersam plebem Psalmos tum simul cecinisse abundè constat.

[a]Augustinus ait, *Ambrosium, eam rationem Mediolani, ad solatium Multitudinis instituisse*, cum persequutione, summóque periculo conflictarentur.

[b]Nazianzenus populi ad hunc modum concinentis terribilem vocem declarat his verbis: *Valens Imperator in Ecclesiam ingressus, in qua Basilius prædicabat, psalmodia fuit, quasi tonitru perculsus & obstupefactus, &c.* Simile apud Hilarium in Psalmos habetur: necnon apud [c]Theodoretum, qui Flauianum quendam, & Theodorum, primos hunc canendi morem, in Ecclesiam Antiochenam induxisse tradit.

[a]Confess. lib. 9. cap. 7.

[b]Nazianz. in funebri oratione Basilij. Τῷ ἀκολούθως ἐμβαλλούσῃ τῇ ψαλμῳδίᾳ καθάπερ βροντῇ ἐπιλήφθη.

[c]Theodoret. li. 2. cap. 24.

At Basilius, omnium de hac re explicatissimè scribit: Hæc eius verba sunt, *De nocte surgit apud nos populus, & ad domum precationis contendit, Deóque se in labore & afflictione, & continuis lachrymis confitentes, ad extremum exurgunt à precibus, & psalmodiam instituunt, & nunc in duas parteis diuisi alternatim sibi inuicem canunt. Atque hæc* (inquit) *consuetudo omnibus aliis Dei Ecclesiis congruebat.* Gregorius verò, cantum in Ecclesia plebi, quàm sacerdoti aptiorem iudicasse videtur. Disertè enim sacerdoti interdicit, ne in Ecclesia canat, at plebi interdixisse nusquam, quod sciam, legitur.

Basilius in epist. ad Clericos Neocæsarienses. ἀντιψάλλουσιν ἀλλήλοις.

Distinc. 92. In sancta Romana

Ex his colligere liceat, Damasum plebem vniuersam in duas discreuisse parteis, eisque mandasse, vt Psalmos sua, & intellecta lingua canerent, sibique alternis vicibus responderent: qui mos præter quidem alternam psallendi vicissitudinem, nihil habet choris Hardingianis affine.

Hardingus. 3. Sectio.

MVltis variisq; testimoniis ostendi possit, in Græcis latinísque Ecclesiis institutam fuisse Liturgiæ formulam, diu ante exactos primos sexcentos annos: sed hoc minimè negatur. Quod autem Iuellus negat, huiusmodi est, Per sexcentos nimirum proximos à Christo annos, nullam Christianam Ecclesiam, suas preces publicas lingua nō intellecta recitasse. *Hoc enim eius contubernales teterrimum esse errorem Ecclesiæ, & impiam fraudem Papistarum confirmant. Ego autem dico, quemadmodum ante dixi, Preces tum factas fuisse ea lingua, quam aliqui intellexerunt,* [a] *aliqui ignorarunt. Græcam scilicet, & Latinam linguam dico. Quòd enim in vlla barbara, aut vulgari lingua factæ vnquam fuerint intra sexcentos annos, nunquam profectò legi, neque Iuellus, (credo) aut quisquam ex ea parte doctissimus, probare poterit. Quò planiùs & distinctiùs loquar, omneis linguas barbaras, & vulgares voco, præter Hebraicam, Græcam, & Latinam.*

[a]Falsum: nullā enim gentē nominare potest Hardingus, quæ suas preces minimè intellexerit.

Euangelium, fidésque Christiana promulgata fuit, in Syria, & Arabia à Paulo: in AEgypto à Marco: in AEthiopia à Matthæo: in Mesopotamia, Persia, Media, Bactris, Hyrcania, Parthia, & Carmania à Thoma: in Armenia maiore à Bartholomæo, in Scythia ab Andrea. Similiter in aliis regionibus, ab Apostolicis viris, qui fuerunt ab Apostolis missi, eisq; proximè successerunt: veluti in Gallia, à Martiale misso à Petro: à Dionysio quem Clemens misit: à Crescente, quemadmodum Clemens, & Hieronymus scribunt: & à Trophimo Pauli auditore, atque à Natanaele Christi discipulo, quorum alter Arelati, alter Burdigalliæ & Treuiris Euangelium annunciabat, sicuti referunt nonnulli. Hîc autem in nostris Britannicis regionibus, à Fugatio & Damiano, aliísque missis ab Eleutherio Papa, & Martyre, petente Lucio rege, vt Damasus scribit in Pontificali. *Alias gentes, in quibus Græca & Latina lingua vulgò nota fuit, sciens prætereo. Iam verò si Iuellus, aut quisquam è nostris eruditis aduersariis, aut vllus omnino hominum, qui viuunt, planum & euidens facere posset, publicas Ecclesiæ preces, tunc fuisse, aut in Syriaca, aut in Arabica, aut in AEgyptiaca, aut AEtiopica, aut Persica, aut Armenia, aut Scythia, aut Gallia, aut Brytannica lingua factas: tum iure possent temporis præscriptionem in hoc articulo iactare, tum antiquitatis nos exēplo vrgere, tum nos hortari, vt consuetudini authoritatiq; Ecclesiæ primitiuæ cōcedamus. At hoc proculdubio* [b]*ostendi nequit. Multum autem faceret pro sacris vernaculè faciendis, si manifestò liqueret.*

Constit. Apostol. lib. 7. ca. 46. Lib. de scriptor. ecclesia. Temporibus Antonini Commodi. Anno Domini 181.

[b]Falsum: nam proculdubio facilè ostendi potest.

Episcopus Sarisburiensis.

Reuersus iam ad rem propositam Hardingus, à qua digressus fuerat, in hoc principio ac fundamento suas spes omnes collocat, & defigit: Aliquos scilicet è plebe publicas preces intellexisse, aliquos nequaquam. Quanquam si plebis aliquod genus ostendisset, quod eas minimè intelligeret, & sibi, & nobis fecisset satis. Sed nullum neque hîc, neque alibi vspiam indicat: vnde conijcere liceat, curtam eius supellectilem esse.

Fatetur preces passim, & communiter fuisse Græca atque Latina lingua recitatas. Cæteras omnes, quasi capite diminutas, pro barbaris habet, tametsi qua fretus authoritate, nescio. Nam Dei respectu, *neque Iudæus est, neque* Ethnicus, *neque Græcus, neque Barbarus, neque vlla linguarum distinctio, sed omnes vnum sunt in Christo Iesu.* Alioquin enim quæuis lingua nescienti videtur Barbara. Atque hoc est, quod Paulus ait, *nisi sciero vim vocis, ero ei, qui loquitur Barbarus, & qui loquitur, mihi etiā Barbarus erit.* Anacharsis Philosophus dixit, Scytham Athenis, & Atheniensem apud Scythas esse Barbarum. Sacerdos igitur, qui lingua precatur ignota, seu Græca, seu Latina, populo Barbarus est: sique est ignarus, & linguæ qua vtitur, ipse imperitus, sibi etiam ipsi Barbarus est censendus. Latina autem lingua, licet eam Hardingus humanitate quadam sua inductus ex illo numero exemit, nullam habet præ cæteris singularem prærogatiuam. Paulus vniuersum orbē in duo hominum genera distinguit, quorum alios Græcos, alios verò barbaros vocat: in quo Latinos in Barbaris numerat. Eandem quoque distributionem Strabo in suis Geographicis retinet. Sic enim scribit: *Barbaræ sunt omnes nationes præter Græcos.* Post autem Romani hac appellatione offensi, imperij sui finibus auctis & dilatatis, se primùm ipsos exceperunt, & deinceps temporis decursu nationes cæteras omnes, quæ se Romanorum prouincias fieri, eisque parere vellent. Hanc ob caussam Nicolaus Papa primus flebiliter admodum in Græcum Imperatorem Michaelem exclamat, qui Latinam linguam, inuiso hoc & odioso nomine, quasi labe quadam & macula aspergere visus est: *Appellatis latinam linguam Barbaram, ad iniuriam eius, qui fecit eam.* Alexandri Magni multùm prædicatur modestia, qui, Strabone teste, subditos suos nunquam solitus est Barbarorum, & Græcorum apposito nomine discernere, sed potiùs Bonorum, & Malorum. *Græci enim* (inquit) *multi mali homines sunt: & Barbari boni sunt multi.* Similis Hardingo bene conuenisset hoc in loco moderatio. Multi namque Græcæ, Latinæque linguæ peritissimi, homines existunt nefarij: multique summa pietate & religione præditi, eas nesciunt. Quare Beda sapientissimè: *Barbara est lingua, quæ Deum laudare non potest.*

Galat.3.
1.Cor.14.
Strabo Cosmograph.lib.1.&4
Epist. Nicolai. 1.
Strabo Cosmog.lib.1.
Beda.1. Cor.14

Hardingus multus est in commemorandis Apostolorum, aliorumque Apostolicorum virorum laboribus, quos illi in orbe terrarū peragrando hauserunt. Quæ si quorsum spectaret exposuisset, nos quid vellet, quidque ageret melius scissemus. Si sic concluserit, *Apostoli in varijs regionibus* Euangelium *annunciabant*: Ergo, *plebs preces suas publicas ignota lingua recitabat*, ista argumentatio non constabit. Eò enim Deus linguarum illos multiplice scientia imbuerat, quò gentem quāque eo sermonis genere alloquerentur, quod cuique patrium & familiare esset.

Act.2.

Hoc in loco postulatur à nobis, vt editis instrumentis planum faciamus Ecclesiæ primitiuæ tēpore, publicas preces aut in Syriaca, aut in Arabica, aut in AEgyptiaca, aut in vlla omnino Barbara lingua fuisse factas: atque audacter præiudicatur, nihil planè à nobis adferri posse. Quanquam vt nos quid afferre possimus ne dicam, Hardingus hîc certè vehementer iniquus est. A me enim rogatus, vt vnam modò sententiam, qua ipsius propositum confirmaretur, exprromeret, cum nullam omnino hactenus attulit, tum repente statum causæ totum immutat, versisque rebus, me contrà si quid habeam, proferre iubet. Quod etsi nulla disputandi lex præscribit, quò tamen omnes perspiciant nos simpliciter & apertè agere, nihilque nobis præter verum proponere, non grauabor, vt morem gessisse ei videar, vnum modò in præsenti aut alterum ex antiquitatis monumentis exemplum repetere, cætera in locum magis aptum, & idoneum reseruabo.

Hardingus causæ & controuersiæ statum immutat.
In 15.sect.

Et cum prima omnium, quas enumerauit, linguarum Syriaca sit, Hieronymum legat, quo in loco pompam atque apparatum funeris Paulæ describit. Hæc sunt ipsius verba: *Tota ad funus eius Palæstinarum vrbium turba conuenit, Hebræo, Græco, Latino, Syriacoq; sermone, Psalmi in ordine personabant.* Hinc perspicere possit, in vna atque eadem vrbe, quatuor varias nationes in suis precibus, publicis, quatuor vsas esse linguis discrepantibus, quarum vna esset Syriaca: quod tamen Hardingus nunquam ostendi posse existimat. Augustinus presbyteros ad vitia Latinæ orationis sua summo studio corrigenda adhortans, exhortationi hanc rationem adiungit, *vt populus ad id, quod planè intelligat dicat, Amen.* Hæc Augustinus de omnibus omnino linguis dixisse videtur. Hardingus ipse in conclusione huius tractatus Armenios, Teutonas, AEthiopas, Illyricos, atque Muscouitas, à quo primum tempore fidem edocti fuerunt, Liturgiam quosque suam natiuo semper, & gentilitio sermone peregisse confitetur. Quare ipsius Hardingi confessione nobis licebit vetustatis præscriptionem meritò vrgere, atque ab eo iure postulare, vt Ecclesiæ primitiuæ authoritati aduersari desistat.

Hieron. in Epitaph. Paulæ.
August. de catechizandis rudibus.cap.9.

Hardingus. 4. Sectio.

Iuellus ergo in Cōcione sua, quam in celebritate, ac conuentu tam solenni habuit, quámque typis etiam euulgauit, ea dicit, quæ nunquam probare poterit, generaliter ad hunc modum loquutus: Priusquam populus

pulus ad corruptelas vergeret(*significat autē primos sexcentos post Christum annos*) omnes Christiani vbique terrarum, publicas suas preces, & sacram communionem, sua atque vsitata lingua procu rabant. *Hoc a te facilè dicitur: sed non perindè facilè probabitur.*

Episcopus Sarisburiensis.

QVidquid Iuellus eo tempore dixerit, satis est abundè confirmatum, nisi potuerit Hardingus exemplum aliquod proferre, quo contrarium probetur. Neque verò est hæc res vsque adeo nobis ad confirmandum difficilis. Etenim Thomas Aquinas, & Nicolaus Lyranus, Hardingi adstipulatores hoc pro nobis bene magna ex parte præstabunt.

Hardingus. 5. Sectio.

Lib. de scriptor. eccles.

R*Euera legimus, quòd cum sanctissimus* Ephremus *ecclesiæ Edessenæ Diaconus, multa in Syriaca lingua conscriberet, tam illustri fama fuerit, vt quemadmodum Hieronymus testatur, eius scripta in quibusdam ecclesiis palam recitarentur* post lectionem scripturarum: *vnde Erasmus colligit, nihil tum in ecclesia legi solitum, præter libros aut Apostolorum, aut saltem Apostolica authoritate virorum. Non tamen ex hoc loco Hieronymi colligi potest, Ephremi scripta, tanquam aliquam rei diuinæ partem, adhibita fuisse, sed potiùs quasi homilias, aut exhortatione post rem diuinam confectam recitandas, quæ pene totæ ex scripturis constabant. Cæterùm an in Græcum tam citò versæ essent, nécne dubium est.*

Episcopus Sarisburiensis.

HArdingus, contrà quàm oratores facere consueuerunt, nostra priùs refutare aggreditur, quā sua confirmare. Demiror autem quidem quorsum hîc Ephremi mentionem iniecerit, nisi quo forte aduersum se testes conuocaret. Quid enim? an si argumentationem confecerit: *Ephremus multa scripsit vernaculè: Ergo plebs sacra peragebat peregrino sermone?* An hanc nobis rationem tanquam præclarè ab eo conclusam obtruserit? Vt nihil hinc aliud colligi posset, duo tamen attigit, quæ ipsi palam aduersantur. Alterum est, quòd nihil tum in Ecclegia legi soleret, præter scripturas solas, aut alia authoritatis & fidei Apostolicæ scripta: quod etiam fuit à Concilio Carthaginensi accuratè cautum & sancitum. Hardingus tamen in sua Ecclesia dum res diuina administratur, lectiones atque legendas quasdam fabularum planè puerilium recitat. Alterum verò est, Ephremi homilias populo fuisse lingua vernacula prælectas: Hardingus autem, Euangelia, Epistolas, Homilias, & cætera denique sacra omnia peregrino sermone proponit. Quò hoc autem incommodum subterfugiat, asserit, *Homilias in nulla liturgiæ parte habitas fuisse*. Primùm, id vnde nouit? Latinæ quidem homiliæ in Matutinis leguntur, & ad Romanam liturgiam pertinere existimantur. Tum cuiusmodi est consequentiæ istius necessitas: *Plebs Ephremi homilias intellexit: Ergo, eius homiliæ non fuerunt pars vlla liturgiæ?* aut quæ illum ratio commouet, vt populo expedire iudicet, Ephremum audire atque intelligere: Petrum autem, aut Paulum, aut Christum audire ac intelligere, minimè putet conducere? Denique fatetur scripta Ephremi exhortationes quasdam ad Græcos homines complexa esse, & tamen dubitat vtrum in Græcum sermonem conuersa fuerint, nécne, atque ita incertum concludit, & nihil probat. Nunc an nostræ quicquam Ephremus istæ defensioni commodet videamus. Primùm, Theodoretus in historia scribit, *Græcæ linguæ eum penitus fuisse ignarum.* Idem etiam Amphilochius Hardingianus testatur. Etenim in ea colloquutione, quam cum Basilio habuit, *interprete* (inquit Amphilochius) *vsus est, quippe, qui Græcè loqui nesciret.* Ecclesiæ tamen minister fuit: Diaconus quidem (vt Hieronymus ait) vt autem alij, Archidiaconus Ecclesiæ Edessenæ. Doceat nunc Hardingus, quam alia lingua Ecclesiasticam administrare liturgiam potuerit, præterquam sua. Sin hanc verò coniecturam putet esse infirmam, tum porro meminerit, eundem hunc Ephremum, teste Theodoreto, hymnos atque Psalmos in Syriaca lingua composuisse: eósque in Martyrum feriis, atque adeo etiam in Ecclesiis Syrianis, quemadmodum Sozomenus disertè scribit, cani fuisse solitos.

Concil. Carthagin. 3. Can. 47.

Theodor. lib. 4. cap. 29.

Amphilochius.

Hieron. de ecclesiast. scriptoribus.

Theodor. lib. 4. cap. 29.

φαιδροτέρας τὰς νικηφόρων μαρτύρων πανηγύρεις ποιεῖ.

Hardingus. 6. Sectio.

N*Eque quod Hieronymus scripturas in Dalmaticam linguam vertit, (siquidem omnino vertit) publicas preces vernacula lingua factas fuisse enincit. Laborem illum alia de causa fuisse susceptum credibile sit. De sacrorum autem librorum in vernaculum sermonem versione postea dicam, quando ad illum articulum peruenero. Istius quidem articuli, quem nunc in manibus habemus, atque illius tractatio plurima habet communia. Itaque quod vlla natio ecclesiasticas publicásque preces vsitata & vernacula lingua recitarit, præterquam Græca & Latina, vt rem à Iuello confidenter affirmatam, sed languidè & eneruatè confirmatam, immo ne confirmatam quidem, relinquimus.*

Vide sectionē huiusce articuli decimā quintā.

Episcopus Sarisburiensis.

AN Hieronymus scripturas in linguam Dalmaticam conuerterit, nécne, dubitare Hardingus videtur. At Stanislaus Hosius, vir illarum artium primarius certum, & exploratum habet,

Hosius de sacro vernaculè legendo.

Alphons. de hæres. lib. 1. cap. 13.

déque eo ſibi conſtare affirmat diſertis verbis: *In Dalmaticam* (inquit) *linguam ſacros libros Hieronymum vertiſſe conſtat.* Alphonſius etiam de Caſtro habet: *Fatemur olim ſacros libros in linguam vulgarem fuiſſe tranſlatos, Beatúmque Hieronymum in linguam Dalmaticam eos vertiſſe.* Neque ego hoc cuiquam, præterquam Hardingo, dubium vnquam fuiſſe cenſeo. *Sed etiam* (inquit Hardingus) *Hieronymum ſcripturas Dalmaticè vertiſſe, non tamen inde euincitur, illos homines, rem diuinam vernacula feciſſe lingua.* Multò verò tum minùs, mi Hardinge, Latina lingua feciſſe arguitur. Deinceps ait, *Veriſimile eſt hunc laborem, ab eo fuiſſe ob aliam cauſam ſuſceptum:* at quam aliam ob cauſam non explicat. Verùm quicquid tandem hac de re Hardingo videatur, Eckius eius aſcriptor confitetur eundem ipſum Hieronymum, qui ſacros libros Dalmaticè tranſtulit, preces etiam publicas Dalmaticè faciendas curaſſe. Et eſt veriſimile nullum hac cauſa potiorem verſionis illius fuiſſe. Non nego Chryſoſtomum & Origenem, in ſuis Homiliis populo ſuadere, vt ſcripturas domi legant: quæ etiam cauſa ſumme proculdubiò pia fuit. Verùm priuatæ hæ domeſticæque lectiones, publicam in Eccleſia lectionem minimè tollunt. Chryſoſtomus ait, lectoris ſeu Anagnoſtæ officium fuiſſe, ſcripturas clarè & apertè in Eccleſia pronunciare. Auguſtinus quoque ad populum ait: *Hunc autem pſalmum ad eam gratiam pertinere, qua Chriſtiani ſumus, teſtatus eſt Apoſtolus Paulus, vnde ipſam lectionem vobis legi volumus.* Non inficiaturum Hardingum exiſtimo, quin hæ lectiones, quarum Chryſoſtomus atque Auguſtinus meminerunt, ea lingua recitatæ fuerint, quam populus intelligeret. Nam aliâs Origines ait: *Alioqui non fuiſſet neceſſarium legi hæc in Eccleſia, niſi ex his ædificatio aliqua audientibus præberetur.*

Eckius de Miſſa Latinè dicenda.

Chryſoſtom. in Matth. homil. 2. & in Geneſ. homil. 28.
Origen. in Leuit. homil. 9.
Chryſoſtom. in Act. homil. 19.
Auguſt. in pſal. 31.
Origen. in Leuit. cap. 7.

Quanquam (inquit Hardingus) *hæc à Iuello aſſeuerantur audacter, ſed languidè admodum probantur.* Meæ verò confirmationes à manifeſtis & clariſſimis verbis diui Pauli, Ambroſij, Auguſtini, Chryſoſtomi, Arnobij, Gregorij, aliorúmque ſimilium petitæ fuerunt, quantumuis Hardingo eas appellare languidas collibitum fuerit. Agè verò, grauiſſimas rationes longéque firmiſſimas attendamus, quibus ipſe, ſuíque ſubſcriptores contrarium euincere ſunt conati. Hardingus ſic argumentari videtur: *Ephremus homilias Syriacè edidit, & Hieronymus ſacra Biblia Dalmaticè vertit: Ergo, preces publicæ vel Latiaa, vel Græca lingua factæ fuerunt.* Cardinalis Otho ad hunc modum concludit: *Tribus linguis inſcriptus fuit titulus Crucis, Græca, Hebræa, & Latina. Ergo, aliqua harum trium preces publicas recitare populum oportet.* Eckius ait: *Chriſtus in Monte ſolus ſecretò orauit: Ergo preces faciendæ ſunt ignota lingua.* Hæc illi aliaque conſimilia argumenta adferunt: quorum ego pondera relinquo prudenti Lectori examinanda.

Otho Cardi. in ſtatut. Synodi Auguſten.
Eckius de Miſſa dicenda.

Hardingus. 7. Sectio.

NVnc autem de duabus doctis linguis, Græca, & Latina, & primùm de Græca. Preces publicas Græca lingua factas fuiſſe, atque in Græca Eccleſia obtinuiſſe fateor. Atque quò planũ faciam, quid per Græcam Eccleſiam deſignetur, doctiores omnem ſcilicet illam Chriſtianitatem intelligunt eius regionis, quæ propriè Græcia nominatur, & Macedoniæ, & Thraciæ, & totius Aſiæ minoris, gentiúmque finitimarum. Prouinciæ, quæ Patriarchæ Alexandrino apud Ægyptios, atque Antiocheno apud Syros, attributæ & aſſignatæ fuerunt, à vetuſtis ſcriptoribus, aliquando Orientalis Eccleſiæ, aliquando Græcæ nomine appellantur. Hoc igitur cum vtrique noſtrum conſtet, Iuelle, atque de eo inter nos conueniat, ſi oſtendere potuero nationem aliquam Græcæ Eccleſiæ quæ[a] omnes publicas preces Græca lingua recitabant, Græcam linguam pro maiore parte non intellexiſſe, nihilo magis quàm Anglos homines nunc Latinam, tum id me probaſſe dico quod recepi, nimirum nationes integras preces ſuas publicas non intellexiſſe, quippe quas peregrina lingua recitarent.

[b] Falſum: certũ eſt enim permultas gentes Orientales preces ſuas publicas Græca lingua non recitaſſe: vt manifeſtum erit.

Epiſcopus Sariſburienſis.

PRimùm Hardingus vniuerſum orbem in duas Eccleſias diſpartitur, Græcam atque Latinam: tum ſe inſtitutum ſuum probaturum pollicetur. Ex quo colligere licet, nihil planè hactenus probaſſe. Eccleſiæ autem partitio hæc, neque ad hanc cauſam magnoperè pertinet, neque à nobis multùm improbatur: tametſi multis modis manca, atque imperfecta videatur. Etenim ampliſſimæ latiſſimæque Eccleſiæ in AEthiopia, India, Scythia, à D. Mattheo, Thoma, Andrea inſtitutæ: præterea etiam, quas Arabia, Syria, Perſia, Media, Armenia, aliæque permultæ regiones, habent Eccleſias, quæ nunqnam nec Græcæ, nec Latinæ Eccleſiæ annumeratæ fuerunt, penitus hîc ſilentio prætereuntur. Duo in ſe recepit Hardingus confirmanda. Alterum, Totam Eccleſiam Græcam vbique & vniuerſè, quàm latiſſimè fines ſui paterent, ſacra publica Græco ſermone confeciſſe: Alterum verò, Aliquas integras Græcæ Eccleſiæ nationes, linguam Grçcam minimè intellexiſſe. Si iſta ambo firmiſſimis neceſſariiſq; rationibus, nulla cõiectura, nulla inani ſuſpicione fretus euicerit, tum me cedere, & manus dare oportet. Verùm hęc vtraque (Lector optime) diligenter, quibuſque confirmentur argumentis, attendito. Nã ſi in altero fefellerit, nihil effecerit, id quod manifeſtum fore confido.

Partitio Eccleſiæ in Græcam & Latinam.

Hardingus. 8. Sectio.

HOc autem quàm bellè probare poſſim, tuo ipſius iudicio æſtimandum permitto. Aſia minor, quæ Græcæ Eccleſiæ præcipua quædam pars extitit, publicarum precum formula Græcè compoſita tum vtebatur:

at multæ nationes & populi minoris Asiæ Græcè non intellexerunt: Ergo multæ nationes populique preces suas publicas tum ignota lingua fecerunt. Maior *propositio vt certa & manifesta conceditur:nec eam doctus quisquam negabit.Sin aliquis negare vellet,facillimè probari posset.* Minor *sic confirmatur. Strabo,qui omnes Asiæ regiones peragrauit,quò eam accuratè cognosceret, circiter tempus illud, in quo Paulus iis in partibus peregrinatus est,in quibus etiam natum fuit,in* 14. *libro Geographiæ suæ scribit, quòd cum intra Cherronesum illam, quæ in angustiis posita mare à mari disterminat,sedecim nationes essent, vt Ephorus prodidit.*[a]*ex iis omnibus tres solummodò Græcæ existerent,reliquæ omnes Barbaræ. Similiter Plinius in sexto libro* naturalis historiæ,*cap.2.scribit in omni tractu eo*[b]*tres tantùm gentes Græcas fuisse Doricam,Ionicam & AEolicam:cæteras barbaras extitisse.Inter quas Lycaones censentur, qui tempore Pauli apud Paulum & Barnabam Lycaonica lingua loquebantur.*

Fallax & captiosa argumẽtatio.

[a] Falsum:ementitis Strabonis verbis.
[b] Falsum: ementitis Plinij verbis.

Act.14.

Ipsa scriptura linguarum nonnullam in ea & vicinis locis discrepantiam prodit,quemadmodum patet ex secundo cap. Actorum. Iudæi enim Hierosolymis ad celebrandam Pentecosten congregati, & Apostolorum multiplices linguas obstupescentes,inter alias prouincias voce diuisas,Pontum & Asiam,Cappadociã, Phrygiam, & Pamphiliam recensent. Quas duas prouincias omnes Asiæ minori attribuunt. Quod optimo argumento esse potest, vniuersam Asiam minorem non omnino Græcè loquutam esse. Quotquot ergo ex illis aliena lingua vtebantur, cùm preces suas publicas Græcè recitarent, lingua non intellecta eas recitabant.

Qui causam videri volunt exquirere,ob quam ea regio tantam haberet linguarum varietatem, crebris imperiorum & dominationum mutationibus eam ascribunt,propterea quòd à variis populis deuicta esset & occupata quarum singulæ vna cum imperij sui propagatione,leges etiam suas,& instituta & linguas in terras sub ditionem suam redactas,introducere studuerunt. Eo igitur optimis & idoneis testimoniis confirmato è sedecim Asiaticis nationibus,tres duntaxat Græcas extitisse,reliquas tredecim,cum Græcè sacra sua conficerent, non sua lingua, sed peregrina confecisse consequitur. Alioquin enim, si Græca lingua cunctis patria fuisset & natiua,quamobrem non omnes Græci dicti essent? Hinc ergo perspicuè videmus non nouum esse,neq; ab vniuersali quadã Ecclesiæ corruptela fluxisse,vt aliquæ nationes ignota lingua precarētur.

Episcopus Sarisburiensis.

HIc tibi cauta attentione opus erit, lector:Magnam enim Hardingus scientiæ caliginem,qua oculos tuos falleret,rebus offudit. Nisi oculis illum notaueris, & diligenter obseruaueris, clàm conspectui se tuo subtrahet.

Syllogismum hoc modo suum contexit:Asia minor, quæ præcipua Græcæ ecclesiæ pars extitit, sacra sua,& rem diuinam Græco sermone fecit:At permultæ nationes eiusdem Asiæ Græcè neutiquam intellexerunt:Ergo rem diuinam peregrina lingua tractarunt,& peregerunt.

Egregius me hercule fucus.Verum te circunueniri ne permiseris.Hardingus ipse optimè nouit meram hanc *fallaciam* esse,hoc est,captiosum sophisma,quod scholastici vocant *ex meris particularibus*,aut *A non distributo ad distributum.* Nisi *maiorem* correxerit,vniuersalémque fecerit, atque sic dixerit,Tota Asia minor rem diuinam Græca lingua faciebat,nullo modo constare poterit.Quòd Asia minor rem diuinam publicásque preces Græcè fecerit,nemini dubium est, neque docto,neque indocto:quòd autem Asia minor vniuersa,vbique,& in omnibus partibus ita fecerit,id si negetur,Hardingus etsi omnibus scientiæ suæ adiumentis vsus fuerit,probare tamen nunquam valuerit.Satius itaque iudicauit,vt ab omni confirmatione nudum & derelictum præteriret.*Minor* hæc est:*permultas Asiæ nationes Græcè non intellexisse*,atque huc omnem argumentationum suarum impetum contulit.At quorsum tandem?neque enim id nostrum quisquam inficiatur,neque ad controuersiam nostram & quæstionem pertinet. Atque id tamen Hardingus omnibus suis coniecturis confirmare neutiquam potest.

Elenchi Hardingiani explicatio.

Apostolorum Acta profert, in quibus variarum fit linguarum mentio, inter quas, quædam prouinciæ huius Asiæ,propter multiplicem in sermone dissimilitudinem præcipuè nominantur. At quid sit si respondere,quæ eo in loco enumerantur,non omnes diuersas fuisse linguas, sed varias potius vnius linguæ dialectos,& distincta idiomata. Certè Beda sic disertè videtur affirmare.Hæc ipsius sunt verba:*Verè & hic cum illo erat,nam & Galilæus est. Non quòd alia lingua Galilæi, atque alia loquerentur Hierosolymitæ,qui vtrique fuerunt Hebræi:sed quòd vnaquæque prouincia Iudææ suas habendo proprietates vernaculum loquendi sonum vitare non possit.*Huc etiam historiam hanc,quę in Actis Apostolorum perscribitur,refert.

Act.2.

Beda in Luc. cap.22.lib.6. ex Hierony. in Matth.cap. 26

Hardingus autem ait, *Necesse est multò maius quoddam discrimen esse in his regionibus Asiaticis, quàm in illa, propter frequentes, quæ in illis acciderunt, imperiorum & dominationum conuersiones.* Non omnino mala coniectura. At potentissimi victores, qui eas sibi regiones subegerunt Macedones, Thebani, aliique Græci extiterunt,quos non est dubium illis Græcam linguam propagasse: quemadmodum facile quiuis perspexerit, qui non sit in iudicando puer. Paulus ad Ephesios, Galatas, Colossenses,qui Asiam hanc minorem incolebant omnes, Græcè scripsit.Et Diuus Lucas de Paulo scribens Ephesi commorante,ibíque Euangelium annunciante,factum esse ait,*vt omnes,qui habitabant in Asia,audirent sermonem domini Iesu,Iudæi simul,& Græci.*Diuus Lucas,qui Paulum omnes illas regiones obeuntem comitatus fuerat, nullos ibi populos cognouit,nisi Iudæos, atque Græcos: Hardingus autem Barbaros fuisse nonnullos suspicatur:

Act.19.

Act.19.

quinam verò essent, aut quibus in partibus habitarent, aut quo sermone vterentur, incertus est. Equidem verò Polycarpus Smyrnæ Episcopus fuit: Gregorius Ponti: Basilius Cæsareæ apud Cappadoces: Amphilochius Iconij in Lycaonia: Gregorius Basilij frater Nyssæ in Caria, aut in Thracia: híque vniuersi in diuersis Asiæ minoris regionibus palam docebant Græcè, atque à plebeiis hominibus intelligebantur.

Strabo Geograph. lib. 14.

Sed Hardingus subiicit, *Strabo natus in eadem regione, & Augusto ac Tiberio imperatoribus, ipsiusq́ Pauli tempore florẽs, in Geographia sua scribit, quòd cum essent in Asia minore sedecim distinctæ nationes, tres tantùm ex illis Græcæ, cæteræ omnes Barbaræ existerent.* Ipséne Hardingus insciens fallatur, an aliis fraudem sciens moliatur, non possum statuere. Hoc autem cum Strabonis mente pugnare liquidò confirmo. Hæc enim Strabo, non de sua sed de Ephori memoria loquutus est, qui Strabonem quingentis fere annis ætate anteibat.

Strabo lib. 14. τὰ τοῦ ποιητοῦ ταράττων καὶ καταψευδόμενος. Plin. hist. natural. lib. 6. cap. 2.

Ephorus iste scriptis proditum reliquit, sua memoria tres duntaxat nationes Græcas in Asiam penetrasse, reliquas autem omnes tum barbaras fuisse. Qua de causa Apollodorus scribit, ante bellum Troianum nullam vnquam Græcam gentem, in ea loca habitandi causa immigrasse. Etenim si hæc Strabo de sua ætate & seculo scripsisset atque sensisset, quorsum Ephori, qui tot ante ipsum centenariis annis vixerat, testimonia vsurpare voluit ad eam rem demonstrãdam, quã ipse tam accuratè lustrauerat, atque perspexerat: maximè cum Ephorum non imitari, sed redarguere institueret: quemadmodum ex ipsius verbis clarè videmus: De Apollodoro autem sic scribit: *Nõ satis considerate egisse videtur, poetæ verba confundens, & ementiens.* Cum hac etiam Strabonis sententia locus ille è Plinio prolatus optimè congruit, & manifestò contra Hardingum concludit, sicuti ex ipsis verbis apparet: *In eo omni tractu proditur tres tantùm gentes Græcas iure dici, Doricam, Ionicam, AEolicam: cæteras Barbarorum esse.* Quòd dicit, *Proditur*, significat ab Ephoro, aut Apollodoro, aut alio quoquam, qui antiqua memoria vixerat. Quòd autem ait, cæteras *Barbarorum* esse, intelligit illas eò appulsas esse, nõ è Græcia, vt tres reliquæ fuerant, sed ex aliis Barbarorũ regionibus. In eo verò quod scribit, *Tres tantùm genteis Græcas iure dici*, nihil planè aliud velle potest, quàm quòd cæteræ etiam Græcę dicerentur, etsi non perinde iure, & natiuè, atque reliquæ. Alioqui namque illius vocabuli, *Iure*, exceptio superuacanea fuisset. Hardingus itaque Asianos homines nequaquam fuisse Græcos ostensurus, Plinium citat, è cuius verbis illos extitisse Græcos necessariò conuincitur.

Hardingus Strabonis mentem corrumpit. Lib. 14. Geogr.

Sed instabit adhuc Hardingus, & vehementiùs vrgebit Strabonis locum: *Strabo scribit, his tribus nationibus exceptis, cæteras fuisse barbaras: Ergo, Græcè nesciebant.* In hoc argumẽti vis sita est. Sed hîc iterum Hardingus Strabonis mentem adulterat. Etenim Strabo Barbaros appellat eos, qui & intelligebant, & loquebantur Grecè. Quem autem testem locupletiorem, quàm ipsum Strabonem aduocabimus? Sic enim scribit: *Barbarismum in his dicere consueuimus, qui malè loquuntur Græcè, non autem in illis qui Caricè loquuntur. Sic etiam barbariloquos, & barbari sermonis homines eos accipere debemus, qui malè Græca pronuntiant.* Hinc videre possis, Lector, qua fide Hardingus in citandis veterum authorum testimoniis vtatur. Ex Strabone scilicet confirmare contendit, has nationes nõ esse loquutas Grecè, quandoquidem barbaræ fuerunt: atque ipse tamen Strabo scribit Græcè eas loquutas, tametsi barbaræ essent.

Hardingianus syllogismus.

Quare cum totus iste Syllogismus sit, vt dixi, fallax & captiosus: Maior falsa, Minor falsa, & neutra vlla ex parte confirmata: cúmque Strabo, ac Plinius adulterati proferantur: ex istis colligere atque concludere, has nationes diuina officia ignoto sermone procurasse, ineptè foret, & absurdè concludere.

Hardingus. 9. Sectio.

In proœmio 2. lib. cõmen. Epist. ad Galatas.

Hic forsan Iuellus, eiúsve astipulator aliquis obiecerit, Asiaticos populos non modò sua quadam & natiua lingua vsos esse, sed communiter etiam & vulgò Græcè loquutos, eóque Hieronymum testem produxerit dicentem, Galatas, excepto sermone Græco, quo omnis Oriens loquitur, propriã linguam eandem habere, quam Treuiros. *En, inquiat obiector iste, Hieronymus vniuersum Orientem Græcè loqui affirmat: Ergo, sacra Græco sermone confecta, non erant illis hominibus peregrina aut incognita. Ad hoc respondeo, Hieronymum intelligere aliquos homines ex omnibus nationibus Orientalibus Græcè loquutos fuisse, veluti, doctos nobiles, mercatores, omnes liberaliter educatos, cæterósque qui negotiorum suorum causâ in illis regionibus multùm versabantur. Breuiter, fuit pocul dubio ea lingua admodùm communis, vtpote quæ sola illorum hominum docta lingua esset, qua scientias omnes addiscerent, & quæ iis opportunissima & commodissima videretur, qui illas Orientales regiones peregrinarentur, quemadmodum Latina lingua hominibus Occidentalibus ad eundem vsum inseruit. Non autem intelligit vniuersos, & singulos homines, quocunque tandem loco aut conditione essent, omnes inquam rusticos, omnes agrorum cultores, omnes armentarios, omnes mulierculas Græcè tenuisse. Tum enim nullas habuissent peculiares ac proprias linguas. Neque enim est illius simplicitatis, & stuporis, quo maxima pars illorum hominum laborat duas linguas tenere. Quòd Hieronymus linguam Galatarum, eius gentis* Propriam linguam *vocet, in eo nos admonet, eam ad omnes, id est, ad singulos eius prouinciæ homines pertinuisse speciatim, Græcam autem ad omnes generatim, respectu aliarum nationum illic habitantium, ita vt non sit necessariò de singulis intelligendum.*

Episcopus

Episcopus Sarisburiensis.

NImium sibi ipsi negotium facessit Hardingus, in ea re confirmanda, quam nemo vnquã prudens negauerit. Nam qui videri possit probabile totam Orientem, quæ quodammodo dimidia pars terræ est, & tot támque varias nationes complectitur, vno quodam & communi sermone loquutam esse: cum nos ipsi huius regni Anglicani finibus modicis circunscripti, quinque disparibus, à seque inuicem diuisis atque alienis linguis disiungamur. Miror Herodoti fabulas ab Hardingo esse prætermissas, quando scribit *Bek* aqud Phryges significare panem: *Kiki* in lingua AEgyptiaca vnguentum: *Achmach*, satellitem aut stipatorem: aut *Alia aut Vrotal* in Arabum Sermone, aliáque eiusdem generis permulta. Ista enim ab eo potuerunt vsurpari, ad confirmandum vniuersas totius Orientalis plagæ nationes Græco sermone vsas non esse.

Herodotus.

Quanquam autem de eo inter nos conuenit, quod præcipuum est, & familiam quodammodo ducit, nimirum in partibus Orientalibus, multiplicem fuisse linguarum dissimilitudinem, atque etiam Græcum sermonem hominibus politioribus familiarem extitisse, tamen hæc distinctio *De omnibus vniuerse, & De omnibus particulariter*, quam híc ad eludenda Hieronymi verba excogitauit Hardingus, exilis admodnm, & quasi vernacula videtur. Quî enim esse potest aliquid vniuersale, quod particularia & singula non comprehenderit? Si Hardingi interpretationem probamus, *Omnes* accipiendi sunt pro *Aliquibus*, aut *Omnes* vt pro decima parte *Omnium*: atque ita *Omne* non est *Omne*. Quare quod Hardingo *vniuersale est*, planè *particulare* existit: denique *vniuersale* suum nõ est vniuersale. Tam eneruata est, támque dissoluta eius responsio.

Galatas autem, quos Hieronymus scribit præter natiuam suam linguam, Græca etiam vsos esse, quia postremi omnium vt Apollodorus tradit, in eas oras peruenerunt, credibile est barbarum suum, & vernaculum sermonem diutius retinuisse, quàm cæteros. Verùm quemadmodum, an omnes omnium conditionum Galatæ Græcè loquerentur, an secus, quod Hardingo videtur, necessariis indiciis planum fieri nequit, ita profectò nihil prorsus interest. Non enim ex eo probare poterit, eos qni Græcè neutiquam sciebant, preces publicas Græcè celebrasse. Hæc tamen & *Maior* est in argumento, & totius fundamentum continet, quam Hardingus diligenter dissimulauit, atque prætermisit.

Strabo Geograph. li. 14.

Hardingus. 10. Sectio.

Tract. in Ioan. 117.

A*Vgustinus de titulo, quem Pilatus cruci affixit loquẽs, ait hoc modo*: Fuit inscriptus Hebraicè, Græcè, & Latinè Rex Iudæorum. Hæ enim tres linguæ, quàm cæteræ fuerunt in maiore pretio habitæ. Hebræa propter Iudæos in Dei lege gloriantes: Græca propter Gentium sapientes: Latina propter Romanos, multis ac pene omnibus iam tunc gentium imperantes. *Iam verò quòd hîc ait, Græcam linguã in honore fuisse propter Gẽtiũ sapiẽtes habitã: dubitationẽ illã, quæ ex Hieronymi verbis oriri posse videbatur, luculẽter explicat, ostẽditq; Græcã linguã nõ plebeiis quibuslibet hominibus totius Oriẽtis cõmunem fuisse, sed tãtùm sapiẽtibus, ad sciẽtiarũ artiumq; studia excolẽda. Huc pertinet quòd scriptura prodidit vulgarẽ linguã Lycaonũ, Paulo Barnabâque audiẽtibus, loquutos fuisse nõ magistratus & principes, sed homines infirmos & plebeios*: Turbæ leuauerunt vocem suam Lycaonicè dicentes, &c. *Act.* 14. *Atq; sic Hieronymũ esse loquutũ intelligendũ est in hoc loco, nõ de omnibus Nationũ Orientaliũ hominibus, sed potiùs de magna multitudine, & de quibusdã singularũ nationũ. Alioquin enim si omnis Oriẽs Græcè loquuta esset, milites ij, qui* Gordianum *iuuenem Imperatorẽ apud* Circeium castrum *sepeliebãt, nõ lõgè à finibus Persiæ, elogiũ eius monumẽto, nõ insculpsissẽt literis Græcis, & Latinis, Persicáque, & Iudaica & AEgyptiaca lingua*, vt ab omnibus legeretur, *quemadmodũ Iulius Capitolinus scribit. Quod argumento est omnẽ Oriẽtem nec loquutã fuisse, nec intellexisse Græcè. Idẽ etiã valet, quod Epiphanius scribit ad hũc modũ*: Persæ secundũ Persicas literas Syriacis etiã literis vtuntur. Quẽadmodum apud nos multæ nationes Græcis literis vtuntur, cũ adeo omnes fere nationes proprias literas habeant. Alij etiã cõplures reconditã Syrorũ linguã magni æstimãt, eámq; quæ circa Palmyrã obtinet, cũ linguã ipsam, tũ etiã eiusdẽ literas, & characteres. Libri quoque scripti sunt à Mane sermone Syriaco. *Præterea si tota Oriẽs Græcè loquuta esset, multi sanctissimi patres nunquam tãtopere inuidissent reip. Ecclesiasticæ, vt excellẽtissima sua opera omniũ lectioni denegarẽt, quæ ipsi barbara & vsitata lingua cõposuerũt, ad fratrũ tantùmodo suorũ vtilitatẽ, qui secũ erãt eiusdẽ linguæ societate cõiuncti: Antonius, qui septẽ singulares epistolas, ad varia Monasteria scripsit, Apostolico sensu & sermone, vt Hieronymus testatur in AEgyptiaca lingua: similiter sanctus Ephremus, & Bardesanes Mesopotamius, qui maximè rara scripta Syriacè ediderũt.*

InGordianis.

Lib. 2. Hæres. 66.

Lib. de Eccle. Scriptor.

Similiter etiam Isaacus Antiochenus & Samuel Edessenus presbyteri multa sanctissimè scripserũt aduersus hostes Ecclesiæ eadẽ lingua, sicuti Gẽnadius testatur. Sed quid de omni Oriẽte loquar? Nec omnis quidem Asia minor, & regiones ei finitimæ Græcè loquebantur vno tantũ seculo ante aduentũ Christi. Etenim si Græco sermone vsæ essent omnes, Mithridates Rex ille Põti celeberrimus opus nõ habuisset, vt duas & viginti linguas addisceret, quot ille nationibus imperitabat, quò supplicibus suis respõsa daret, leges illis & instituta præscriberet, & palã in cõcione tot linguis cũ iis loqueretur, sine interprete, *vt Plinius scribit. Itaque si istæ viginti & duæ nationes, quarũ singulæ vario sermone vtebãtur, præter suã & patriã linguã, Græcam quoq; tenuissẽt, Plinius neutiquam illud verbum* sine interprete *addidisset: & rex etiam ille inanem, & non necessariam suscepisset molestiam, tot linguas discendi, cum vna sufficere potuisset.*

Natura. hist. lib. 7. cap. 24.

Prope regis huius imperij fines, ad littus maris Euxini, in Colchide vrbs olim sita fuit nomine Dioscu-

rias, ad quam tanti fiebant peregrinorum concursus, vt quemadmodum Plinius ex authoritate Thimosthenis scribit, trecentæ distinctarum linguarum nationes illuc confluerent, & ad extremum Romani centum & triginta interpretes in eadem alerent, ad negotia sua ibidem expeditiùs celeriúsque conficienda. Quare si omnis Oriens Græcè loquuta esset, quemadmodum Hieronymi verba innuere videntur, Romanis opus minimè fuisset, vt in tantam interpretum, qui res illorum agerent, & negotia tractarent, multitudinem tam magnos sumptus facerent. Sed vt perspicuum fiat omnem Orientem Græcè neutiquam loquutam esse, quorsum prophanos authores citemus? Notus ille locus Actorum mentionem facit de variis nationibus in ea habitantibus, quæ linguas proprias ac distinctas habuerunt, Parthi, Medi, Elamitæ, &c. Act. 2. Deniq;, qui ad defendendam nouam suam opinionem, quas preces publicas antiquitus in Ecclesia Orientali vniuersè ab omnibus intellectas fuisse contendunt, dicere & confirmare non dubitant omnem Orientem Græcè loquutam esse: multum diminuere videntur de Maiestate, vtilitate, & necessitate admirabili illius doni linguarum, quas spiritus sanctus in primitiua Ecclesia dedit, vt Euangelio propagando adiumento essent: Si enim Orientales omnes Græco sermone vsi essent, linguarũ donum eo quidem respectu superuacaneum extitisset. Hactenus de Græca lingua, déque [a] precibus publicis ea lingua recitatis.

Lib. 6. Natural. hist. ca. 5.

[a] Falsum: nihil enim hactenus de precibus publicis dixit.

Episcopus Sarisburiensis.

HOc opus rectè appellari possit *vanitas vanitatum.* Quid enim ineptius aut stultius esse possit, quam illud tam diligenter támque prolixè probare, quod nullus neget. Et tamen res tanta ab eo contentione agitur, quasi in ea ius omne defensionis suæ positum esset. Perinde potuit probare Indos, Arabes, AEthiopes, Tartaros Græcè non intellexisse. Præposterum quoddam Dialecticæ genus est, tam enixè confirmare, quod confirmationis non indiget: quódque confirmãdum fuit, in præteritis relinquere. Titulus crucis tribus diuersis linguis inscriptus, cum vniuersos Oriẽtales populos non vno eodémque sermone vsos esse arguit, quod nemo quidem sana mente negarit, tum contra Hardingum valet, ostenditque mortem Christi promulgãdam atque enunciandam omnibus linguis esse. Nam vt Albertus, & Lyra doctores Hardingianarũ partium, de ea re scribentes testati sunt, ideo fuit inscriptio singulari quadam Dei prouidentia tribus principibus linguis facta & notata, *vt omnes, qui de diuersis orbis partibus venerant, possent illam legere.* Hieronymus similiter ait titulum hunc fuisse eo modo inscriptum, *in testimonium vniuersarum gentium.* Diuina siquidem voluntas decreuerat, vt lingua vnaquæque confiteretur & prædicaret, Christum esse dominum in gloria patris.

Albertus & Lyra in 19. cap. Ioannis. Hieronym. in Esai. lib. 7. c. 20.

In eo autem Hardingus multum de gloria crucis Christi decerpit, quòd eiusdem inscriptionem ad solos sapientes doctósque Grecos pertinere contendit. Nam Albertus, & Lyra affirmãt, ita eam fuisse compositam, *vt ab omnibus legi posset:* & Hieronymus, *In testimonium vniuersarum gentium.* Neque verò constat, Philosophorum ita magnam frequentiam Christo adfuisse morienti, à quibus titulus ille legeretur. Iã verò Augustinus per hæc verba, *Sapientes Græcorum* omnes Græcos intelligit. Etenim quemadmodum Iudæis omnibus solenne fuit legem iactare ac venditare, ita Græcis omnibus insitum fuit sapientia gloriari. Paulus autem de vtrisque generatim loquitur: *Iudæi signum quærunt Græci sapientiam.* Propterea Philosophorum quidam dixit, Olim septem fuerunt in Græcia sapientes, nunc autem non sunt stulti septem: omnes enim sapientum sibi nomen gloriosè vendicabant.

1. Cor. 11.

Homines Lycaones ad Paulum & Barnabam Lycaonicè loquuti sunt: *Ergo* (inquit Hardingus) *Græcè non sunt loquuti.* Quid si autẽ Diuus Lucas dixisset eos loquutos esse Ionicè, AEolicè, aut Doricè, quibus linguis populi Lycaonibus proximi vtebantur? num ideo concluderet, Græcè non loquutos? Equidem si quis contentione quadam affirmaret linguam Lycaonicam fuisse deprauationem aliquam aut idioma Græcæ linguæ, non autem perfectam ex se & separatam à cæteris linguam, non facilè contrarium euicerit Hardingus. Certè Iouem & Mercurium Græcorum Deos colebant: sacrificiúmque ritu Græcorum faciebant, quemadmodum ex verbis D. Lucæ liquidò patet: & probabile quidem est Paulum atque Barnabam Græcè cum illis loquutos esse. Quanquam an sic, vel secus fuerit, nisi quòd hoc Hardingus pro re tam certa & penitus explorata ponit, nihil omnino refert. Cæterùm, hoc vnum præterea tibi, lector optime, considerandum atque cogitandum propono: Lycaones hi quemadmodum & Hardingus fatetur, & ex Luca manifestò apparet, cùm adhuc alieni essent à fide & religione Christiana, idolis suis, Ioui atque Mercurio, vota faciebant lingua patria: an ergo vllo modo credibile videatur, illos postea ad pietatem Christianam traductos, Deũ opt. max. atque Christum eius filium peregrina lingua coluisse, & orasse? Si idololatrarum interfit suas precationes intelligere, multò quidem magis hoc Dei populo conuenire existimãdũ est. Si illi ipsi Lycaones iã reuiuiscerẽt, Hardingi errorem sua profectò lingua refutarẽt.

Act. 14.

Act. 14.

Epitaphium in sepulchro iuuenis imperatoris Gordiani incisum quinque diuersis linguis, vt hoc in loco commemoratu superuacaneum erat, cæteráque etiã omnia, cum ipsa res neutiquam sit controuersa, ita contra Hardingi causam permultum valet. Nam si barbari milites officio ac pietate in principem impulsi, eius mortem dignam iudicarent, quam tot linguis propagarent posteritati: quid tum de iis censebimus, qui ferre nullo modo possunt, vt Christi mors vlla omnino lingua proponatur atque promulgetur? Etsi illi hominis caduci elogiis monumentum decorarũt, & exornarunt, *vt ab omnibus legeretur*, quemadmodum Capitolinus scribit: quid est, quamobrem

isti ho-

isti homines tam diligenter obruunt sepeliuntq; immortale gloriæ Christi monumentum, atque á nullis,nisi à seipsis legi,& videri cupiunt?

Quæ protulit de Persicis Syriacisque literis:de lingua,qua vtebantur ij, qui prope Palmyram habitabant:de epistolis AEgyptiacè ab Antonio,Syriacè à Bardesane,Ephremo,Isaaco,& Samuele scriptis:de Mithridate Ponti rege, qui gentibus viginti duabus, quas imperio suo continebat, responsa dare potuit sine interprete: de celeberrimo è trecentis diuersis nationibus hominum concursu ad vrbem eam,quam Dioscuriadem vocant,in Colchide sitam:& nunc iterum de miraculo,ac varietate linguarum,quæ in Actis Apostolicis commemorantur, speciem aliquam scientiæ ostentationémque habent,& eò referuntur,vt vel locum tantummodo occupent, vel Hieronymum,qui *omnem Orientem Græco sermone loqui* ait,redarguant,& erroris reuincant: contra nos enim,qui ita nec scribimus,nec dicimus,nihil valent.

Græcam linguam partim propter magnitudinem imperij,quod Græci armis ac victoriis suis, in multas gentes & regna totius Orientis propagauerunt,partim etiam,quòd nationes barbaræ, quas Græci subegerant,summam ex Græcorum philosophia, atque artibus aliis excellentissimis voluptatem caperent,à multis perceptam, atque in omnia illius plagæ orbis loca disseminatam fuisse non ignoramus. Atque hoc est quod Cicero ait,*Græca loquuntur in omnibus fere gentibus.* Augustinus etiam habet:*Quos Paulus dixit Græcos,eos etiam gentium nomine significauit. eò quòd hæc lingua maximè excellit in gentibus.* Neque tamen dubitamus,alias quoque natiuas & patrias fuisse linguas præter Græcam:veluti AEgyptiacam,Arabicam,Persicam,Bactriacam,Indicam,Armenicã, Scythicam,& innumeras alias. Quod si etiam tricari hoc in loco voluptatis causa, aut lectorem ineptè à proposito abducere,quemadmodum Hardingus facit,colliberet, cõmemorare possem Themistoclem patricium Atheniensem,antequam se magno regi Persarum sisteret, Persicam linguam perdidicisse:Nestorianos hæreticos scripta sua in Persicam, Armeniacam, Syriacã linguam vertisse:Augustinum affirmare,quòd Hieronymus linguam Hebræam,Græcam,Chaldæam, Latinam,Persicam,Arabicam,Medicam intelligeret:& Chrysostomum scribere:*Tot linguæ, tot voces sunt Scytharum, Thracum, Romanorum, Persarum, Indorum, AEgyptiorum, & mille præterea gentium aliarum.*

Cicero pro Archia.

Plutarch. in Themistocle.

Liberatus c.10.

Augúst. ad Cyrill. citatur. a Petro Crinito lib. 6. cap. 6.

Chrysosto. 1. Cor. 14. hom. 35.

His etiam potui alia multa adiungere similis momenti, quibus id perspicuum & manifestum fieret,quod Hardingus tanto studio probat,nullúsque negat:id est,Gentes Orientales linguas habuisse diuersas,nec vno cunctas sermone vsas esse. Quare secum diligentiùs Hardingus quærat, quínam ij sunt hominum,qui(vt ait)*multum detrahunt de maiestate,vtilitate,necessitate doni linguarũ.* Nos siquidem earum cognitionem,non modò ad propagandum,sed etiam ad perpetuandum Euangelium necessariam esse confitemur:neque nobis dubium videtur, quin quibus Ethnici linguis ad Deum adducti fuerunt,iisdem preces ad Deum suas facerent:séque non posse contrarium euincere,tacendo fatetur Hardingus. Atque tamẽ transitionem his verbis facit, *Hucúsque de Græca lingua,déque publicis precibus in ea lingua celebratis*: atque ita hanc partem sui tractatus mendaciunculo concludit: cum de lingua reuera aliquid dixerit, at de precandi more,quo causa ipsius tota nititur,nihil omnino docuerit.

Quò autem id clariùs appareat,partes & membra argumenti,quo vtitur,recognoscamus, atq; conferamus. *Maior* hæc est:*omnis Asia minor rem diuinam Græco sermone faciebat. Minor, Multæ autem gentes eiusdem Asiæ Græcè non intelligebant: Ergo,multæ gentes rem diuinam lingua ignota procurabant.* Minorem coniecturis duntaxat leuissimis confirmat:tametsi & D. Lucas in 19. Act. & consequentium temporum historia in contrariam sententiam propendeant. Maiorem prorsus intactam relinquit. Quare Syllogismus ipsius ex altera parte omnino claudicat, & in Minorem tantùm concludit. Atque ita Hardingus peregrinum dogma suum,ex peregrina *Maiore* & peregrina *minore*, & peregrina *conclusione* infert.

Syllogismus Hardingianus.

Hardingus. 11. Sectio.

NVnc de Latina lingua,quæ docta lingua Occidentis est,dicamus. Quòd Latina,seu Occidentalis Ecclesia,(his enim nominibus appellata,est)sacra Latinè conficeret,fateor. Præcipuæ regiones ac gentes Latinæ Ecclesiæ,intra illos sexcentos annos fuerunt hæ, Italia, Africa,Illyrium, vtraque Pannonia, quæ nunc Hungaria vocatur,& Austria:Gallia,& Hispania:Germaniæ,Poloniæ, & Sueuiæ regiones, partésq; illæ septentrionales fidem longo abhinc tempore acceperunt. Nostræ Brytanniæ fidem in plurimis locis acceperant,sed eas à publica eiusdem professione crudelissima Diocletiani imperatoris persequutio deterruit,qua sæuiente Diuus Albanus cum aliis multis martyrium perpessus est.

Postquam hæ regiones fidem edoctæ fuissent,prout res ad maturitatem spectabat,ita sacra sua perindè faciebant.quæ sine dubio non fuerunt alia,ac quæ in iis Ecclesiis vsurpata fuerant,à quibus primi ipsarum Apostoli,ac doctores aduenerant. Cum autem[a] primi præcones fidei in has partes Occidẽtales Roma venerint, missi alij à D. Petro,alij à Clemente,alij deinceps ab aliis illius sedis Apostolicæ Episcopis illi in regionibus, quas adduxerant ad pietatem,vel Romanæ Ecclesiæ sacra, vel aliqua persimilia plantarunt atq; instituerunt,eaq;[b] Latino tantùm sermone,quod quidem quisquam sciat. In quo tantùm loquor de primis sexcentis annis. Quòd autem ea sacra intellecta fuerint ab iis populis,qui Latinè loquebantur,& intelligebant, nullus negat. Aliquibus enim nationibus ea natiua fuit,& materna lingua,non aliter atque Græca Græcis.

[a] Falsum: prima enim fidei in hisce Occidentalibus regionibus prædicatio non manauit Roma.

[b] Falsum: Primi enim Præcones ipsi nõ sunt loquuti Latinè.

Episcopus Sarisburiensis.

Cosmographica Hardingi nō reprehendo: quanquam huius causæ confirmatio non est (vt puto) à Cosmographia petenda. Omnis eius de sacris Latinis oratio duobus continetur fundamentis: primo, totam Occidentis fidem, à Romanis tantùm Episcopis dimanasse: altero, eiusdē fidei satores ac seminatores Latinè sacra publica vbique administrasse, atque instituisse. Quorum quidem vtrumque falsum esse, nec vnquam probari posse ipse nouit. Atque vt hanc rem quasi præsens attingam, Paulus ait se *loca omnia vsque ad Illyricum Euangelio compleuisse*, idque nō Roma, sed Hierosolymis profectum: atque se Roma in Hispaniam iturum pollicetur, quod eum postea præstitisse aliqui produnt: Theodoretus etiam Paulum in hanc insulam, quæ nunc Anglia vocatur accessisse, atque in ea Euangelium seuisse tradit. Idem quoque fecisse Iosephum Arimathensem Britannicorum Chronicorum authores suspicantur. Et licet coniecturæ in rebus tam vetustis sæpenumero incertæ sunt & obscuræ, probabile tamen videatur religionem Christianam non Roma in hanc insulam primùm aduectam, sed à Græcis acceptam esse, cùm, quòd in Paschate celebrando, non Romanam sequuti sumus Ecclesiam, sed Græcam: etiam quòd Augustino huc misso à Gregorio restitimus, nec Romanum Episcopum agnoscere, eíve parere voluimus. De Lazaro autem, Nathanaele, Saturnino, qui in Galliis primum annunciarunt Euangelium priùs dixi. Luciū D. Pauli comitē in Germaniam venisse Auentinus: & Titum in Dalmatiā abiisse Paulus ait.

Hardingus falsa sciens & prudēs affirmat. Ad Rom. 15. Theodoretus de curandis Græcorum affectibus.

Beda in hist. Anglorum. Galfrid. lib. 8. cap. 4. Auentinus in hist. Boiorum. 2. Timoth. 4.

Id profectò constat, Ecclesiam Romanam, cùm aliis de causis, tum maximè propter imperij amplitudinem, vrbísque celebritatem, ab ipso statim initio cæteris omnibus præcelluisse, & summo semper studio ac diligentia Christi gloriam amplificasse, multósque Deo martyres exhibuisse. Non tamen proinde omnia venisse Roma cēsendū est. Tertullianus enim Hierosolymas *matrē & fontem religionis* vocat: Et Augustinus fidem à Græcis ortā esse scribit. Quòd deinceps ait, summos illos viros, qui omnes has parteis occidentales fide ac religione informarunt, preces publicas Latinè vbique proposuisse: præterquàm quòd manifestò falsum est, sicuti posteà, Deo volente, liquebit, ne tenuem quidem veritatis speciem, atque similitudinem habet.

Tertull. contra Marcion. lib. 2. August. epist. 178.

Etenim hanc rationem perpende (quæso) Lector: *Magistri pietatis Roma venerunt: Ergo, Romanum vbique morem obseruarunt*: Si hæc ratio valeret, tum hoc etiam modo concluderem: Ecclesia Romana primùm fuit instituta ab iis, qui vel è Græcia, vel Hierosolymis venerunt: Ergo, Roma Græciæ aut Hierosolymarum ritus colit. Hardingus autem eo sibi assumpto pro certissimo, harum regionum Ecclesias in Romanæ Ecclesiæ institutis inhæsisse, ampliùs concludit: *Ergo, rem diuinam Latinè ad normā Ecclesiæ Romanæ fecerunt.* Quiuis vel puer facilè animaduerterit hoc sophisticum, atque insidiosum argumentum esse, quod vulgò dicitur, *A secundum quid, ad simpliciter.* Sic enim perinde potuit concludere, *Romanæ Ecclesiæ consuetudinem imitabātur: Ergo exhortationes atque cōciones nullas nisi Latinas audiebant*: Sic namque in Romana Ecclesia fiebat. Adeóne verò Hardingus aut inconsideratus, aut dissolutus est, vt non videat quàm aptè ipsius argumentum in caput redundet suum? Certè ex hoc fundamento, appositè & verè ad hunc modum concludere liceat: *Hæ Ecclesiæ Occidētales morem ecclesiæ Romanæ obseruabāt*, (Hoc ipse sibi iure suo vt rē minimè dubiam assumpsit) *Ecclesia autem Romana diuina officia celebrabat natiuo & vsitato sermone* (Quod etiam fatetur:) *Ergo ecclesiæ Occidentales similem colendi Dei morem retinebant.* Hoc argumentum integrum, & perfectum, & fallaciæ expers est.

Hardingi ratio in ipsum valet.

Deinde, facilè perspicere potuit, ex eo quod ipse posuit principio aliud necessarium argumentum statim contra ipsum concludi potuisse, isto modo, Omnes Ecclesiæ, quæ fidem à Romanis acceperunt, Romanos mores & ritus retinuerunt: at Ecclesia Anglicana Romanæ Ecclesiæ ritus nō seruauit (quod ex obseruatione Paschatis, & ex Episcopi repulsa manifestissimū est, vt antè docuimus:) Ergo, Ecclesia Anglicana religionem fidémque suam à Romana non didicit Ecclesia. Si prudentiùs secum deliberasset, non istis fundamentis reliquam defensionis suæ molem superstruxisset.

Hardingus. 12. Sectio.

Qvòd preces, & sacra esse vernaculo sermone, facienda probaturus (veluti apud Anglos Anglico, apud Hybernos Hybernico, apud Teutones Teutonico) authoritates & exempla ecclesiarum profert Iuellus: cum reuera tempore primitiuæ ecclesiæ, populus Græca Latinàque lingua vulgariter, & communiter vteretur: nihil affert in eius rei cōfirmationem, quæ in cōtrouersiam adducitur. Arnobius (*inquit*) latinam linguam sermonem Italum vocabat. Ambrosius Mediolani, Augustinus in Aphrica, Gregorius Romæ Latinè concionabantur, eósque populus intelligebat. *Quid tum? Hoc nemo negat.* Basilius etiam scribit, viros, mulieres, & pueros in suis ad Deum precibus fremitum quendam excitasse instar fluctus littora percutientis. *Quid ex his potes Iuelle necessariò concludere? Hæc omnia intelligi possunt de contenta pronunciatione huius vnius vocabuli Amen, ad finem precationis adhibita, quæ nunc à choro fit, quæque à populo etiam in parte templi inferiore fieri possit. Hieronimus enim nos ad ita sentiendum inducit, qui populi Romani summum pietatis studium collaudās similiter ait.* Vbi alibi tanto studio & frequentia ad Ecclesias, & Martyrū sepulchra concurritur: vbi sic ad

Obiectionum Iuelli solutio

Hexameron: Homil. 4.

In 2. Procem: Comment. ad Galatas.

ſic ad ſimilitudinem cœleſtis tonitrui Amen reboat,& vacua Idolorum templa quatiuntur? Populus cum ſacerdote loquitur in precibus Myſticis,*inquit Chryſoſtomus,à Iuello citatus. Quid tum? Ille mos diu antè ipſorum adeo Apoſtolorum memoria obtinuit, vt in Clemēte legimus,in Cypriano, in Cyrillo Hieroſolymitano,multiſque aliis.Ita quoque nunc obtinet.*Etenim *in vetuſtis Patribus inueniet ad* Per omnia ſecula ſeculorum(*de quo Chryſoſtomus loquitur) ad* Dominus vobiſcum *(vtcūque illi cōtemnant)ad* Surſum corda,*& ad* Gratias agamus Domino Deo noſtro,*populum reſpondiſſe,* [a] *ſicuti nunc etiam faciunt* Amen,& cum ſpiritu tuo,habemus ad dominum,dignum & iuſtum eſt.

[a] Falſum: Nō enim ita nūc habet. Hardingus nouit populū nūc non reſpondere ſacerdoti.

Epiſcopus Sariſburienſis.

AGgreditur nunc Hardingus,ad eas teſtimoniorum authoritates diluendas,quas ego adduxeram:eiuſque incœpti notam ac ſignificationem in margine impreſſit,his verbis,*Obiectionum Iuelli ſolutio.*Breues admodum certè videntur eius ſolutiōnes.Etenim ad authoritates omnes qualeſcunque fuerint,ſatis ſibi fore putat reſpondere,*Quid tum?*Nam quòd ego dicerem preces publicas in Romana & Mediolanenſi Eccleſia,cæteriſque Italiæ locis populo Latinè recitatas fuiſſe,quandoquidem lingua Latina illius gentis propria atque patria eſſet:eáque de cauſa Arnobium appellare linguam Latinam *Sermonem Italum*:tum etiam multò poſt Ambroſium Mediolani,Auguſtinum in Aphrica,Gregorium Romæ conciones ad vulgus Latinè habuiſſe,& Latinè ſacra publica procuraſſe:iſta(inquam)omnia facilè refelluntur ab Hardingo:ſic enim ait, *Quid tum?* Baſilij locum vſurpabam,vt ait,*virorum,mulierum,puerorúmque Deo preces fundentium ſtrepitum inſtar fluctus littora verberātis viſum eſſe:*Et Hieronymi, *Populum ad ſimilitudinem cœleſtis tonitrui Amen reboaſſe:*Similiter & Chryſoſtomi,cuius hæc verba ſunt:*Communes preces & à populo , & à Sacerdote fiunt,& omnes vnam dicunt orationem.Bene precatur ſacerdos populo , & bene precatur populus Sacerdoti &c.*Sed,*quid tum?*Quamobrem verò, Quid tum? An Hardingus Arnobij,Ambroſij, Auguſtini,Baſilij,Hieronymi,Chryſoſtomi, aliorumque ſanctiſſimorum Patrū authoritatem ita leuem, & pro nihilo putat,vt eos omnes quaſi flatu quodam ſuo abigere,& repellere ſe poſſe exiſtimet, ſi has modò duas inaniſſimas ſyllabas,*Quid tum*,pronunciauerit?Reſpondebit, *Publicā liturgiam Græcè atque Latinè celebrari ſolitam fuiſſe cōcedo:at præter iſtas lingua vnquam celebratam eſſe vlla earum,quæ Barbaræ fuerunt,non oſtēdi.*In Syriaca lingua fuiſſe iam antè oſtendi,quę neque Græca eſt, neque Latina:ideóque Hardingi ipſius iudicio,planè barbara iudicanda. Idem in aliis perinde factitatum eſſe linguis,pòſt(fauente Deo)copioſè,cumulatéque docebo.

Baſil. Hexameron.Hom.4. Hieronym.in 2.prœm.adGalatas. Chryſoſto.2. Cor.Hom.18.

Interim multum Hardingus cauſæ ſuæ commodauerit,ſi prærogatiuas iſtas Græcæ,Latinæque linguæ tributas exprompſerit,& quid illæ plus inſitæ cuiuſdam ſanctimoniæ, quàm cæteræ habeant edocuerit,ob quam iis ſolis communes ad Deum preces facere liceat , aliis Deum precari nefas ſit. Quod ad Baſilij locum , atque illum alterum Chryſoſtomi attinet , ſic ad ea reſpondet Hardingus,quaſi non magnopere curaret,quid diceret.Id enim affirmat pro vero,quod quiuis è vulgò imperitus manifeſtò falſum eſſe intelligit:hoc eſt:Populum nunc ſacerdoti ſacra myſteria adminiſtranti reſpondere,vti Chryſoſtomi tempore fecerat.

Græcæ , Latinæque linguæ prærogatiua.

Hardingus apertè falſum aſſerit.

Populus(inquit)*tum reſpōdebat,quemadmodum nūc etiam facit*: Non pudet eum ſcribere,*populum ſacerdoti reſpōdere*,cùm tamen minimè reſpondere ſacerdoti populum ſciat.Ex hac igitur ſententia relinquitur,vt is reſpondeat,qui nihil reſpondet:& is Reſpondeat,qui nec quid quæratur, nec quid reſpondendum ſit,intelligit:denique,vt is reſpondeat,qui tacet: atque ita vt Reſpondere, & non Reſpondere,Hardingi iudicio,idem ſit.Chryſoſtomus autem ait:*Et cum ſpiritu tuo* , (quibus verbis totus populus reſpondet ſacerdoti)*nihil aliud eſt, quàm ea,quæ ſunt Euchariſtiæ, communia ſunt omnia. Neque enim ille ſolus gratias agit,ſed populus omnis.*

Chryſ. 2. Cor. Homil.18.

Similiter Ambroſius:*Imperitus neſcit finem orationis,& non reſpondet Amen,id eſt,verum ſit, vt firmetur benedictio.Per hoc impletur confirmatio precis,cum reſpondetur Amen,& omnia dicta rei teſtimonio in audientium animis confirmantur.*Conſtat ergo Chryſoſtomi ætate populum vniuerſum,dum ſacra peragerentur,cum ſacerdote colloquutum,vnáque precatum eſſe.

Ambroſ. 1. Cor.14.

Hardingus. 13. Sectio.

In Pſal.18. in expoſit.2.

N*Am quod ad locū illū Auguſtini attinet,quē è cōmentariis in Pſalmos protulit, ad ſuum propoſitum nihil facit.Auguſtini verba ſic habent,ſecus atque ea ille recitauit:*Poſtquam *(inquit Auguſtinus)* Deo ſupplicemus,vt nos à ſecretis peccatis mundet:quid ſit hoc intelligere debemus, vt humana ratione,non quaſi auium voce cantemus.Nam & merulæ,& pſittaci,& corui,& picæ, & huiuſmodi volucres,ſæpe ab hominibus docentur ſonare,quod neſciunt. *Hæc verba interpretanda ſunt de ſenſu intelligēdo,nō de lingua,qua preces publicè canebantur.Etenim populus Hipponenſis,cuius vrbis Auguſtinus Epiſcopus extitit,Latinam linguam intelligebat modicè.Qui ſenſus non poteſt rectè & tutò à vulgo percipi,ſed meliùs & ſalubriùs ex eruditorum Epiſcoporum,ſacerdotúmque concionibus diſcitur.*

Exile gloſſema: Auguſtinus enim de precando,non de prędicando loquitur.

Epiſcopus Sariſburienſis.

PRimùm,Auguſtini verba ſecus eſſe,atq; ſunt à me recitata iactat. Hoc tibi Lector , ſine vlla dubitatione confirmauerim , ſi hunc errorem dignum iudicaſſet, quem conuinceret atque

coargueret, non eum fuisse silentio præteriturum. Verùm, quò verba Augustini fefellisse videretur, glossema adduxit hoc in loco, textui planè repugnans, atque contrarium. *Hæc enim* (inquit Hardingus) *hominum cum auiculis comparatio, non ad verba, sed ad sensum & intellectum referenda est.* Qua autem ratione inductus sic ait? Aues certè quidem rationis penitùs sunt expertes, & neque verba, quæ perstrepere didicerunt, neque verborum intelligunt sensum. Quid ergo? an hac tamen inanissima asseueratione freti, necessariò existimare debemus, Augustinum volucres cum hominibus intelligendi facultate conferre? Augustini manifesta est, vt & aliorum sanctissimorum Patrum hac de re sententia: *Populum oportere quid precetur cognoscere, atque ita ratione humana cantare, non auium voce perstrepere. Nam si ea cecinerint, aut precati fuerint, quæ nesciunt, poterunt* (inquit) *propter vocis sonum, sensusq; vacuitatem cum merulis, aut psittacis meritò comparari.* Hoc est, quod Augustinus spectauit, quod voluit, quod proposuit. Possunt arte institui aues ad voculas sonãdas, & pronunciandas humanas: etsi earũ intelligentia careant. Plinius enim scribit coruum quendam edoctum fuisse vt diceret, *Aue Cæsar Imperator*: & alium, *Salue Victor Antoni*: Cælius etiam Rhodiginus author est, Cardinalem Ascanium Psittacum habuisse, qui totum Symbolum articulatè pronunciare posset. Cum huiusmodi auibus homines conferamus eos, qui, quæ nesciunt, precantur: *Voces sonare edocentur, sed earum vim sensumq; ignorant: neq; ratione humana cantant.* An hæc verba meo proposito aptissimè conueniant, nécne, iudicet Hardingus. Ei verò certè difficile fuerit ita ea torquere, vt suo instituto inseruiant: nisi fortè ad hunc modum ratiocinari voluerit. *Augustinus hortatur, vt homines intelligant, quid precentur: Ergo possunt ignota lingua precari:* Aut hoc modo: *Augustinus homines cantare, aut perstrepere auicularum more vetat: Ergo fas est orare, quæ non intelligunt.*

Cælius Rhodiginus lib. 3. c. 32.

Atque vt hoc Hardingi commentum de *sensu* ac *intellectu*, approbaremus, eodem tamen gradu, quo antè consisteret. Nam si verba populus ignoret, sensum atque significationem verborum cognoscere multò minùs poterit. Aristoteles auditum, disciplinarum percipiendarum, sensum esse proprium scribit: quare qui semper surdi sunt nunquam doctrinis imbui posse. Cicero ait: *sententia constare non potest, si verba semoueris.* Itaque hoc effugium nihil iuuat: nisi sic rectè conclusum esse argumentum censeat. *Populus precationum suarum sententiam percipere debet: Ergo, verba intelligere opus non habet.* Quid Augustinus vellet, ex verbis proximè subsequentibus, manifestò apparet. *Scienter cantare, naturæ hominis diuina voluntate concessum est.* Eáque de causa sic populum adhortatur, *Charissimi, quod consona voce cantauimus, sereno etiam corde nosse, & tenere debemus.* Hoc autem nullo modo perficere possumus, ni quid precemur, intellexerimus. Quapropter Basilius habet, *Lingua cantet, mens autem scrutetur sensus eorum, quæ dicuntur.*

Cicero de Oratore.

Augustin. in Psalm. 18.

Basil. in Psal. 28

Hardingus. 14. Sectio.

Mandatum Iustiniani Imperatoris, quod Iuellus allegat, quo Episcopi & presbyteri sacram oblationem, seu sacrificium, quam Missam vocamus, non summissè, sed clara & aperta voce, vt à populo exaudiri possint, celebrare iubentur: nihil facit pro sacris Anglicè conficiendis in Ecclesia Anglicana, aut omnino vernaculè, & vsitato sermone, in vllius præterea gentis Ecclesia: sed tantummodò à sacerdotibus atq; presbyteris dilucidam pronuntiationem exigit, vocalem, non mentalem, loquutionem, non mussitationem solo spiritu factam, in sacrificio, cæterisq; diuinis officiis procurandis. In quo cum Augustino consentit, quibus in libro suo de Magistro *ait*: Quare non opus est loquutione cum oramus, id est, sonantibus verbis, nisi fortè sicut sacerdotes faciunt significandæ mentis suæ causa, non vt Deus, sed vt homines audiant, & consentione quadam per commemorationem suspendantur in Deum. *Hactenus Augustinus. Atque hic illius constitutionis sensus est. Hoc autem decretum ad*[a] *Græcam duntaxat Ecclesiam pertinet, eóque tantum referendum est, quòd aliqui potiùs silentio celebrandum esse sacrificium existimant, secundùm*[b] *morem Ecclesiæ Romanæ, maximè inter consecrandum. Atque vt illa constitutio Græcos attingebat, non Latinos, ita in Latinis exemplaribus non antè reperiebatur, quàm Gregorius Holoander Germanus recente memoria locum transferret. In eo autem, quòd Iuellus hanc legem Iustiniani, in eum finem profert, quò doceat preces publicas lingua docta etsi vulgò ignota, non esse faciendas: obseruandum est, quàm non integrè agat, sed ita, vt quiuis Lutheri, Caluini, & Petri Martyris discipulum agnoscat. Nam cùm ex allegatione illius sanctionis, nonnihil afferri potuisse videretur, quod pro diuino sacrificio Ecclesiæ vulgò Missa nominato, faceret: sacrificij vocabulum dissimulauit, quo Iustinianus expreßè vsus est,* τὴν θείαν προσκομιδὴν, *id est,* diuinam oblationem, *& secus appellauit in* Replicationibus *suis*, preces publicas: *in concione autem* verba ministrationis: *noménque illud, quo vtitur Ecclesia, non minùs fugit, quàm esse Ecclesiæ membrum recusat. Sic aleam fallaciter fraudulentérque iaciendo, multáque præterea ludendi dolosa genera exercendo noui hi & periculosissimi doctores, multas imperitas animas decipiunt, fideíque suæ simplicitate spoliant. Quonam autem in loco latum hoc decretum fuit? Constantinopoli, vrbi Græciæ maxima, & nobilissima, in qua lingua Græca vulgò intelligebatur.*

De Ecclesiasticis diuersis capitulis Cõstitutione 123. Gregorio Holoandro interprete. Nã in vetere translatione, nihil tale habetur.

μετὰ φωνῆς. Cap. 1.

[a] Falsum: ad totum enim imperiũ pertinet.
[b] Falsum: Sacerdotes enim Romani alta voce precabantur, quẽadmodum ex Hieronymo, Leone, Ambrosio, atque aliis constat.

Episcopus Sarisburiensis.

QVod hîc Hardingus Glossæ commentum excogitauit, quò optimi imperatoris consiliũ prorsus eluderet, atq; frustraretur ignaris & imperitis alicuius esse momenti fortè videatur.

Iustinia-

Iustinianus (inquit) *de clara pronunciatione & loquutione verba facit, & cum illo Augustini loco, qui habetur in libro de Magistro, consentit: Ergò, nihil attingit preces vulgari lingua faciendas.* Vulgariter verò certè conclusum, quemadmodum ego me in sequentibus demonstraturum confido. Si tibi non molestum fuerit (Christiane Lector) hæc imperatoris Iustiniani, atque Augustini verba à nobis vsurpata inspicere modò & examinare, iudicium tibi arbitriúmque rei permisero.

Augustinus ait: *Non habemus opus loquutione, cum oramus. Iustitiæ enim sacrificium in templo mentis nostræ, atque in cubilibus cordis sanctificatur.* Quemadmodum Clemens Alexandrinus ait: *Deus linguarum voces non expectat, quibus sensa nostra significemus: antequam enim crearemur, quæ animos nostros subituræ essent cogitationes cognouit.* Propterea Deus apud Esaiam prophetam inquit: *Antequā clament, ego exaudiam.*

Clemens Stromat. lib. 7.

Esai. 65.

Hinc Augustinus igitur quærit: *quamobrē tum sacerdos vocem extollat, altéque precetur in ecclesia?* Respondet, *Non vt Deus, sed vt populus illum exaudiat: quò ipsius audita voce, & mente percepta admoneatur, & consensione quadam coniungatur, atque ad Deum excitetur.* Hic sensus ipse est, hæc mens Augustini, cum istis Cypriani verbis penitus conspirans: *Ideo & sacerdos ante orationē præfatione præmissa, parat fratrum mentes dicendo,* Sursum corda: *vt dum respondet plebs,* Habemus ad Dominum, *admoneatur se nihil aliud, quàm Dominum cogitare debere. Quando intentione syncera Dominum debeat non vocis sonus, sed animus & sensus orare. Ista omnia* (inquit Hardingus) *non de vernacula lingua dicuntur, sed ad sensum & intellectum precationum pertinent.* Num autem preces intelligere verbis ignoratis populum posse censet? Augustinum si reuiuisceret, huiusmodi in verba sua commentarij puderet. Deinde adiungit, *Sacerdos voce contendit, non vt à populo intelligatur, sed vt significet se precari.* Atque ita Dei ministrum ænea tuba deteriorem facit, quæ si incertum dederit sonum, vt Paulus inquit, nemo se ad bellum instruere parareque poterit. Hoc iustissimo Dei iudicio contingit, vt qui aliis conatur lucem eripere, ipse in mentem reprobam tradatur, cæcúsque existat. Etsi autem Augustini mens, quod ad pronunciationem sacerdotis attinet, perspicua sit ex se, post tamen eam in eodem libro clariùs exponit, & luculentiùs, ad hunc modum: *Constat inter nos verba esse signa: at signum nisi aliquid significet, nō est signum.* Quod si autem sacerdos, iuxta hanc excogitatam Hardingi expositionem, verba sua, quę sunt mentis suæ signa, ignota lingua protulerit, populúsque quid significetur nescierit, Augustini sententia, loquitur ille quidem, & tamen nihil dicit: signa profert, & nihil tamen significat. Adhæc Augustini dilucida verba sunt, *Sacerdos in cœtu apertè loquitur, significādæ mētis causa, vt homines audiāt, & verbis sonātibus commonefiant.* Hardingus autem ait: *Minimè verò, nō enim sacerdos apertè loquitur significādæ mētis causa, neque vt homines audiāt, & commonefiant, sed tantùm vt indicet se precari.* Atque ita isto glossemate textum planè corrumpit. Iam & Augustini & Iustiniani verba in causas suas ἀναλύωμεν, quæ est intelligendi via certissima. Eò autem spectant vtraque vt prout Paulus præscribit *populus respōdeat Amen.* Tum sequitur, *Populus debet respōdere Amē ad preces: Ergo, preces intelligat necesse est.* Tum etiam insuper: *Populum oportet preces intelligere: Ergo sacerdos debet eas voce clara, & populari etiam ac vulgò vsitata lingua pronunciare.* Ista autem porro resoluamus, ac retexamus. Potest Sacerdos, vt statuit Hardingus, palam peregrina lingua precari: quare non est ei necesse clarè pronunciare: Clarè non pronunciat: non ergo plebs eum intelligere potest: Plebs sacerdotem non intelligit: Iccirco non potest respondere, Amen. Quare suam hanc glossam manifesta Paulini præcepti violatione stabiliat Hardingus est necesse.

Cyprian. de Orat. Dominica.

1. Cor. 14.

August. de Magistro.

Argumenti Hardingiani ἀνάλυσις.

Adiicit Hardingus: *Hæc lex Cōstātinopolitana tātùm ecclesia, non autem in Romana valuit.* Atque sic duo concludit manifestò falsa vno breuissimo ambitu orationis. Quid autem? an Iustinianum negauerit Romanum fuisse Cæsarem, aut in ecclesiam Romanam imperium vllum habuisse? Equidem se inscribit imperatorem Romanum, Francicum, Alemanicum, Germanicū, &c. Et duos Romæ episcopos loco suo mouit, atque abdicauit, Syluerium nempe, & Vigilium: vnde aliquid habuisse iuris in ecclesiam Romanam videri possit.

Quòd autem ad constitutionem hanc attinet, Ius ait: *Generaliter dictum, generaliter est accipiendum:* & vsitata ac trita sentētia est, *Vbi lex non distinguit, nos distinguere non debemus.* Qua autem ratione cōmotus est Hardingus, aut qua authoritate, præterquam sua inductus, vt hanc modò legem nihil ad Romanam ecclesiam pertinuisse affimaret? Certè, reliqua ex iisdem *nouellis cōstitutionibus* non tantùm de Constantinopoli, Romáve prælatæ fuerunt, sed de toto etiam Romano imperio, ac ditione. Imperator quoque Iustinianus in eodem titulo sic habet: *Quæcunque hac de re fuerunt ad hanc regiam ciuitatem Constantinopoleos necessaria, eadem lege particulari sumus complexi.* Quid autem multis opus est? Imperator Constitutionem illam, quæ Clerum attingit, legem generalem appellat, his verbis. Κοινῷ τε καὶ γενικῷ νόμῳ περὶ χειροτονίας &c. διετυπώσαμεν. In codice autē de episcopis, & Clericis nominatim sanciens, hæc verba habet: *Et hoc nō solum in veteri Roma, vel in hac Regia ciuitate, sed & in omni terra, vbicunque Christianorum nomen colitur, obtinere sancimus.*

Vnde autem Hardingo tam liquidò constat, Romanam ecclesiam neutiquam fuisse hac lege constrictam? Certè, cum ex Leone Romano, tum ex Ambrosio Mediolanensi Episcopo, aliisque sanctissimis Patribus contrarium apparet. Augustinus de ecclesia Romana loquitur ad hunc modum: *Vnū Psalmū cātamus: vnū respōdemus Amē.* Hieronymus etiam Romæ ad finem precis populum *Amen, instar tonitrui reboasse* tradit.

Deinde, si ista constitutionis sanctio ad Græcam duntaxat ecclesiam pertineret, sique Græci solummodo sacerdotes aperta voce, Latini omnes summissa pronunciarent, qui tum Hardingus hanc Iustiniani legem, ex Augustini verbis interpretatur, quem ipse secus fecisse, eique legi nunquam obtemperasse suspicatur? Aut qui repugnantia conciliare poterit? Tam citóne sui oblitus est? An loqui idem est quod silere, aut canere, quod mussitare dixerit?

Denique, Iustinianus Constitutiones has fuisse generales affirmat: Hardingus vnus Generales fuisse negat. Iustinianus ait eas toto orbe obtinuisse, Hardingus nusquam nisi Constantinopoli: Ambrosius, Hieronymus, Leo, atque alij in ecclesia Romana obseruatas esse scribunt: Hardingus solus in ecclesia Romana obseruatas esse pernegat. Si tantum nobis in rebus manifestis atque perspicuis fucum facere conatur, quam ei fidem in dubiis atque obscuris tribuemus?

Gregorius Holoander.

Gregorius Holoander, quem nonnulla legum istarum deprauatione notare videtur Hardingus, vir, & singulari doctrina præditus, & interpres integerrimus fuit: cuius summas gratias diligentia meretur, non defensione fides eget. Nihil amplius addit, quàm in Archetypo reperit: Vetus autem, quam hîc Hardingus citat Tralatio, in hoc eodem titulo, *De diuersis ecclesiasticis capitulis*, folium integrum, aut plus desiderat, quod in Græco extat.

Quod de *fraudulento alearum iactu dicit*, miror equidem Hardingum ea grauitate virum, animum inducere potuisse, vt ganeonum, & perditissimorum nepotum verba arriperet, quibus nos iocosè luderet. Sacrificium autem Christi in cruce factum, quod nobis in sacra Communione exhibetur, nos & animis amplectimur, & linguis agnoscimus. Quod ad illud vocabulum attinet, *Oblatio*, me locum illum non transtulisse, sed tantùm attigisse nouit Hardingus, neque causa vlla fuit, quamobrem sacrificij, sed duntaxat precum mentionem facerem: in quo nulla fraude, nullóque doli genere vtebar, ista Iustiniani verba, sequutus: καὶ τὰς ἄλλας προσευχὰς μετὰ φωνῆς προσφέρειν: i. *& cæteras preces alta voce efferre.* Neque de Iustiniano falsi aliquid affirmaui: sicuti Hardingus tũ de Iustiniano, tum de Augustino hoc in loco affirmauit. Non sum nescius sacram Liturgiam, variis esse à sanctis Patribus appellatam nominibus. Exempli causa, *Dominicam cœnam: Dominicam mensam: Communionem: Mysterium: Sacramentum: Mysticam mensam: Eucharistiam: Oblationem: Sacrificium.* Hisque nos vniuersis appellationibus promiscuè communitérque, prout occasio tulerit, vtimur.

Authen. Constitut. 123.

Quandoquidem Hardingus calumniandi materiam ex eo arripuit, quòd ego Iustiniani locum tam leuiter transierim, vnóque pene verbo propter temporis breuitatem attigerim, operæpretiũ me facturum puto, quò Lectori meliùs satisfiat, eundem integrum & totidem verbis proponere. Hæc Iustiniani verba sunt: *Iubemus, vt omnes episcopi pariter & presbyteri, non tacito modo, sed clara voce, quæ à fideli populo exaudiatur, sacram oblationem, & preces in sancto baptismate adhibitas celebrent: quò maiore exinde deuotione, in depromendis Dei laudibus audientium animi efferantur. Ita enim & D. Paulus docet dicens in 1. ad Corinth. epistola:* Enimverò si solummodo benedicas spiritu, quomodo is qui priuati locum implet, dicet ad gratiarum actionem tuam Deo, ipsum Amen: quandoquidẽ quid dicas nescit. Tu quidem pulchrè gratias agis, alter autem non ædificatur: *His igitur de causis conuenit, vt inter cæteras preces, & ea quæ in sancta oblatione dicuntur, clara voce à religiosissimis episcopis & presbyteris Domino nostro Iesu Christo, cum Patre & sancto spiritu proferantur: scituris religiosissimis sacerdotibus, quòd si quid horum neglexerint, & in horrendo iudicio magni Dei, & Seruatoris nostri Iesu Christi de his rationem reddent, neque nos hæc cognoscentes conquiescemus, relinquemúsque inulta.* Hinc pio principi licitum esse perspicimus, episcopis sacerdotibúsque mandare: leges & instituta, quibus ecclesia administretur, sancire: Sacramentorum abusus resecare: scripturas citare: Minas & supplicia episcopis, si deliquerint, proponere. Iam verò si hæc Iustiniani verba pro nobis neutiquam fecerint, idque sine vlla stropha aut dolo malo, multò quidem minùs pro Hardingo fecerint: nisi hac forma rationes suas concluserit: *Sacerdotem oportet clarè eloqui. Ergo, ignota lingua loqui fas est.* Aut hac, *Debet populus preces audire, & respondere Amen. Ergo, eas intelligere non opus habet.*

1. Cor. 14. τῷ θεῷ.

Postremò, quod vt Diuinæ veritatis fidem infirmaret, eámque imperitæ multitudini in odiũ vocaret Hardingus ait, *Nos ecclesiæ Dei membra esse detrectasse:* in eo quidem orationis tantùm acerbitatem malitia quadam singulari incensam, qua abundare maximè videtur, depromit, neque vel suam apud sapientes causam meliorem, vel nostram facit deteriorem. Si nos ecclesiæ membra minimè sumus, qui populum ea, quæ precentur, intelligere, preces coniunctis & consentientibus studiis facere, atque ad Deum suscitari cupimus: quales tum ij iudicandi sunt, qui totam ecclesiã ignorantia submersam volunt, & populi stupidam esse inscitiam exoptant? Si Paulus ad vitam rediret, sic ei responderet, vt Elymæ quondam respondit. Ipse enim certè nouit, *Se scientem, & volentem deprauare manifestam viam Domini.*

Act. 13.

Hardingus. 15. Sectio.

IMperator ille quasdam gentes dominatu suo tenebat, quæ vulgò Græcè non intelligebant. Nemo tamen est, qui Constitutionem vllam proferre possit, quam ille vnquam de sacris Vernacula & barbara ipsarum lingua faciendis tulerit. Tot gentibus ad fidem adductis ac conuersis, quarum vulgus hominum nec Græcè, nec Latinè intelligebat: si diuinorum officiorum vulgari sermone celebratio tum visa fuisset ad salutem necessaria,

cessaria, Patres, qui non dubitarunt vitam pro gregibus suam profundere, nunquam illam exilem molestiam detrectassent publicam precationum formulam vernaculè conscribendi, si necessarium fuisset, actum fuisset: Si actum fuisset, memoriæ certè ab aliquo proditum fuisset.

Constat ex Arnobio in Psalmos, ex Epiphanio contra Hæreses, & ex Augustino in lib. de Doctrina Christiana, iuxta censum antiquitatis linguas in orbe omnino fuisse septuaginta duas. Cicero innumerabiles esse scribit. Cum tantus igitur numerus esset linguarum,[a] *nec Iuellus, nec vllus ex eius consectaneis docere potest, publicas ecclesiæ preces in vlla gente per sexcentos à Christo annos administratas fuisse, alia vlla lingua præterquam Græca, & Latina.*

[a] Falsum: Euincam enim manifestis exemplis contrariũ.

Episcopus Sarisburiensis.

ARnobius, Augustinus, & Epiphanius septuaginta & duas discrepantes in orbe linguas esse scribunt: Cicero innumerabiles ponit. Hîc autem obiter annotandum illud est, Ciceronis verba, si rectè considerentur, Hardingi dogma de audiendis iis, quæ nemo intelligit, quam audiẽdi ratione in Missa tuetur ac propugnat, funditus euertere. Sic enim Cicero habet. *In linguis quas non intelligimus, quæ sunt immemorabiles, surdi profectò sumus:* Vnde Hardingus perspiciat, indoctam multitudinem, quæ illum Missæ sacra peragentem audit: surdam esse, nec aliquid audire: *Attamen* (inquit Hardingus) *non poterit Iuellus euincere publicas preces vlla vnquam lingua, præterquam Græca, & Latina procuratas fuisse.* Itaque iussus à me vnum modò exemplum commemorare, ex quo plebem preces publicas peregrina lingua recitasse suas constet: cùm nullum, vt videtur, proferre possit, totum defensionis statum callidè immutat, atque hoc negotium mihi mandat. Quod quidem etsi possem scholarum iure, moréque disputandi meritò recusare, placet tamen ei morem gerere, tum propter causæ opportunam, ac minimè impeditam rationem, tum præcipuè, quò omni scrupulo tuam (Christiane Lector) mentem liberasse videar: nihil dubitans, quin ipse sponte tua, sis in Hardingi partibus nonnullam desperationem, atque inopiam deprehensurus: qui post tantam iactationem verborum, & pollicitationem nihil proferre possit.

Cicero in Tuscul. quæstionibus.

Atque vt in re minimè dubia, orationis superuacaneam prolixitatem fugiam, *Eckius Indos rem diuinam sua lingua fecisse testatur:* Durandus, *Hebræos, qui baptizantur, diuina mysteria Hebraicè celebrasse* scribit. Harum tamen linguarum neutra vel Græca fuit, vel Latina. Nicolaus Lyranus, & Thomas Aquinas: *In ecclesia primitiua commune officium vulgari lingua celebratum fuisse* tradunt.

Eckius in locis communibus. Durand. lib. 4. cap. 1. Nicolaus Lyran. & Thomas Aquin. in 1. Cor. 14.

Hæc pauca conuincunt Hardingum gloriosa tantùm quadam ostentatione atque exultatione elatum in hæc verba prorupisse: *Neque Iuellum, neque ex suis suffragatoribus quenquam probare posse sacra publica vllo sermone, præterquam Græco, aut Latino, peracta fuisse.* Etenim istuc facilè suorum adeo Doctorum testimonia demonstrant.

Quid si autẽ Hardingus ipse disertis verbis hoc fassus, atque adeo professus fuerit? Etsi Christum quidem petulanter denegauit, seipsum tamen, opinor, non denegabit. Eius verba, quæ in hoc ipso articulo postea habentur, attendè, quæso, Lector optime. *At Paulus (inquiunt) flagitat, vt populus assensum præbeat, & se sacerdoti conformet, respondendo Amen, ad precationem eius in ecclesia factam.* Ad hæc sic respondet Hardingus. *Equidem in ecclesia primitiua hoc necessarium fuit, cùm fidei primùm disciplina traderetur, eáque de causa preces vulgari lingua, & populo cognita recitabantur.* Quid clariùs, quid explicatiùs, quid disertiùs dici potest? In his verbis preces publicas, non modò vsitato, plebíque noto sermonis genere factas fuisse confitetur Hardingus, verumetiam id eo tempore necessarium extitisse confirmat, stabilítque hac asseueratione, *Equidem.* Nunc verò contrà, tãquam sui penitùs oblitus, ait, preces publicas nunquam celebratas fuisse, nisi vel Græca, vel Latina lingua: séque pro hac causa propugnantem, cum Iuello, tum cæteris omnibus, qui eius partes sequuntur, fortiter aduersaturum atque repugnaturum profitetur. Quod illi certè non erit difficile, cum non vereatur ipse sibi tam strenuè repugnare, secúmque viriliter digladiari. Si in altero verus sit, in altero falsum esse necessum est.

Sectio. 28.

Hardingus sibi ipsi aduersatur.

Verùm enimverò, quò omnis tibi, Lector Christiane, locus dubitationis ereptus videatur, admonendus mihi es, in ecclesia primitiua non ab vno quopiam homine administrata esse sacra publica, sed presbyteri, totiúsque ecclesiæ coniunctis operis, quemadmodum veteres Patres vna voce, consentientibúsque suffragiis testantur.

Clemens Alexandrinus habet: *In orationibus veluti vnam vocem communem habent, & vnam mentem.* Chrysostomus habet: *Non modò sacerdos gratias agit Deo, sed populus etiam totus: quid autem miraris quando sacerdotem & populum in precibus colloquentes vides?* Atque vt hîc Augustinum, Hieronymum, Basilium, Nazianzenum, Dyonisium Areopagitam, multósque præterea patres prætermittam, Isidorus morem ecclesiæ sua memoria obseruatum enarrans, hæc habet: *Oportet, vt quando psallitur, ab omnibus psallatur: & cùm oratur, vt ab omnibus oretur: cúmque lectio legitur, facto silentio æquè audiatur à cunctis.*

Clem. Alexan. Strom. lib. 7. Chrysost. in 2. ad Corinth. Homil. 18. Isidor. de eccles. offic. cap. 10.

Non facilè dixerit Hardingus, hæc omnia docto aliquo genere linguæ peracta fuisse, vulgúsque hominum cuiusuis gentis, aut Græcè, aut Latinè intellexisse. Sed quia nihil ei dictu durum est, aut incredibile, quid antiqui Patres prodiderint videamus. Antè ex Theodoreto, Sozomeno, atque Hieronymo preces Syriaca lingua celebratas esse demonstraui. Vetusti illius patris Origenis verba, meo quidem iudicio, planissima sunt. Contra Celsum quendam, ethnicum improbis-

Origen. contra Celsum lib. 8.

simum, scribens sic habet: *Græci quidem Græcè Deum nominant, & Latinè Romani: & singuli item natiua & vernacula lingua Deum precantur, & laudibus pro se quisque extollit. Ille enim, qui est linguarum omnium Dominus, audit, quauis lingua orantes, idque non secus, quàm si vnam vocem exciperet è varijs linguis expressam. Deus enim cum præsit machinæ vniuersi, non est quasi vnus aliquis, qui linguam vel Græcam, vel Barbaram sit sortitus, vt cæteras nesciat.*

Ambros. in 1. Cor. 14.

Ambrosius de Iudæis loquens, qui fuerant ad Christum conuersi, hæc habet: *Hi ex Hebræis erant, qui aliquando Syria lingua, plerunque Hebræa in Tractatibus, & Oblationibus vtebantur.*

Basil. in epistol. ad Clericos Neocæsarien.

Basilius in epistola ad literatos Neocæsarienses scripta, in qua quo modo populus ad domum precationis nocturno tempore conueniret, & psalmos alternis vicibus canere, vnáque precari soleret, exponit: sub finem hæc verba habet: *Tanquam ab vno ore, & ab vno corde Confessionis Psalmum offerunt Domino, & verba pœnitentiæ eorum quisque propriè ascribit sibi.* Hinc plebem Basilij tempore psalmos vnà cecinisse, & quid canerent, intellexisse manifestò patet.

Atque ne fortè elaberetur Hardingus, vt solitus est, diceretque ista omnia Græcè fuisse, non aliquo sermone Barbaro peracta, Basilius ipse hominem anteuertit. Statim enim adiungit: *Horum gratiâ, si nos fugitis, fugietis etiam Ægyptios, & vtrosque Lybias, & Thebanos, & Palæstinos, & Arabas, & Phœnices, & Syros, & eos, qui ad Euphratem incolunt, & in vniuersum omnes, quibus vigiliæ, & orationes, & communes psalmodiæ in honore habentur.* Non est Hardingus (puto) dicturus omnes istas Græcè loquutas esse gentes.

Hieronym. ad Heliodor. epitaphium Nepotiani.

Idem affirmare Hieronymus videtur, ad Heliodorum de morte Nepotiani scribens. Ipsius hæc verba sunt: *Nunc passionem Christi, & resurrectionem eius, cunctarum gentium & voces & literæ sonant. Taceo de Hebræis, Græcis, & Latinis, quas nationes suæ crucis titulo Dominus dedicauit. Bessorum feritas, & pellitorum turba populorum, qui mortuorum quondam inferijs homines immolabant, stridorem suũ in dulce Christi fregerunt melos, & totius mundi vna vox est Christus.*

Æneas Sylu. histo. Bohemiæ cap. 13.

Æneas Syluius tradit postquam Cyrillus, atque Methodius Illyricos ad verum Dei cultum adduxissent, circiter annum Domini octingentesimum, & sexagesimum, impenséque contenderent, vt sibi fas esset preces publicas, cæteráque sacra eis Dalmatico & trito sermone tradere atque proponere, Papa autem & Cardinales non facilè, vt concederent, exorarentur, vocem quandam ad aureis ipsorum tanquam de cœlo accidisse eiusmodi: *Omnis spiritus laudet Dominum: & omnis lingua confiteatur ei:* Tum eis permissum esse, vt suo & proprio sermone vterentur.

Extra. de Officio Iudicis ordinarij. Quoniam plerisque Rituum & linguarum.

De hac autem re Innocentius tertius ad hunc modum sanxit, quod num ad rem faciat, annon, ipse Hardingus æstimet. Eius hæc verba sunt: *Quoniam in plerisque partibus, intra eãdem ciuitatem atque Diœcesim permisti sunt populi diuersarum linguarum, habentes sub vna fide varios ritus, & mores, districtè præcipimus, vt Pontifices huiuscemodi Ciuitatum siue Diœcesium, prouideant viros idoneos qui secundùm diuersitates rituum, & linguarum, diuina illis officia celebrent, & ecclesiastica sacramenta ministrent.*

Ioan. Billet in Summa de diuinis officiis.

Potui hoc in loco alia multa ex variis authoribus depromere, atque ex ipso adeo Abdia, quem tanto habet in honore Hardingus. Placet autem duntaxat cuiusdam Ioannis Billetti hac de re querimoniam attexere, itáque testimoniis repetendis finem imponere: sic habet: *In primitiua ecclesia prohibitum erat, ne quis loqueretur linguis, nisi esset qui interpretaretur. Quid enim prodesset loqui, nisi intelligeretur? Inde etiam inoleuit laudabilis consuetudo, vt pronuntiato literaliter Euangelio, statim in vulgari populo exponeretur. Quid autem nostris temporibus est agendum, vbi nullus, vel rarus inuenitur legens, vel audiens qui intelligat? Videtur ergo potius esse tacendum, quàm psallendum.*

Hic ego causæ nostræ ascriptores produxi, veterum Patrum Clementem Alexandrinum, Origenem, Basilium, Hieronymum, Theodoretum, Sozomenum, atque Isidorum: recentiorum authorum, Aeneam Syluium, Innocentium tertium, Ioannem Billettum, Thomam Aquinatem, Lyranum, Durandum, Eckium. Quapropter non negabit, vt spero, posthac Hardingus, quin nos aliquid proferre possimus, vnde preces publicas primitiuæ ecclesiæ memoria, non Græca tantùm aut Latina celebratas fuisse lingua constet. Edat nunc Hardingus vicissim suarum partium huiusmodi aliquod firmum, fidéque dignum testimonium, atque ego, perinde vt sum pollicitus, manus dabo.

Hardingus. 16. Sectio.

Ad illam autem Iustiniani Constitutionem amplius respondemus, nobis illam vehementer probari. Pij homines consentaneum iudicant, vt preces nunc etiam distinctè & clarè pronuncientur, quò omnia hominum genera, maximè eorum, qui eas intelligunt, ad deuotionem inde magis excitentur, & commoueantur ad dicendum Amen, *atque ad assensum ijs præbendum suo obsequio, & fide in ecclesiam, certóque sibi persuadeant eas esse bonas, & salutares, & ad gloriam Dei aptas. Eámque ob causam, vbique ferè vidimus sacerdotem, cum se ad preces suas recitandas accingeret, sanctam campanam pulsasse, & altè pronunciasse* Pater noster. *Quo signo silentium, reuerentia, & deuotio populo imperabatur.*

Tintinnabulũ Pater noster.

Episcopus

Episcopus Sarisburiensis.

NOn possum Hardinge aliter ego hîc respondere, quàm Cicero quodam in loco suo respondit aduersario, *Mimi ergo exitus est, non fabulæ.* Cyprianus Ecclesiæ consuetudinem, quę suo tempore obtinebat, exponens habet: *Sacerdos ante orationem parat animos fratrum, dicendo, sursum corda.*

Cicero pro Cœlio.
Cyprian. in orat. Domini.

Chrysostomi & Basilij ætate, populum hisce verbis appellare solebant Diaconi, *Oremus, attendamus:* quemadmodum sacerdotes ethnici sua sacrificia facturi, silentium imperare, turbámque consueuerunt hoc modo affari: *Fauete linguis.* Hoc in ecclesia Christi obseruatum fuisse Cyprianus scribit, quo populus admoneretur, nihil inter precandum in mentem cogitationémque venire oportere, nisi Dominum Christum.

Proinde Chrysostomus ait, *Sacerdos in sacra Liturgia populum alloquitur, & populus sacerdotem.* Hardingus autem aliam & faciliorem, & breuiorem docendi populi viam excogitauit, nempe pulsando tintinnabulo. Tergo fratribus obiecto, vultúque auerso duas voculas clarè pronunciat, *Pater noster:* sanctæ campanulæ diaconorum munus admonendi populi nunc orandum esse, attribuit. Si hæc quisquam præter Hardingum diceret, næ ille ineptus cauillator haberetur: nunc quia dicuntur ab Hardingo, seria videri debent, & satis magni ad tollendam Iustiniani legem momenti.

Chrys. in 2. ad Cor. Ho. 18.

Augustinus Cæsar Tiberium filium adoptiuum admonuit, *vt ore, non digito loqueretur.* Cato solitus est dicere, mirari se, *quòd non rideret Augur, Augurem cum vidisset:* quandoquidem ars illorum omnis in populo ludificando sita esset. Hæc ego Hardingo non accommodabo, licet eadem certè disciplina eruditus videatur. Faxit Deus, vt sua campanula eum de colendo, timendóque Deo admoneat, ne ipse tanquam *æs resonans, aut cymbalum tinniens habeatur.*

Sueton. in Augusto.
Plutarch. in Catone.
1. Cor. 13.

Hardingus. 17. Sectio.

IAm verò dicamus aliquid de publicis precibus, seu liturgia ecclesiarum Aphricanarum, vbi Augustinus prædicabat Latinè, vt tu dicis, & ego non inficior, atque ex eo videris concludere, homines plebeios omnes illius gentis & intellexisse, & loquutos esse Latinè, tanquam vernaculè. Quòd ecclesiæ Aphricanæ preces suas publicas Latinè celebrarent, ex multis Augustini locis manifestum est, in commentarijs suis in Psalmos, in libris de doctrina Christiana, in Homilijs, atque planissimè in epistola quadam ad Hieronymum, in qua scribit homines cuiusdam ciuitatis Aphricanæ episcopo suo vehementer iratos fuisse, quòd is scripturas in parte publicæ Liturgiæ recitans in quarto capite prophetæ Ionæ legeret, non Cucurbita, *iuxta veterem translationem, cui fuerant assuefacti, sed* Hedera, *vt noua interpretatio Hieronymi habebat. Iam verò, etsi aliquos ista quidem intellexisse fateor, dubitari tamen meritò posse video, vtrum alij intellexerint, nécne: imo potius multis adducor coniecturis, vt secus censeam. Nam quòd Annibalis legatos sermone Punico proditos agnoscerent Romani, vt scribit Titus Liuius, quódque Sylla patritius Romanus cum Boccho rege Numidiæ per interpretes vtrinque adhibitos colloqueretur, quemadmodum Salustius in bello Iugurthino refert, linguam Aphricanam eandem fuisse, quam Punicam, antequam à Romanis ea gens debellaretur, coarguit.*

Lib. 3. secundi belli Punici.

Cùm igitur ijdem homines in ea terra vsque ad Augustini ætatem sedes haberent, quæ nos ratio commoueret, vt eam natiuæ suæ maternæq́ linguæ oblitam esse, & Latinam de integro didicisse indicaremus? Non nego quin valde multi intellexerint, & loquuti fuerint Latinè propter crebrum Romanorum in ea loca aduentum, propter leges Romanorum ibi obseruatas, propter Romanorum præsidia ibi constituta, maximéque propter ingentem multitudinem hominum Latinorum illuc habitandi causa missam, Deductis coloniis *primùm ab Augusto Imperatore, deinde ab Adriano, pòst à Commodo, qui magnam illam ciuitatē Carthaginem instauratam nuper & reædificatam, ex suo nomine vocari Alexandriam Commodianam voluit, vt scribit Lampridius. Romanæ istæ coloniæ, in locis maritimis consederunt, vrbésque magnas habitarunt, Carthaginem, Vticam, Hipponem, Leptim &c. & quæ istis finitimæ fuerunt.*

His de causis, Romana seu Latina lingua latè fusa est, cœpítque peruulgata esse, quippe quæ apud incolas, qui è Romana stirpe fuerunt, permaneret, atque ab alijs etiam, quibuscum erant ij consuetudine vitæ coniuncti, longo vsu addisceretur, præcipuè in vrbibus, in quibus Romani rerum potiti sunt. Hæc me adducunt, vt linguam Latinam illic peruagatam, & admodum vulgarem fuisse credam. Quod autem intimis etiam eius regionis partibus, & hominibus rusticis, qui priscum & patrium sermonem diutissimè conseruant, vt experientia docet, communis esset, non est certè credibile. Etsi enim homines nobiles, vrbésque linguam nonnunquam mutent, quò maiore sint in honore, plebs tamen infima & rustica non tam facilè mutari solet. In hoc regno Anglicano, post tempora Guilielmi Conquestois, cum propter frequentes Gallorum in Angliam accessus, & nostrorum hominum in Galliam profectiones, tum etiam propter leges Gallicas, & summam principum gratiam, & ornamenta honorum ijs delata, qui Gallicè loquerentur, maxima pars nobilium, Iurisperitorum, mercatorum, ducum, militū, & diuitum, Gallicè & intelligendi & loquendi periti fuerunt: homines tamen in villis & rure habitantes aut parum, aut nihil loquebantur. Hinc autem natū est illud apud Anglos antiquitus prouerbium Iack vvoulde be à gentleman, but Iack can no French: *Idem de Latino sermone apud Pœnos suspicari licet.*

Quid de plebe rusticana iudicabimus cum Septimius Seuerus post Apostolorum tempora Imperator, Latinis literis vix mediocriter imbutus esset: Punicis autem luculenter instructus, vtpote Lepti natus? De quo sic Aurelius Victor in Epitome sua scribit: Latinis literis sufficienter instructus, Punica lingua promptior, quippe genitus apud Leptim Prouinciȩ Aphricæ. *Hîc Latina lingua institutioni, & disciplinæ, Punica naturæ tribuitur. Ælius Spartianus in huius Seueri vita ad Diocletianum scribit, quòd cum soror eius fœmina Leptiana Romam ad illum veniret, imperatorem Seuerum, illius suppuderet, quia* vix latinè loqui sciret: *itaque eam in patriam suam redire iussit. Hæc enim ipsius Spartiani verba sunt. Quare si homines tam illustri nobilitate latinam linguam ignorarent, cum præsertim opportunissimam Aphricæ plagam habitarent, facilè intelligi potest, quid de vulgo plebeiáque turba rus incolente æstimandum sit.*

Delabamur nunc ad Hieronymi ætatem. Hieronymus, in epistola ad quandam nobilem Virginem Romanam nomine Demetriadem in Aphrica versantem scripta, in qua eam hortatur vt in eodem sancto virginitatis gradu persistat, sic habet: Vrbs tua quondam orbis caput, Romani populi sepulchrum est: & tu in Libyco littore exulem virum exul ipsa accipies? Quam habitura pronubam? quo deducenda comitatu? Stridor Punicæ linguæ procacia tibi Fescennina cantabit. *Videtis, vt Hieronymi tempore Aphri Punicè loquerentur, iique, qui iuxta mare habitabant, quæ loca Romani longissimo tempore occupauerant. Hinc colligere licet, linguam Latinam in remotioribus ac interioribus partibus Aphricæ, non admodum peruulgatam fuisse. Augustinus in permultis operum suorum locis homines Aphricanos, quos Pœnos nominant, Punicè loquutus esse testatur, & quandam illius linguæ similitudinem, & quasi cognationem cum Hebraica agnoscit. Certissimum autem de lingua Punica testimonium eius in 44. epistola ad Maximum Madaurensem extat, in qua illi vocabula quædam Punica ridenti in Christianorum probrum seriò sobriéque respondet. Postea miratus, quòd his homo Apher, & ad Aphros scribens, Punica nomina, & vocabula reprehenderet, & postquam eam linguam laudibus ornasset, quòd multa à doctissimis viris fuissent memoriæ sapientissimè commendata literis Punicis, ad extremum sic aduersus illum concludit:* Pœniteat te certè ibi natum, vbi huiusmodi linguæ cunabula recalent. *Quibus verbis illi dolorem quidem ἄστοργον obijcere videtur, quasi sui pœniteret, in ea se regione fuisse natum, in qua Punicè loquerentur, antequam è cunis ereperent. Vnde natiuum illarum partium Aphricæ, de quibus loquitur, sermonem Punicum fuisse, non Latinum constat.*

Lib. 1. de peccatorum meritis, & remiss. ca. 24.

Denique si omnes Latinè fuissent, nulli Punicè loquuti, Augustinus ad hunc modum non scripsisset: Punici Christiani, baptismum, salutem: Eucharistiam, vitam vocant. *Ex quibus perspicimus & Latinos, & Punicos Christianos in Aphrica fuisse, quorum aliqui Latinas preces minimè intelligerent.*

Episcopus Sarisburiensis.

HOc in loco laborem, vt solet, & non necessarium, & inutilem suscepit Hardingus in ea re confirmanda, quam nullus inficiatur.

Ego Hippone ciuitate Aphricæ, in qua D. Augustinus Episcopum egit, publica ecclesiæ sacra latino sermone tractata fuisse dixeram: neque esse mirum, quando tota plebs ea latinè & intelligeret, & loqueretur. Ad hæc autem Hardingus collectis quibusdam coniecturis, atque suspicionibus respondet, vniuersos totius Aphricæ populos, homines montanos, paganósque omnes literis latinis nunquam eruditos fuisse. Quod neque à me negatur, neque ad hanc controuersiam omnino pertinet. Etenim facilè ex Augustino, Hieronymo, aliisque testibus innumeris cognoscere licet, illius regionis homines suam quandam & natiuam habuisse linguam, cùm à cæteris omnibus diuersam, tum sibi vnicam & propriam. Itaque hoc tanta contentione studióque demonstrare, adhibitis Titi Liuij, Salustij, Aurelij Victoris, AElij Spartiani, Augustini, & Hieronymi testimoniis, quid aliud fuit, quàm tempus frustrà, & nullo cum emolumento terere? Augustinus Eucharistiam Punicè dictam esse *vitam* ait, & baptismum similiter *salutem:* & vocabula *Mammon*, & *Iar*, & alia consimilia, prouerbiáque nonnulla Pœnorum sermone trita commemorat. Hieronymus scribit, *Alma* Punicè significare Virginem, vt & Hebraicè. Nomen *Mappa* à Pœnis, *Rheda* autem, & *Petoritum* à Gallis mutuatos esse Latinos, author est Quintilianus. Neque dubitari potest, quin aliis etiam nominibus propriis atque sententiis abundarent, quibus animorum suorum, & cogitationum sensa exprimerent. Postquam autem eos Romani deuicissent, quò dominatum in illos penitus stabilirent atque firmarent suum, cum leges illis imposuerunt Romanas, tum eos linguam etiam Romanam perdiscere coegerunt: quemadmodum in variis intra Italiam regionibus, ínque aliis permultis locis antè fecerant. Quod ita quibusdam graue visum est, vt Tyrrhenus, sicuti scripsit in Originibus Cato, rex Hetruscorum vltimus, tametsi regnum Romanis non grauatè suum cederet, nunquam tamen adduci posset, vt linguam etiam traderet patriam, nouámque reciperet. Atque vt hoc faciliùs perficere, præstaréque possent, cauerunt atque sanxerunt, vt Prætor cuiusque prouinciæ iudicia disceptaret, formásque rerum iudicatarum Latinè tantùm ederet, quemadmodum ex his verbis constat: *Decreta à prætoribus Latinè debent interponi.* Hinc Hieronymus accidisse scribit, *vt lingua Punica suo tempore multùm à vetere mutata fuerit.*

Aug. de verbis Domini secundum Lucam Serm. 35. Augult. in psal. 123. Hieron. in Esai lib. 3. cap. 7. Lib. 1. cap. 9.

Ex Originibus Catonis.

De re iudicata &c. decreta. Hieronymus in præfa. in lib. 2. Comment. ad Galatas.

Ista omnia minimè dubia sunt, neque hanc causam prorsus attingunt, sed eò tantùm spectant, vt Le-

vt Lectorem ignarum specie quadam eximiæ & incredibilis doctrinæ perstringant atque percellant.

Quod autem torus populus Hipponensis, qua in ciuitate preces publicæ Latinè fuerunt celebratæ, Latinè & sciret & loqueretur, quis Augustino ipso, qui Hipponensis tum episcopus erat, testis locupletior esse possit? Atque vt, quod ipse de se refert, prætermittam, scilicet vt Tagastæ ciuitatis Aphricanæ natus, linguam Latinam *inter blandimenta nutricum* didicerit, (in quibus verbis nutrices suas linguam Latinam calluisse significat:) in libro de Catechizandis rudibus ad hūc modum scribit: *Nouerint non esse vocem ad aures Dei, nisi animi affectum: ita enim non irridebunt, si aliquos antistites & ministros ecclesiæ, fortè animaduerterint, vel cum barbarismis, & solœcismis Deum inuocare: vel eadem verba, quæ pronunciant non intelligere, perturbatéque distinguere.* Præterea adiungit, *Non quod ista corrigenda non sint, vt populus ad id, quòd planè intelligit, dicat Amen.* Hic Sacerdotes admonet Augustinus, vt preces suas Latinas articulatè & disertè pronuncient, quò à populo intelligi possint. Iterum sic habet: *Volens etiam causam Donatistarum, ad ipsius humillimi vulgi & omnino imperitorum, atque idiotarum noticiam peruenire, & eorum, quantum fieri potest, per nos inhærere memoriæ, Psalmum, qui eis cantaretur, per latinas literas feci.*

August. Confes. li. 1. cap. 14. De Catechiz. rudibus cap. 9.

Retract. lib. 1. cap. 20.

Possidonius etiam in vita Augustini, Valerium, qui ante Augustinum episcopus Hipponensis fuerat, quòd homo Græcus esset, & Latinè parum intelligeret ad populum docendum, munúsque suum exequendum minùs aptum habilémque fuisse scribit.

Possidonius in vita Augustini cap. 5.

Ex istis breuiter à me expositis perspicuum esse & manifestum confido, Hipponensem populum linguam Latinam intellexisse quidem, etiamsi non perinde luculenter, atque eos, qui eam à magistro acceperant: & propterea vitiosè nonnunquam loqui solitū, nomina nominibus, Genera generibus, Casibus Casus permutantem: exempli causa *Dolus*, pro *Dolor*. Augustinus habet: *Multi fratres imperitiores Latinitatis loquuntur sic, vt dicant, Dolus illum torquet, pro eo, quod est Dolor.* Hanc ob causam se in suis ad populum concionibus demittit atque ad illorum captum accōmodat. Sic enim ad populum ait: *Sæpe & verba non Latina dico, vt vos intelligatis.* Rursum ait, *Ego dicam Ossum: sic enim potius loquamur. Melius est, vt nos reprehendant Grammatici, quàm non intelligant populi.* Hinc planum est Hippone, de qua ego nominatim loquutus fueram, publicas ecclesiæ preces Latino sermone nuncupatas, habitásque fuisse, quòd totus vniuersè populus ille Latinè & sciret, & loqueretur.

Augustin. in Ioan. tract. 7.

Augustin. in Psalm. 123.

Augustin. in Psalm. 128.

Hardingus. 18. Sectio.

Quod autem Augustinus, vt tu illum citasti, nec locum indicasti (sicuti soles sæpe, in quo facilè potes Lectorem fallere) hæc verba in homiliis suis ad populum sæpenumero inculcat: Nunc loquar Latinè, vt omnes intelligatis: *ex ijs verbis, si vlla modò fuerint eiusmodi, colligi potest, eum aliquando Punicè loquutum esse ad Christianos Punicos Latinè nescientes: nunc autem apud Latinos Aphricanos, qui de Romano genere procreati fuerant, & Punicè non intelligebant, Latine loqui velle, vt ab ijs omnibus intelligeretur.*

Qui luculentiùs adhuc ostendi sibi desiderat, populum Aphricanum, quos vocabant Pœnos, sua lingua Punica vsum esse, non Latina: quemadmodum homines etiam Hispani, qui appellabantur Iberi, *eo sermone vsi sunt, qui ipsorum proprius esset, legat Titum Liuium,* de bello Macedonico. *In eo enim tradit, quemadmodum cum Pœni, vel Iberi, & Romani conuenissent, vt rebus in publicum referrent, interpretem adhibuerunt. Vlpianus etiam iurisperitus, vir summo apud Alexandrum Seuerum Imperatorem loco, circiter primordia Christianæ religionis,* Fidei commissa *in vernaculis linguis omnibus relinqui posse scribit, & exempli causa, Punicam & Gallicam linguam nominat.*

In l. fidei commissa. ff. d. leg. 3.

Episcopus Sarisburiensis.

Video ab Hardingo nullam veniæ spem ostendi, si semel erratum fuerit. Quòd ego, quo in libro, & capite locus iste scriberetur, disertè non præmonuerim, persuadere hominibus conatur Hardingus, decipiendi me Lectoris viam quæsiuisse. Si hoc leuissimum crimen argumenti loco esse poterit, tum certè ex hac Dialectica facilè fuerit contra Hardingum perinde concludere. Hardingus enim Augustini, aliorúmque patrum authoritates crebrò vsurpat, neque loca tamen designat, id quod liber ipse suus optimè testatur: Ergo Hardingus Lectori imponere, & verba dare molitur. Satius autem meo certè iudicio foret, locos omnino non indicare, quàm falsò indicare, quemadmodum solet Hardingus facere: vt quando decretum Concilij Ephesini contra Nestorium, pro communione dimidiata ementitur, quod neque in illo Concilio habetur, neque ab vllo antiquo Doctore literarum monumentis proditur: aut quando primi Niceni Concilij Canonem pro episcopi Romani principatu citat, quem ipse combustum nescio quomodo fuisse, nec vnquam in hominum aspectum, ac manus venisse fatetur. Hæc verò quidem fallendi Lectoris facilis est & expedita via. Alia prætereo minuta errata, exempli causa, quòd sextum librum Ambrosij de sacramentis citauit pro quinto: aut 34. caput sexti lib. Eusebij, pro 44. aut quòd Stephanus Gardinerus Theophilum Alexandrinum protulit, pro Theophylacto: aut quòd tertium librum Augustini de sermone Domini in monte vsurpauit, cum

Cōtra Archiepiscop. Cant. lib. 4.

Contra Archiepiscop. Cant. lib. 4. De verbis Aposto. serm. 25. Augustin. in psalm. 50. Retractat. lib. 1. cap. 10.

Augustinus non nisi duos conscripserit. Locus ille, quo tantopere offensus est Hardingus, in Augustino habetur, de verbis Apostoli, hoc modo: *Prouerbium notum est Punicum: quod quidem Latinè vobis dicam, quia Punicè non omnes nostis.* Ex hoc loco Latinam linguam omnibus auditoribus notam fuisse constat: Punicam verò duntaxat quibusdam. Ideo in alia Homilia ad populum sic ait: *Omnes nouimus Latinè non dici sanguines, aut sanguina.* Insuper etiam, vt antè commemoraui, de psalmo quodam, quem in plebis gratiam Latinè composuerat, sic scribit: *Volens etiam causam Donatistarum ad ipsius humillimi vulgi, & omnino imperitorum atque idiotarum noticiam peruenire, & eorum quantum fieri posset, per nos inhærere memoriæ, psalmum, qui eis cantaretur, per Latinas literas feci.*

Hæc tam longa horum omnium testimoniorum repetitio, nisi Hardingus in causa fuisset, prorsus superuacanea esset. Ex iis tamen liquidò patet, illius vrbis homines Latinum sermonem, quo diuina officia celebrabantur, intellexisse: & proinde preces suas publicas peregrina lingua nequaqnam recitasse. Iam verò si posset Hardingus euincere, alias ciuitates aut prouincias eiusdem regionis, in quibus Latina lingua prorsus fuit inusitata, Latina tamen sacra celebrasse, id verò multum ad suam causam valeret confirmandam. Nam alioquin, quod inde concludere velle videtur argumentum, admodum est certè peregrinum. Sic enim, vt videtur, argumentari vult: Aliqui populi Aphricæ Punicè loquebantur: Ergo preces publicas Latinè recitabant. Etenim quodnam aliud argumentum colligat, equidem non video. Cætera quæ ex Tito Liuio, *De bello Macedonico*, aut ex Vlpiano, *De fidei commissis* protulit, penitus aliena sunt, itáque indigna, quibus respondeatur.

Hardingus. 19. Sectio.

Æquè multa aut etiam plura dici potuerunt de sermone Gallico, qui tum Barbarus fuit, & vernaculus, nedum Latinus duntaxat: [a] *& tamen illius gentis homines sacra sua publica Latinè fecerunt, iuxta totius Occidentalis ecclesiæ morem. Quòd autem ea, qua Galli vulgò vsi sunt, lingua vernacula quædam esset, sermoque Latinus nullis nisi doctis inseruiret, itáque nobis statuendum sit, primùm Liuium habemus authorem: qui Gallum quendam inusitata proceritate mirabilem, Romanorum quemuis ad singulare certamen prouocasse, facta per interpretem prouocatione scribit: quod minimè fecisset, si modò Latina lingua illi genti vsitata fuisset. Deinde Vlpiani locū illum suprà commemoratum: præterea Aelij Lampridij testimonium, à quo mulier quædam ex secta Druidum, ad Alexandrum Seuerum Mãmææ filium imperatorem cum castra quodam die moueret, exercitúmque in hostem duceret, Gallico sermone exclamasse commemoratur, interitum ei vaticinans, qui postea, prout ea prædixerat, est consequutus, his verbis:* vadas, nec victoriam speres: ne militi tuo credas. *Postremò D. Hieronymi authoritatem, qui cum eam totam regionem peragrasset, eiúsque proinde conditionem penitus perspectam habuisset, Treuiros, qui que agrum illum habitabant, propriam quandam linguam habuisse, à Latina atque Græca diuersam testatur. His igitur quæ hac de re nunc attuli rectè examinatis omnibus, probabile certè videbitur, nõ omnes Aphricanos omnium generum & conditionum preces intellexisse, quas Latinè recitabant. Nec secus est de Gallia, Hispaniáque iudicandum. Quapropter quòd in istis regionibus, aliqui Christiani homines rem diuinam ignota lingua fecerint intra sexcentos post Christum annos, nos contra audacem, & confidentem Iuelli assertionem demonstrauimus.*

[a] Falsum: præfidenter asseueratum, nullo modo confirmatum.

Ab vrbe condita lib. 7.

In vita Alexand. Mammaæ.

In proœm. 2. Cōment. ad Galatas.

Facilis demonstratio sine Præmissis.

Episcopus Sarisburiensis.

Breuis responsio sufficit, quando nihil obiicitur. Hæc coniectura duabus hisce partibus continetur. Prima, Populum Gallicanum Latinam ignorasse linguam: altera, eundem tamen populum sacra publica Latinè fecisse: è quibus inducitur conclusio, sacra ergo publica & preces ignota lingua celebrasse. *Maior*, magno conatu atque studio confirmatur, productis T. Liuij, Vlpiani, Ælij Lampridij, & Hieronymi testimoniis. His peræquè potuit ascribere Brenni historiam, Commentarios Cæsaris: Quintilianum, qui duo meminit vocabula prorsus Gallicana, *Rheda*, & *Petoritum*, & Ciceronem, qui in oratione pro Fonteio sua, atque alibi Gallos appellat Barbaros. Itaque multum in eo confirmando operæ & laboris ponit Hardingus, quod minimè dubiū est, nec confirmationis indiget.

Quintil. lib. 1. cap. 9. Cicero pro Fonteio.

Minorem autem, quam penitus negamus, & in qua omnis consistit controuersia, quáque nõ demonstrata, nihil omnino efficitur, tacitus dimittit, silentióque probat. Si res dubitationem, & controuersiam habet, eò fuit impensiùs confirmanda: si certa sit & explorata, faciliùs confirmari potuit. Equidem nullo testimonio, nullo edito instrumento asseuerare, populum Gallicanum preces publicas Latino sermone procurasse, de solius Hardingi sententia, atque authoritate, nimis leue est & infirmum. Qua enim scientia, qua authoritate, qua coniecturas, qua suspicione fretus hoc affirmauerit? Aliqui Iosephum Arimathẽsem, Philippum Apostolum, Nathanaelem, Lazarum, primos Euangelij fontes in Gallia aperuisse tradunt. Quatuor autem isti nec Roma profecti sunt, nec, quod sciam, Latinè vnquam loquuti sunt: Hierosolymis è Iudæa discesserunt, & sermone vsi sunt Hebraico. Quare quenquam ex hisce quatuor, formulam precationum in Gallia Latinam instituisse mininimè dicturum Hardingum suspicor.

Quic-

Quicquid autem est, nihil certè nisi coniectura, & verisimilitudo est. Sic enim ait, *Probabile certè videbitur:* scilicet. At nihil certè quidem probabit. Etenim rationum istarum propabilitatem, quæso, expende: *Galli proprio quodam sermonis genere vsi sunt, nec Latinè sunt loquuti: Ergo, preces publicas Latinè celebrarunt.* Aut hoc modo: *Primi præcones Euangelij apud Gallos, Hierosolymas vsque venerunt, & Hebraicè loquuti sunt: Ergo, sacra & preces publicas Latinè fecerunt.* Hæ sunt Hardingi probabilitates, quibus hanc rem confirmatam esse nihil dubitat.

Sed rursus ipsam rationis summam excutiamus: Maior, *Populus Gallicanus Latinè non intellexit:* Minor, *At idem populus rem diuinam Latinè administrauit:* Conclusio, *Ergo rem diuinam lingua fecit ignota.* Hîc nos, Hardinge, Minorem tuam prorsus negamus: quam nisi tu alio quodam modo, ac instituisti, confirmaueris, pueri conclusionis dissolutam & fractam consequentiam perspexerint. Non pudet tam confidenter iactare, rem ita penitus esse atque perspicuè à te demõstratam, cùm nihil reuera adhuc demonstraueris?

Quòd autem preces publicæ non ea ratione, qua Hardingus fingit, in ecclesiis Gallicanis celebratæ essent, sed lingua populo nota, ex Seuero Sulpitio in vita D. Martini constat. Populus Turonensis in Gallia, in Episcopi demortui locum D. Martinum sustinere vehementer contendebat: cùm quidam repugnarent, illúmque, vt hominem simplicem, tantóque munere prorsus indignum repudiarent. In his dissentientibus hominum studiis res hunc exitum habuit, vt refert Sulpitius: *Cum fortuitu Lector, cui legendi eo die officium erat, interclusus à populo defuisset, turbatis ministris, dum expectatur, qui non aderat, vnus è circunstantibus, sumpto psalterio, quem primum versum inuenit arripuit: Psalmus autem hic erat: Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem, &c. Quo lecto, clamor populi tollitur, & pars aduersa confunditur.* Hinc Gallicanæ ecclesiæ morem intelligimus. Lector scripturas recitauit, eásque populus intellexit. Siue ea vernacula lingua, siue Latina fuit, populo certè nota fuit. Quamobrem accuratiorem Hardingus cautionem adhibere debuit, priusquam Gallicanos homines officia diuina sermone ignoto celebrasse ita sibi pro certissimo sumeret.

Sulpitius in vita Martini.

Hardingus. 20. Sectio.

Itaque ad omnia quibus sententiam suam confirmare voluit testimonia responsum est: excepto illo D. Pauli ad Corinthios.

Episcopus Sarisburiensis.

Si coniecturas inanes & malè cohærentes colligere: si Augustinum deprauare: si Iustiniani Imperatoris sanctionem adulterare, sit pręclarè respondere, tumverò testimoniis abundè respõsum esse meis confitebor.

Hardingus. 21. Sectio.

Antequam autem ad illum locum respondeam, probabo, vt sum pollicitus, circiter nongentos ab hinc annos, immo etiam mille, & proinde ante illos sexcentos, D. Gregorij tempore, preces publicas lingua peregrina celebratas fuisse in hac Regione Angliæ, quæ tum Britannia dicebatur, & Anglia dici cœpit, saltem, cum postea, & nunc dierum, Angliæ nomine appelletur, Beda homo Anglus, qui ecclesiasticam Anglianæ Gentis anno Domini 731. eiúsque in Britanniam irruptionis anno circiter 285. historiam perscripsit, author est D. Augustinum, comitésque suos, qui huc missi fuerant, vt homines Anglos ad fidem Christi cõuerterent, quam Britanni longa antè memoria hîc erant professi, concessa ipsis à rege Ethelberto Euangelij, vbicunque vellent, prædicandi licentia, recitasse & cecinisse rem diuinam in templo quodam, in D. Martini honorem antiquitus extructo, ad orientalem plagam primariæ ciuitatis Cantij, dum Romani in Britannia hærerent. Bedæ verba sic habent. In hac (ecclesia) conuenire primò, psallere, orare, missas facere, prædicare, & Baptizare cœperunt. *Hanc liturgiam fuisse constat: quam ij procul dubio, qui crediderunt, & Baptizati ab illis fuerunt, frequentabant, admirantes (vt inquit Beda) vitæ ipsorum innocentissimæ simplicitatem, & cælestis doctrinæ suauitatem. Anglicè autem celebrata nequaquam fuit, quandoquidem illius linguæ imperiti fuerunt, sicuti Beda lib. 1. cap. 23. testatur. Quare priusquam in Angliam immigrarent, è Gallia interpretes ex Gregorij iussu sibi adiunxerunt. Quorum opera illis vsui fuit, cum vel palam concionem haberent, vel priuatim instituerent, exhortarentur, & docerent: ad cantionem, & solennium sacrorum celebrationem non sunt adhibiti.*

Lib. 1. histo. ecclesiasti. cap. 26.

Li. 1. ca. 25.

Itali nimirum fuerũt, nec Anglicè loquuti sunt: neque verò hęc legitima fuit Anglicanæ ecclesiæ liturgia.

Episcopus Sarisburiensis.

Magnus hîc aceruus est, sed frumenti parum. Si nuda atque inania verba argumentorum vim obtinerent, tum satis esset hic certè argumentorum. Primùm, harum coniecturarũ quamque sigillatim excutiam, tum ad extremum, veram huius insulæ historiam expromam, è Tertulliano, Origene, Chrysostomo, Theodoreto, aliisque priscis patribus collectam atque cõtestam. Itaque ne nominum fortè multiplex ratio erroris occasionẽ pręberet, Augustinus iste

quem Hardingus Diuum,& quidam alij Anglię Apostolum appellant,non ille fuit eximius pater Doctórque ecclesiæ,quem meritò nos Diuum Augustinum nuncupamus,sed alter quidam eodē nomine Augustinus,illi cum eruditione & sanctimonia dispar,tum etiam eo ducentis annis ætate inferior:vir,quemadmodum ij iudicabant,qui hominem & viderunt,& cognouerunt,nec spiritu Apostolico præditus, nec Diui nomine vlla ex parte dignus: *Sed Hypocrita, superstitioni deditus, crudelis, cruentus, & superbus immoderatè.* Qui quanquam nostros homines à crassa idololatria, qua antè laborabant, abduxit, quod illi non magnum aut laboriosum fuit, minimè profectò tamen religionem primus in hoc regno seuit. Fuerat enim ea & sata priùs,& quadringentis continuis ante illius aduentum annis creuerat atque durauerat. Illum autem religionem, quam antè constitutam inuenerat, multis sordibus, multáque superstitione contaminasse multi iudicant: ac proinde episcopos cæterósque doctos homines huius insulæ, & ipsum Augustinum, &, à quo missus fuerat, Papam respuisse Galfridus scribit. Quò verò qui vir iste Augustinus extiterit,& quam de eo omnes fideles huius regni homines opinionem habuerint, clariùs appareat, breuem eius rei narrationem à Beda expositam recitabo. *Episcopi Britonum ad præfatum ituri Concilium, venerunt primò ad quendam virum sanctum, ac prudentem, qui apud eos Anachoriticam ducere vitam solebat, consulentes an ad prædicationem Augustini suas deserere traditiones deberent. Qui respondebat, si homo Dei est, sequimini illum. Dixerunt, & vnde hoc possumus probare? At ille inquit: Si Augustinus ille mitis est, & humilis corde, credibile est, quia iugum Christi & ipse portet,& vobis portandum offerat: sin autem immitis ac superbus est, constat quia non est de Deo, neque nobis eius sermo curandus est. Qui rursus aiebant: Et vnde vel hoc dinoscere valemus? Procurate, inquit, vt ipse prior cum suis ad locum synodi adueniat, & si vobis appropinquantibus assurrexerit, scientes quia famulus Christi est, obtemperanter illum audite. Sin autem vos spreuerit, nec coram vobis assurgere voluerit, cum sitis numero plures, & ipse spernatur à vobis. Fecerunt, vt dixerat: factúmque est, vt venientibus illis sederet Augustinus in sella. Quod illi videntes, mox in iram conuersi sunt, eúmque notantes superbiæ, cunctis, quæ dicebat, contradicere laborabant. Post hæc rex Anglorum Edilfridus collecto grandi exercitu magnam Britonum multitudinem trucidauit,& circiter mille ducentos monachos sanctissimos inter orandum.* Huc vsque Beda.

Galfrid. Monumethens. lib. 8. cap. 4.
Beda li. 2. ca. 2.

Quare rerum ab isto Augustino gestarum infirmiorem videri authoritatem est necesse,quantumuis maximè,quæ de illo refert Hardingus,vera certáque essent. Tum etiam me demonstraturum confido,extra sencentos annos esse,quæ hic attulit Hardingus: atque propterea, vt comperta omnia & explorata essent,ad ipsius tamen causam parum facere. Augustinus hic cum primùm est in Angliam appulsus,locum quendam in Cantio nactus est,& tenuit:in quo ipse suíque comites psallebant,& orabant,& missas obibant (Missa autem hæc communio fuit, vt planum faciam)& prædicabant,& baptizabant.Quo autem sermone hæc gesta fuerint, non exposuit Beda:verùm,Latino fingamus. Hinc rationem sic contexit Hardingus: *Augustinus, socijque sui vnà orabant Latinè,quandoquidem peregrini fuerunt nuperrimè ex Italia immissi,& Anglicè nescierunt: Ergo,populus Anglicanus sacra publica Latinè celebrabat.* Non nos ad hunc modum ludificari debuit Hardingus.Plusquam puerilia esse hæc argumenta næ ipse nescit? Neque enim Parochus aliquis fuit Augustinus,sed tantùm communicandi locum certum habuit:neque ad illius quisquam Anglus preces accessit,nisi vt rei nouitatem spectaret.Argumentatio sic perinde valeret.*Iudæi hodie rem diuinam Hebraicè apud Venetos faciunt: Ergo Veneti rem diuinam Hebraicè peragunt.* Hucusque igitur res exiliter,credo,confirmata est.

Hardingus. 22. Sectio.

CVm D. Augustinus,postquam gens Anglicana fidem accepisset, ipséque Archiepiscopus constitutus esset,fidem certè vnam,ritus autem in multis ecclesiis diuersos ac dissimiles animaduerteret, vnam Missæ formam in sancta Romana ecclesia,alteram in Gallia perspiceret:ob hanc causam, obque alias nonnullas,duos clericos Laurentium,& Petrum Romam misit,vt certior fieret in cæteris,qua forma,ratione,ritúque Missarum vt Anglicanæ nationis ecclesiæ vterentur,D.Gregorio placeret. Ad hoc sanctissimus ille pater respondit,vt quicquid vel in Romana, vel in Gallica, vel in vlla præterea ecclesia vidisset, quod Deo Opt. Max.gratissimum esse posset,illud conquisitum,& collectum, Anglicanis commendaret ecclesiis perpetua consuetudine obseruandum. lib. 1. cap.27. Si necessarium fuisset visum,vt sacra Missæ Anglicè celebrarentur,siue in Anglicam linguam versa essent,vix credibile est Bedam, qui res omnes ad religionem spectantes tam accuratè persequitur, maximè historiam ecclesiasticam ex professo scribentem huius rei mentionem silentio fuisse prætериturum.Si Missa sermone Britannico confecta vulgò fuisset, monumenta,atque libri tantis numeris in ecclesiis multiplicati in vno,aut altero loco remansissent,& aliqua extra dubium mentio facta fuisset temporis,& causarum,propter quas illa precationum forma abrogata esset & noua Latinè precandi ratio instituta: quemadmodum quædam ex operibus D. Gregorij in Anglicum, conuersa,ad nostram vsque ætatem integra conseruata sunt,atque illæsa.

Episco

Episcopus Sarisburiensis.

FAcilis hæc verò fuit,& expedita victoria. Petrus,atque Paulus regna tam citò debellare nequaquam potuerunt. Quanquam ea non tam in impiis deuincendis & subiugandis, quàm in occidendis & mactandis piis posita fuit. Hac facta semel cæde,vicit continuò Augustinus, & extemplo Archiepiscopus est institutus, Romámque & ea de re scripsit, & quæstionum etiam quarundam explicationem,populo illi,vt inquit,Angliæ agresti, & inculto aptam & necessariam exposcit:veluti num mulier baptizari possit,quando vterum gerit,an postquam pepererit?& quanto pòst spacio ab ecclesia arceri debeat:aliáque istiusmodi occulta de marito simul & vxore,adeo quidem ridicula atque rustica,vt Augustinúsne , an populus Anglicanus rudior , atque agrestior esset,dubitandum meritò videatur. Præter autem cætera,de Missæ ratione quæsiuit, quandoquidem in variis regionibus varios animaduertisset Missarum ritus : in quibus tamen omnibus Lector optime , nullam viderat priuatam Missam. Etenim Romana Missa illo quidem tempore Communio fuit,quemadmodum antea demonstraui , atque ex istis verbis, quibus populum in Missis singulis Diaconus alta voce affatus est,apparet : *Qui communicare noluerit,discedat.* Omnis autem in quibusdam ceremoniarum appendiculis inerat discrepantia. Nam ecclesias cæterarum regionum,eam retinuisse simplicissimam formam,quam principiò acceperant,est verisimile:Romana verò ecclesia nouis semper moribus,atque ritibus studuit. Gregorius enim ipse, ad quem Augustinus iste scribit,addidit *Introitum*,& *Anthymnos*,& *Alleluia*, atque *Introitum* duplicati , & *Kyrie eleeison* nouies iterari iussit,partémque nonnullam Canoni adiecit. De istis,similibúsque aliis diuersorum rituum formis Augustinus quærit:de iisdem respondet Gregorius. Hinc Hardingus coniicit hoc modo: *Ex Beda neutiquam constat preces Anglicè celebratas esse: Ergo Latinè fuerunt celebratæ.* Quodnam hoc Dialecticę monstrum est? Quo modo ista cohæret ratio? *Ab authoritate negatiuè* concluditur. Neque certè hanc argumenti rationem vel ipse,opinor , Hardingus probabit. Nam simili modo concludere sic liceret:Ex Beda non liquet Augustinum,& suos prædicasse euangelium,& docuisse,& instituisse gentem Anglicanam sermone Anglico:Ergo ista omnia Latina lingua fecerunt. Alteram etiam coniecturam adhibet: *Nullum extat precum publicarum Anglicè temporum illorum monumentum: Ergo,precabantur tum Latinè.* Quis hic tantus stupor? Quis enim poterit Anglicè scriptum ante mille annos librum proferre ? aut si eiusmodi aliquis reperitur,quis tamen eum intelligere posset? Nullus extat liber precum , quibus Druydes apud Gallos , atque , apud Indos Gymnosophistæ vtebantur. Quid ergo? num hinc concluserit Hardingus , aut Druydas,aut Gymnosophistas Latinè precari solitos? sic nimirum solet Hardingus concludere.

Beda lib. 1. cap. 27.

Platina in vitis Põtificum. Sabellicus Ennead. 8. lib. 5.

Hardingus. 23. Sectio.

G*Regorius ipse locupletissimus testis est Angliam nostram,quam ille Britanniam vocat,suo tempore, hoc est mille ferè abhinc annis,preces publicas lingua peregrina vsurpasse, quæ proculdubio Latina fuit, cuiusmodi antiquitus obtinuit,vsque ad hanc memoriam. Verba eius hæc sunt:* Ecce omnipotens Dominus pene cunctarum gentium corda penetrauit:ecce in vna fide Orientis limitem Occidentisque coniunxit. Ecce lingua Britanniæ,quæ nihil aliud nouerat, quàm barbarum frendere iamdudum in diuinis laudibus Hebræum cœpit Halleluia resonare.

Episcopus Sarisburiensis.

GRegorius in eo expositionis in Iobum suæ loco,nullum planè neque de Latinis , neque de Anglicis precibus verbum facit. Tantùm admirabilem Dei potentiam commemorat qui vniuersum orbem ad Euangelij sui cultum conuerterat : sic verba habent: *Omnipotens Dominus coruscantibus nubibus cardines Maris operuit: quia emicantibus prædicatorum miraculis,ad fidem etiam mundi terminos perduxit. Ecce enim pene cunctarum iam gentium corda penetrauit. Ecce in vna fide Orientis limitem,Occidentísque coniunxit.*

Gregor. in Iob lib. 27.

Iam Hardingus inquit, *Gregorius testis est grauissimus & locupletissimus Angliam hanc nostram preces publicas Latino sermone vsurpasse.* Testis satis ille quidem locuples esset,modò uerbo diceret. At inquit Hardingus,

Populum Britannicum in diuinis laudibus Hebræum halleluia resonuisse,testatur Gregorius:
Ergo,precibus Latinis testimonium dicit.

Hæc ratio sic expleri atque perfici poterit.

Populus Britannus in precibus Halleluia resonabat:
Halleluia vocabulum est Hebraicum:
Ergo,populus Britannicus preces Latinè faciebat.

Hic alius est Hardingianus syllogismus:malè mehercule conclusus. Ex illis Gregorij verbis sic potiùs conclusisset:

Homines Britanni in publicis precibus Hebræum Halleluia vsurpabant:
Ergo, precibus vsi sunt Hebraicis.

Quod etsi in Britannicis Ecclesiis peregrinum videri profectò posset, non tamen hoc magis absurdum esset, quàm alterum. Voces autem Hebraicæ *Halleluia, Amen, Sabaoth*, reliquæque cõsimiles in Anglicis non minùs, quàm in Latinis precibus vsurpari poterunt: atque adeò etiam hodie in instauratis Germanorum Ecclesiis vsurpantur ac retinentur: quare non magis hoc, quàm illud euincunt.

Hardingus. 24. Sectio.

Vixit anno Domini 640.

Beda in fine secundi libri refert, Iacobum quendam Ecclesiæ Eboracensis Diaconum, hominem in musicis peritissimum, statim postquam fides hîc disseminata fuisset, crescente fidelium multitudine, canendi in Ecclesia Romano more magistrum ac doctorem esse cœpisse.

Anno Domini 668. Anno Domini 668.

Deinde scribit de quodam Eddi, cognominato Stephano, qui populum Northumbrium preces iuxta ritum Romanum canere docuit: & de Putta, viro sanctissimo, Episcopo Roffensi, eius summam in Ecclesia canendi secundùm vsum & consuetudinem Romanorum scientiam prædicans, quam à D. Gregorij discipulis didicerat.

Mirifica testimonia.

Anno 680.

Hæc luculenta satis sunt & perspicua testimonia, quibus planum fiat Ecclesias Anglicanas diuina officia principiò Latinè, non Anglicè celebrasse. Vnum præterea locum adiungam è Beda, ad hanc rem confirmandam longè manifestissimum. In diebus Agathonis Papæ vir quidam fuit, nomine Ioannes Archicantor Ecclesiæ D. Petri Romæ, & Monasterij D. Martini ibidem Abbas.

Benedictus Abbas quidam Britannus postquam Monasterium ædificasset ad ostium fluminis Muri (sic Beda vocat) à Papa supplex petebat confirmationes, libertates, immunitates, priuilegia &c. sicuti in huiusmodi negotio fieri consueuit. Inter cætera hunc insignem Cantorem Ioannem exorauit, vt vnà in Britanniam proficisceretur Musicæ docendæ causa.

Quandoquidem Bedæ historia non admodum peruulgata est, ipsius hoc in loco mihi visum est recitare verba. Abbas iste Benedictus accepit & præfatum Ioannem Abbatem in Britanniam perducẽdum, quatenus in Monasterio suo cursum canendi annuum, sicut ad sanctum Petrum Romæ agebatur, edoceret. Egítque Abbas Ioannes, vt iussionem acceperat Pontificis, & ordinem videlicet, ritúmque canendi, ac legendi viua voce præfati Monasterij Cantores edocendo, & ea quæ totius anni circulus in celebratione dierum festorum poscebat, etiam literis mandando, quæ hactenus in eodem Monasterio seruata, & à multis iam sunt circumquaque transcripta. Non solùm autem idem Ioannes ipsius Monasterij fratres docebat, verùm etiam multi ipsum per loca, in quibus doceret, inuitare curabant. *Hactenus ille.*

Neminem dicturum autumo Romanum hunc hominem docuisse, & tradidisse ritum, & morem canendi ac recitandi sacra Ecclesiarum huius regionis sermone Anglico.

Si doctis pijsque Christianorum hominum ea memoria rectoribus res ad salutem necessaria visa esset, vt res diuina Anglicè fieret: nemo magis idoneus extitisset, qui eum in vernaculum sermonem verteret, quàm is, qui temporibus illis extraordinario quodam Dei munere singularem facultatem adeptus erat, cantica & carmina, quæ religioni & pietati inseruirent, Anglico metro faciendi. Nomen illi fuit Cednom, de quo Beda res admirabileis scribit. Nempe vt multa cantica, quorum è sacra Scriptura desumpta erant argumenta, condiderit, támque incredibili suauitate, eáque Minerua, vt multi earum auditione atque lectione, corda sua tanquam aculeis quibusdam puncta persentientes, se à mundi illecebris seiungerent, cælestique vitæ ardore incenderentur. Multi (inquit Beda) post illum Angli conati sunt religiosa piáque poemata componere: sed ad illius summam facultatem nullus aspirare potuit. Non enim fuit (inquit, ad D. Pauli verba alludens) neque ab hominibus, neque per hominem artem illam sacras cantiones faciendi edoctus, sed ea facultate diuinitus donatus. Quapropter nullas lasciuas, nullas nugatorias, nullas inanes odas facere potuit: sed quæ ad piam religionem spectarent, quæque à mente diuino spiritu afflata proficisci viderentur. lib.4. Cap.24.

Diuinus ille poeta Cednom, quamuis permulta pia opera componeret, petitis è sacra pagina argumentis, vt Beda testatur: nullam tamen vnquam precum publicarum partem in Ecclesia obseruandam fecit. Itaque fides in hac gente apud populum Anglicanum perpetuò remansit à decimo quarto anno Mauritij Imperatoris, [a] *ferè spatio annorum 1000. atque vsque ad postremi regis Edouardi tempora, Anglicæ preces inauditæ fuerunt, saltem in Ecclesiis Anglicanis publica authoritate nunquam receptæ & vsurpatæ sunt.*

[a] Falsum: eius enim exempla tam longum temporis decursum non complectũtur.

Episcopus Sarisburiensis.

Beda lib.2. cap. 14. Beda lib.4. cap. 21. Beda li.4. ca.1.

Nunquam ego tam palam Hardingum inopiam proditurum suam putaram, vt symphoniacorum atque poetarum testimoniis causam confirmaret: præsertim eorum, qui extra sexcentorum etiam annorum à me constitutos terminos vixissent. Etenim Beda clarissimè testatnr, Iacobum hunc Diaconum, tempore regis Eduuini floruisse, circiter annum Domini 640. Puttam, & Eddam anno Domini 668. Ioannem Archicantorem, & Cednomum, seu Cedmanum (sic enim habetur eius nomen apud Bedam in διφθέρᾳ scriptum) tempore Agathonis

Papæ, anno Domini 680. à quo hoc perlatum esse decretum dicitur: *Sic omnes sanctiones Apostolicæ sedis sunt accipiendæ, tanquam ipsius diuina voce Petri firmatæ.* Eò vsque tum processerat tyrannidis Ecclesia Romana. Glossa etiam eiusdem decreti ait: *Papa sanctitatem suam recipit à Cathedra.* Quare non rectè hæc sunt diuisa temporibus Hardingo, vt cætera vera quidem essent omnia, seriùs tamen hi testes venerunt, quàm confirmandæ causæ ratio postulabat.

Distinct. 19. Sic omnes.

Tamen ex istis (Hardingus inquit) *testimoniis planum satis, & perspicuum est, quod initio Ecclesiæ Anglicanæ rem diuinam Latinè, non Anglicè facerent.* Muta verò certè testimonia. Nam neque Iacobus ille Diaconus, neque Ioannes Archicantor, neque Cednomus, nec Putta, nec Beda ipse sic vnquã affirmauit. Quocirca hæc omnis ad fidem faciendam comparata oratio, non authorum testimoniis, sed ipsius Hardingi coniectura continetur.

Argumentum hanc vim & pondus habet, vt videtur:

Musici isti clericos Anglicanos sacra sua more Romano canere docuerunt:
Ergo sacra Latinè celebrauerunt.

Quod cuiusmodi sit, ex simili apparebit:

Triptolemus omnibus gentibus agros suos Atheniensium ritu arandi, & colendi viam tradidit:
Ergo, hoc fecit lingua Attica.

Aut hoc modo:

Abrahamus AEgyptios Arithmeticam & Astronomiam docuit:
Ergo, Abrahamus AEgyptios Chaldaico sermone docuit.

Nunquid enim censet Hardingus, Musicam Romanam absque sermone Romano disci nullo modo posse: nec tonum vocisque modulandæ notam sine verbis ipsis doceri? Indoctũ certè Musicum censero, qui sic dixerit. Tum enim quid ni ad hunc modum concluserit? Damasus Hieronymo mandauit vt mitteret ei Græcorum psallentiam, quam in Ecclesia Romana vsurparent: Ergo, Damasus sacra publica Græca lingua procurauit in Ecclesia Romana.

Damasus ad Hieronymum.

Cæterùm, ipse Beda mentis, sensusque sui optimus esse poterit interpres. Nam cum in Adriani, & Theodori, qui anno Domini 668. in Angliam venerunt, mentionem incidisset, hæc habet: *Sonos cantandi in Ecclesia, quos eatenus in Cantio tantùm nouerant, ab hoc tempore per omnes Anglorum Ecclesias discere cœperunt.* Vocis tantùm flexus, tonósque musicos didicisse Beda tradit: de lingua verò, & sermonis genere non meminit.

Sed age: quod posuit in conclusione Hardingus, concedamus.

Musici hi clericos Anglicanos Romano more cantare docuerunt:
Ergo, sacris latinis vsi sunt.

Non videt autem ista palam pro me, contráque ipsum directo valere? Nam si Musica Romana Latinas preces arguat, tum mihi rectè argumentari ad hunc modum liceat: *Ecclesiæ Anglicanæ Romana musica caruerunt, ante Iacobum Eboracensem diaconum, qui vixit anno Domini 640. Ergo, ante illud tempus, Ecclesiæ Anglicanæ Latina sacra nunquam habuerunt.* Quod, & quicquid huc vsque Hardingus attulit, funditus euertit, & cum mea defensione optimè cohæret.

Nullæ in Anglia latinæ preces intra sexcẽtos annos.

Deinde quod ait, Ioannem Archicantorem, qui vixit Anno Domini 680. docuisse Ecclesias Anglicanas Latinam linguam pronuntiare: ex eo rectè colligi & concludi possit, eas Latinam linguam pronuntiare antè non potuisse: nec preces ergo Latinas ante vsurpasse.

Iam verò quòd Hardingus ait, incursione & victoria Anglorum, qui tunc temporis à Christiana religione auersi fuerant, factum esse, vt fides ex regno eiecta apud paucos Britannos exularet, & vix locum consistendi reperiret: quódque Augustinum eam suo aduentu reuocasse affirmat, quem proinde aliqui Anglorum Apostolorum nuncupare solent: necessarium mihi videtur breuiter & paucis exponere, cuiusmodi esset Ecclesiarum nostrarum status & conditio, tũ priusquam Anglorum in eam gens penetraret, tum etiam primo nostrorum hominum in hanc insulam aduentu.

Ghildas author est Iosephum Arimathæum, qui Christum de cruce sustulit, huc à Philippo Apostolo è Gallia missum, Euangelium in hoc regno diuulgare primùm cœpisse, imperii tractante gubernacula Tiberio.

Ghildas.
Ann. Domi. 38.

Nicephorus Simonem Zeloten circiter idem tempus in hanc insulam aduenisse & Euangelium annunciasse scribit. Theodoretus tradit D. Paulum statim postquam esset iudicio absolutus Romæ, Nerone imperante, Euangelium in hac insula, atque in aliis regionibus Occidentalibus promulgasse. Tertull. insulam Brytannicã Christo nomẽ dedisse suo tempore perhibet: quod sua etiam ętate Origenes de eadem insula testatur: qua tempestate Lucius huius insulę rex baptasmo initiatus, & Euangelium amplexus est, legatósque Romam misit Eleutherij Episcopi Romani de Ecclesia sua, regnóque constituendo consulendi causa. Helena mulier Angla, Constantij Imperatoris vxor, & Constantini mater, propter fidem ac religionem singularem suam ab Ambrosio, Eusebio, Sozomeno, aliisque eximiè atque mirificè laudatur.

Niceph. lib. 2. ca. 4. Anno 38.
Theodo. de curandis Græcor affectibus li. 9.
Tertull. aduers. Iudæos. Anno 230.
Orige. in Ezec. hõ. 4. An. 240.
Amb. de obitu Theodosij.
Euseb. de vita Cõstantini li. 3.
Sosom. l. 2. ca. 1.

Chrysostomus ait insulam Britanniam suo tempore *Euangelij potentiam accepisse.*

Chrysost. aduersus Gentiles. tom. 5.

Nunc quo loco res Ecclesiasticæ huius regni essent, Augustini appulsu, quo tempore Hardingus nullum religionis vestigium remansisse fingit, videamus. Primùm Beda in Britannia septem fuisse Episcopos, vnúmque Archiepiscopum, & bis mille ac centum Monachos circa Bangoriam testatur: fuerunt etiam, quemadmodum ipse ait, *plures viri doctissimi*, qui hunc Augustinum,

Beda li. 2. cap. 2.

eiúsque nouam religionem penitus auersati sunt,& respuerunt.

Quod ad Anglorum gentem attinet,reginam ipsam ad Christum transiisse:& D. Martini templum ei assignatum fuisse,in quo ipsa,suique liberè sacris operam darent,ex Beda liquet. Ex quo credibile est regem non hostili odio fidem esse insectatum,itáque factum esse, vt subditorum etiam magna multitudo ad Christum traducta fuerit. Hæc breuiter de primo religionis Christianæ in hac insula statu, déque etiam à Iosephi Arimathensis memoria ad Augustini vsque aduentum propagatione dicta sunto. Nunc de publicis precibus, quibus illo toto tempore vsi sunt nostri homines.

Beda.l.1.ca.26.

1. Primùm, quis dixerit ad D.Paulum, aut Iosephum Arimathensem, aut Simonem Zelotem, qui genere Hebræi fuerunt,instituisse,vt preces populo Anglicano Latina lingua recitarentur.

2. Deinde, Eleutherius Romanus Episcopus,de tota reipublicæ Ecclesiæque Anglicanæ administratione consilium rogatus, responsum Lucio regi dedit eiusmodi: *Suscepisti in regno Britanniæ miseratione diuina legem, & fidem Christi. Habetis penes vos in regno vtramque paginam: Ex illis Dei gratia per Concilium regni vestri sume legem, & per illam Dei patientia vestrum rege Britanniæ regnum. Vicarius verò Dei estis in regno illo.* Iura diuinæ legi congruentia perscribere iubet. Lex autem diuina preces eo modo fieri præcipit, quo eas populus intelligat, assensúmque præbeat dicendo, *Amen*. Populus autem Anglicanus precibus Latinè factis, *Amen* respondere non potuit. Quare Lucium precationum publicarum formulam ea lingua conscribendam curasse, incredibile videatur.

3. Præterea facilè existimare licet summos in hoc regno religionis magistros, homines extitisse Græcos, deque informandæ Ecclesiæ ratione, non Roma, sed à Græcis semper Ecclesiis mandata accepisse: id quod cum ex celebratione Paschæ, tum ex aliis optimis, quarum Beda meminit, coniecturis apparet. Iam verò, si Græci vernaculam, & patriam gentis huius linguam abiudicassent, Græca potiùs profectò, & sua publicam Liturgiam instituissent agitandam, quàm Romana.

Gregor. in Iob lib.27.ca.6. *Ecce lingua Brytanniæ, quæ nihil aliud nouerat, quà barbarum frendere.*

4. Deinceps, Hardingus Gregorij locum illum profert, in quo ait linguam Brytanniæ nihil aliud nouisse,quàm barbarum frendere. Quî ergo potest tam subitò contrarium dicere,nempe nostros homines vsque à Iosepho Arimathensi publicas preces docta Latinornm lingua perpetuò procurasse.

5. Huc accedit, quòd Gregorius ad Augustinum scribens, ei mandat, vt ex diuersis Ecclesiarum institutis, quæ in variis regionibus animaduerterat, ea seligeret, & adhiberet, quæ maximè probaret,& apta iudicaret. Hardingus autem concedit in incunabulis, & primis Euangelij rudimentis, preces publicas sermone noto atque vsitato fieri necessariò oportere. Itaque sic statuamus necesse est, Augustinum, hunc tradendæ serendæque fidei, (vt existimatur) causa profectum, id præstantissimum, maximéque consentaneum iudicasse, quod necessarium fuisse Hardingus affirmat, ideóque preces publicas lingua populo intellecta administrasse.

6. Postremò rationi consentaneum fuit, vt Augustinus huc ex professo Missus Roma, quam ipse instituebat nouam Ecclesiam, ad Ecclesiam Romanam conformaret. Preces autem publicas in Ecclesia Romana tum fuisse populari lingua celebratas, multis quidem modis facilè probatur. Quapropter Augustini similiter intererat curare, vt preces publicæ in huius regionis Ecclesiis vernaculo serm one peragerentur. Quanquam ex Hardingi conclusione apparet eum duntaxat à decimo quarto anno Mauritij Imperatoris rationes suas subducere, id est ab anno Domini 596. *à quo tempore* (inquit) *vsque ad memoriam regis Edouardi sexti, Latinæ tantùm preces in hoc regno semper obtinuerunt.*

Anno Domini 596.

Hanc ergo partitionem non debeo magnopere reprehendere. Nam de sexcentis illis post Christum annis, de quibus ego illi litem intentabam, largiter, & vltro mihi quingentos, & nonaginta ac sex annos concedit, ac condonat, déque tanto annorum numero sibi solummodo quatuor reseruat, atque eosdem etiam controuersos, atque dubios. Quòd si autem veræ sunt Mariani Scoti rationes, quæ Augustinum in hanc insulam venisse, non decimo quarto anno Imperatoris Mauritij, sed quatuor post annis scribit, hoc ex sexcentis à Christo annis nec plus, nec minus, tum nullum prorsus sibi annum reliquum facit, sed omnes mihi largitur. Abbas quidem Vspergensis ait: *Gregorius anno Domini sexcentesimo tertio, immissis Augustino, & Mellito Angliam ad fidem conuertit.* Hæc hactenus omnia pro me faciunt, nisi fortè Hardingus dicere non dubitauerit, huius regionis incolas precibus Christianis vsos priùs esse, quàm religionem profiterentur Christianam.

Martianus Scotus.

Anno Domini 600.

Abbas Vspergensis in vita Mauritij. Anno 603.

Hardingus. II. Sectio.

Iam quod ad scripturæ locum attinet à Iuello suisq; omnibus astipulatoribus vsurpatum, quo preces publicas vernacula lingua faciendas esse doceant, in 14. cap. prioris Epistolæ ad Cor. Diuus Paulus de linguarum vsu disputat, prout fuit in primitiua Ecclesia donum extraordinarium. Cum fidelium cœtus precandi, & verbi Dei audiendi causa conueniret, vnus aliquis subitò surrexit, & loquutus est in Ec-

clesia linguis multarum gentium, spiritu insusurrante, *vt Chrysostomi verbis vtar, nec ipso interim iuxta Chrysostomi sententiam, nec cæteris, qui præsentes aderant, intelligentibus quid diceret. Hoc donum Apostolus non prohibebat, quandoquidem omne Dei donum bonum est, nec quicquam fit ab eo frustrà, sed Corinthios à vano eiusdem, ambitiosóque vsu deterrebat, & propterea idem multum eleuabat, eiq; prophetiam, id est, scripturas interpretandi exponendíque facultatem, longè anteponebant. Hos donum in Ecclesia nonnisi Apostolorum duntaxat tempore, aut paulò post remansit, idq; miraculosa quadam ratione spiritúsque sancti virtute.*

Locus Pauli in epist. ad Cor. nihil facit pro precibus publicis Anglicè recitandis.

De communium precum, publicæq; liturgiæ forma, qualem nos hodie habemus, ætas autem illa non habuit, Paulus nihil omnino meminit, neque verbum adeo vllum in toto illo capite facit, præterquam de vsu doni miraculosi, vt suprà diximus. Quare eius verba, quæ in illo capite habentur, Iuellus, cæterique aduersarij nostri non[a] *aptè vsurpant, ad infirmandum & improbandum precandi & rem diuinam faciendi ritum nunc in Ecclesia receptum, longóque seculorum decursu obseruatum, qui in Occidente Latina lingua effertur, non miraculose aut extraordinariè, sex iuxta institutum, consuetudinémque Ecclesiæ.* Profectò enim cœlum (*inquit Chrysostomus*) Ecclesia tum fuit, spiritu cuncta administrante, cuncta Ecclesiæ capita moderante, afflatu suo vnumquemque corripiente. Nunc verò vestigia tantùm rerum illarum tenemus, duo loquimur, aut tres, & seorsum quidem, & altero silente incipit alter: verùm hæc signa tantùm sunt & monumenta rerum. Vbi igitur nos cœpimus loqui, cum spiritu tuo, plebs respondet: ita quondam scilicet loquutos significare volens, nēpe non sapientia propria, sed spiritu Dei instinctо. *Hæc Chrysostomus de cœlesti primitiuæ Ecclesiæ consuetudine Apostolorum ætate. Quod si igitur his temporibus mos similis obtineret: si diuinus spiritus consimilem gratiæ vbertatem in nos infundere vellet, vt omnia pro nobis ageret, vt fidelium hominum capita gubernaret, vt vnumquemque nostrum diuino afflatu suo impelleret, & cum in Ecclesiam conueniremus consolationis nostræ, & ædificationis gratia, vt mentibus nostris iniiceret, oríque perpetuo quodam miraculo inferret, quid nos precari, quid prædicare, & quomodo scripturas tractare oporteret, tum certè quidem nullus Catholicorum omnium inutilem illum peregrinis incognitísque linguis loquendi, nulla adhibita interpretatione morem probaret, vnde verbis diuini explanatio intercluderetur populúsque obstupefactus, & in admirationem conuersus impediretur, ne respondere posset* Amen, *& sanctas benedictiones, gratiarúmque actiones assensu suo persequi. Nunc autem mos est longè dissimilis Ecclesiæ, nos illis caremus miraculosis donis, nec certè magnopere indigemus. Loqui enim linguis, signi, seu miraculi instar fuit, non credentibus, sed infidelibus: & signa infidelium causa fiunt: fideles nequaquam illis opus habent. In Ecclesiis, in quibus nimirum* εὐταξία *seruatur, dum preces canuntur aut recitantur, ministri non loquuntur linguis, nec lingua, iuxta Pauli sensum, sed legunt, & repetunt ea, quæ dictata illis, & designata fuerunt D. Paulus eos reprehendit, qui linguis loquentes, concionatores impediebant, quò minùs populus tum præsens commodi aliquid caperet. Preces Latinæ non ita celebrantur in Ecclesia, vt scripturarum inde interpretatio excludatur. Apostolorum tempore ad Ecclesiam conuenerant, vt fructuosa dona illa exercerent, quæ Deus illis dederat, atque ex iis, maximè ex dono prophetiæ alij alios ædificarent, aliique alios docerent. Nunc dierum non ad Ecclesiam congregantur, quò alij alios erudiant, aut scripturas promiscuè interpretentur, sed precandi causâ, atque vt Dei verbum enarratum audiant, non alij ab aliis communiter, sed ab vno aliquo, putà Episcopo, Presbytero, Curione, aut alio spirituali rectore, & doctore.*

In 1. Cor. 14. homil. 37.

[a] Falsum: plerique enim doctores, tum veteres, tum recentes hęc verba ad eundem scopū referunt.

Episcopus Sarisburiensis.

QVæ hoc in loco tam fusè commemorauit Hardingus, concedi illa quidem nonnulla ex parte facilè tutóque possunt, nullo incommodo causæ nostræ. Reuera Paulus in illo loco, de linguarum dono loquutus est, quatenus extraordinarium fuit miraculum, ad breue tempus durans, nullo labore industriáque comparatum, sed diuino quodam sancti spiritus afflatu gratis infusum *Latina autem lingua* (inquit Hardingus) *prout nunc dierum in Romanis sacris vsurpatur, nullo sancti spiritus instinctu donatur, neque nunc vllum est omnino miraculum: Ergo, Pauli locus ille, ad eam accommodari non potest.* Fatemur quidem nos, vt nunc habet, nullum esse miraculum, nec Dei spiritum vlla ex parte sapere. Hoc autem miraculi cuiusdam instar est, esse quempiam vel tam impium qui ea sic vtatur: vel tam impudentem, qui sic eam defendat: vel omnino tam sapientem, qui eam illo modo adhibitam ferre possit. Istud verò per certè mirum videatur. Hinc Hardingus ad hunc modum videtur concludere: *Paulus Corinthios vetuit, ne summo miraculo, donóque Dei sic abuterentur, vt nihil inde commodi, ad ecclesiam redundaret: ergo cum lingua Latina miraculo nunc careat, preces publicas illa nuncupare licet, quantumuis ecclesia nullum ex ea fructum capiat.*

Noua certè & peregrina ratio, cæterisque præclarè congruens: In margine tamen diserta significationis nota impressa, hunc Pauli locum, nihil ad nostrum propositum pertinere admonuit: siquidem hæc nota, tam certa, támque rata fuerit, quàm eam ipse cupit videri, tum sanè Doctores, recentes simul, & antiqui, qui secus eum acceperant, non bene existimarunt. Lyra namque in eundem scribens habet: *Si populus intelligat orationem sacerdotis, meliùs reducitur in Deum, & deuotiùs respōdet,* Amen. *Ideo dicit* Paulus, *si tu sacerdos benedixeris spiritu, & populus non intelligat, quid proficit populus simplex, & non intelligens? Quapropter in primitiua ecclesia, benedictiones, & cætera omnia fiebant in vulgari.* Vulgari ac vernacula lingua primitiuam Ecclesiam esse vsam, Lyranus his Pauli verbis commotam testatur. In Concilio Aquisgranensi sic habetur: *Psal-*

Lyra in 1. Cor. 14.

lentium in Ecclesia Domino, mens concordare debet cum voce, vt impleatur illud Apostoli, psallam spiritu, psallam & mente. Cuius ex hoc Pauli loco desumpta ratio est, *psallam spiritu, psallam & mente.* Chrysostomus ait, Paulum huius rei summam ad auditorum commodum referre. Sic verba habent: *Est autem, quod Paulus dicit huiusmodi, nisi dixero quod percipi facile claréque à vobis possit, sed linguarum munere præditum me esse tantum ostendam, nullum ex his quæ non intelligetis, fructum facientes abibitis. Nam quæ vtilitas esse possit ex voce non intellecta?* Idem etiam Chrysostomus adiungit: *Sic & vos nisi significantem vocem dederitis, verba, (quod dicitur,) vento, hoc est, nemini facietis.* Iustinianus etiã Imperator in quo Episcopis omnibus, presbyterisque præcipit, vt sacramenta cæterasque preces, clara & aperta voce celebrent, mandatum hoc Pauli loco isto confirmat: Sic enim inquit: *Sic enim diuinus Apostolus docet dicens si solùm spiritu benedixeris, qui implet locum idiotæ, quomodo dicet Amen, super tuam benedictionem? Non enim intelligit quid dicas.* Ex his testimoniis planum est Diuum Paulum, quamcunque tandem Hardingus notam contrariam posuerit, nonnihil pro instituto causáque nostra facere.

Chrysost. in 1. Cor. homil. 35.

De ecclesiasticis diuersis capitulis.

Quanquam nos nostras non à miraculo, donóque linguarum, quod exiguo tempore permansit, confirmationes petimus: sed iis disertissimis, planissimísque Pauli verbis nitimur, quæ nullus inficiari possit. *Qui loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo: nullus enim audit. Si incertum sonum tuba dederit, quis apparabitur ad bellum? ita & vos, nisi per linguam bene significantem, sermonem edideritis, quomodo intelligitur, quid dicitur? Eritis enim in aërem loquentes. Precabor spiritu, sed precabor etiam intelligentia: psallam spiritu, sed psallam etiam intelligentia: si benedixeris spiritu, is, qui implet locum idiotæ, quomodo dicturus est Amen, ad tuam gratiarum actionem? nam quid dicas, nescit. In Ecclesia mallem quinque verba ex intelligentia mea loqui, vt & alios instituã, quàm decem millia verborum lingua incognita. Omnia ad ædificationem fiant.* Hæc verba perspicua sunt Lyræ, Concilij Aquisgranensis, Chrysostomi, Instiniani non ambigua expositio. Quæ quamuis ita sint, scilicet Hardingi solius authoritate subnixi, credere necessariò debemus, ista omnia pro sacris Anglicanis sermone faciendis nihil planè facere.

1. Cor. 14.

Hardingus. 26. Sectio.

QVandoquidem autem omnis populus sacerdotis sese iuxta Apostolicam traditionem ad Orientem pro maxima parte conuertentis preces ad altare factas: (qui locus, ab Apostolorum temporibus ad nostram vsque ætatem, oblationis celebrandæ perpetuò fuit) exaudire non potest, quacunque lingua eæ nun cupentur, propter[a] loci, in quo cõsistit, distãtiam: nõ est à ratione dissẽtaneum, vt iis in chorum receptis, qui quid dicatur, aut cæteri melius norũt, cæteri in inferiore parte templi decorè subsistãt, ibiq; Deum humiliter per se precẽtur silẽtio, & ea lingua, quæ ipsis maximè nota fuerit, seipsos ad sacerdotis benedictionem & gratiarum actionem fide atque obediẽtia, cum fratribus reliquis suis, in choro precãtibus cõformãtes, & assensum eisdem suum significãtes, bonam partem eorum, quæ fiũt, aut ex crebris cõcionibus, aut ex sacris externis ceremoniis, quas indoctissimus quisque, vel sensibus cognoscere possit, percipientes.

a Falsum: altaria enim seu mystice mensæ in medio templi stabant, vt manifestum faciam. Populus ceremoniis institutus.

Episcopus Sarisburiensis.

FVerunt (inquit Hardingus) *altaria ab Apostolorum vsque temporibus eodem planè modo, quo nũc sunt, procul à medio templi remota: Neque sacerdotem supra ad altare astãtem audire, aut quid diceret intelligere populus potuit: sed tantum sacris externis ceremoniis erudiebatur, & quicquid sacerdos diceret assensu suo persequutus est, cum interim, quid diceretur, nesciret.* Hic homo, nisi singulari quodam priuilegio fretus: nunquam certè potuit falsa tam multa tam paucis proferre. Primò enim, quòd ait Apostolos sua ætate aras struxisse, nulla Christianis hominibus templa Apostolorum memoria ædificata fuisse omnes intelligunt. Etenim fideles homines metu tyrannorum in ædes priuatas, loca vacua, syluas, solitudines, antra subterranea conuenerunt. Num verò aras priùs extructas, quàm templa fuisse arbitrabimur? Origenes certè, qui ducentis post Christum annis vixit, hæc contra Celsum verba habet: *Obijcit nobis, quod non habeamus imagines, aut aras, aut templa.*

Origen. contra Celsum lib. 4. Arnob. lib. 2.

Similiter habet Arnobius, qui aliquantò post Origenem vixit, contra Ethnicos scribens: *Accusatis nos, quòd nec templa habeamus, nec imagines nec aras.*

Volaterranus etiam, ac Vernerius testatur Sixtum Romanum Episcopum excitandas aras primùm curasse. Quare non rectè sapiebat Hardingus, cum tam confidenter altaria semper ab Apostolorum adeo temporibus extitisse iactaret.

Volaterranus. Vernerius.

Neque verò cum aræ primùm fierent, eóque nomine appellarentur, ex lapide statim ædificatæ fuerunt: ex qua materia Durãdus, suique similes alij, necessariò faciendas esse eas contendunt, idque, *Quia petra erat Christus.* Etenim Gerson scribit, Syluestrem Episcopum Romanum, aras primùm lapideas statui iussisse, vetuisseque ne quisquã ad aram ligneam consecraret: nisi ipse suique successores. Quanquam autem huiusmodi aras, cum quòd diuturniores, tum quia firmiores, stabilioresque essent, quibusdam in locis receptas esse Gregorius Nyssenus Basilij frater prodit: Ex Augustino tamẽ in Aphrica suo tempore, ex ligno factas fuisse perspicuum est. Scribit enim *Donatistas*

Durand. lib. 4. Gerson contra Floretum. li. 4. Greg. Nyssenus de sancto baptismate. August. ad Bonifac. epist. 50. August. in q. veteris & noui Testamenti. q. 101.

natistas horrendo impetu,& furore crudeli Episcopum sauciauisse,& ligna altaris effregisse. Alio etiam habet, *Officium est Diaconi portare altare*, quod profectò non de lapidum mole quadam, sed tantùm de mensa Eucharistica intelligendum est. Qua de causa eam sæpenumero Chrysostomus ἱερὰν τράπεζαν vocat: Augustinus *mensam Domini*, aliique similiter innumeris in locis patres.

Tametsi verò mensa fuit, ara tamen etiam vocata est: non quòd ita reuera esset, sed tantùm propter eam, quæ illi cum veteris legis altaribus, intercessit similitudinem. Sic Irenæus Christum nuncupat *altare nostrum*, & Origenes, *cor nostrum, altare nostrum appellat*: nõ quasi aut Christus, aut corda nostra verè sint altaria, sed translatitia duntaxat quadam loquendi formula. Eiusmodi extiterunt altaria, quibus antiqui patres Apostolorum continuò ætati succedentes vti consueuerunt.

Irenæus lib. 4. cap. 34. Orig. in Matthæum. tra. 25.

Iam verò num hæc eadem altaria in loco tam longinquo constructa fuisse, quemadmodum Hardingus audenter asserit, verisimile videatur, ex hisce, quæ sequuntur, testimoniis existimandum relinquo.

Eusebius, templi formam apparatúmque, qualis suo tempore extitit, ostendit his verbis: *Absoluto templo ac sedibus excelsissimis, ad honorem præsidentium, & subselliis ordine collocatis, ornato, & post omnia, sancto sanctorum, videlicet altari in medio constituto, &c.* Altare non in extremo choro, sed in medio templi, populique positum fuisse scribit Eusebius.

Eusebius lib. 10. cap. 4. Ex oratione panegyrica in Encæniis.

Augustinus etiam ad hunc modum scribit: *Christus quotidie pascit: Mensa ipsius est illa in medio constituta. Quid causæ est, ô audientes, vt mensam videatis, & ad epulas non accedatis?* In Constantinopolitano Concilio sic habetur: *Tempore Diptychorum cucurrit omnis multitudo cum silentio circumcirca altare, & audiebant.* Denique, vt reliquos mittam, Durandus, quid causæ sit, quamobrẽ sacerdos ad altare adstans se ipse conuertat, inquiens, hanc illius rei rationem adhibet: *In medio Ecclesiæ apperui os meum.* Bonifacium etiam Episcopum Romanum à populo sacerdotem in sacra Liturgia primum disiunxisse Platina tradit. Sed vt testimoniorum longiore commemoratione supersedeam, ex paucis hisce intelligimus, chorum eo tempore, in templo medio stetisse, cancellis quibusdam septum & conclusum, atque à reliquis partibus distinctum, vnde etiam *Cancelli*, dictus est, & à Græcis vsitatè πρεσβυτέριον, quia locus erat presbyteris atque ministris propriè designatus, cæterisque omnibus, ne sacra interturbarentur, præclusus, quemadmodum egregiè ex Ambrosij historia apparet, qui ipsum Imperatorem Theodosium excedere iussit: & ex Nazianzeno in vita Basilij, & ex decreto quodam, quod tribuitur Clementi, & ex Concilio Laodicensi: fuitque locus iste, id quod ex Chrysostomo colligi queat, quadam in parte sacrorum velo quodam & caduceo obtentus. Immo etiam hodie in magnis Ecclesiis Mediolani, Neapoli, Lugduni, Moguntij, Romæ, & in Ecclesia Beati Laurentij apud Florentinos, sacerdos rem diuinam faciens ad Occidentem spectat, itáque populum præ oculis semper habet. Vnde Durandus inquit, *Sacerdoti in huiusmodi locis, non opus est sese conuertere, cum dicit Dominus vobiscum, & populum salutat.* In eo autem, quod Hardingus fingit, populum longo loci interuallo remotum à sacerdote, quid ipse diceret, exaudire non potuisse, qui veteres patres vlla attentione perlegerit, eum vehementer falsum esse facilè perspexerit. Chrysostomus enim ait: *Diaconi cum sacra mysteria celebrarentur, surrexerunt & populum alloquuti sunt his verbis: Oremus pariter omnes.* Rursum ait: *Sacerdos & populus in sacra Liturgia colloquuntur: Sacerdos ait, Dominus vobiscum populus respondet, Et cum spiritu tuo.* Iustinianus Imperator præcipit vt preces sacras sacerdos tanta vocis contentione recitaret, quanta exaudiri à populo posset. Clemens Alexandrinus habet: *Est ergo, quod hîc est apud nos altare, terrestris congregatio eorum, qui sunt dedicati orationibus, qui veluti vnam vocem habent communem, & vnam mentem.* Et ne omnes consectet reliquos, Bessarion ait: *Sacerdote verba illa pronuntiante, assistens populus in vtraque parte respondet, Amen.* Tu nunc æstimato, Lector, quid certi verique habere videantur, quæ istis mox Hardingus adiungit: *populum modo quodam decoro in inferiore parte templi subsistentem ceremoniis quibusdam, & signis è choro ostensis institutum fuisse, assensumq́ significasse, & respondisse Amen Sacerdoti ad altare precanti, etiamsi quid precaretur, prorsus ignoraret.* Paulus quidem ait, *quomodo dicet Amen, ad tuam gratiarum actionem, quandoquidem quod dicas nescit?* Sic Augustinus inquit. *vt populus ad id, quod planè intelligit, dicat Amen.* Itidem Ambrosius: *Imperitus audiens, quod non intelligit, nescit finem orationis, & non respondet Amen, id est Verum, vt confirmetur benedictio per hos enim impletur confirmatio precis, qui respondent, Amen: vt omnia dicta veri testimonio in audientium mentibus confirmentur.* Quare cum nec altaria Apostolorum tempore vlla ædificata essent, nec mensa Dominica, qua tum vtebantur, tam longè à medio templo submoueretur, nec populus ad ea responderet, quæ non intelligeret: Cum hæc, inquam, ita multa reperiãtur in præmissis falsa, Hardingi conclusionem in dubium vocare non immeritò possumus.

Angust. de verbis Domini secundum Ioan. serm. 42. Concil. Constant. 5. act. 1. Durand. lib. 5. Platina. Theodoret. li. 5 cap. 18. Nazianz. in Basilij. De consecrat. dist. 2. Sacerdotum. Concil. Laod. can. 19. Chrysost. ad Ephes. hom. 3. Chrysost. in 2. ad Cor. hom. 18 De ecclesiast. diuers. capi. constitut. 123. Clem. Alexan. strom. 7. Bessarion de sacramento Eucharistiæ. 1. Cor. 14. August. de Catechi. rudibus cap. 9. Ambros. in 1. Cor. cap. 14.

Hardingus. 27. Sectio.

QVod D. Paulum, Iuelle, ad propositum tuum confirmandum adducis, eúmque facis hoc modo dicentẽ, aliter ac ipse scripsit: *Si precatus fueris in Ecclesia spiritu tuo, aut strepitu peregrinorũ verborum, quomodo Idiota respondebit, Amen? Nam quid dicas, nescit: in iis, inquam, Textum tua ipsius adulterina fartura distendisti. Translatio ab Edouardo sexto, suisq́ Consiliariis approbata, verior est, ac propius accedit ad Græcum, quæ perinde valet:* Quando benedicis spiritu, quomodo qui Idiotæ lo-

1. Cor. 14.

cum occupat, dicet Amen, ad tuam gratiarū actionem? Nam quid dicas, nescit. *Hoc in loco Apostolus loquitur de benedictione seu gratiarum actione in spiritu, qui spiritus quid sit non facilè explicari potest iuxta vestri ipsorum Patriarchæ Ioānis Caluini iudicium. Ambrosius pro illo spiritu accipit, quem in baptismo hausimus, qui nos vrget, & excitat ad precandum: Beatus Thomas, pro sancto spiritu nobis donato, pro ratione, & pro imaginandi facultate: Erasmus pro ipsa voce: Isidorus Clarius pro potestate pronunciandi. Aliqui pro spiritu, qui per arteriam transit: Aliqui pro intentione: Augustinus argutè*, pro apprehensione, quæ ideas concipit, & signa rerum: *Caluinus in institutionibus*, de oratione cap. 15. *pro sono oris, quem spiritus gutturis, aerísq; reflexus efficit & gignit: Chrysostomus pro dono spirituali, aut spiritus sancti dono loquendi linguis: quam interpretationem Caluinus ipse pro tribunali quodam modo sedens, huius controuersiæ arbiter, maximè probat, cæterorúmque omnium iudicia reprobat, suúmque adeò ipsius, quanquam imprudens vt videtur: tuúmque etiam Iuelle peregrinorum verborum strepitum non minùs damnaret, si eum audiret. Huius loci sensum tam incertum atque dubium, tanquam fidium concentum illo tuo peregrinorum verborum sono dissoluere, quo vocabulum illud, Spiritus, tam violenter noua vestra expositione adhibitum tam variè accommodas, ad Latinas in Ecclesia Latina preces improbandas parum facit: præsertim cùm Paulus per illam miraculosam linguis loquendi potestatem, qua vtebantur, vel abutebantur veriùs Corinthij, diuersum quoddam loquendi genus intelligat ab eo, quo sacerdos preces publicas recitat.*

Sacerdos, fateor, liturgiam parœcis suis recitans, lingua quidem loquitur, sed non eiusmodi, qualem D. Paulus sensit. Etenim maiore ea ex parte sacerdos si doctus fuerit intelligit, [a] populúsque non omnino eius ignarus est, propter frequentes conciones, diuturnum vsum, ferias solennes, multiplicésque ceremonias. Quare argumentum tuum ob illo desumptum, contra preces docta Latina lingua celebratas nihil valet, quamuis eam indocta plebs minùs perfectè calleat. Equidem, si accuratam Augustini de hoc Pauli loco iudicium receperis, alias tum quærere scripturas, alias confirmationes Anglicæ vestræ liturgiæ debebis. Nam vt Augustinus hanc rem egregiè & doctè exponit, D. Paulus per linguam, non aut Latinam, aut Græcam, aut Hebraicam, apud homines rudes, aut vllam omnino peregrinam linguam intelligit, sed tantum metaphoricos, quamuis eloquendi formam, qua rerum signa antè pronuntiantur, quàm intelliguntur. Per spiritum autem, non sonum quendam vocum peregrinarum, iuxta tuam peregrinam interpretationem, significat: sed prout hoc in loco propria quadam & peculiari ratione sumitur, potestatem quandam animæ inferiorem mente, quæ rerum similitudines concipit, neque intelligit. Quicquid autem hoc modo pronunciatur, lingua & spiritu pronuntiatur, siue Latino, siue Anglico, siue vllo alio sermone pronuntiatum fuerit. Cæterum, bone vir, etiamsi populus non accuratè intelligat, quid sacerdos in Latina liturgia dicat, tamen fructus nonnihil & commodi inde capit, quatenus publicas preces à sacerdote pro populo in Ecclesia nuncupatas, boni consulere Deo visum est.

[a] Falsum: imperita enim plebs nullum verbū aut syllabam latinæ linguæ intelligit.

Vide August. lib. 12. de Genesi ad literam cap. 7. 8. & 9.

Episcopus Sarisburiensis.

HOc in loco, quendam facetiarum Leporem temporis ludendi causa comparatum adhibuit Hardingus. Caluinus facit patriarcham, eúmque in tribunali collocat sublimi, cæteros omnes iudicio capitis condemnantem: Pauli sensum distendi, eiúsque harmoniam peregrinarum vocum sono quodam dissolui scribit: & qua copia est, idem sæpius mutatis verbis duplicat, iterátque, & secum ipse multùm, ac iocosè ludit, in quo non debet animo iniquo ferre, si ei ego sic respondero, vt Ambrosio quondam Hieronymus respondit, de ipsius in Lucam commentariis, *verbis ludis, sententiis dormitat.*

Ruffinus.

Quandoquidem hæc Pauli verba, *si spiritu tuo benedixeris*, videri posse dubia sensi, indéque discrepantes animaduerti natas esse interpretationum varietates: consentaneum putaui, quò multorum ignorantiæ ac imperitiæ consulerem, dilucidè exponere, quid illo vocabulo, *spiritus*, significare Paulus videretur. Multorum igitur veterum patrum sequutus authoritatem, sonum quendam, aut peregrinarum vocum strepitum appellaui. Hæc illa est, quam Hardingus tam facetè, & lepidè *farturam quandam, & distentionem, nouámque ac peregrinam interpretationem vocat.* In quo tamen admodum certè videtur esse tenui memoria atque acumine. Etenim breui pòst, quando hæc Pauli verba interpretatur, (*quàm decem millia verborum in lingua*) eadem ipse *fartura*, *eadémque distentione* vtitur.

Certè verò si omnem omnino paraphrasin, aliorúmque verborum, ad textus ambiguitatem obscuritatémque illustrandam, accessionem penitus reprobauerit, tum non modo septuaginta illos, sed cæteros etiam omnes scripturarum interpetes damnauerit. De qua re Origenes, vt Apostolus Dauidis Prophetæ verba citet, perpendens, sic scribit: *Sed quòd dixit Apostolus, sicut scriptum est: nō est iussus quisquam, nō est intelligēs, nō est requirēs Deum, Nō iisdem sermonibus inuenitur in Psalmo, sed alij permutantur, alij assuuntur, alij relinquuntur. Quod à studiosis quibusq; si obseruetur diligentiùs, puto dari in hoc Apostolicam authoritatem, vt cum scripturæ testimoniis vtendum fuerit, sensum magis ex ea, quàm verba capiamus.* Paulum & immutasse verba Prophetæ, & eis aliquid addidisse, atque aliud detraxisse Origenes affirmat: neque tamen Paulum scripturas *vel distendisse, vel farsisse* dicturum arbitror Hardingum.

Orig. in Epi. ad Rom. cap. 3. lib. 3.

Forsan autem regeret Hardingus Paulum hoc verbo, *spiritus*, peregrinam linguam, aut vocum incognitarum sonum non intellexisse: & hanc proinde farturam adulterinam & fucatam esse.

esse. Et quia sic Hardingo videtur, imperitus Lector, ita quidem rem habere sibi fortè persuadebit: verum si prisci doctores, patrésque hoc modo intellexerint, tum certè peregrinæ iocationes, iactationésque istæ inanes ac ineptæ fuerunt. Pauli mentem Ambrosius aperit, quídque per hoc vocabulum *spiritus*, intelligat, exponit ad hunc modum. *Si tu benedixeris spiritu, hoc est, si laudem Dei lingua loquaris ignota audientibus.*

Ambros. in 1. Cor. 14.

Hæc nulla est distentio, nulla adulterina fartura, ipsius est Ambrosij interpretatio. Chrysostomus eadem verba similiter interpretatur: *Si tu benedixeris spiritu, &c. est quod dicit huiusmodi: si peregrina lingua gratias agas, quam nec intelligas ipse, nec cæteris intelligas ipse, nec cæteris idem interpreteris, plebeius non potest subijcere Amen.* Chrysostomus hunc Pauli sensum esse affirmat: Hardingus negat: *noua enim* (inquit) *quædam est, & peregrina interpretatio.* Erasmus in sua paraphrasi, hoc modo reddidit: *Si tu decantes laudes Dei, sermone omnibus incognito.* Dionysius Carthusianus, itidem ait: *Si tu benedixeris spiritu, id est, non verbis, quæ ab alijs intelligantur, sed tantùm lingua.*

Chrysost. in 1. Cor. 14. homil. 35.

Erasmus in 1. Cor. 14.

Diony. Carth. in 1. Cor. 14.

Anselm. in 1. Cor. 14.

Anselmus inquit, *spiritus meus orat, id est, flatus oris mei orat, dum loquor in oratione.* Quamcunque Hardingus de Erasmo opinionem habuerit: ipsum tamen non patietur modestia (puto) sua, vt vel Dionysium Carthusianum, vel Ambrosium, vel Chrysostomum, vel Anselmum, nouas inauditásque interpretationes inuestigasse, aut cum Paulo lusisse, eiúsve textum quadam dissonantia, & quasi symphoniæ discordia corrupisse defendat.

Verum locus (inquit) *Pauli anceps est, eúmque Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Isidorus, Erasmus, & Thomas Aquinas, variè sunt interpretati.* Quid autem? num ex eo sic concludet,

Isti patres Pauli sensum perperam intellexerunt:
Ergo, Pauli nullus est omnino sensus?

Aut hoc modo:

Varij doctores varias de hoc loco sententias habuerunt:
Ergo, nos nullam habere omnino oportet?

An nullum eorum sequi debemus, quia aliqui errauerunt? Aut omnes simul sequi necesse est, quia doctores fuerunt? Nonnihil certè quidem de significatione huius verbi, *spiritus*, dissensisse illos liquidò constat: siue tamen Paulus spiritum sanctum intellexerit, siue imaginationem, siue rationem, siue linguarum donum, siue oris strepitum, siue eloquendi facultatem, siue vocē ipsam, certissimum est, & horum atque aliorum præterea omnium doctorum & patrum testimonijs comprobatum, Paulum de lingua incognita, vtque Gregorius ait *strepitu oris* loquutum esse, & tū consequenter istis, *de peregrinarum vocum sono*, qui teretes, & religiosas aures Hardingi tam vehementer offendit.

Hugo Card. citat Gregoriū.

Quandoquidem autem Hardingus tantopere asseuerat hæc Pauli verba, nihil pro nostra causa facere: nos vnum aut alterum ipsius argumentum, breuiter excutiamus, & quàm illa præclarè ad suum propositum accommodet, consideremus. Primum huiusmodi est: *Paulus de miraculo linguarum dono disputat: Ergo, verba eius, nihil contra Latina sacra faciunt.* Alterum, *Paulus admonet, vt sacerdos preces publicas in Ecclesia factas, ea lingua pronunciet, qua indocti ædificentur, & respondeant, Amen: Ergo,* (vt videtur Hardingus affirmare) *Sacerdoti preces publicas peregrino sermone concipere licet.* Istæ verò argumentationes peregrinum profectò in scholis strepitum facere, & dialecticæ quodāmodo modos omnes remittere viderentur. Cæterùm si Pauli verba nihil contra rei diuinæ lingua Latina administrationem, qualis nunc obtinet, valeant: quid tum verò est, quod Paulus damnat? quorsum hoc modo concludit, *Quomodo dicturus est idiota Amen, ad tuam gratiarum actionem? Quid enim dicas, nescit.* Quamobrē totam discriminis summam in intelligendo, atque non intelligendo constituit? Aut quid aliud, *quàm peregrinæ linguæ sonum, seu strepitum improbat*, qua nullo modo institui ædificaríque populum posse existimat? Si hoc totum nihil est, vt Hardingus statuit, age, Pauli verba contrario penitus modo inuertat, & sic dicat: *Fac lingua peregrina atque incognita preceris, vt populus dicat, Amen. Sic enim dixerit, etsi quid preceris nescierit.*

Quod de docta Latinorum lingua tam sæpe iactat Hardingus: ad Lectorem potiùs perstringendum, quàm rem bene & luculenter confirmandam valet. Ita vafros illos & veteres hæreticos, Marcum atque Heracleonem in precibus suis Hebraica quædam, aliáque inaudita & inusitata vocabula vsurpasse Augustinus & Arnobius testatur, quò auditores suos admiratione percellerent, suámque commendarent, & propagarent fraudem. Nulla lingua per se docta putanda est, sed duntaxat alterius rei gratia, atque, vt periti loquuntur, *per accidens*, id est, vel propter elocutionem ornatam, vel propter rerum summam dignitatem, & amplitudinem: vel propter eius, qui loquitur, doctrinam atque scientiam. Liturgia autem & formula publicarum precum latina, cum per se nullis eloquentiæ luminibus illustratur, (nullis enim certè indiget,) tum interdum & parum Latina est, & sensus expers. Exemplum vnum hoc multorum loco fuerit. In laudes sanctissimæ virginis hoc modo scribitur, *Cuius Dominus humilitatem respiciens, Angelo nunciante concepit redemptorem mundi.* Ex hac docta lingua discimus, non Dominam nostram, sed Dominum concepisse Christum. Sic enim verborum σύνταξις fluit, *Dominus concepit redemptorem mundi.* Res quas habet ea Liturgia, nonnunquam summa futilitate, fabularúmque vanitate abundant: nonnunquā etiam ad impietatem, & idololatriam spectant: Sacerdotes autem, qui ea lingua vtuntur, eiusmodi plerique sunt, vt eam vix certè doctam efficere queant. Papa Zacharias Sacerdotem quendam suo tempore puerum his verbis baptizasse testatur: *In nomine Patria, & Filia, & Spirita sancta.* Multos

Augustin. ad Quoduult-deū. Arnobius.

De consecrat. Distinct. 4. Retulerunt.

m

etiam sacerdotes, sua memoria cum publicas preces Latinè celebrarent, quibus in locis populus Latinè sciebat, barbarismos ac solœcismos commisisse, hoc est falsam Latinitatem vsurpasse, Augustinus author est: tum etiam ait, *multa in illis reperiuntur contra Catholicam fidem.* Talis nimirum est ea lingua, quàm hîc Hardingus vt eruditam, & doctam tantopere laudat.

Aug. de catechi. rudib. ca. 9. De consecrat. dist. 4. Si nou.

Verùm nos linguam Latinam, eloquentia, copia, doctrina, cæteris omnibus antecellere concedamus. An verò tam curiosas, támque superstitiosas esse Dei aures homines isti putant, vt nullas nisi *docta lingua* nuncupatas preces ferre possit? Certè, nullam Paulus in Ecclesia doctrinæ ostentationem, sed sermonem duntaxat planum, cum intelligentia coniunctum postulat, vt ignari ædificentur.

Imperator Caligula panes aureos, cæteráque fercula tota aurea conuiuis aposuit, & epulari iussit. Multa tum quidem videbant aspectu pulchra, sed nihil erat, quo se pascere, & famem explere possent Similiter Hardingus preces suas Hebraicas, Græcas, Latinas, auro quasi fulgentes, populo proponit, tum rogat, vt vescantur. Præclarum verò spectaculum, in quod oculos defigant suos: nihil autem, quod omnino capiant, atque gustent, deliberare possunt: quódque vel eos ad resipiscentiam inducat, vel eorum conscientias tranquillas & pacatas reddat.

Egregiè dixit Augustinus, *Quid prodest clauis aurea, si aperire, quod volumus, non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest? quando nihil quærimus, nisi patêre, quod clausum erat.*

August. de doctrina Christiana, lib. 4. ca. 11.

Populus (inquit Hardingus) *non penitus nescit, quid Sacerdos dicat: intelligit eum, etsi non perfectè, & accuratè, tamen intelligit.* Sic titubat atque hæsitat in suo illo *perfectè, & imperfectè,* quasi nondum, quantum populus intelligeret, satis perpendisset. Etenim quòd populus imperitus Latinam linguam perfectè teneat, id veritati ipsi palam repugnat: quòd autem nihil omnino intelligat, idipsũ est, quod disertè Paulus auersatur: intelligentiam namque Paulus flagitat.

Quapropter rem partiri voluit Hardingus, aitque, *Populus Latinam linguam intelligit, licèt non exquisitè aut cumulatè:* hoc quidem est, neque Scripturas, neque preces, neque quicquam eorum, quæ dicuntur, nec sententiam vllam, nec verbum, nec syllabam, nec literam tenet. Loquentem Sacerdotem audit, quid loquatur ignorat: sese huc & illuc conuertentem, gestúsque quosdam agentem intuetur: quid autem sibi velit, nescit. Hoc est Latinam linguam intelligere, inquit Hardingus. Sed Deus bone, hæccine est ea intelligentia quam Paulus requirit: nempe qua *popolus ædificetur, respondeátq; Amen?*

Quam verò tandem voluptatem capit Hardingus, in diminuenda & coercenda hominum Christianorum intelligentia? Quidni enim potiùs perfectè cognoscere, quid sacerdos loquatur, debeant? Cur esset aliquid in rebus sanctissimis, atque diuinis incohatum? Paulus, vt omnes in virum perfectum in Christo Iesu crescamus, & Augustinus vt populus respondeat Amen ad id quod planè & perfectè intelligit, exoptant.

Ad Ephe. 4. Augustin. de catechizand. rud. cap. 9.

Hardingus. 28. Sectio.

AT Paulus (inquiunt) efflagitat, vt populus assensum significet, séque àd Sacerdotem accommodet, dicendo Amen, ad precationem in ecclesia factam.

Equidem in Ecclesia primitiua hoc necessarium fuit, quando prima quodammodo rudimenta fidei tradebantur. Quam ob causam preces tum lingua populari & vsitata vulgo hominum fiebant, vt ea meliùs instituerentur: quandoquidem nuper ad fidem conuersi, atque ex Ethnicis Christiani facti accurata institutione opus habebant.

Postquam verò fideles homines, tanta multitudine creuerunt, omnibúsque religionis patribus tam exquisitè eruditi fuerunt, vt sponte sua, sese in precibus publicis ad ministros conformarent: in ecclesiis Latinis preces Latinæ institutæ sunt, satísque visum est, si pars aliqua populi intra chorũ, pro tota multitudine responderet. Atque ista magis expedita magisq; consentanea ratio iudicata est, quàm si vernacula cuiusque gentis lingua celebrarentur.

Episcopus Sarisburiensis.

QVi falsum defendere conatur, eum oportet dilligenter omnia circunspicere, quámque sua conueniant, ac cohæreant accuratè considerare. Hardingus paulò antè hoc modo scripsit: *Cicero linguas innumerabileis esse affirmat, ex quibus omnibus, neque Iuellus, neque suorum quisquam astipulatorum conuincere potest publicas ecclesiæ preces cuiusquam nationis vnquam per sexcentos annos, post Christi natiuitatem, vlla lingua recitatas fuisse, præterquam Græca, aut Latina.* Nunc contrà, vel quid antea dixerit oblitus, vel ipsa veritate impulsus, sic inquit: *Equidem hoc in ecclesia primitiua necessariũ fuit, cum prima quasi rudimenta fidei traderentur. Itaque tum recitatæ preces fuerunt populari & nota lingua, quò populus ea commodiùs & faciliùs fidei disciplinam perciperet.*

Hardingus sibi contrarius.

His verbis, quod suprà tam confidenter iactauerat, funditus destruit atque euertit, meámque causam egregiè cõfirmat. Nunc Iuello licet esse securo: Hardingus siquidem contra se ipse probare potest, sacra publica in primitiua ecclesia sermone vernaculo fuisse procurata: ídque tanquam verissimũ asseuerãter affirmat, itaq; fuisse necessariũ, nec potuisse aliter esse scribit. Hęc Hardingi pugnãtia simul constare nullo modo possunt, si verum fuerit alterũ, falsum sit alterũ est necesse.

Ratio,

Ratio, quam hoc in loco concludit, ex temporum dissimilitudine pendet. *Erat* (inquit) *populus tam rudis, & institutione summa opus habuit: nūc verò eruditus est, & fidei gnarus atque numero multiplicatus: satius ergo nunc atque expeditius est, vt res diuina sermone peregrino fiat, vtq; soli clerici Sacerdoti respondeant pro tota ecclesia.*

Hæc Hardingus inquit, non Ambrosij, Augustini, Hieronymi, Chrysostomi, aliorúmque his similium veterum, catholicorúmque doctorum authoritate inductus, sed ex sententia recentiū doctorum Thomæ Aquinatis, & Nicolai Lyræ, quorum superior mille ducentis plùs minus annis à Christo vixit.

Hardingi in angustum contracta ratio sic habet: *Populus nunc dierum eruditus est: Ergo, preces publicas ignota lingua recitare debet.* Si causam Hardingus omnibus probare suam cupit, alia argumenta comparet, oportet. Quid si autem populus eruditus non sit? Quid si nihil sciat, ne Christianæ quidem fidei principia? Quid si nullus sit, qui eum erudiat? Quid si Sacerdos tanquam vnus sit è populo, cæcúsque cæcum ducat? Non tamen nouum, puto, decretum mutabit Hardingus suum, quin peregrinæ preces perpetuò valeant.

Sanè verò, Dei cognitio, ecclesiæ anima est & vita: atque vt in primis eiusdem fundamentis iaciendis necessaria fuit: sic ad perpetuam eiusdem conseruationem necessariò requiritur. Hilarius inquit, *Ecclesiæ, in quibus verbum Dei non vigilat, naufragæ fiunt.* Neque verò Paulus iussit, vt hæc forma obtineret ad tempus, dum fidei rudimenta docerentur, quemadmodum fingit Hardingus, sed ita habet: *Hæc quæ scribo, Domini sunt mandata. Omnia ad ædificationem fiant.* Populi ædificatio, ad quam hæc omnia referuntur, permanet: Ergo, populi scientia, ex qua illa dimanat, nunquam tolli debet.

1. Cor. 14.

Hardingus. 29. Sectio.

NOn potest populus, fateor, dicere Amen, *ad benedictionem, aut gratiarum actionem Sacerdotis, æquè ac si linguam Latinam perfectè calleret: tamen assensum ei præbet, & ratam eam habet in cordibus suis, séque ad sacerdotis sensum applicat: quanquam non* in speciali, *tamen* in generali: *hoc est, etsi non in quauis particulari sententia laudis, & gratiarum actionis, aut in singulis quibusq; postulatis, tamen in toto. Si enim populus ad ecclesiam recto animo studióque conuenerit, sicuti non minùs indocti faciunt, quàm docti: hoc sibi proponit vt Deum glorificet, laudet, & colat, eiq; pro beneficijs gratias agat, simúlq; res sibi tum in hac, tum in futura vita necessarias ab eo petat.*

Atq; hic pius animorum affectus tam est procul dubio Deo gratus, vt nulla verborum intelligentia cum eo conferri queat. Hunc quem quærimus assensum, & suam ad sacerdotes conformationem multis significat externis signis, & gestibus, scilicet, stando ad Euangelium, & præfationem Missæ: sese inclinando, & adorādo ad Sacramentum: & genua flectendo alijs temporibus, vt quando venia, & misericordia summissè petitur, aliisq; similibus deuotionis indicijs ad alias partes sacrarum precum.

Episcopus Sarisburiensis.

ITerum nunc Hardingus persuadêre nobis conatur, plebem indoctam & imperitam Latinum sermonem intelligere, quanquam minùs accuratè, posséque generatim assensu suo prosequi, quicquid sacerdos dixerit, etsi, quid dicat, planè atque omnino nesciat. In quo nonnulla videtur Pauli, atque Hardingi iudiciorum pugna. Paulus enim ait: *Idiota non potest dicere Amen ad tuam precationem, quia quid dicas nescit. Immo,* inquit, *etsi quid dicas nescit, potest tamen respondere Amen.* Sed hanc correctionem adiungit: *Non potest, fateor, dicere Amen, ad benedictionem gratiarúmq; actionem sacerdotis, tam bene, ac si linguam Latinam intelligeret.*

Quis te officijs populi sic moderari docuit Hardinge? Cur fratres tam palàm tuos decipis? Quamobrem eos doces dicere Amen, sese ædificare, gratias agere, suáque corda ad diuinam voluntatem conformare, minùs bene, quàm eos oportuit, vt ipse & nosti & profiteris? Tuæ ipsius linguæ testimonio coargueris te Dei populum à meliore adducere ad deterius.

Demissum affectum, cordísque pium, ac religiosum studium cognitione omni & strepitu verborum præstantius, Deóque gratius esse non dubito. Hoc enim est spiritu & veritate precari. Propterea eos, qui contrà faciunt, Deus reprehendit: *Populus iste appropinquat ad me labijs suis* (*inquit Dominus*) *sed cor eorum procul est à me.* Hinc huiusmodi rationem Hardingus concludit, *Populus deuotus est, & religiosus: Ergo, preces lingua peregrina recitare suas debet.*

Ioan. 4.
Matth. 15.

Argumenta sua Hardingus expendat & corrigat velim. Hoc nimis ineptum est, & responsione nulla indiget. Equidem si ignarus populus in summa ignorantia, atque tenebris, tanto pietatis & religionis amore inflammetur: multò profectò magis istis studijs incenderetur, si preces sanctissimas audiret atque intelligeret.

Genuum flexio, inclinatio, statio, cæterique huiusmodi gestus & laudabiliter adhibentur, & animi religiosum affectum declarant: dummodo populus, quid velint, cognoscat, eósque Deo, cui debentur, tribuat. Nam nisi hæc adsint, hypocritarum potiùs fuco, quàm piorum sanctorúmque hominum veræ religioni inseruiunt. Cœlestinus ad Episcopos Galliarum scribit hoc modo: *Docendi potiùs, quàm illudendi, nec imponendum est eorum oculis, sed mentibus infundenda præcepta sunt.*

Inter decret. Cœlest. ep. 1.

Hardingus. 30. Sectio.

QVod autem D. Paulus morem precandi lingua in ecclesia tanquam fructus & ædificationis expertē improbare videtur, & quinque verba, aut sententias intellectas, & perceptas, ex quibus reliquus populus instituatur decem millibus peregrino & incognito sermone pronunciatis anteponere: ista omnia ad illorum temporum conditionem referenda sunt, quæ hodierno ecclesiæ statui longè dissimilis est.

Lingua precum, de qua Paulus loquitur, prorsus peregrina fuit, & incognita, & signi cuiusdam instar nō credentibus: Latina lingua in ecclesia Latina, non omnino peregrina est, atque incognita: nam præter Sacerdotem in plerisq; locis, ex reliqua multitudine nonnulli eam intelligunt quodammodo aut plùs, aut minùs: & nunc eiusmodi signo opus non habemus. Illis institutio fuit necessaria: nos præcipuarum religionis partium non sumus ignari. Illi fuerunt in singulis rebus informandi: nos ad ecclesiam non ideo potissimum conuenimus vt quando preces celebrantur, erudiamur, & doceamur, sed vt precemur, & homilias attendamus. Illorum preces, quia fides aberat, inutiles fuerunt, & proinde vernaculo sermone fieri eas oportuit, quo fides augeretur: nostra fides nobis plus profuerit, si nos religiosis precibus dedamus. Illi quandoquidem erant fidei expertes, interpretatione tum in precibus, tum in homilijs, tum in cæteris omnibus spiritualibus exercitijs opus habebant: nos necessaria fidei rudimenta satis luculenter edocti, de cætero, sedulis & vehementibus precibus à Deo exposcere vitam iustam, piam, & sacram potiùs, quàm multum temporis in audiendo, scientiæ nostræ augendæ causa, consumere debemus. Qua de re Chrysostomus sic habet: Profectò si orare cum diligentia insuescas, nihil est quod doctrinam tui conserui desideres, cum ipse Deus sine vllo interprete mentem abunde luce afficiat.

Chrysostomi verba iniquissimè tractata.

Contra Anomæos, hō. 3.

Episcopus Sarisburiensis.

HIc Hardingus contentione quadam oratoria vsus, multásque consectatus differentiæ circunstantias, ecclesiæ primitiuæ suæque Romanæ conditionem inter se confert, atque inde probare videri vult, Pauli verba, quæ Paulus ipse *mandata Domini* vocat, illo duntaxat momento rata, deinceps perpetuò irrita esse: ac si diceret, diuinam mutari posse voluntatē, vel Dei præcepta, ad tempus exiguum, ac certos annos durare.

Ecclesiæ primitiuę instituta ab ijs, quibus hodie Romana ecclesia vtitur, vehementer discrepare non nego. Nam vt illa omnia prætermittam, quæ hîc Hardingus ex vtriusque Ecclesiæ memoria decerpsit, intérque se contulit, quæque ad hanc causam & propositum propiùs accedunt, persequar: in ecclesia primitiua Rectores optarunt, & in eo vehementissimè contenderunt, vt populus scientia abundaret: in Romana nihil aliud agitur, nihil quæritur, quàm vt populus summa rerum omnium ignoratione obruatur. In ea ministri varijs linguis loquuti sunt, vt ab omnium gentium, & religionum hominibus intelligerentur: in hac minister lingua peregrina vtitur, quò eum nemo intelligat. In illa rudes, & ignari eloquentes euaserunt: in hac Episcopi, & Cardinales, & doctissimi quique muti fiunt.

Denique ne consecter reliqua, in Ecclesia primitiua certissima spiritus sancti effecta, & Christi pedum ipsa vestigia atque monumenta apparebant: qua de causa Irenæus, cæterique prisci patres in rebus dubijs & perplexis, ad vsum, & exemplum illius Ecclesiæ semper prouocauerunt. Tertullianus habet: *Hoc aduersus omnes hæreses valet, id esse verum, quodcunq; prius, id esse adulterinum, quodcunq; posterius.* Atque hoc sanctissimos patres in Niceno concilio congregatos induxit, vt summo omnium consensu exclamarent τὰ ἔθη ἀρχαῖα κρατείτω: in quo se normæ moríque ecclesiæ primitiuæ subijciunt, atque summittunt. Contrà verò Valentinus, Marcion, aliíque consimiles hæretici, se omnium iudicabant sapientissimos, eáque arrogantia inflati, Apostolorum instituta (sicut nunc Hardingus, suíque socij faciunt) prorsus respuebant & contemnebant. Sic de illis scribit Iræneus: *Dicent se, non solum presbyteris, sed etiam Apostolis sapientiores esse, & synceram veritatem inuenisse.* Non ego tantæ Hardingum impietatis accuso, quantam Valentino, & Marcioni tribuo: hoc tantùm dico, eum spretis Apostolorum decretis, atque institutis, nōua quædam inuenta persequi: itáque veterum hæreticorum Valentini & Marcionis vestigijs insistere. Nunc Hardingi rationes attendamus: *Ecclesiæ* (inquit) *primitiuæ conditio, multum absuit ab horum temporum ecclesiæ consuetudine: Ergo, Pauli mandatis non astringimur.*

Irenæus, lib. 3. cap. 3.
Tertul. aduersus Praxeam.
Concil. Nicenum. Can. 6.
Irenæus. lib. 3. cap. 2.

1. Deinde ait: *Vnus aut alter, in singulis parœcijs, aliqua ex parte linguam Latinam intelligit:*
2. *Populus religionem cumulatè edoctus est:*
3. *Conuentus non tam discendi, quàm precandi causa fiunt: Ergo peregrino sermone preces publicæ recitari debent.* Deus bone, quid Hardingo venit in mentem, vt isto modo ageret? Non libenter quidem comparatione huiusmodi vtor. Sed certè ita habet: ne pueri profectò tam pueriliter argumentari solent. Certò nouit pro maxima parte, neque ex omni parœcia quenquam, neque ipsum sæpenumero sacerdotem Latinè intelligere. Non est nescius suæ ecclesiæ homines religione parū imbui, nec cuiquam licere eos instituere. Atque vt hæc pariter ambo vera essent, non tamen inde concludere poterit, oportere ergo populum preces publicas ignota lingua facere.

Ita neque vera est Antecedens, neque consequentem necessariò inducit. Tecum nunc ipse, Christiane Lector, considerato: num hæ confirmationes atque argumenta eius sint ponderis & momenti

momenti, vt conscientiæ tuæ satisfacere possint. Preces vernacula lingua concipere in primitiua Ecclesia necessarium fuisse, ad procreandam fidem affirmat. Quid autem preces incognito sermone factæ gignere possunt? Quam scientiam, quam fidem, quam charitatem generare? Apostoli fidei neutiquam erant expertes: tamen Christo dixerunt, *Domine adauge nobis fidem.* Luc. 17.

Christus postrema mundi secula significans, ait: *Quando filius hominis aduenient, vix fidem in mundo reperiet.* Quæ res ad extruendam fidem valebat, eadem profectò ad instaurandum vtilis est: & quæ tum ad augendam fidem necessaria visa est, ea nunc quoque ad eandem conseruandam necessaria existimari debet. Luc. 18.

Chrysostomi autem verba, quorsum tandem profert? An vnquam bonus ille pater, populo preces publicas peregrina lingua recitauit? Hardingus ipse nouit populum, quid Chrysostomus precaretur, intellexisse, & ei sua lingua respondisse, & vnà cum illo precatum esse. An ille vnquam populi nimiam cognitionem vituperauit, aut eum à legendis Scripturis deterruit? Immo sæpe auditores suos, quòd Scripturas rariùs legerent redarguit, eósque hortatur, vt Bibliorum sibi librū comparent, vt Scripturas legant, vt priuatim cum domesticis suis, de Scripturis sermonem conferant. Quòd autem Hardingus, quò populi mentes à legendo abstrahat, Scripturas ait esse obscuras, & lubricas, nec posse quenquam in eis sine duce ingredi atque penetrare: Chrysostomus contrà, vt populum ad legendas Scripturas excitet, planas eas & faciles esse dicit, hominémque indoctum, & imperitum votis à Deo posse earum scientiam impetrare per se, sine magistro, vel institutore. Hæc sunt enim ipsius verba: quemadmodum ea citauit Hardingus: *Profectò si orare cum diligentia insuescas, nihil est quod doctrinam conserui tui desideres, cū ipse Deus sine vllo interprete, mentem tuam abunde luce afficiat.* Chrysost. contra Anomœos homil. 3. Chrysost. in Matth. homi. 2. Chrysost. in Psal. 43. Chrysosto. ad Col. homil. 9. Chrysost. contra Anomœos homil. 3.

Similem multis præterea in locis sententiam habet. Quando Eunuchi Reginæ Candaces historiam exponit, sic habet: *Fieri non potest vt is qui diuinis scripturis magno studio, feruentiq; desiderio vacat, semper negligatur: Licet enim desit nobis hominis magisterium: tamen ipse Dominus, supernè intrans corda nostra, illustrat mentem, rationi iubar suum infundit, detegit occulta, doctórque fit eorū quæ ignoramus.* Chrysost. in Gen. hom. 35.

Quare iste locus Chrysostomi parum Hardingo commodat, nisi id fortè spectauit, vt antiqui Doctoris nomine, & titulo abusus, aliquid se attulisse ignaris hominibus persuaderet. Ratio quam hinc efficit, huiusmodi est:

Idiota quisq;, quantumuis ignarus, Scripturas propria lingua legere, easq; sine interprete intelligere potest:
Ergo, preces publicæ plebi sermone peregrino recitandæ sunt.

Hardingus. 31. Sectio.

Hic tamen nollem mihi quisquam ignorantiæ patrocinium obijciat, quasi vllam ego populo sanctam scientiam inuiderem. Omnem illi cœlestem cognitionem opto, vt nihil ignoret, quod ad salutem ei fuerit necessarium. Atq; etiam ex animo cum Mose dico: Quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det Dominus illis spiritum suum? *Veruntamen, vt totum vulgus Sacerdotem preces publicas celebrantem intelligat, sapientes & pios homines, rem non adeo necessariam existimaturos esse puto, propter quam antiquissimus Ecclesiæ vsus, summa cum offensa, authoritate publica & generali spreta, & contempta, priuato paucorum hominum iudicio damnetur, violetur, & penitus abrogetur.*

Si iusta hæc querela, verúmque crimen esset, ad quem eius pertineat correctio, non ignotum est. Nam quod ad religionis statum attinet, Concilium generale, quo vniuersalis Ecclesia repræsentatur, omnibus semper seculis salubres medicinas cunctis malis excogitauit? Quando iis non auscultatur, de quibus Christus dixit Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: *timendum videtur, ne quod ad publicas preces attinet, noua hæc & erudita audacia, minus Deo grata sit, quàm vetus, simpléxq; humilitas. Vt populus humili, ac religioso animo præditus preces suas intelligeret, optabile fuerit, non nego.*

Episcopus Sarisburiensis.

O*mnem scientiam, quæ pia, cœlestis, necessariáq; ad salutem fuerit,* optat Hardingus populo: Latinam modò liturgiam suam ei nullo modo cognoscendi potestatem facit. In quo fateri imprudens videtur latina sacra, nec pia esse, nec cælestia, nec ad salutem populi necessaria. *Totum populum verbi diuini peritum esse cupit:* & quanquam neminem esse nouit, qui eum instituat, non tamen vel legere Scripturas, vel particulam vllam publicarum precum intelligere ei permittit. Reliquum est, vt non nisi diuino quodam instinctu docendum esse sentiat.

Si qua culpa commissa fuerit (inquit Hardingus) *eius ad Concilium generale pertinet correctio.* Ipsum Concilij nomen magnum esse, & graue fateor. Attamen si hæc sola corrigendorum vitiorum ostenderetur via, longè miserrimam esse Dei ecclesiam necesse esset. Si Christus, suíque Apostoli Concilium generale expectandum sibi duxissent, nec Euangelium promulgatum, nec constituta ad hunc vsque diem ecclesia fuisset. *Optandum esset* (inquit Hardingus) *vt preces publicas populus intelligeret, non nego.* Huius te dicti memorem esse velim, Lector: vt populus preces publicas intelligeret optabile esse Hardingus ipse confitetur. Quid ita verò? Quia certè & sentire, & agnoscere coactus est, hoc tum ad amplificandam Dei gloriam multum valere, tum populum inde consolationem, atque vtilitatem longè maximam capere. Quapropter optandum istud esse scribit.

Hinc autem contrà licet concludere isto modo: Ergo populum in hac crasʃisʃima, & quodãmodo bruta ignorantia detineri, nullámque publicarum precum ſuarum partem intelligere, ipſius Hardingi teſtimonio & confesſione deteſtandũ eſt. Non licet autem quod bonũ eſt & optabile gerere: quod contrariũ eſt corrigere, Dei gloriæ inſeruire, populo ſolatium dare ſine generalis Concilij authoritate? Deum huiuſmodi decretis ſolutum eſſe, ſatis quidem clarè apparet. Etenim & Eccleſiam ſæpenumero repurgauit ſuam, & vitia hæreſéſque ſuſtulit, priuatis colloquijs ac cõuentibus nonnullis in regionibus: id quod ex Concilijs iſtis particularibus patet: Carthaginenſi, ſcilicet, ſub Cypriano: Neocæſarienſi in Ponto: Ancyrano in Galatia: Gangrenſi, in Paphlagonia: atque ex alijs huiuſmodi, abſque Concilij generalis conſentione. Sic Ambroſius contra Secundũ & Palladium habet: *Superioribus temporibus Concilium ſic factum eſt, vt Orientales in Orientis partibus conſtituti haberent Concilium: Occidentales in Occidente.*

Cypria. tom. 2. In tom. 1. Cõci. In Concil. Aquileienſ. In collatione cum Palladio.

Cæterum Chriſtus (inquit Hardingus) *Conciliorum authoritatem diſertis verbis ſanxit: Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit.* Verba hæc agnoſcimus, quanquam profectò Chriſtum eo in loco nihilo magis de Concilio, quàm de priuato quopiam viro eius mandata exequente, atque præſtante loquutum conſtat: quibus ipſum etiam Concilium parêre non minùs, quàm cæteros homines oportet: quibúſque remotis, Concilium quantumuis generale, non eſt tamen Concilium.

Luc. 10.

Vbi autem mandauit Chriſtus, vt preces publicæ peregrino & incognito ſermone recitarentur? vbi Concilium vllum generale decreuit? Iterum ab Hardingo quæro, atque vt mihi respondeat, vehementer peto: vbi generale Concilium vllum, ab initio vſque mundi ad noſtram memoriam habitum, conſtituit, & lege lata ſanxit, vt populus preces ignota lingua recitatas audiret? Si quod extet huiuſmodi Concilium quare non illud expromit Hardingus: Si nullum ſit, nec vnquam fuerit, quamobrem nos Concilij nomine ludit? De ſe rectè Cicero, *Nihil nobis opus erat lege, de quibus nihil eſſet actum legibus.* Perinde nobis dicere licet, nihil nobis opus eſt Concilio, ad Dei reſtituendam veritatem, cum nobis ea nullo Concilio fuerit erepta.

Cicero de legibus. 3.

Principis omnino officium eſt ſuæ eccleſiæ, regníque correctionem ſuſcipere, neque Deo ſe probare poterit, ſi hanc rem tum ſibi curæ futuram dixerit, quando cæteri principes, totúſque mundus conſpirauerint. Ioſue ille princeps clarisſimus conuocatis omnibus Iſraelitarum tribubus, ſic eas alloquitur: *Si malum vobis videtur, vt ſeruiatis Domino, optio vobis datur: Ego autem, & domus mea, ſeruiemus Domino.* Deus eccleſiam in hoc regno ſuam, trecentis ante primum generale Concilium Nicææ congregatum, ſeuit. Dei manus neutiquam decurtata eſt. Poteſt eandem nunc verbo ſuo renouare, omiſſo generali Concilio.

Ioſue. 24. Polydorus. Ghildas. Theodoret. Eſai. 59.

Tametſi hæc ab Hardingo fingi tantùm, non ingenuè dici quis non videt? Concilium quoddam iam ſatis diu agitarunt: maximas omnium regnorum & gentium querimonias acceperunt, eáſque nominatim de publicis precibus: Hardingus ipſe fatetur, eſſe conſentaneum negat, nec ferre vllo modo poteſt. Igitur aut Hardingum damnet Concilium, aut Concilium Hardingus eſt neceſſe. Chriſtus autem nobis dicit: *Mortuos mortui ſepeliant ſuos: tu veni, & me ſequere.*

Matth. 8.

Hardingus. 32. Sectio.

IN cognitione tamen non inſunt omnia. Auguſtinus enim præclarè inquit: Turbam non intelligendi viuacitas, ſed credendi ſimplicitas tutisſimam facit. *In alio etiam loco habet:* Si propter eos ſolos Chriſtus mortuus eſt, qui certa intelligentia poſſunt iſta diſcernere, pene fruſtra in eccleſia laboramus. *Non tam à nobis quantum*[a] *intelligimus, quàm quantum credimus, & quantum per fidem amamus requirit Deus. Et quando nos coram Chriſto in illo terribili die Iudicij comparebimus, non cognitionis noſtræ, ſed, fide præſumpta, charitatis rationem exigemur.*

[a] Falſum: ſcribitur enim, ſi quis ignorat, ignorabitur. 1. Cor. 14.

Epiſcopus Sarisburienſis.

QVòd ait Hardingus, *In cognitione non ineſſe omnia*, ſi quidem rerum abditisſimarum reconditisſimorúmque myſteriorum excellentem quandam, ac ſingularem cognitionem, atque ſcientiam intelligat: qualem etiam Auguſtinus intellexit, facilè concedo. Cæterùm de publicis ſacris Chryſoſtomus habet: *Niſi indoctus quid preceris intelligat, nequaquam ædificatur, neq; aſſenſum ſignificare precibus tuis poteſt. Vento verba facis, & fruſtra loqueris.* Quare publicarum precum vis omnis, atque virtus in auditoris intelligentia conſiſtit.

Chryſoſt. in 1. Cor. homil. 35.

Quòd nos cognitionis noſtræ rationem minimè reddituros eſſe. contendit Hardingus, non facilè ſibi quiſquam aſſumpſerit. In illo namque formidoloſisſimo die, reddemus certisſimè ignorantiæ noſtræ, quam vitio, & culpa noſtra contraximus, rationem. Chriſtus ipſe, cui iudicium omne Deus commiſit, inquit, *Si cæcus cæcum duxerit, ambo incident in foueam.* Iterum, *Hæc eſt condemnatio mundi: lux venit in mundum, & homines amant tenebras magis, quàm lucem.* Hæc, inquit Chriſtus, mundi eſt condemnatio. Sapiens etiam ait, impios in illo luctuoſisſimo tempore, huiuſmodi lamentabili oratione vſuros: *Aberrauimus à via veritatis, & Iuſtitiæ lumen non fulſit nobis, & ſol intelligentiæ non exortus eſt nobis.*

Ad Rom. 14. 2. Cor. 5. Matth. 15. Ioan. 3. Sapien. 5.

De iſta populi ignorantia ſæpenumero Chryſoſtomus eſt conqueſtus: *Non ſum, inquis, Monachus:*

Chryſoſt. in Matth. hom. 2.

vxorem habeo,& filios,& curam domus. Hoc illud est, quod omnia quasi vna quadam peste corrumpit, quòd lectionem diuinarum Scripturarum, ad solos putatis Monachos pertinere. Deinde adiungit: *Multò est grauius, atq; deterius superfluam esse putare legem Dei, quàm illam omnino nescire. Hæc enim verba sunt, quæ de diabolica prorsus meditatione promuntur.* Præterea habet: *Hæc diabolicæ inspirationis operatio est, non sinentis nos aspicere thesaurum, ne diuitias acquiramus. Propterea ille suadet, nihil omnino esse commodi diuinas audire leges, nequando ex auditu sequi videat actionem.* Hinc iam simplicis ignorantiæ disciplinam, quam Hardingus tuetur tam acriter, à Chrysostomo, *Diabolicam meditationem, diabolicum iudicium, diabolicam inspirationem, dici perspicimus.* Quòd autem Hardingus ait, *Deum nec cognitionis nostræ, nec ignorantiæ rationes repetiturum*, Chrysostomus prorsus contrarium his verbis affirmat: *Dices: non legi: Non est excusatio, sed crimen.*

In eadem homilia.

In eadem.

Chrysosto. ad Hebræos homil. 17.

Christiana simplicitas non est voluntaria ignorantia, quæ & fabulam quamque credit esse veram, & nihil excutit, nihil examinat, nihil exquirit. Christus non modò, *Vt simplices tanquam columbæ*, sed etiam, *vt prudentes essemus sicut serpentes* iussit: atque *vt caueremus etiam ne deciperemur*, admonuit. Paulus inquit: *Qui ignorat, ignorabitur.* In hæc sic Chrysostomus scribit: *Paulus ait, Verbum Christi inhabitet in vobis abundanter, sed quid ad hæc respondent fucis stultiores? Benedicta omnis anima simplex: & qui simpliciter ambulat, in fiducia ambulat. Hoc videlicet omnium malorum est causa, quòd non multi Scripturarum testimonia in opportunis rebus sciunt adducere. Non enim eo loco simplex pro stulto, aut pro eo, qui nihil nouit, intelligendus est, sed pro homine non malo, nec versuto. Nam si ita intelligeretur, superuacaneum fuisset dicere, estote prudentes, sicut serpentes.* Quare, quòd Hardingus ignorantiam defendit, eámque Deo non ingratam fore contendit, Dei populo imponit, nec verum dicit. Ratio, quam hinc colligit Hardingus, sic habet: *Populus, vt Augustinus ait, rerum obscurissimarum scientiam consequi non potest, & Deus eorum simplicitati ignoscit: Ergo preces publicæ lingua peregrina recitandæ sunt.*

Mat. 10. ad Col. 2.

1. Cor. 14. Chrysosto. in Ioan. hom. 16.

Hardingus. 33. Sectio.

IAm verò, tametsi populus Latinam linguam nescit, & est optabilius, vt preces publicas vernacula sua lingua recitaret, quò eas, melius intelligeret: tamen cuiusmodi nunc sunt, quandoquidem totæ [a] ex Scripturis fere conficiuntur, magnam inde vtilitatem & ad Lectorem & ad auditorem redundare, Origenes copiosè docet in vigesima Homilia in Iosue. Quia longum est omnia recitare, quæ ibi in hanc sententiam habet, summam, & quasi capita rerum consectabor. Primùm celestes potestates Angelósq; Dei, qui intra nos sunt, vehementer lætari nostra pronunciatione verborum sacræ Scripturæ ait. Etsi verba quæ ore pronunciamus [b] non intelligimus ipsi, potestates tamen, inquit, ea intelligunt, iisque alliciuntur ad opē nobis libenter ferendam. Tum verba faciens de potestatibus, quæ in nobis habitant, quibus animarum pariter & corporum nostrorum concredita cura est: Si scripturæ, inquit, à nobis leguntur, voluptatem ex eo capiunt, & fortiores fiunt ad nos tuendos: ideóque, si linguis loquamur, & Spiritus precetur, & intellectus fructu careat. Quando etiam in eam sententiam profert illum Pauli tritum locum ad Corinthios, miraculum propè mysterium nominans, ostendensq; quomodo spiritus precetur, nec vllum interea intellectus fructum capiat.*

[a] Falsum: in Romana enim liturgia innumeræ sunt prę ter scripturas accessiones inanes.

[b] Falsum: Origenes enim de Allegoriç, non de verborum ignoratione loquitur.

Deinde malas potestates, & spiritualem inimicum nostrum Diabolum, lectione & auditione scripturarum nostra à nobis expelli docet. Quemadmodum Serpentes, inquit, incantationibus prohibentur, ne veneno suo lædant: ita si vlla fuerit in nobis serpens contrariæ potestatis: aut aliquis nobis anguis insidietur, virtute sacræ Scripturæ recitatæ, (modò ne aures tædio fatigatas auerteris) abigitur. Augustinus idem dogma confirmat, quando ait: Psalmus dæmones fugat: Angelos in adiutorium inuitat. *Ad extremum, Origenes, quemadmodum, inquit, cibo aut potu oculis affectis medemur: tametsi ex edendo aut bibendo nihil commodi statim percipimus (præcipuam comparationis suæ partem his verbis concludit:) similiter etiam de sacris Scripturis iudicare debemus, eas vtiles esse & fructuosas animæ, etiamsi sensus noster, ad præsens intelligentiam non percipit: propterea quòd bonæ potestates nostræ, his verbis recreantur & aluntur: contrariæ autem, hoc est, aduersariæ potestates debilitantur, & fugantur. Denique, facta sibi ipsi sub auditorum persona obiectione, quasi illi hanc doctrinam criminarentur, quòd ipse hinc excusationem arriperet negligentiùs ac remissiùs docendi, Scripturásque interpretandi: his sic respondet: Nequaquam verò, non ea de causa ista diximus, neque hæc vobis ideo commemorauimus, vt excusaremus ipsi nos: sed vt vobis demonstraremus,* in Scripturis sanctis esse vim quandam, quæ legenti etiam sine explanatione sufficiat. *Quòd autem sufficere ait, id eò spectare videtur, quòd inde bonæ potestates, ad auxilium nobis ferendum inuitantur, & quòd malorum potestatum, quæ sunt spirituales nostri inimici malitia repellitur, ne nobis illæ noceant.*

Beatus August. de psalmis lingua cognita recitandis loquitur.

Episcopus Sarisburiensis.

NOn omnia disciplinæ suæ capita, tam penitus perspecta & certa habere videtur Hardingus, quin sententiā mutare salua dignitate possit. Antè liquidò confirmauit, *Populū ignarū Latinā linguā scire, licèt minus perfectè & accuratè:* nunc verò cōtrà planè nescire eū Latinè statuit.

Hardingus suā sententiam mutat.

Vix hæ conciliari poſſunt contrariæ ſententiæ niſi intelligere, & non intelligere idem eſſe ſentiat.

Origenes, quemadmodum iſte locus arguit ab Hardingo productus, affirmat ipſe adeo *lectionem, auditionémve ſcripturarum multum prodeſſe, Angelóſq; qui & in nobis inſunt, & nos circunſtant, exhilarare, tametſi eas non intelligimus ipſi.* Quò melius iſta cuiuſmodi ſint cognoſcantur, priuatas quaſdam opiniones, quas pius iſte pater de Angelis cæleſtibúſque poteſtatibus habuit, paucis commemorare, operæpretium fuerit.

Orig. in Ioſue. homil. 23. περὶ ἀρχῶν li. 3. cap. 3. Orig. in Num. homil. 20.

Atque vt multa, quæ conſectari poſſem, tacitus dimittam, ſic omnino ſenſit: Angelis ſua variè diſpartita, & aſsignata eſſe munera, alijs arborum: alijs herbarum: alijs aliarum rerum tuendarum: alijs Grammaticam: alijs Dialecticam: alijs Rhetoricam: alijs alias ſcientias docendi poteſtatem eſſe tributam: alijs noſtrûm in hac vita regendorum & tutandorum commiſſam eſſe curam, eóſque in extremo iudicio, noſtrarum Deo actionum rationes eſſe redditurós. Quid hoc ſit, quod nos *Angelis circumfuſos* ſcribit Origenes, ex his apparet, Eius iucundiſsima hæc oratio eſt menti ſimplici, quæ verbo diuino delectatur, etiamſi reconditos eiuſdem ſenſus minùs ſæpenumero percipiat. De legendis autem ſcripturis non de recitandis peregrina lingua precibus verba facere inſtituit: eóque maior Hardingi culpa fuit, quòd authorem ſuum in alienum propoſitũ detorſerit.

Origenem Hardingus torquet in alienũ ſenſum.

Orig. in Eſaiã homil. 2.

Origenes ſæpiſsime ad ſcripturas legendas populum hortatur & excitat: In Eſaiam prophetã, hoc modo ſcribit: *Vtinam omnes faceremus illud, quod ſcriptum eſt, Scrutamini ſcripturas.* In hoc ſuarum in Ioſue homiliarum loco, huiuſmodi occupatione vtitur: *Dici poteſt, Scripturæ difficiles ſunt:* reſpondet, *At nihilominus, ſi eas legeris, profuerint tibi. Dominus enim Ieſus Chriſtus, ſi nos in ſcripturis occupatos inuenerit, & huiuſmodi ſtudijs vacantes, non ſolùm ipſe refici & paſci dignatur in nobis: verũ etiam ſi has epulas viderit apud nos apparatas, patrem ſuum ad nos adducet.*

Orig. in Ioſue homil. 20.

Ad extremum ſic concludit: *Hæc iccirco diximus, ne faſtidium capiamus audientes Scripturas, etiãſi eas non intelligamus.* Hæc autem hactenus Origenes non de Grãmatica, aut dilucida ſcripturarum intelligentia, quæ ex ipſis verbis naſcitur, loquutus eſt, ſed de Allegorico, ſiue retruſo ſenſu, quẽ indocti aſſequi nequeunt. Sic enim ſuam ipſe mentem interpretatur in Cõmentarijs ſuis in Matthæum: *Etiam illi ſaluantur, qui literam Euangelij, hoc eſt, ſimplicem narrationem ſequuntur: Sola enim narratio ſimplex, ſufficit ſimplicioribus ad ſalutem.* Hucuſque poſſunt ignari, ex Scripturarum lectione fructum percipere, quantumuis eas in cæteris non intelligant.

Orig. in Matth. tract. 26.

Auguſtin. in Pſalmo. 119. Auguſt. confeſ. lib. 7. cap. 12. Augu. confeſſ. lib. 9. cap. 5.

Similiter Auguſtinus inquit: *Qui diligit legem Dei, etiam quod in ea non intelligit, honorat.* Fatetur etiam ipſe ſe, cum primùm ad fidem Chriſtianam accederet, maximam ex epiſtolæ Pauli ad Romanos lectione vtilitatem cepiſſe: etſi eiuſdem minùs perfectè ſententiam aſſequeretur. Séque præterea Ambroſij monitu, Eſaiam Prophetam legiſſe, quem licèt non omnino intelligeret, factum tamen inde aptiorem eſſe ad Dei concipiendam gratiam.

Hieronym. in Naum. cap. 3.

Perinde eſt quod D. Hieronymus motu quodammodo prophetico inſtinctus de extremis Chriſti præcurſuris aduentum diebus vaticinatus eſt: *In aduentu Meſſiæ populus eleuabitur & prophetabit, qui ſub magiſtris antè fuerat conſopitus, & ibunt ad montes ſcripturarum, ibi inuenient montes Moſen, & Ioſue filium Naue: Montes Prophetas: Montes noui Teſtamenti, Apoſtolos, & Euangeliſtas, & cum ad tales montes confugerit, & in huiuſmodi montium fuerit lectione verſatus, ſi non inuenerit, qui eũ doceat, tamen illius ſtudium comprobabitur, quòd confugerit ad montes.*

Sic indoctis ſcripturarum, etſi non penitus intellectarum, lectio prodeſſe poteſt: Sic Angeli lętitiam & voluptatem ex ea capiunt: ſic Dæmones eam ægrè & moleſtè ferunt: ſicuti his verbis Origenes ipſe teſtatur: *Dæmonibus ſuper omnia eſt tormentorum genera, & ſuper omnes pœnas, ſi quem videant verbo Dei operam dare, ſcientiam diuinæ legis, & myſteria ſcripturarum, intentis ſtudijs perquirentem.* Auguſtinus quemadmodum eum Hardingus citauit, *Pſalmum dæmones fugere ſcribit.*

Orig. in Num. homil. 27.

Aug. in prolo. in lib. Pſal.

Veruntamen non hanc Pſalmo, labijs duntaxat, & lingua peregrina pronunciato, vim attribuit: ſed Pſalmo intellecto, & fide comprehenſo, & corde recitato. Nam affirmare verbum Dei, modò quia ſcribitur, aut dicitur, tametſi non intelligitur, ex ſe valere multum, ſicuti hîc Hardingus videtur, fatuitatis genus quoddam eſt ſuperſtitioſum, & Iudaicum: quam Chryſoſtomus ſua ætate, & vidit & exagitauit ſuperſtitionem his verbis: *Quidam Sacerdotes partem aliquam Euangelij alligant circa collum. Dic ſacerdos inſipiens, nonne quotidie Euangelium legitur in eccleſia, & auditur ab hominibus? Cur ergo in auribus poſita Euangelia nihil proſunt: quomodo eum poterunt circa collum ſuſpenſa ſaluare? Vbi eſt virtus Euangelij? in figuris literarum, an in intellectu ſenſuum?*

Chryſoſto. in opere imperfecto Homil. 45.

Sic licet Hardingo reſpondeamus: In quo ſita eſt Pſalmorum virtus, qua Dæmon vincitur & profligatur? In ipſóne verborum ſtrepitu, an in ſenſu atque intellectu? Auguſtinus quidem habet *Verbum diuinum in cordibus noſtris operatur, non quia dicitur, ſed quia creditur.* Similiter Baſilius: *Non qui ore profert verba Pſalmi, pſallit Domino, ſed quicunque de puro corde profert pſalmodiam.* Similiter Origenes: *Fiduciam habet ad Deum, non propter verba orationis, vel Pſalmi, quamuis videantur bene compoſita: & de ſcripturis electa: ſed quia altare cordis ſui bene conſtruxit.*

Auguſtin in Ioan. tract. 80. Baſil. in pſa. 29. Orig in Matt. tract. 25.

Hæc Origenis tota mens, hoc conſilium fuit. Non ille populum ad preces peregrino ſermone recitandas hortatur. Neque poterit Hardingus commonſtrare in vniuerſa Dei eccleſia, vel ipſius Origenis ætate, aut quadringentis pòſt annis, preces illo vnquam modo celebratas fuiſſe.

Tan-

Tantùm ad legendas Scripturas auditores excitat, etsi quidem ad earundem penetrare fundum minùs potuerint. Quemadmodum ex ipsius verbis subsequentibus manifestò apparet: *In scripturis sanctis est vis quædam, quæ legenti, etiam sine explanatione sufficiat.* Eúmque in fine hæc Pauli verba vsurpat: *Spiritus meus orat: mens autem infructuosa est:* non quò peregrinam hanc precandi rationem comprobet, quam & Paulus & ipse Origenes nesciuit, sed quò doceat, quòd quemadmodum Deus sua miseratione commotus, nostræ in precando infirmitati succurrit: ita etiam in legendis Scripturis imbecillitati ad intelligendum nostræ subueniat. Paulus inquit, *Quid oremus, quemadmodum oporteat nescimus: sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

1.Cor.14.

Rom.8.

Hoc est quod Origenes, *Angelos Dei nobis precantibus, & Scripturas legentibus lætari* dicit. Quòd si autem cum nos precantes, aut peregrino sermone ea, quæ nesciremus, audientes conspicerent, tanta efferrentur lætitia, non illi quidem Dei, sed tenebrarum Angeli essent.

Ex hoc Origenis loco, istas rationes colligit Hardingus:

Angeli summo gaudio efferuntur, quando nos legentes, aut precantes audiunt, tametsi nos, qua sumus infirmitate, quid loquamur, non penitus intelligamus:

Ergo, populus Origenis ætate, preces publicas ignota lingua recitabat.

Huius vitium & fraus argumenti ex ijs, quæ suprà commemoraui, meliùs liquebit. Fallacia dicitur *ab Amphibologia*, id est, ambigua vnius vocabuli significatione. Hæc autem vox *intelligere*, duo declarat. Nam & verba, & sensum intelligimus verborum.

Origenes ait,

Populus scripturarum sensum non intellexit:

Ergo, (inquit Hardingus) *verba scripturarum ignorauit.*

Deinde, Origenes ait,

Perfectè & luculenter non intellexit:

Ergo, (inquit Hardingus) *nihil planè intellexit.*

Atque in eo huius conclusionis insidiæ versantur. Huc accedit, quòd quæ de lectione Scripturarũ loquutus est Origenes, ea ad preces publicas accommodet Hardingus: itáque violenter immutet, ac corrumpat Origenis sententiam, & alterum pro altero concludat. Sic nimirum iste optimus pater, vel inuitus inducitur, vt id suo confirmet testimonio, quod neque nouit vnquam, neque fecit, neque fieri iussit.

Hardingus. 34. Sectio.

In Institu-tio.

NOn dubito quin sapientes, pij, & constantes homines, qui non quouis doctrinæ vento circunferuntur, plus moueantur authoritate Origenis, viri totius Christianitatis iudicio summè & eximiè docti semper habiti, quàm Caluini ludificatione, qui de Latinis sacris & precibus in Anglia & Gallia antiquitus vsurpatis, verba faciens, inquit: Ad ecclesiam ex sono non intellecto, nullus penitus fructus redit: *eo contumeliæ vocabulo vsus, quod à tibicine aptiùs de tibia, tympanóue suo vsurpari, quàm à concionatore, de diuinis officijs potuit.*

Cõfessionis. ca.4. sect.16

Neque de illis certè mitiore ac modestiore spiritu loquitur eius discipulus, & subminister Theodorus Beza, ille acerrimus, atque feruentissimus deformatarum in Gallijs ecclesiarum minister: Quæcũque preces ab aliquo concipiuntur eo idiomate, quod ipse non intelligat: pro Dei ludibrio sunt habendæ. *Qui hîc Caluinum & Bezam ab ecclesia damnatos approbat, Origenem damnet necesse est, quem nunquam hoc nomine redarguit, aut notauit quisquam eorum, qui quandocunque aliquod potuerunt ei crimen erroris obijcere, neutiquam ei pepercerunt.*

Si preces omnes peregrino idiomate conceptæ pro Dei ludibrio habendæ sint, vt Beza inquit, tum preces in primitiua ecclesia linguis miraculosè pronunciatæ (quas ne ij, à quibus pronunciatæ fuerant, iuxta Chrysostomi sententiã, intellexerunt) pro Dei ludibrio censendæ erant, non enim video, qua ratione illæ ab eius generali sententia & vniuersali propositione excludantur. Enimuero hæc Bezæ disciplina minimè sana est. Credo equidem, si extra ecclesiarum suarum deformatarum præsidium esset, & coram catholico Episcopo reus sisteretur, doctrinæq́; suæ rationem exigeretur, recessurum eum esse, & dictum illud temerarium reuocaturum. Alioqui enim concedere videretur Deum initio ecclesiæ linguarum donum dedisse, vt eo luderetur: quod vehementer absurdum, & blasphemum esset. Paulus optat, vt omnes Corinthij loquantur linguis, sed potiùs vt prophetent.

Episcopus Sarisburiensis.

DEmiror certè, quam doctrinæ sanitatem iactare possit Hardingus, cum ignorantiæ susceperit in se aduocationem: aut qui aliorum summam constantiam & stabilitatem prædicare, ipse tam facilè huc atque illuc tam leuibus impulsus ventis: aut quam ob causam antiquum illum patrem Origenem tantis laudibus extollat, à quo tam exiguè adiutus sit.

Quòd sanctissimum illum doctissimúmque patrem Ioannem Caluinum, tam acerbè insectatur, propterea quòd isto modo scripserit, *Ad ecclesiam ex precibus nõ intellectis nullus penitus fructus redit* Huic crimini multos præterea alios adiunxisset.

Auguſt.confeſ. li.11.cap.3. Chryſoſto. in homil.35.

Auguſtinus ſic habet: *Si Moſes mihi Hebræa voce loqueretur, fruſtra pulſaret ſenſum meum, nec inde mentem meam quicquam tangeret.* Chryſoſtomus habet: *Niſi dixero, quòd percipi facilè clareq; à vobis poſſit, ſed linguarum munere præditum me eſſe tantùm oſtendam, nullum ex his, quæ non intelligit, fructũ facientes abibitis, credo. Nam quæ vtilitas eſſe ex voce non intellecta poteſt?* Iterum habet: *Et vos, niſi ſignificantem ſonum dederitis, verba vento, hoc eſt, nemini facietis.*

Nicol. Lyra. in 1.ad Cor.14.

Et cæteris omnibus prætermiſsis, Nicolaus Lyranus ſic habet: *Si tu Sacerdos benedixeris ſpiritu, id eſt, abſq; hoc, quòd populus intelligat, quid proficit populus ſimplex, & non intelligens.* Quare, quòd Caluinum hac in re cauillatorem eſſe dixit Hardingus, eadem lege Auguſtinum, Chryſoſtomum, Nicolaum Lyranum, cæteróſque omnes poſtulare potuit.

Chryſoſt.hom. 1.Corinth. 14. homil. 35.

Si preces omnes (inquit Hardingus) *peregrino ſermone factæ pro Dei ludibrio reputandæ ſint, ſicuti Beza ait: tum qui in primitiua eccleſia linguis miraculosè preces concipiebant, quas ipſi neſciuerunt, iuxta ſententiam Chryſoſtomi, Deum luſerunt.* Hęc Chryſoſtomi mirifica certè interpretatio videtur, cúmque paucis alijs cõgruit: atque eam etiam hîc Hardingus ementitus eſt. Non enim Chryſoſtomus eos omnes, qui preces in Eccleſia primitiua linguis pronunciabant, quid ipſi loquerentur neſciuiſſe confirmat, ſed planè contrà. Sic enim inquit: *Linguis loquens ſeipſum ædificat: quod quidem fieri non poteſt, niſi quæ loquatur norit.* Adiungit etiam: *Et hactenus quidem diſputat de illis, qui ea, quæ loquuntur, intelligunt.*

Hinc apparet Hardingi propoſitionem vniuerſalem, non vniuerſim eſſe veram. *Fuerunt autem alij* (Chryſoſtomus inquit) *qui dono linguarum abuterentur, quíque quid loquerentur, ipſi neſcirent.* An hoc autem eſſet Deum ludere, Hardingus ipſe iudicet.

Eadem homil.

Chryſoſtomus ait: *Eccleſiæ hanc fuiſſe confuſionem, ambitionem, ſuiq; oſtentationem, ſine vlla vel ſui vel aliorum ratione: talem extitiſſe Simonem Magum: tales fuiſſe Iudæos, qui ſe ipſi Diabolo prodiderunt.* Illos etiam merulis, & picis, & coruis, qui quod neſciant perſtrepunt, & garriunt, confert Auguſtinus. Quare nihil quicquam dubito, quin Beza ſuam & Deo iudici, & bono cuiuis catholico Epiſcopo ſit probaturus ſententiam.

Hardingus. 35. Sectio.

SI noui magiſtri noſtri Latinam liturgiam in eccleſia Latina propterea reprobent, quòd eam populus nõ intelligat, ex eo conſequatur eſt neceſſe, vt Anglicanæ etiam Liturgiæ, quantum ex Pſalmis Dauidicis conſtat, quod maximum eſt, reprobandum videatur. Idem de cæteris quoq; gentibus dici poſſet. Etenim quotuſquiſq; eſt, non modò è plebeijs, ſed etiam è viris doctiſſimis, qui pſalmorũ ſententiã intelligat, quacunq; tandem lingua editi fuerint? Hilarius pſalmorum librum clauibus in vnum aceruum colligatis confert, quibus ſingulæ, ciuitatis alicuius magnæ aperiuntur portæ. In quibus difficile fuerit cognoſcere, quæ clauis cui ſeræ apta ſit, ſine qua nulla ſera reſerari queat. Auguſtinus homines Aphricanos cantantes pſalmos, quos non intelligerent, Merulis, pſittacis, coruis, picis, ſimilibúſq; auibus, quæ, quod neſciunt, garrire docentur, comparat, cum illi tamen linguam ſcirent, qua pſalmos cantarent. Proinde eos admonet, vt eorum ſenſum ab ipſo concionante perdiſcant, ne non humana ratione cantare (ſicuti ſuprà oſtendimus) ſed voce tantùm perſtrepere auium more videantur.

Epiſcopus Sariſburienſis.

Eſther.13.

NOſtra omnia hîc abunde refutantur, & diluuntur. Nos namque Hardingus *nouos magiſtros* appellat: eadem profectò authoritate, eodémque ſpiritu præditus, quo Haman Regi Dario perſuadere conatus eſt Iudæos ipſius regionem perturbare, & nouam quandam legem colere. Noſtra quidem diſciplina à magiſtro manauit Chriſto, eadémque non legis ſolùm atque prophetarum, ſed veterum conciliorum, antiquiſsimorúmque patrum teſtimonijs confirmatur.

Præcipuum Latinæ liturgiæ firmamentum nudo ipſo Latinæ Eccleſiæ nomine nititur: tamen ex omni illa eccleſia gens eſt hodie nulla, quæ vel loquatur, vel ſciat Latinè. Portiforium modò ſuum, & Liturgiam Latinam exceperit, nihil de latina eccleſia ſua quod iactet, habuerit. Nam vt nunc ſe res habet, non ab eccleſia, ſed à liturgia eccleſia nomẽ eſt mutuata. Equidem vt liturgiam in eccleſia Latina Latinè adminiſtrari conſentaneum eſt, ſic in Anglicana eccleſia Anglicè procuratam oportet.

Chryſoſt. in opere imperfecto. in Matthę. cap.13. Tertullianus contra Marciõ. cap.23. Mat.23.

Quòd pſalmos eſſe difficiles ait, fatemur: habent enim ſenſus abſtruſos, abdita myſteria, & arcanas de Chriſto, ipſiúſque eccleſia vaticinationes. Præterea clauium in Hilario reperit aceruum Hardingus, quibus vniuerſam plebem excludat. Quanquam claues ad reſerandum potiùs, quàm claudendum adhibentur. Chryſoſtomus ait: *Clauis eſt verbum ſcientiæ ſcripturarum, per quam aperitur hominibus ianua veritatis.* Tertullianus ſimiliter habet: *Clauis eſt interpretatio legis.* Proinde Chriſtus inquit: *væ vobis ſcribæ, & Phariſæi, qui clauditis regnum cœlorum coram hominibus: neque ſinitis alios intrare, qui voluerunt.* Sic autem faciunt, inquit Tertullianus, *docentes potiùs præcepta, & doctrinas hominum.* Cæterùm ſi tam multæ ſint vno vinculo colligatæ claues, quid ſi Hardingus errauerit, vnámque clauem pro altera elegerit?

Hoc modo ipſius contexitur argumentum: *vulgus indoctum pſalmorum non aſſequitur occultam ſententiam: Ergo in pſalmis nihil intelligit.* Iſta clauis ipſum fortaſſe Hardingum excluſerit, fallax

hoc

hoc,& insidiosum est argumentandi genus,quod in scholis vocatur, *Ad secundum quid, ad simpliciter.* Etsi non reconditissima quæque scripturæ mysteria vulgus intelligat, non tamen proinde sequitur,eum nihil percipere.Habet enim scriptura & cibum robustum viris,& lac pueris: in eáque (Gregorius inquit) *tum elephas natare,tum agnus pedibus ingredi potest.* Quòd si obscuri fuerint sermone vernaculo psalmi, an ideo sunt Latino faciles? Aut si sunt difficiles intellectu,num proinde populus ignota lingua precari debet?

Gregorius in epist. ad Leandrum.

Certè,cum ex Dauide ipso,tum ex nonnullis antiquis patribus manifestò apparet, simplicissimum quemque è plebe psalmos intelligentia, & ratione comprehendere potuisse. Dauid adolescentulos,& puellas,senes,& pueros hortatur ad prædicandũ Dei nomen. Pueri potuerunt Christum psalmis excipere,claréque cantare: *Benedictus,qui venit in nomine Domini,* eadémque ad Christum aptè accõmodare.Hieronymus scribit, *agricolam ad aratrum cecinisse psalmos*: Basilius *hominem artificem in officina cantare psalmos iubet.* Psalmos versibus heroicis transtulit Apolinarius,quos pueri in scholis ediscerent. Chrysostomus ad parentem ait: *Doce liberos cantare psalmos*: Augustinus psalmos ideo compositos esse dicit,quò eos adolescentes,& pueri cantare discerent. Protogenes pro fabulis poëticis,similibúsque ineptijs psalmosDauidicos pueris proposuit perdiscẽdos. Quòd autem isti omnes,quid cantarent,intelligerent, ex his Augustini verbis manifestum esse poterit: *Simul & cantare videmur,& quod ad animæ vtilitatem pertinet,docemur.* Quare si qui in Africa cantarent ea,quæ nescirent,eos coruis,& psittacis confert Augustinus. Veruntamen, num inde sic concluserit Hardingus: *Qui quod nesciunt,cantant,coruis & psittacis similes sunt: Ergo, plebs preces suas peregrino idiomate recitare debet?*

Psalm.138. Matth. 21. Hieronym. ad Marcellam. Basilius in Psalmos. Chrysost. ad Colos. homi. 9. Prolog. in psal. Theodor. lib. 4. cap. 19. In prologo in psalm.

Hardingus. 36. Sectio.

CÆteræ scripturæ, ex quibus liturgia componitur, etsi non perinde obscuræ sunt, atque psalmi, multò tamen certè obscuriores, difficilioresq; sunt, quàm vt vulgi crassa, & simplicia ingenia, earum sensum penetrare queant, quando eas materna lingua à ministro recitatas audit. Ex hac igitur ratione fit, vt nulla omnino è scripturis collecta publicarum precum forma extare debeat, propter intelligendi difficultatem.*

Episcopus Sarisburiensis.

VVlgus hominum (inquit Hardingus) *crassum, & simplex est, scripturásque intelligere minimè potest, quando eas natiuo sermone pronunciatas audit: Ergo, Latina recitatas audire debet:* quò eas opinor, faciliùs,meliúsque intelligat. Argumentum certè simplex,& crassum: atque inhumanum de vulgi simplicitate iudicium. Deus personarum respectu nequaquam commouetur, neque veritatem homini sinplici suam abscondit,quia simplex est: sed etiam superbo ac reprobo supprimit, quia idem pertinax,& obstinatus est: simplicésque mundi potissimùm eligit,vt sapientes pudore suffundat. Simplicissimus quisque ac crassissimus eorum, de quibus loquitur Hardingus, pastoris vocem audire,eúmque sequi potest: alienum autem,cuius fallacissima doctrina fuerat in errorem inductus,suspectum habet,illúmque refugit, & sequi recusat.

Iam.4. Psal. 34. 1. Cor. 1. Ioan. 10.

Hardingus. 37. Sectio.

VT autem ex liturgia vernacula populus peruersis suis ingenijs abductus, interpretationes præposteras, & peruersas fabricare, & comminisci solet: ita ex Latina liturgia nullas huiusmodi vel falsæ doctrinæ vel vitiosæ vitæ informationes colliget. Vtque vernaculæ preces mentes illius, à [a] *priuata deuotione ad* [b] *audiendum, non ad precandum abducunt, vnde propter earum obscuritatem exiguus scientiæ fructus existere potest: sic ex Latinis precibus nullo huiusmodi motu affectus, sese (dũ sacerdos pro omnibus & in persona omniũ vota facit) priuatis precibus penitus dedit, vniuersique pro vniuersis, & pro se ipsis singuli precantur.*

[b] Falsum: Preces enim vernaculæ pietatẽ accendunt, quemadmodũ varijs testimonijs docebo.

Episcopus Sarisburiensis.

QVi, quod audit, intelligit (inquit Hardingus) *animo vagatur, & inanibus cogitationibus facilè abducitur: Qui verò, nec quid audiat, nec quid ipse dicat, omnino intelligit, in ea, quæ dicit, penitus defixam mentem habet.* Itaque vt nouam quandam Theologiam excogitauit Hardingus, ita non dubitauit genus etiam philosophiæ nouum quoddam,& inauditum introducere. Sic enim natura cõparatum est,vt mens,quæ quid audiat, quídve legat,intelligit,eóque cogitationem intentam traducit,minùs vagetur,atque erret. Basilius habet: *Lingua psallat, mens autem scrutetur sensum eorum, quæ dicis: vt psallas spiritu, & psallas etiam mente.*

Basi. in psal. 28

Quandoquidem autem Hardingus iactat, *intelligi sacerdotem, priuatæ deuotioni esse impedimento,* cuius quidem studio abreptus publicas preces,quibus potest,contumelijs exagitat, operæpreciũ fuerit,quid prisci patres,hac de re senserint, exponere. Chrysostomus hæc habet: *Non æquè exoras, cum solus Dominum obsecras, atq; cum fratribus tuis. Est enim in hoc plus aliquid videlicet, concordia, conspiratio, copula amoris, & charitatis, & sacerdotum clamores. Præsunt enim ob eam rem sacerdotes, vt populi orationes, quæ infirmiores per se sunt, validiores illas complexæ simul in cœlum euehantur.*

Chryso. de incõprehensibili Dei natura homil. 3.

Chrysosto. in 2. ad Thessal. homil. 4.

Iterum etiam habet: *Quod quis apud seipsum precatus accipere non poterit, hoc cum multitudine precatus accipiet. Quare? Quia, etiamsi non propria virtus, tamen concordia multum potest.* Sic igitur tum Ecclesiæ Christi consuetudo obtinuit: Totus cœtus sacerdoti aures suas dedidit, & eius cõclusa precatione voces suas ad cœlum coniunctis studijs simul sustulit, dixítque *Amen:* quæ vox aliquando ita contenta veheménsque fuit, vt eam, quemadmodum antè diximus, Hieronymus *tonitruo* Basilius *maris fremitui similem esse diceret.* Eo tempore priuata Hardingi *deuotio*, cuiusmodi nunc in Ecclesijs more recepta est, priuata superstitio dicta esset. Quod autem eum non pudet affirmare, *Deuotionem impediri, si, quid dicatur, intelligas:* Nicolaus Lyranus secus asserit, illúmque falsitatis coarguit: *Si populus intelligat orationem sacerdotis, melius reducitur in Deum, & deuotius respondet Amen:* Iustinianus imperator, quando episcopis, sacerdotibúsque omnibus mandat, vt sacra voce alta ac clara recitent, hanc mandati huius rationem adiungit: *vt mentes audientium ad maiorem animi compunctionem, & ad reddendam Domino gloriam excitentur:* Basilius etiam ait: *Tanquam ab vno ore, & vno corde Confessionis psalmum offerunt Domino: & verba pœnitentiæ eorum quisque propriè ascribit sibi:* Sic etiam habetur in prologo in Augustinum super psalmos: *Quomodo debitè potest psallere Deo qui ignorat quid psallat:* Isti statuunt, quicquid Hardingus vnus contrà sentiat, publicarum precũ intelligentia minimè impediri pietatis studium: quorum in hac causa valere debet authoritas, nisi eos simul omnes, tanquam *nouos magistros* capite diminuerit.

Lyra in 1. Cor. cap. 14.

In Nouellis. De ecclesiasticis diuersis capitulis.

εἰς πλείονα κατάνυξιν.

Basil. ad Clericos Neocæsi.

Prolog. in August. super psal.

Hardingus. 38. Sectio.

a Falsum: vernacula enim liturgia nec schismatis vnquã, nec hæresis causa fuit.

[a] QVæ gentes preces publicas vernaculo semper sermone celebrarunt, earundem homines Schismata, & errores, & quasdam Iudaicas ceremonias coluerunt, vt in catholicæ Ecclesiæ numero non haberentur: quales sunt Moscouitæ, Armenij, & Æthiopes, quibus Presbyter Ioannes dominatur. Bessarion à Græcis conterraneis suis quærens, & sciscitans, quænam ea sit Ecclesia, contra quam inferorum portæ non sint præualituræ sibi ipse respondet, & inquit:* Aut Latina, aut Græca est ecclesia: tertia enim dari non potest. Siquidem aliæ omnes hæresibus sunt plenæ, quas sancti patres, & generales synodi condemnarunt. *Quare ex huiusmodi Ecclesiis nullum sumi debet exemplum liturgiæ vernaculæ, neque etiam ex ecclesiis Ruscianis, ac Morauis, aliisque quibusdam, quibus ante sexcentos abhinc annos permissum fuit, vt Missam lingua Dalmatica celebrarent, impetrante à sede Apostolica priuilegium Cyrillo, & Methodio, qui eas nationes ad fidem primi conuerterant. Quam precum formam quot ex illis catholici populi sunt, optimis de causis immutarunt, & Latina vsi sunt, sicuti aliæ faciunt Latinæ Ecclesiæ. De cæteris autem gentibus, quæ linguam adhuc Dalmaticam suam retinent, præter alios errores, & vitia, quorum gratia indignæ haberi debent, quas imitemur, eadem verba vsurpare licet, quibus Gregorius Nazianzenus vsus est:* Priuilegia paucorum non faciunt legem communem.

Bessarion ad Græcos.

Episcopus Sarisburiensis.

ARgumentum istuc hoc modo conclusum videtur: *Liturgia vernacula schismatum & errorũ causa est: Ergo, preces publicæ intra sexcentos à Christo nato annos alicubi fuerunt sermone peregrino administratæ.* Huius argumentationis vis manifesta est, quam vel puer quisque facilè possit transpicere. Si vera antecedens esset, tum Iudæi, Græci, Latini, qui rem diuinam natiua semper lingua fecerunt, schismatum propterea & errorum pleni fuissent. Augustinus, Hieronymus, aliíque patres superbiam ac contumaciam: Tertullianus philosophiæ cognitionem, doctrinæque arrogantiam, sectarum atque hæreseôn in ecclesia matrem extitisse confirmat, & ea de causa philosophos hæreticorum patriarchas nominat. Episcopi in Toletano concilio congregati sic aiunt: *Ignorãtia est mater omnium errorum:* Quod autem preces publicas intelligere schismatis vnquam aut erroris in ecclesia causa fuerit habita, nunquam vel scripsisse vel dixisse quenquam antiquum doctorem, aut Græcum aut Latinum, aut Iudæum, aut Gentilem censeo. Epiphanius octoginta distinctas hæreses, quę iam disseminatæ suo tempore fuerant, enumerat. Augustinus nouem supra octoginta recenset. Neuter tamen horum affirmat vllam earum hæreseῶν à precum publicarum intelligentia manasse. Nemo sic diceret præter Hardingum: neque sic dicturus est Hardingus, quando partium studijs remotis, & litigandi deposita voluntate, aut quod nouit dixerit, aut quid dicat, considerauerit. Quod ad Christianos illos attinet, quos Moschouia, Armenia, AEthiopia, cæteræque regiones habent, multitudine innumerabiles, & infinitos, quósque Hardingus, re minùs quàm oportuit, deliberata tanquam schismaticos prorsus condemnauit, si probare nobis, quæ dixit, voluisset, consentaneum ei fuisset, cum singulos eorum errores atque hæreses exposuisse, tum necessarijs argumentis docuisse, sacra vernacula materiam atque occasionem ijsdem præbuisse.

Tertullianus contra Hermogen.

Concil. Tolet. 4. cap. 24.

Epiphan. de hæresi. Augustin. ad Quodvult-deũ.

Rusci & Moraui (inquit Hardingus) *postea optimis de causis liturgiam Latinam receperũt:* quanquam existis optimis causis nullam commmemorat. Postquam autem Cyrillus & Methodius longa prædicatione, multísque molestijs deuoratis illos homines ad fidem & religionem Christianam perduxissent, & quò, quod satum ab illis fuerat, radices altiores ageret, magnopere contendissent, vt populi illi recenter ad Christianam pietatem conuersi formulam quandam haberent publicarum precum sua & natiua lingua compositam, atque hæc res Romæ fuisset apud Papam

&

& Cardinales in deliberationem adducta: nec dum decisa, vox quædam Anglica de cœlo audita fuit huiusmodi: *Omnis spiritus laudet Dominum: & omnis lingua confiteatur ei.* Ex hac historia constat Angelum Dei cœlestem authorem fuisse, vt hæ gentes sacra sua vsitato sermone celebrarent.

Aeneas Syluius histor. Bohemiæ cap. 13.

Quòd si nunc Hardingus ostendere poterit, vel Euangelistam, vel Angelum, vel oraculum diuinitus editum eis vnquam præcepisse, vt vulgarem suum sermonem abiudicarent, Latinúmque vsurparent, tum hoc eos optimis causis fecisse meritò affirmauerit. Bessarionis hac in re authoritas non potest videri magna: cum propter alias causas quas prætermitto, tum quia mille quadringentis plus minùs annis post Christum vixit, atque in aliena patria degens, & Cardinalis atque Episcopus Tusculanus constitutus, Episcopo Romano palam adulatur atque assentatur.

Hardingus. 39. Sectio.

Quare, vt hîc concludam, cum intra sexcentos primos à Christo annos liturgia Ecclesiastica[a] *nullo idiomate vnquam celebrata fuerit, præterquam Græco, aut Latino, quantum quidem quisquam luculentis testimonijs confirmare possit, eadémque plebs vniuersa neutiquam intellexerit: cum citata à Iuello testimonia confirmationem necessariam, aut disertum mandatum liturgiæ vernaculæ non habent, sed tantùm claræ apertæq́; pronuntiationis mentionem faciant, idque in iis locis in quibus lingua ea intelligeretur: cum Anglicanæ gentis Ecclesia liturgiam suam Latino sermone sibi incognito procurarit mille pene abhinc annis: cum locus ille Pauli ad Corinthios, aut ad hoc propositum omnino non pertineat, aut si pertineat, tamen propter illius huiúsque temporis diuersam conditionem, diuersum etiam huius rei vsum, ritúmque permittat, seruata licet quadam similitudine & specie: cum permagnum ex ea non intellecta fructum fidelis populus capiat: denique cum exempla eorum hominum, quæ nobis imitanda proponuntur, exiguæ sint authoritatis, siue vetustatem, siue veram religionem spectes: & confidentissima Iuelli assertio luculenter refutatur, & antiquissimus Latinæ liturgiæ in Ecclesia Latina, cuius prouincia quædam Anglia est, vsus non temerè est damnandus præsertim quando Ecclesiis*[b] *primò à nostræ gentis Apostolis, primísque fidei apud nos præconibus tradita, & commissa, mille propè annorum decursu nullo reclamante, aut repugnante obtinuerit, ad Dei summam gloriam, populi fœlicitatem, huiúsque regni præsentissimum semper diuinum promerendum præsidium.*

Atque vt huc postremò addam istud, etsi daretur consentaneum esse, vt preces publicæ vernaculo sermone recitarentur, veluti apud Anglos Anglico, boni tamen viri, & acerrimi fidei catholicæ custodes liturgiam tempore regis Edouardi excogitatam, & nunc renouatam, nunquam profectò probauerint, non tam linguæ causa, quàm propter ipsam eiusdem formam & œconomiam, & in qua & desunt quædam necessaria, & quædam sunt fidei, catholicæq́; Ecclesiæ consuetudini[c] *contraria.*

[a] Falsum: cõtrarium enim cumulatè euincitur in 15. sectione huiusce articuli. Falsitatum cumulus in vnum collatus.

[b] Falsum: primi enim fidei præcones in hac insula Græci, & Hebræi fuerũt, non Latini.

[c] Falsum, & cõtumeliæ conuitíque plenum. Nostra enim liturgia nihil habet fidei contrarium.

Episcopus Sarisburiensis.

Hic tibi videris ipse nonnihil, Hardinge, diffidere, quòd tam longa oratione, tantáque doctrinæ ostentatione vsus, apertè sic atque absurdè, & communi quodammodo sensu repugnante imposuisse populo deprehenderis. Quapropter cum nullum antiqui vel concilij, vel Doctoris testimonium contra linguam Anglicam in Ecclesia Anglicana vsurpatam proferre possis, in exitu tamen & peroratione ne postquam tam multa dixisses, nihil dixisse videreris, precum publicarum nostrarum formam reprehendis, nullóque licèt fretus argumento, in iis multa inesse dicis, quæ fidei catholicæ aduersentur: itaque tua ipsius reclamante conscientia falsum falsò confirmas.

Nosti nos Deum ipsius verbo, & primitiuæ Ecclesiæ institutis conuenienter colere atque venerari. Nam, quemadmodum suo tempore factitasse Christianos testatur Tertullianus *Coimus ad diuinarum scripturarum commemorationem, si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoscere. Certè fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus.* Sacra mysteria purè castéque, & summa cum religione administramus: Baptizamus in nomine Dei patris, & Filij, & spiritus sancti: Corporis & sanguinis Christi ex sacra mensa sumimus sacramentum: Confessionem summissam edimus in terram prostrati, paritérque omnes precamur mente & voce vna, in spiritu & veritate: maximéque pro vobis, aliísque similibus vota facimus, vt & vnde excidistis vobiscum consideretis, & conuersis studiis ad Deum redeatis: qui se aliquo manifesto scelere obstrinxerunt, excommunicamus: & quos vicissim peccati se pœnituisse constiterit, complectimur: ætatem puerilem fide Christiana imbuimus, & erudimus: in pauperum subsidium benignè & prolixè collectas erogamus. Horum omnium quid tandem est, quod cum fide catholica pugnaret? Scriptum verò est Hardinge, *Os, quod mentitur, destruit animam*, & Christus inquit: *Blasphemia contra spiritum sanctum nunquam remittetur, neque in hac, neque in futura vita.*

Tertullian. in Apologetico.

Sapient. 1. Matth. 12.

Iam verò, quò ista animo, Christiane lector, tuo meliùs insideant, exorandus mihi es, vt retro respicias, argumentorúmque omnium, quæ ad articuli huius confirmationem Hardingus comparauit, summam expendas, & quanti momenti sit, quámque cum instituta causa conueniat, consideres. De musica Ecclesiastica copiosè explicauit, quo tempore, & vbi primùm cœperit: longo etiam sermone regionum interualla & varietatem linguarum persequutus, nec Orientalem

vniuersam mundi plagam Græcè, nec Aphricanos omnes, Numidas, Hispanos, Gallos Latinè intellexisse euicit: quæ quidem opera fuit hac in re superuacanea. Quòd autem cunctæ Orientales gentes preces publicas Græco sermone administrarint: populi autem Aphricani, Mauri, Hispani, Galli Latina omnes lingua in sacris faciendis vsi fuerint, quæ res sola in quæstionem adducta erat, & sola igitur probanda fuit, penitus adhuc prætermisit, nec vllum de ea verbum fecit. Quòd ad publicam huius insulæ liturgiam attinet, quæ de Augustino Romano, Edda, Putta, aliisque poetis, & cantoribus commemorauit, parum eius prodesse causæ docui. Contradicente conscientia affirmat decimum quartum caput Epistolæ Pauli ad Corinthios ad hanc causam minùs esse accommodatum: tum ab ipsa vsque Apostolorum ætate sacerdotem perpetuò in choro preces recitare solitum esse, à populo longè distantem: etiam plebem indoctam sermonem Latinum tenere, tametsi non perfectè, & luculenter: fidei præcipuis capitibus nunc esse meliùs institutam, quàm olim Apostolorum temporibus fuerat: satis esse si signis ceremoniisque doceatur, fructúmque vberrimum ex precum publicarum auditione percipere, quantumuis quid audiat, nesciat. Deinde Græcam Latinámque linguam doctas & publicas vocat, & proinde esse necessarium, vt preces Ecclesiasticæ toto orbe in altera earum celebrentur, defendit: psalmos ait omnes, cæterásque scripturas obscuras esse, & populi multùm superare captum: rerum, quæ dicuntur, intelligentiam animum alio abducere, & abstrahere: denique vernaculas preces schismata sectásque semper in Ecclesiam inuexisse. Strabonem, Iustinianum, Origenem, Chrysostomum aliósque apertè corrupit, eáque dicere, quæ nunquam illis in animum venerunt, coegit.

Hæc omnium, quæ dicenda habuit, summa est. Hinc efficere contendit intra primos post Christum sexcentos annos, preces publicas lingua populo ignota palam fuisse agitatas: tametsi hucúsque nullam scripturam, nullum concilium, nullum decretum, nullum doctorem, nullum exemplum, nullam primitiuæ Ecclesiæ consuetudinem exprompsit, quibus, quod aggressus est, confirmaret.

Iustinia. Lyra, & Thomas.

Ex altera parte nos abundè, & cumulatè demonstrauimus decimum quartum caput ad Corinthios ad publicarum precum vsum necessariò pertinere: preces in Ecclesia primitiua vbique fuisse vernaculo sermone administratas, populúmque & sacerdotem simul & coniunctè precari consueuisse: non modò gentes omnes, quæ Græcè intelligerent, aut Latinè, preces suas Græca vel Latina lingua recitasse ostendimus, sed ex Theodoreto, Sozomeno, Ambrosio, Hieronymo Syros sacra sua Syriaco sermone, ex Basilio AEgyptios AEgyptiaco: Libyas, Thebanos, Palæstinos, Arabas, Phœnices singulos suo: ex Origene Barbaros populos vniuersos suis quosque Barbaris linguis: ex Sulpitio nationem Gallicanam idiomate Gallico fecisse docuimus. Hieronymus habet: *Vox quidem dissona, sed vna religio. Tot penè psallentium chori, quòd gentium diuersitates.* Postremò, ex Chrysostomo, Lyra, aliisque nullam ex precibus peregrina & non intellecta lingua factis ad populum vtilitatem redundare posse comprobauimus.

Hieronymus ad Marcellam.

Quare cum Hardingi tam infirmis nitatur fundamentis defensio, cúmque ad ignorantiam duntaxat stabiliendam, regnúmque tenebrarum constituendum accommodetur, tuum nunc, lector optime, officium fuerit æquum te iudicem nobis atque incorruptum præbere, & tum quanto eam antiquitatis fuco obliuerit, tum etiam quàm verè solidéque assertionem meam diluerit perpendere.

***

DE

DE PRIMATV ARTICVLVS QVARTVS.

Episcopus Sarisburiensis.

VEL Romanum Pontificem vniuersalem Episcopum, aut Ecclesiæ vniuersalis caput appellatum esse.

Hardingus. 1. Sectio.

QVOCVNQVE tandem nomine Pontifex Romanus intra sexcentos à Christi ascensu annos fuerit appellatus, hoc verò clarissimè constat eius primatum, hoc est principatum, & imperium in omnes Episcopos, totiúsque gregis Christi regimen, in rebus ad fidem religionémque Christianam pertinentibus, & [a] agnitum, & prædicatum fuisse. Quod cum ita sit, fueritne alterutro illorum nominum, quæ tu esse tum ei tributa negas, appellatus, nécne, non magni profectò interest. Tamen pro altero nonnihil, pro altero [b] infinita luculentissimorum testimoniorum multitudo adduci poterit. De illo autem postea.

[a] Falsum: nulla enim huiusmodi potestas agnita fuit.

[b] Ne vnū verò.

Episcopus Sarisburiensis.

DE magnificentissimis nominibus, titulísque gloriosissimis, quibus iam olim Romanus Pontifex locum, gradúmque dignitatis suum ornauit atque decorauit, nonnihil Hardingus vltro remittere, nec magnopere repugnare videtur: imperium tamen summum, & authoritatem per orbem terrarum fusam Romanæ sedi vendicat, ab ipsis adeo Apostolorum ductam temporibus. Tametsi Christus perinde potuit authoritatem pariter, & titulum Petro deferre, atque authoritatem titulo carentem impartiri. Verùm, quò verborum cognitis monumentis, errandi occasionem tollamus, eum nos *Episcopum vniuersalem*, aut *vniuersalis Ecclesiæ caput* dicimus, qui omnibus conciliis generalibus superior sit, plenámque inter pretandarum scripturarum potestatem obtineat: cuius decretis & sanctionibus vniuersa Dei Ecclesia necessariò, & libenter parere, seseque subiicere debet: quem neque Cesar, neque rex, neque Clerus, neque vniuersus totius orbis terrarū populus coarguere potest quiduis agentem: ad quē ex omnibus orbis partibus prouocationes faciendæ sunt: quique, vbicunque fuerit locorū, ius integrū & iurisdictionem habet Episcopi. Quòd huiusmodi vllam vnquam authoritatem, aut potestatem vniuersalem Romanæ sedi Christus tribuerit, Hardingo fuerit probatu nimis difficile.

Extra. de elect. & electi potest. solitæ. De Maiorit. & obedient. vnā sanctam. 9. Quæst. 3. Nemo.

Quòd autem Pontifex Romanus vniuersalem se Episcopum, & vniuersalis Ecclesiæ caput agnosci, haberíque tam ambitiosè petit, præclarè quidem cum eo actum fuerit, si particularis Episcopi munus præstiterit, & membrum modò Ecclesiæ Christi extiterit. Gregorius inquit, *Aduersus quem portæ præualent inferorum* (contra Romanorum autem pontificem sæpe præualuerunt) *ille neque petra dicendus est, supra quam Christus ædificauit Ecclesiam suam: neque Ecclesia, neque pars Ecclesiæ.* De istis autem fumosis titulis idem antiquus pater Gregorius ait: *Ego fidenter dico: quisquis se vniuersalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit.*

Greg in Caten. in Matth. cap. 16

Gregor. lib. 4. epist. 34.

Hardingus. 2. Sectio.

NVnc de primario capite huius articuli, hoc est, de primatu Papæ successoris Petri, videamus. Primùm, fuit ille à Deo institutus, ac decretus, & proinde iure diuino obtinet, non humano, scripturis eò ducentibus. Deinde decretis conciliorum commendatus, & imperatorum Christianorum edictis confirmatus ad Schismata deuitanda. Tum à sanctis patribus agnitus, & comprobatus. Præterea communi sensu, necessarius iudicatus. Denique rerum euentis declaratus, & Ecclesiæ vsu receptus, in quorum omnium confirmationem tantum facilè dici potuit, quantum integro volumini sufficeret.

Falsitatum congeries.

Episcopus Sarisburiensis.

HVnc articulum leuiter, & extremis quodammodo pedum digitis se decursurum Hardingus ait. Qua de causa quanquā *Ius diuinū*, id est, scripturas appellare videri vult, tāta tamen

Zosim. in Concil. Aphrica.

Miltiad. in epistol. ad Episco. Hispaniæ.

festinatione properauit, vt ei non vacaret verbum scripturæ vllum, tanquam ex se proferre, sed tantùm ex aliorum relatione, & fide. Tametsi Zosimus Papa in illa diuturna cum Episcopis Aphricanis hisce de rebus concertatione nullum ex scripturis causæ suæ firmamentum protulit, sed Nicenum duntaxat Concilium abs se corrumpi citauit. Miltiades etiam de hac ipsa re ad Episcopos Hispaniæ scribens, eam non aliquo diuini verbi iure sibi vendicare, sed tantùm consuetudine assumere videtur.

Ioan. 17. Matth. 28. In Concil. Latera. sub Leone. Reginal. Polus aduers. Henr. 8. De Maior. & obedien. vnam sanctam. 1. Cor. 2. De Maior. &c. vt suprà. Glossa ibidem.

Veruntamen ex illo tempore varia scripturæ loca repererunt, quibus hunc Titulum confirmarent, eadémque ad propositum suum violenter traxerunt. Christus inquit: *Omnis potestas mihi data est:* Hinc Stephanus Episcopus Patracanus sic argumentatur: *Ergo, in Papa est omnis potestas, supra omnes potestates, tam cœli, quam terræ.* Sunt alij, qui hoc modo concludant: *Petrus in sepulchrum ingressus est ante Ioannem: Petrus rete suum piscium plenum traxit: ad Petrum Christus dixit, Confirma fratres tuos: Ergo, Papa est caput Ecclesiæ.* Bonifacius octauus ait: *In principio creauit Deus cœlum & terram, non in principiis:* rursus, *Spiritualis omnia diiudicat: Ergo, vniuersum orbem Papæ contineri potestate oportet.* Ex his, similibúsque aliis Scripturarum testimoniis, Papæ non humana aliqua sanctione, sed iure diuino, id est, Dei sacratissimæ legis præscripto authoritatem confirmatam esse concludunt. Sic igitur Bonifacius Papa perpetua & immortali lege sanxit: *Declaramus, Dicimus, Definimus, Pronuntiamus, omnino esse de necessitate salutis omni humanæ creaturæ, subesse Romano Pontifici.* Glossa etiam ibidem sic habet: *quicquid saluatur, est sub summo pontifice.* Si hæc rectè, & iure asseruntur, ne haud magnum est quiduis *Iure diuino* tenere.

Matth. 16. Marc. 8. Luc. 9. 1. Cor. 10.

Cæterùm, quandoquidem plurimùm confidere videntur, & magnopere niti his Christi verbis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* age, ad ista respondeamus. Admonendus igitur es, optime Lector, veteres Catholicos patres disertè & constanter prodidisse, non mortalem quendam hominem, qualis erat Petrus, sed Christum ipsum Dei filium hanc Petram extitisse. Gregorius Nyssenus inquit, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Intelligit autem confessionem Petri: Dixerat enim antè, Tu es Christus filius Dei viui.* Sic Hilarius inquit: *Hæc est vna fœlix fidei petra, quam Petrus ore suo confessus est.* Rursus inquit: *Super hanc Petram confessionis Petri est ædificatio ecclesiæ.* Similiter Cyrillus: *Petra nihil aliud est, quàm firma & inconcussa discipuli fides.* Itidem Chrysostomus: *Super hanc petram, id est, in hac fide & confessione ædificabo ecclesiam meam.* Perinde Augustinus: *Petra erat Christus, super quod fundamentum etiam ædificatus est Paulus.* Adiungit etiam: *Non me ædificabo super te, sed te ædificabo super me, inquit Christus ad Petrum.* Omnes hi patres sententiam dicunt enucleatam: at Origenes tamen eandem disertiùs exponit. Hæc ipsius sunt verba: *Petra est, quicunque est Discipulus Christi: & super talem petram construitur omnis ecclesiastica doctrina. Quòd si super vnum illum Petrum tantùm existimas totam ædificari ecclesiam, quid dicturus es de Ioanne filio Tonitrui, & Apostolorum vnoquoque? Num audebimus dicere, quod aduersus Petrum vnum non præualituræ sunt portæ inferorum? An soli Petro dantur à Christo claues regni cœlorum?* Ex his à me strictiùs expositis liquere potest, quàm rectè Papa authoritatem ex verbo Dei, atque vt Hardingus loquitur, *Iure diuino* asserat suam. Re quidem vera, quòd ad illa Matthæi verba spectat, Hieronymus sic habet: *Istum locum Episcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio.* Iterum habet: *Nouerint Episcopi, se magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate, presbyteris esse maiores.* Hinc non *de Iure diuino*, vt Hardingus affirmat, sed cõsuetudine tantùm sua omnia tenere & possidere pontificem Romanum constat.

Gregor. Nyss. in testimoniis delectis ex vetere testament. Hilarius de Trinit. lib. 2. Hilar. de Trini. lib. 6. Cyrillus de Trinitate. Chrysostom. in Matth. Homil. 55. August. de verbis Domini secundum Matth. Serm. 13. Orig. in Matth. tract. 1. Marc. 3. Hieronym. in Matth. cap. 16. lib. 3.

Decreta autem Conciliorum, principum edicta, sanctorum patrum testimonia, necessitas rationis, vsúsque Ecclesiæ, quo iure ab Hardingo iactentur, ordine singula & sigillatim excutientur.

Hardingus. 3. Sectio.

Ego autem in hac re tractanda breuitati studens, tum quia ad istam reliquorum articulorum multitudinem nonnihil respondere decreui, tum quia hanc de primatu quæstionem iam à multis expositam, & eruditissimè pertractatam intelligo, eam in hoc tempore summis quodammodo pedibus obibo, neque in profunda eiusdem disputatione atq; explicatione altum vestigium figam.

Primùm autem, Iure diuino constitutum esse primatum, hæc antiquissima testimonia confirmant. Anacletus ille sanctissimus Episcopus, ac Martyr, beati Petri discipulus, ab eóque presbyter consecratus in epistola sua ad Episcopos Italos hæc habet: In nouo testamento post Christum Dominum à Petro sacerdotalis cœpit ordo, quia ipsi primo pontificatus in Ecclesia Christi datus est, dicente Domino ad eum: Tu es (inquit) Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues regni cœlorum. Hic ergo ligandi atque soluendi potestatem primus accepit à Domino, primúsque ad fidem populum virtute prædicationis suæ adduxit. Cæteri verò Apostoli cum eodem pari consortio honorem & potestatem acceperunt, ipsúmque principem eorum esse voluerunt.

In alia Epistola ad omnes Episcopos scripta eandem sententiam ad confirmandam Romanæ sedis primatum vsurpans, deq; ecclesiarum patriarchis, & primatibus commissarum œconomia loquens, sic disertissimè habet. Hæc sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit, & eminentia potestatis super vniuersas Ecclesias ac

totum

totum Christiani populi gregem assecuta est, sicut ipse Beato Apostolo Petro dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Episcopus Sarisburiensis.

HAEc testimonia firmi nihil, solidíque continent, nec fortiùs illatum impressúmque vestigium ferunt, atque ea proinde Hardingus tam leuiter, sicco quasi pede transit. Quod ad hāc Anacleti, cæterásque consimiles epistolas decretales attinet, volo in præsenti pauca tantùm attingere, vnde de reliquis iudicium lector facere possit.

Primùm Petrus Crabbe, à quo consarcinata & coniecta vnum in volumen Concilia fuerunt, de exemplarium, quibus erat vsus, mirifica deprauatione, intérque se singulorum discrepantia vehementer conqueritur, his verbis: *Exemplarium intolerabilis nimiáque differentia, & deprauatio.*

In admonitione ad lectorem ante Decret. Liberij.

Deinde Gratianus ipse, rebus omnibus expensis, & consideratis ingenuè fatetur, *Huiusmodi epistolas in causis potiùs definiendis, quàm in scripturarum expositionibus locum mereri.*

Distin. 20. Decretales.

Præterea neque Hieronymus, neque Gennadius, neque Damasus, neque vetustorum Patrum quisquam istas vnquam citauit epistolas, aut vllo eas in numero habuit, neque ipsi adeo pontifices Romani, ne tum quidem quando huiusmodi instrumenta ipsis maximè profuissent, præsertim eo tempore, quo de imperio in Episcopos Aphricanos ambitiosissimè contenderent.

Futiles autem ita sunt, & ineptæ, vt eas vel ingenio mediocri puer facillimè dignoscat atque diiudicet. Clemens ad Iacobum de morte Petri accuratè perscribit: tamen constat, nec Clemens profectò nesciens fuit, Iacobum septem antè annis morte esse affectum, quàm Petrum.

Clemē. Epist. 1. Hieronym de Ecclesia. Scriptoribus.

Antherus Eusebij Episcopi Alexandrini, & Fœlicis Ephesini mentionem facit: quorum tamen neuter neque Episcopus viuo Anthero, neque natus omnino fuit.

Anthe. epist 1.

Marcellinus ait, *Imperatori nefas fuisse aliquid contra Euangelium tentare*: nullus tamen eo tempore extitit imperator, qui vel Christum cognouerit, vel Euangelium intellexerit.

Marcellin. episto. 2. ad Orientales.

Marcellus ad imperatorem Maxentium scribit, eique Clementis nomine & authoritate præcisè mandat: at Maxentius tamen à religione abhorrebat, erátque & tyrannus immanis, & sæuissimus Ecclesiæ hostis: noménque nec nouit, nec curauit Clementis.

Marcel. epist. 2.

Zephyrinus ait, *Christum Apostolis suis præcepisse, vt septuaginta duos discipulos constituerent*: Lucas tamen Christum eos designasse scribit.

Zephyrin. episto. 1. Luc. cap. 10.

Lucas dicit Ioannem Baptistam militibus hoc consilium dedisse, *Contenti estote stipendiis vestris. &c.* Miltiades autem contrà scribit, & Christum pro Ioanne nominat.

Luc. cap. 3. Miltiad. epi. 1.

Omnia commemorare molestum simul, & superuacaneum esset: ex his paucis coniici cætera possunt.

Iam verò, Anacletus iste, quem suis titulis Hardingus exornauit, quasi maximè scilicet Anacletus ipse verus esset, non pseudanacletus aliquis, primò Clementem suum antecessorem fuisse ait: contrà autem Irenæus, qui illi ætati mox successit, atque Eusebius affirmant Anacleto successisse Clementem. Ex quo hanc epistolā, postquam ex hac vita migrasset, scripsisse Anacletus videatur.

Anaclet. epi. 1. Irenæus lib. 3. cap. 3.

De diui Petri templo mentionem facit: nullum tamen Petro dedicatum fuit templum trecentis propè post Anacletum annis.

Disti. 93. Iuxta sanctorum.

Deinde decreta, canonésque veterum Patrum citat: hæc sunt ipsius verba: *Hæc ab antiquis Apostolis & patribus accepimus*: quasi Apostoli longo antè tempore vixissent: quanquam Ioannes Apostolus tum in viuis erat, ipseque Anacletus vnus ex antiquissimis patribus fuit.

Anacle. epist. 3.

Etsi ex his, quæ breuiter attigi, cuiusmodi istæ epistolæ fuerint, facilè intelligi queat, rogandus mihi tamen es, Christiane Lector, vt hasce atque alias persimiles phrases, formásque dicendi, quæ in illis passim occurrunt, & tritissimæ sunt, consideres, atque animaduertas: *Persequutiones patienter portare: peto vt pro me orare debeas: Episcopi obediendi sunt, non insidiandi: Ab illis omnes Christiani se cauere debent.* In his ne latinitatem quidem congruam ac natiuam reperias. Num autem trecentorum annorum spatio, & ampliùs, nullum fuisse Romanum pontificem censebimus Latini sermonis peritum, maximè tum, quando omnes illius vrbis ciues, mulieres pariter, & pueri Latinè ab incunabulis nullo magistro loquerentur? Certè verò, ipse Papa inquit: *Falsa latinitas vitiat rescriptum Papæ.*

Extra. de Rescriptis ad audiētiam.

Epistolarum autem harum materia atque argumentum neque illorum temporum Ecclesiæ conditionem attingit, neque vel de doctrina, vel de persequutione, vel de hæresi, vel de ministrorum officio, vel de vlla omnino re aut temporibus illis conueniente, aut cognitu magnopere digna quicquam habet.

Illud duntaxat propositum habent, vt & scripturas fœdissimè mentiendo, cæterásque artes omnes adhibendo Romanæ sedis solium, regnúmque confirmēt atque stabiliant. Anacletus Christi verbis sua intexit hoc modo: *Super hanc petram, id est, super Ecclesiam Romanam, ædificabo Ecclesiam meam.* Rursus: *Romana Ecclesia cardo, & caput est omnium Ecclesiarum. Vt enim cardine ostium regitur, ita huius sanctæ sedis authoritate omnes Ecclesiæ reguntur.* Stephanus Papa inquit: *Hæc sacrosancta domina nostra Romana Ecclesia.*

Anacl. epist. 1. Anacl. epist. 3. Dist. 70. Oportebat.

Quorsum autem vnum Anacletum produxit Hardingus, cum tanta præsto sit huiusmodi testium frequentia? Etenim Euaristus Papa, Alexander, Sixtus, Telesphorus, Hyginus, Pius, Ani-

cetus, Soter, Eleutherius, Victor, reliquique omnes vetusti Episcopi Romani, quorum nominibus antiquitas ad hoc propositum confirmandum abusa est, egregiè conspirant. Hæc illorũ omnium coacta vxor est: *Nos vniuersales Episcopi, nos vniuersalis Ecclesiæ capita sumus: omnes ad nos fieri prouocationes debent, nos errare non possumus, nos redargui non debemus: Scriptum est enim, Discipulus non est supra magistrum.* Si hæc testimonia valerent, confecta nimirum res, atque ad exitum perducta esset, sed quod ea esse ficta, plenáque falsitatis intelligeret, ideo insistendum in iis sibi non putauit Hardingus. Quòd autem ad ipsam Anacletum, qui verè Petri discipulus fuit, reliquósque priscos Episcopos Romanos attinet, fuerunt illi quidem viri patrésque sanctissimi: qui continua persequutione conflictati, & indies ad necem crudelissimam rapti, exiguum de istis ambitiosis inanibúsque titulis cogitandi otium habuerunt.

Hardingus. 4. Sectio.

D. *Gregorius ad Mauritium Imperatorem scribens contra Ioannem Episcopum Constantinopolitanum qui vniuersalis Episcopi nomen sibi vendicauerat, & asciuerat, pontificem Romanum im Petri cathedra sedentem, esse primatem, vniuersæq; Ecclesiæ Christi curam sustinere ex scripturis comprobat, hoc modo.* Cunctis Euangelium scientibus liquet, quòd voce Dominica sancto, & Apostolorum omnium Petro principi Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur: Petre amas me? pasce oues meas. Ipsi dicitur: Ecce Satanas experiit cribrare vos sicut triticum, & ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Ipsi dicitur: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Ecce claues regni cœlestis accipit, potestas ei ligandi, & soluendi tribuitur: Cura ei totius Ecclesiæ, & principatus committitur: *Hucusque Gregorius. Quandoquidem autem aduersarij nostri, tametsi immeritò, Pontificum Romanorũ hac in causa testimonium, vtpote minùs in sua re legitimum respuunt, quantumuis & singulari sanctitate martyres, & confessores summa eruditione essent: intelligant nos crebra testimonia, eadémque luculentissima proferre posse alia, quibus quod proposuimus confirmetur.*

Ioan. 21. Luc. 22.

Matth. 16.

Hardingus Gregorij verba decurtauit, & corrupit. Statim enim sequitur. *Tamen Petrus vniuersalis Apostolus nõ vocatur*

Episcopus Sarisburiensis.

SI è mortuis excitatus reuiuisceret Gregorius, insignis iniuriæ litem Hardingo intenderet: non modò quòd omnem illius sententiam immutauerit, verùm etiam, quòd verba eius truncauerit, atque mutilauerit. Hardingus, quò Pontificem Romanum vniuersalem Episcopum nuncupatum fuisse confirmet, hæc Gregorij verba profert: *Ecce Petrus claues Regni cœlorum accipit: Et potestas ei ligandi, soluendique tribuitur: Cura ei totius Ecclesiæ, & principatus committitur. Hucusque Gregorius,* inquit Hardingus. Quidni verò longiùs? An singultu nimirum impeditus vocem est subito coactus interrumpere? Verùm, attende paulisper, Lector, & tu Gregorium ab Hardingo tanquam à magistro quodam seuero in ordinem redactum videbis, vt nullam nisi eius permissu, iussúque vocem emittere audeat. Quæ in eadem sententia proximè sequuntur verba sic habent: *Tamen Petrus vniuersalis Apostolus non vocatur.* Hardingus Pontificem Romanum vniuersalem Episcopum appellatum fuisse cõfirmat: Gregorius autem in hoc ipso verborum ambitu, quem præproperè sic Hardingus intercidit, ait: *Petrus ipse, qui Christi fuit Apostolus, non tamen vniuersalis Apostolus vocatus est.* Num autem mundo persuadere cupit Hardingus, Papæ ampliorem, quàm Petri, latiorémque potestatem? Hæc verba sibi esse putauit Hardingus amputanda. Sic nimirum antiquos patres accipere, tractaréque solet. Si mihi sui ipsius vocibus vti liberet, *fallacem, fraudulentúmque alearum iactum,* nescio quem, exclamare possem. Certè, sanctissimi patres Constantinopolitani Concilij, sic inquiunt: *Non conuenit orthodoxis, ita circumtruncatas sanctorum Patrum voces deflorare: Hæreticorum potiùs hoc proprium est.*

Grego. lib. 4. epist. 32.

Petrus vniuersalis Apostolus nõ vocatur.

Concil. Cõstantinopol. 8. Actione. 8.

Hardingus autem respondebit, Gregorium hoc vniuersalis Episcopi nomine in Ioanne duntaxat Episcopo Constantinopolitano, qui illud ambitiosè sic & cupidè expetiuit, vituperasse: sibi nihilominus idipsum tanquam titulum sedi Romanæ peculiarem ascripsisse, & nos proinde iniquè facere, qui Gregorij in alienum sensum trahamus, & torqueamus verba. Quare videndum, & explorandum est, cum quid isto de titulo generatim scripsit Gregorius, tum etiam quibus speciatim verbis eundem, vt sibi proprium, assumpserit.

Sic igitur de eo vniuersim scribit: *Ego fidenter dico, quisquis se vniuersalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit: quia superbiendo se cæteris præponit.*

Hac in re à fratre & consacerdote meo contra Euangelicam sententiam, contra Beatum quoque Petrum Apostolum, & contra omnes Ecclesias, contráque canonum statuta agitur. In hac eius superbia, quid aliud, nisi propinqua iam Antichristi tempora esse designatur: quia illum videlicet imitatur, qui spretis in sociali gaudio Angelorum legionibus, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, dicens: super astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis, & ascendam super altitudinem nubium, & ero similis altissimo. Iterum: *Rex superbiæ prope est, & quod dici nefas est, sacerdotum est præparatus exercitus, quia ceruici militant elationis, qui ad hoc positi fuerant, vt ducatum præberent humilitatis,*

Gregor. lib. 4. epist. 30.

Gregor. lib. 4. epist. 34.

Esai. 14. Gregor. lib. 4. epist. 38.

Sacerdotũ est præparatus exercitus.

Iterum

Iterum: *Omnes magnos esse honorabiles cupio: quorum tamen honori omnipotentis Dei non detrahat. Nã quisquis se contra Deum honorari appetit: mihi honorabilis non est.* Iterum: *Vos tamen eandem causam nullam esse dicere non debetis, quia si hanc æquanimiter portamus, vniuersæ ecclesiæ fidem corrumpimus. In isto scelesto vocabulo consentire: nihil est aliud, quàm fidem perdere.* Sic igitur de hoc vniuersalis episcopi nomine generaliter statuit Gregorius, quod nihilosecius postea sibi imposuerunt, asciuerúntque pontifices Romani: Scilicet, *Esse illud vanum, & noxium, esse confusionem, venenum, & certissimam atque vniuersalem pestem ecclesiæ: corruptionem & dissolutionem fidei, esse contra canones, contra Petrum Apostolum, contra sensum, sententiámque euangelij, contra omnes ecclesias Dei, contra Deum ipsum, nullum vnquam bonum piúmve virum huiusmodi titulis vsum esse, qui illis vtitur eum esse Luciferi imitatorem, & Antichristi præcursorem, atque prænuncium.*

Gregor. lib. 6. epist. 8.
Gregor. lib. 6. epist. 24.
Gregor. lib. 4. epist. 39.

Fortè autem dixerit Hardingus, nomen hoc peculiariter, & propriè ad Romanum pertinuisse pontificem, atque à Gregorio Ioannem Constantinopolitanum ideo fuisse reprehensum, quandoquidem is tanta arrogantia, tantáque violentia subnixus id sibi attribueret, atque arriperet, quod suum minimè fuit. At Gregorius eundem vniuersalis episcopi titulum appellat his nominibus. 1. *Typhum superbiæ.* 2. *Nomen nouum.* 3. *Vocabulum temerarium, Stultum.* 4. *Superbum, Pompaticum.* 5. *Peruersum.* 6. *Superstitiosum, Profanum.* 7. *Scelestum.* 8. *Nomen erroris.* 9. *Nomen singularitatis.* 10. *Nomen vanitatis.* 11. *Nomen hypocriseos.* 12. *Nomen blasphemiæ.* Quid autem? an Hardingus ipse opinatur, eámve nobis opinionem iniicere cupit, id habuisse in animo Gregorium, vt Ioannem Constantinopolitanum istis nominibus titulísque spoliaret, quò suam iisdem Romanámque sedem exornaret? Num credibile est Gregorij mentem Hardingo, quàm ipsi Gregorio, magis esse cognitam? Gregorius enim profectò non tantùm alios insectatur, qui hos sibi titulos arrogant, sed eosdem ipse à se etiam remouet, atque à sede Romana penitus in perpetuum abiudicat. Sic námque scribit, & clara sunt ipsius verba: *Nullus Romanorum pontificum hoc singularitatis nomen assumpsit. Nullus decessorum meorum hoc tam profano vocabulo vti consensit. Nos hunc honorem nolumus oblatum suscipere.*

1. Lib. 6. epi. 2.
2. lib. 4. epi. 32.
3. lib. 4. epi. 38.
4. lib. 4. epi. 32.
5. lib. 4. epi. 38.
6. lib. 6. epi. 24.
7. lib 4. epi. 39.
8. lib. 4. epi. 38.
9. lib. 4. epi. 32.
10. li. 4. epi. 39.
11. li. 4 epi. 39.
12. li. 4. epi 39.
Gregor. lib. 4. epist. 32.
Gregor. lib. 4. epist. 36.

Qua autem Constantinopolitanum episcopum ratione vrget, & insequitur, eadem non minùs contra Romanum pontificem valebit. Sic enim inquit: *Quid tu Christo vniuersalis Ecclesiæ capiti, in extremi iudicij dicturus es examine, qui cuncta eius membra tibimet conaris vniuersalis appellatione supponere?* Hæc vera est vniuersalis episcopi definitio: hoc modo ecclesiam Dei, cunctáque Christi membra suo imperio subiicere pontifex Romanus conatur. Præterea ad Eulogium patriarcham Alexandrinum scribens, hæc habet: *Sanctitas vestra mihi sic loquitur, Sicut iussistis: Quod verbum Iussionis, Peto à meo auditu remouete. Quia scio, quis sim, & qui sitis: Loco mihi fratres estis, moribus patres.* Rursus habet: *Ecce in præfatione epistolæ, quã ad meipsum, qui prohibui, direxistis, superbæ appellationis verbum, vniuersalem me Papam dicentes, imprimere curastis. Quod, peto, dulcissima mihi sanctitas vestra nõ faciat quia vobis subtrahitur, quod alteri plusquam ratio exigit, præbetur.* Eandẽ hãc sententiam bis inculcatam reperisset Hardingus in eodem Gregorij loco, quem hîc vsurpauit, si vel quid præcederet, vel quid continuò mox subsequeretur, animaduertisset. In præcurrentibus sic scribit: *Non mea causa, sed Dei est: Nec solus ego, sed tota turbatur Ecclesia. Quia piæ Leges, quia venerandæ Synodi, quia ipsa Domini nostri Iesu Christi mandata superbi, atque pompatici cuiusdam sermonis inuentione turbantur.* In subsequentibus hoc modo: *Nunquid ego in hac re piissime Domine, propriam causam defendo?* Ex his Gregorium pontificem Romanum vniuersalis episcopi nomen nec alteri cuiquam deferri, nec sibi ipsi permisisse apparet.

Gregor. lib. 4. epi. 38.
Gregor. lib. 7 epist. 30.
Ibidem.
Gregor. lib. 4. epist. 32.

Quòd autem Gregorius ait, curam & principatum totius ecclesiæ Petro permissum esse, ista quo quidem sensu fuerunt dicta, à nobis non negantur. Paulus similiter de seipso eadem sententia loquitur: *Incumbit mihi quotidiana cura omnium Ecclesiarum.* Insuper etiam habet: *Puto me nihilo inferiorem esse summis Apostolis.* Num verò hinc Hardingus sic concluserit,

2. Corinth. 11.
2. Corinth. 11.

Petro totius ecclesiæ cura commissa est:
Ergo, Papa est vniuersalis episcopus?

Certè, Gregorius inquit: *Petrus ipse, etsi totius ecclesiæ curam accepit, non tamen vniuersalis Apostolus vocatur:* Potéstne autem id esse Papa, quod ipse Petrus esse non potuit? Gregorius suam hoc modo complexus videtur rationem: *Si hic vniuersitatis titulus ad quenquam omnino hominem pertineret, ad D. Petrum maximè quidem pertineret: at ad D. Petrum neutiquam pertinet: Ergo, ad nullum prorsus hominem pertinet.*

Gregor. lib. 4. epist. 32. *Tamen vniuersalis Apostolus non vocatur.*

Hinc Romanum pontificem eiusmodi sibi nunc titulum vendicare constat, qualem Petrus nunquam obtinuerit: qualem nullus sanctus, piúsque vir sibi vnquam assumpserit: qualem Gregorius penitus aspernatus, auersatúsque fuerit, & blasphemiæ vocabulo appellauerit. Vult nihilominus Papa amplitudinem ac dignitatem huius sanctissimi patris authoritate suam communire. Si nunc viueret Gregorius, sic exclamaret, vt olim ad Imperatorem Mauritium, *O tempora, O mores!* Tantum scilicet Gregorij subleuat Hardingi causam authoritas.

Gregor. lib. 4 epist. 32.

Hardingus. 5. Sectio.

B*Eatus Cyprianus summi sacerdotis* [a] *qui Christi in terra vicarius est, contemptionem schismatum, hæresiúmque causam esse commonstrans, ad Cornelium Papam, & Martyrem sic scribit:* Neque

a Falsum: Hæc enim verba Cyprianus de quouis episcopo separatim, nedum de Romano dũtaxat Pontifice loquutus est.

enim aliunde hæreses obortæ sunt,aut nata schismata,quàm inde,quòd sacerdoti Dei non obtẽperatur:nec vnus in ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur: cui si secundùm magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa (*hoc est*, [b] *vniuersa Christianorũ hominum multitudo, qui fratres inuicem sunt, itáque vocati fuerunt in primitiua ecclesia*) nemo aduersum sacerdotum collegium quicquam moueret: nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post coepiscoporum consensum, iudicem se non iam episcopi, sed Dei faceret: nemo disidio vnitatis Christi ecclesiam scinderet: nemo sibi placens, ac tumens seorsum foris nouam hæresim conderet.

[b] Falsum in manifesta Cypriani deprauatione positum.

Episcopus Sarisburiensis.

SI bonam Hardingus causam haberet,non eam tot falsis stabilire,tantáque corrumpendorum summa sanctitate patrũ licentia vti vellet. Quòd si Cyprianus in omni ad Cornelium episcopum Romanum epistola,eum vel semel appellauerit *aut summum sacerdotem: aut Christi generalem in terris vicarium: aut vniuersalem episcopum: aut vniuersalis ecclesiæ caput: aut vniuersam Christianorum omnium fraternitatem ei obsequentem esse oportere affirmauerit*, quomodo eam Hardingus falsò, suáque conscientia refragante interpretatur: siue vel ipsius verba, vel scribendi consilium ad eũ finem vllo modo spectare posse videantur,tum aliquid habere probabilis defensionis videri poterit Hardingus. Alioquin eum doctores torquere,& vi,quascunque voluerit ipse,voces illis exprimere,quas ad suum institutum pertrahat,merito & iure dixerimus.

Primò id constat in tota illa epistola Cyprianum Cornelio nullum vnquam huiusmodi superbum titulum attribuisse, sed eum fratris duntaxat nomine appellasse. Sic enim ei salutem dicit: *Cyprianus Cornelio fratri salutem.* Exorditur autem hoc modo: *Legi literas tuas frater charissime.* Cyprianus igitur episcopus Carthaginensis fraternam sibi cum Papa æqualitatem vendicat. Scribendi autem ad Cornelium præter cæteras hæc vna fuit præcipua causa Cypriano. Cornelius episcopus constitutus Romanus, excommunicatis à se quibusdã nefariis cõsceleratisque hominibus,postea minis territus,& omnibus iniquitatibus exercitus,languere primùm,tum de munere abdicando suo cogitare cœpit. Qua re audita, consolatorias ad illum literas scripsit Cyprianus,eúmque vt pergeret strenuè, neque succumberet hortatus est, & illam Dei esse, non propriam causam,atque negotium reputaret. Cum alia multa in hanc sententiam, tum hæc verba habet: *Christiani non vltra aut durare,aut esse possumus, si ad hoc ventum est, vt perditorum minas, & insidias pertimescamus.*

Cyprian.lib.1. epist.3.

Hac inductus occasione, quanta quamcunque prouinciam, seu diœcesim sectarum, & schismatum colluuies peruadat,quando episcopi authoritas, & disciplina ecclesiastica comtemnitur, exponit. *Episcopus enim quisque* (Cyprianus inquit) *intra diœcesim suam,Dei sacerdos, & ad tempus vice Christi iudex est: atque vt ecclesia vna est,sic ille etiam vnus esse debet.* Hæc autem ille communiter de omnium episcoporum, non de Romani episcopi authoritate separatim scripsit: & quãquam ad vnum Cornelium epistolam suam inscribit,rationes tamẽ ipsius omnes generales sunt, atque cum ipsum Cyprianum, qui Carthaginensis fuit episcopus, tum alios præterea,quoscunque tandem,episcopos attingunt. Quare, quod vniuersim ad omnes episcopos spectat, id ad vnum duntaxat episcopum reuocare,atque retrahere, malitiosum quoddam ad Lectorem fallendum comparatum artificium,non simplex,& apertus agendi modus videatur.

Hardingi tamen error peruersa horum Cypriani verborum interpretatione fultus videtur: *Vnus sacerdos, & fraternitas vniuersa.* Quòd enim Cyprianus ait, vnum esse in ecclesia episcopum oportere, fingit Hardingus vnum esse episcopum debere, qui vniuersæ ecclesiæ dominetur. Quódque Cyprianus inquit: *Fraternitas vniuersa vni episcopo obtemperare debet*, hinc colligit, cunctos Christianos homines per vniuersum orbem fusos, quam ille falsò *vniuersam fraternitatem vocat*, vni debere vniuersali episcopo parere: & sic vnum errorem altero sustentat. Sed falsa doctoris interpretatio non habet satis virium ad aliquid confirmandũ. Cyprianum id sensisse ad vitanda schismata vnum in vna diœcesi, non vnum, qui toti orbi imperet, episcopum esse debere, facilè profectò liquebit. Sic enim suam ipse mentem interpretatur: *Cum post primum esse non possit quisquam, qui post vnum, qui solus esse debet, factus est, iam non secundus ille,sed nullus est.*

Occasio fraudis Hardingi.

7.Quæst.1. Factus est.

Sic etiam, quo tempore Nouatus hæreticus nefariis artibus subnixus populum Romanum in sectas distraxisset, suósque omnes, nunquam se ad Cornelium episcopum Romanum redituros, solenni sacramento obligauisset, atque hoc modo vnum episcopatum in duos diuulsisset, duósque in vnam ciuitatem episcopos inuexisset: Cornelius de ea re apud Fabium episcopum Antiochenum per literas conquestus, eúmque de eo certiorem faciens hæc habet: *Nouatus nescit vnum episcopum in catholica ecclesia esse debere:* In quo, non est de vniuersa terrarum orbis ecclesia loquutus,sed suam solummodo Romanam,propriámque ecclesiam significauit.

Eusebius lib.6. cap.43.

Similiter cum Chrysostomus Sisinium se pro episcopo in eadem vrbe venditantem videret,sic ad eum inquit: *Vna vrbs non debet duos episcopos habere.*

Socrates lib.6. cap.1.

Sic Hieronymus, etsi omnium presbyterorum diuinæ legis authoritate vnam æqualemque potestatem agnoscit, tamen homines postea ait vitandæ contentionis causa, vnum in singulis vrbibus episcopum constituisse,qui fratres cæteros ordine quodam & disciplina contineret.

Hieronym. in epist.ad Titum

Hoc modo totius ecclesiæ concordia est conseruata: hoc modo omnes ecclesiæ instar vnius factæ sunt, omnésque episcopi, quasi vnus, extiterunt. Quisquis enim ab vno dissensit, ab omnibus disiunctus est. Ita Cyprianus habet: *Ecclesia cohærentium sibi inuicem sacerdotũ glutino copulatur.*

Cyprian. lib. 4. epist. 9.

Rursus etiam habet: *Hanc vnitatem firmiter tenere, & vendicare debemus maximè episcopi, qui in ecclesia præsidimus: vt episcopatum quoque ipsum vnum, & indiuisum probemus.* Ideo Hyeronimus inquit: *Episcopi nouerint in commune debere se ecclesiam regere.*

Cypria. de simplicitate prælatorum. Hieronym. ad Titum cap. 1.

Hoc modo episcopus quiuis ad suum tempus est, vt Cyprianus inquit, Christi vicarius: & ad huiusmodi omnes Christus ait: *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.* Proinde Ignatius inquit: *Episcopus* (in ecclesia sua) *Dei patris omnium typus est: Christiq; Dei pro viribus* (in ministerio suo) *imitator est.* Hanc ob causam Cyprianus ait: *Hinc oriuntur schismata, & hæreses nascuntur, quòd Sacerdoti Dei* (in particulari quaque diœcesi) *non obtemperatur.*

Luc. 10. Ignatius ad Trallianos. τ̃ πατρὸς τῶ̃ ὅλων τύπος.

Alio etiam in loco similiter habet: *Qui cum Episcopo non sunt, in Ecclesia non sunt.*

Cyprian. lib. 9. epist. 3.

Ignatius quoque perinde loquitur: *Quicunq; Christi sunt, hi etiam cum Episcopo sunt.*

Cyprian. lib. 4. epist. 9. Ignatius ad Philadelph. ὅσοι χριστοῦ εἰσιν, οὗτοι καὶ μετὰ τοῦ ἐπισκόπου εἰσιν.

Quare ista verba Cyprianus generatim est loquutus de omnium Episcoporum authoritate, quam in sua quisque diœcesi obtinet: non autem de particulari aliquo Romani episcopi iure, quemadmodum hic Hardingus falsò affirmat.

Vrgebit tamen acriùs adhuc illa Cypriani verba Hardingus: *Vniuersa fraternitas illi vni Episcopo obtemperare debet.* Fraternitas autem illa vniuersa, pro tota Christianorum hominum societate intelligatur est necesse. Quanquam hæc lata admodum videtur expositio, ni tamen Cyprianus mentem ipse suam alibi clariùs aperuisset, sic eam fortè aliquis aut simplicitate, aut ignorãtia deceptus interpretari posset. Cyprianus autem, cui sensus proculdubiò suus optimè cognitus fuit, his verbis, *Fraternitas vniuersa*, nõ vniuersam totius Christianitatis communionem intelligit per totum vbique orbem sparsam, sicuti Hardingus facit, sed vniuersam separatæ cuiusque, & distinctæ diœcesios fraternitatem. Sic enim in proximè sequenti epistola scribit: *Ferè per prouincias vniuersas tenetur, vt ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem cui præpositus ordinatur, Episcopi eiusdem prouinciæ proximi quique conueniant, & Episcopus deligatur plebe præsente*, &c. *Quod & apud nos factum vidimus in Sabini Collegæ nostri ordinatione, vt de vniuersæ fraternitatis suffragio Episcopatus ei deferretur.* Hic, *Vniuersa fraternitas* pro toto vnius vrbis sodalitio certissimè capitur. Simili ratione ad Cornelium de quibusdam scribit, qui sectis, erroribúsque pristinis valere iussis, ad ecclesiæ reuersi sunt communitatem: *Meritò illos reuertentes, summo gaudio, & Clerus, & plebis fraternitas omnis excepit.* Eodem modo ad Bonifacium Honorius imperator scribit: *Si duo Episcopi per ambitionem & contentionem fortè electi fuerint, volumus neutrum pro Episcopo approbari: sed eum solum in Apostolica sede remanere, quem è numero clericorum, pia discretio, & vniuersitatis consensus elegerit.*

Fraternitas vniuersa.

Cyprian. lib. 1. epist. 4.

Cyprian. lib. 2. epist. 12. Rescriptũ Honorij ad Bonifacium. *Quem vniuersitatis consensus elegerit.*

Hisce in locis nec ipse Hardingus repugnauerit, quin ista verba *Vniuersa fraternitas, Omnis fraternitas & vniuersitatis consensus*, pro vna aliqua, & particulari vnius prouinciæ, seu diœceseos fratrum collegio sint accipienda. Eodem sensu Origenes inquit: *Qui vocatur ad Episcopatum, vocatur ad seruitutem totius ecclesiæ.* Rursus etiam inquit: *Plus à me exigitur, quàm a Diacono: plus a Diacono, quàm a Laico: Qui verò totius Ecclesiæ arcem obtinet, pro Omni Ecclesia reddet rationem.*

Orige. in Esaiã Homil. 6. Origen. in Hieremi. Hom. 7.

In istis locis particularis quæque ecclesia, *Vniuersæ Ecclesiæ* nomine appellatur. Propterea Ignatius inquit: *Quid aliud est Episcopus quàm quidam obtinens principatum: & potestatem supra omnes.*

Ignatius ad Trallianos. Τί δέ ἐστιν ἐπίσκοπος ἀλλ᾽ ἢ πάσης ἀρχῆς, καὶ ἐξουσίας ἐπέκεινα πάντων κρατῶν.

Istis rebus diligenter consideratis, præterquàm quòd Cypriani tum verba, tum sententiam manifestò deprauauit atque corrupit Hardingus, nihil profectò dubito, quin argumenti etiam, quod ex illis Cypriani verbis malè intellectis concludit, facilè cuiuis appareat infirmitas. Sic enim argumentari videtur: *Vnum esse in vna ecclesia, seu diœcesi episcopum oportet: Ergo, Vnus vniuerso orbi dominari episcopus debet.* Aut hoc modo: *Vniuersa fraternitas cuiusque diœcesios, vni duntaxat episcopo auscultare, & morigerari debet: Ergo, Vniuersa omnium, quos habet orbis terrarum, Christianorum multitudo episcopo Romano subesse, atque obedire debet.* Hæc argumenta ipsa se produnt, nec lõgiore refutatione indigent.

Si his omnibus rebus pro nihilo habitis Hardingus tamẽ institerit, Cypriani verba de Episcopo vniuersali necessario esse intelligenda, eundémque esse necessitate põtificem Romanum, agè, illam Cypriani epistolam legere ne grauetur, quam ad Florentium Pupianum scripsit: in qua Cyprianum hæc eadem verba eodem modo, eadémque forma de seipso loquutum esse perspiciet, quem Carthaginensem in Aphrica, non Romanum fuisse episcopum Hardingus nouit. Hæc eius verba sunt: *Vnde Schismata, & hæreses obortæ sunt, & oriuntur, nisi dum Episcopus, qui vnus est, & Ecclesiæ præest, superba quorundam præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, ab hominibus indignis iudicatur.* Ista omnia de se perspicuè disertéque dixit Cyprianus, qui Carthaginiensis episcopus fuit. Quare eadem ad Romanum tantùm pontificem per summam vim torquere, nec ad quenquam alium vllo modo pertinere posse confidenter iactare, summæ cuiusdam fraudis fuit.

Cyprian. lib. 4. epist. 9.

Hardingus. 6. Sectio.

EX omnibus autem aliis, illud Athanasij, cæterorúmque omnium AEgypti, Libyæq; episcoporum, qui in Synodum Alexandriæ conuenerant, testimonium pondus habet. Illi enim a Fœlice Romano tũ pon-

Athanasius adulterinus.

tifice opem,& auxilium contra Arianos suppliciter,ac humiliter per omnem epistolam petentes, illiúsque Apostolicæ sedis supremam potestatem agnoscentes,his ipsis verbis vtuntur: Vestræ Apostolicæ sedis imploramus auxilium:quia (vt credimus,)non despexit Deus preces cum lachrymis sibi oblatas seruorum suorum, sed ob id vos,prædecessorésque vestros,Apostolicos videlicet præsules in summitatis arce constituit, omniúmque ecclesiarum eis curam habere præcepit, vt nobis succurratis,nósque tuentes,cui omne episcoporum iudicium est permissum, liberare ab hostibus nostris non negligatis.

In primo tomo Conciliorum.

In summitatis arce constituit.

Iam ergo,si Apostolica Romana ecclesia primatum, & authoritatis eminentiam supra omnes ecclesias supráque vniuersum Christianorum hominum gregē ab ipso Domino seruatore accepit, sicuti Anacletus affirmat: si cunctis euangelium scientibus liquet curam,& principatum totius ecclesiæ sanctissimo Apostolo Petro omnium Apostolorum principi ipsius domini verbis cōmissum fuisse,quemadmodū Gregorius testatur:si vniuersa fraternitas(hoc est tota Christianitas)summo sacerdoti,seu episcopo Dei,vniq; iudici,qui Christi vicarius est ad tempus,secundùm magisteria diuina parere & obtemperare debet,vt Cyprianus scribit:si Deus pontificem Romanum in summo gradu ecclesiæ collocauit, & constituit, id quod Athanasius,cunctiq; in Alexandrino illo Concilio congregati patres perhibent:si hoc,inquam,ita sit,tum facile est videre quam bonis fundamentis hæc doctrina constituatur,qua primatum pōtificis Romani Iure diuino,*non duntaxat humano, nedum iniusta vsurpatione obtinere confirmatur. Scripturæ quibus cum isti,tum alij omnes sancti,& eruditi patres inducti fuerunt, vt Petri, suorumq; successorum primatum agnoscerent,atq; confiterentur,partim erant eiusmodi,quales Anacletus,& Gregorius hic citat,& Cyprianus innuit,sicuti ex eius tertio tractatu* De simplicitate prælatorum *apparet, atq; alia præterea ex nouo testamento permulta,quemadmodum eruditis non est ignotum:de quibus hic copiosè,neruoséq; explicare, prout rei amplitudo postulat, in hoc tempore non vacat:neque vt maximè vacaret,commodè exequi potui in hoc tractatu,qui illis licet omissis,satis alioqui magnus erit:illa autem luculenter & plenè exposita grande complectunt volumen. Quare remissis Lectoribus ad horum præstantissimorum patrum authoritatem,& fidem,qui scripturas ita intellexerunt,vt ex iis certò persuasum haberēt à Deo primatum Petri tributum esse successoribus,pergam,& præfinitam mihi,rationem persequar.*

Anacletus fictus.

Gregorius trūcatus. Verba enim quæ proximè sequuntur, hæc sunt. *Tamen Petrus vniuersalis Apostolus non vocatur.*

Cypriani sententia bis vno in loco adulterata.

Cum potestatis atq; authoritatis summam excellentiam,quam Romano pontifici Deus speciali quodam, & singulari priuilegio concessit,multa variáque Concilia Christiano orbi commendauerint,ego ne longus, & molestus sim, paucorum tantùm testimonia recitabo. Inter canones a trecentis & octodecim episcopis in Niceno Concilio factos,qui numero septuaginta fuerunt, [a] *quique omnes,præter viginti solos in orientali ecclesia ab hæreticis combusti fuerant,cum interim Canonum numerus integer in Romana* [b] *ecclesia diligenter custoditus esset in ipso adeo arthetypo,quod ad Syluestrum pontificem tum Romanum a concilio missum,subscriptumq; trecētorum,& octodecim illorum patrum manibus fuit: Canon quadragesimus quartus,qui est de potestate patriarchæ supra metropolitanos, & episcopos,& metropolitanorum supra episcopos,in fine hoc decretum continet:* Vt autem cunctis ditionis suæ nationibus patriarcha præest, & leges illis præscribit,vtque Petrus Christi vicarius,principiò præpositus religioni,ecclesiis,cæterisque rebus omnibus ad Christum pertinentibus,magister fuit,& rector [c] Christianorū principū,prouinciarū,omniumque nationū,sic is,cuius principatus est Romæ,similis Petro, & æqualis authoritate, imperium ac dominatum obtinet in omnes patriarchas, *Paucis interiectis verbis ibidem sequitur:* Si quis hoc statutum iniquè ferre, aut ei refragari ausit totius cōsilij decreto anathema est.

[a] Falsum:simul & fatuum: vt apparebit.

[b] Falsum:in Romana enim ecclesia nullum huiusmodi archetypum asseruabatur.

[c] Falsum. nullus enim princeps,nulla prouincia Christo nomen dederat Petri memoria.

Vide Franc. Turrianum, lib. 3 Charact. dogmat.

Iulius ille celeberrimus episcopus Romanus,qui non ita multùm post Nicenum Concilium vixit, in epistola sua ad nonaginta Arianos episcopos Antiochiæ contra Athanasium episcopum Alexandrinum congregatos,increpans eos quòd illum tam iniquis modis vexassent,de canonibus Niceni concilij, qui tum recēte memoria fuerunt,scribit ad hunc modum:iis scilicet cautum esse. Non debere præter sententiam Romani pontificis vllo modo concilia celebrari,nec episcopos damnari. *Deinde nihil decerni oportere sine Romano pontifice,* Cui hæc,& maiora Ecclesiarum negotia, tam ab ipso Domino, quàm ab omnibus vniuersorum Conciliorum Fratribus, speciali priuilegio contradita sunt. *Inter cætera autem præcipua capita Canonum illius Concilij ab eo in illa epistola commemorata,hoc vnum est:* Vt omnes episcopi,qui in quibusdam grauioribus pulsantur,vel criminātur causis, quoties necesse fuerit,liberè Apostolicam appellent sedem,atque ad eam,quasi ad matrem confugiant,vt ab ea(sicut semper fuit)piè suffulciantur, defendantur,& liberentur. Cuius dispositioni omnes maiores ecclesiasticas causas,& episcoporum iudicia,antiqua Apostolorum,eorùmque successorum, atque canonum authoritas reseruauit.

Athanasius,cunctique episcopi,qui ex AEgypto,Thebaida, Libia in concilium conuenerant Alexandriæ,in suis ad Fœlicem Papam literis de grauissimis iniuriis ac molestiis,quibus ab Arianis affecti fuerāt, conquerentes: Niceni concilij decretum proferunt de summa authoritate ac potestate illius sedis Apostolicæ supra omnes alios episcopos. Similiter & a supradictis patribus est definitum consonanter,vt si quisquam episcoporum, aut metropolitanum, aut comprouinciales, vel iudices suspectos habuerit, vestram sanctam Romanam interpellet sedem,cui ab ipso Domino potestas ligandi, ac soluendi speciali est priuilegio super alios concessa. *Hæc hactenus è Canonibus Niceni Concilij produximus, collecta partim ex epistola Iulij,qui ad illos scripsit,a quibus præsentibus conditi fuerunt(quæ res omnem falsitatis suspicionem tollit) partim ex Athanasio, atque aliis, qui non exigua pars illius Concilij fuerant.*

Episco

Episcopus Sarisburiensis.

AVium terriculum stramento suffertum,& in alto loco positum hominis instar longè spectantibus apparet. Non secus turpissimus mendaciorum,& fabularum caupo antiquis hominibus vestitus quodammodo,& indutus,esse aliquis ex veterum catholicorúmque Patrũ numero imperitis videatur.Si hoc præ cæteris Hardingo placet maximè testimonium, nihil certè mirum:est enim omnium vanissimum,simul & impudentissimũ:atque ea de causa ad impudentissimam doctrinam confirmandam maximè idoneum. Non hoc nouum est ecclesiæ Romanæ, priscorum patrum nominibus ficta venditare instrumenta:quemadmodum postea,volẽte Deo planius faciam.Quod autem ad hanc epistolã,aliásque aliquot consimiles attinet,quæ ab illo sanctissimo episcopo Athanasio dicuntur esse scriptæ,illas ego in præsenti duntaxat dissuere,& quę intus inuoluta fuerint paucis euoluere,atque nudare volo:tum vel ipsius Hardingi non recusabo iudicium.

Primùm,eas non Græcè,& proinde non ab Athanasio fuisse scriptas,multis ex indiciis colligi possit:exempli causa ex istorum duorum nominum latinorum allusione, *Vertex , & Vertuntur: Romana(inquit)sedes est sacer vertex,in quo omnes vertuntur.* Latinitas impolita est & barbara,sensúsque etiam aliquando penitus expers.Dicendi genus ipsum puerile est, & nugatoriũ, quod cum materia vacat,tum verborum immoderata licentia redundat.Summa denique eã est assentatio , Romanæque sedis exaggeratio,incredibili quondam impudentissimorum mendaciorum congerie suffarcinata.

Author iste,quicunque fuerit,de Romana ecclesia verba faciens,inquit : *Inde ecclesiæ semper sumpsere prædicationis exordium.* At Deus ipse inquit: *Ex Sione exibit lex, & verbũ Domini de Hierusalem.* Quam ob causam Hierosolymas Religionis matricem Tertullianus vocat. Simonem etiam Zelotem vniuersam Aphricam percurrisse,euangeliúmque pr̨edicasse scribit Nicephorus. Eusebius author est Diuum Marcum Euangelistam ecclesias primùm instituisse, atque Euangelium tradidisse Alexandriæ:Nicephorus etiam insuper scribit,D Marcum totam Ægyptum, Libyam,Cyrenam,Pentapolin,omnémque Barbariam peragrasse temporibus Tiberij imperatoris,quod sex ad minimum annis antè fuit,quàm Romam Petrus venisset. Augustinus Christianam religionem in Aphrica,è Græcia,non Roma primò delatam esse testatur. Quare quod Hardingianus iste Athanasius ecclesiam prædicationis exordium Roma sumpsisse iactat, in eo palam adulatur & mentitur manifestò.

> Esai.2. Mich.4. *Matrix religionis.* Niceph.lib. 2. cap.40. Euseb.lib.2.ca. 26. Nicep.li. 2. ca. 43. Aug.epist. 170. & epist. 178. *Græcia,vnde fides orta est.*

Deinde præclarus author ait, *In omnibus causis prouocare à metropolitanis ad Romanum episcopũ licuisse:idque à Niceno Concilio decretum esse.* Istuc autem in Carthaginiensi concilio,cui Augustinus etiam interfuit,ab omnibus Aphricæ,Numidiæ,Mauritaniæ,Byzancenæ, Tripoleos episcopis,numero ducentis & septendecim,penitus explosum,triúmque Patriarcharum Antiocheni,Constantinopolitani,Alexandrini falsum esse testimonio compertum fuit.

> Concil.Cartha. 6.

Iste sic habet: *Fuit semper vestræ sanctæ, & Apostolicæ sedi licentia,iniustè damnatos,vel excommunicatos potestatiuè sua authoritate restituere,& sua eis omnia reddere.* Attamen postea liquebit Romanum pontificem nulla fuisse illo quidem tempore huiuscemodi potestate præditum , neque illum istiusmodi homines sua authoritate fretum restituisse,sed hoc totum penes imperatorem fuisse.

Paulus inquit: *Fundamentum aliud nemo potest ponere,præter id,quod positũ est,quod est Iesus Christus,* Corinthiósque acriter,& acerbè reprehendit,quòd dicerent, *Ego sum Apollo , ego sum Pauli, ego sum Petri.* Hardingianus autem Athanasius ait: *Tu es Petrus,& super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ,hoc est Episcopi,sunt confirmatæ:* itaque aliud fundamentum constituit præter Christũ, contráque ac Paulus docuit,vniuersos totius vrbis episcopos ex Petro pendere iubet.

> 1.cor. 3.

Verùm,vt cætera falsa omnia,quorum hæ epistolæ refertissimæ sunt,prætermittam,hoc vnũ, lector optime,erratum cõsiderato,facileq. Doctoris huius impudentissimam , atque perditissimã mentiendi libidinẽ cognosces.Athanasius enim verus,de quo minimè dubitamus,ipse affirmat Arianos Alexandriæ Catholicorum hominũ libros,vnáque Nicenos Canones combussisse, temporibus Constantij Imperatoris,Iulio tum Pontifice Romano:quam temporis distinctionem è Socratis etiam historia licet obseruare.Hardingianus tamen Athanasius , aut mẽdaciorũ vsqueadeo suorũ est immemor,aut ita ab omni pudore derelictus,& in scribendo dissolutus,vt apud Marcum,qui Pontifex Romanus ante Iulium fuit,nouémque ad minimum annis,antequã cremarentur Canones,mortuus est,incendium illud lamentabili querimonia deploret. Huiuscemodi nimirum Doctoribus Romani pontificis gradum tuetur,& fulcit Hardingus. Athanasius autem ipse nullam episcopi Romani potiorem,quàm cæterorum authoritatẽ vnquã agnouit,nec illum nomine vnquã augustiore appellauit,quàm Episcopi Romani. Quòd hæc epistola Athanasij inscripta nomine longè diuersum sonet,haut mirum. Data enim fuit Alexandriæ,scripta Romæ.

> Anastasius in epistola ad Orthodoxos. Socra.lib.2.ca. 14.

¶Itaque,si Decretalis epistola,quam Anacleto attributã protulit Hardingus,tota sit commentitia,qualem esse luculenter demonstraui:si Gregorium Hardingus inhumaniter tractauerit,intercisa eius dimidia sententia,& istis consultò prætermissis verbis, *Tamen Petrus vniuersalis Apostolus non vocatur:* quam rem solam eo in loco Gregorius agebat:si Gregorius dixerit: *Nullus de-*

> Gregor lib. 4. epist.32. Gregor. lib 4. epist.36.

Gregor.lib.4. epist.36. Gregor.lib.6. epist.30. Gregor.lib.6. epist.24.

cessorum meorum, Pontificum Romanorum, vniuersalis Episcopi sibi nomen assumpsit sique affirmauerit, *Typhum esse arrogantiæ: vocabulum superbum, nouum, pompaticum, peruersum, stultum, temerarium, superstitiosum, prophanum, impium, sceleratum: nomen singularitatis: nomen erroris: nomen hypocriseos: nomen vanitatis: nomen blasphemiæ: eúmque qui se appellauerit, aut appellari desiderauerit illo arrogantissimo vocabulo, in elatione sua Antichristum præcurrere: illúsque quietam, & gratam vsurpationem fidei vniuersalis ecclesiæ calamitatem esse*: si Cypriani verba sciens & manifesto corruperit Hardingus bis in vno circuitu orationis, quod ipse inficiari non poterit: si quam Athanasij nomine tituloque profert, epistola sit ex impudẽtia incredibili, turpissima assentatione, apertissimisque mendaciis conflata, tum verò prior ista pars hactenus parum firmè ac grauiter comprobata fuit, neque potest Hardingus verè, meritóque dicere, *suam certis ac solidis niti fundamentis disciplinam.*

Cyprian. lib.1. ep ist.3.

Quónam autem Hardingi fato accidisse putabimus, vt cum tantam habeat, quantam iactat, copiam testimoniorum, istis huiuscemodi vtatur: cúmque tam leuiter, quod proposuit, perstringere instituerit, id tam malè præstet? Amphilochius ille suus Veronæ seruatus est: Clemens in Creta: Martialis in subterranea cauerna conditus: Concilij Ephesini contra Nestorium Canon suus conspectus nunquam fuit, aliique aliis casibus perierunt: Concilium Nicenum, quo est omnis Romani primatus subnixa firmitas Arianorum luctuosissimo incẽdio consumptus est, nec, præterquam Romæ, vsquam extat terrarum.

Cyprian. de ieiunio & tentatione. Ammian. Marcellin. Socrates lib.4 cap.29. August. in quæstionibus veteris, & noui testamenti. quæst. 101. Hieronym. in præfatione ad Galat. Rom. 11.

Sed, vt ad Hardingi ista veniamus, vidẽtur illa Cypriani verba generatim prolata, singularẽ in Romana sede locum tum obtinuisse, atque nunc etiam retinere: *Ambitio dormit in sinu sacerdotum.* Nam vt illos grauissimos tumultus taceam, quos initio statim Damasus, & Vrsinus in illa Ecclesia commouerunt de pontificatu digladiantes, qua in tempestate multi mortales ex vtraque parte absumpti fuerunt, Augustinus etiam conqueritur diaconos Romanos sua ætate sese intolerantius iactasse, longéque suprà gradum extulisse. Hæc sunt ipsius verba: *Falcidius duce stultitia, & ciuitatis Romanæ iactantia, Diaconos presbyteris æquare cõtendit.* Similiter Hieronymus habet: *Romani facilitatis & superbiæ arguũtur.* Eámq; ob causam Paulus Romanis in primis hoc concilij præceptique dedit, *Noli altum sapere, sed time.* Est igitur minùs mirandum, si illi imperium, atque dominatum in alios sic ambitiosè semper expeterent.

concil. carthagin. can.26. concil. Hippo. ca.27. concil. Aphrican. cap.6. concil. Aphrican. ca.92.

At Hardingus asserit, potestatis atque authoritatis præstantiam, quam Pontifex Romanus cõsequutus est, Ecclesiæ esse à multis variisque Conciliis commendatam. Quo in loco Carthaginense, Hipponense, Aphricanum Concilium esse ab eo prætermissum demiror, in quibus hoc modo sancitum fuit: *Vt primæ sedis Episcopus nõ appellaretur Princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi: sed tantùm primæ sedis Episcopus.* Aut Aphricanum Concilium, in quo de prouocatione ad Romanam Ecclesiam huiusmodi scitum factum fuit: *Si prouocandum putauerint, nõ prouocent, nisi ad Aphricana Concilia, vel ad primates prouinciarum suarum. Ad transmarina qui putauerit appellandum, à nullo intra Aphricam in Communionem suscipiatur.* Quid est, quãobrem hæc Hardingus Concilia, quæ & extant, & in manibus sunt, & quorum de fide minimè vnquam dubitatum fuit, tam diligenter fugit, atque particulam duntaxat arripit Niceni Concilij, quod ipse combustũ esse cõfessus est, Episcopique Oriẽtales omnes, à quibus eandẽ esse factã suspicantur multi, palam literis à se subscriptis cõsignatísque nũquam eã à se perlatã fuisse testificãtur. Sed hac in re perinde facit Hardingus, atque Ariani quondã fecisse dicuntur, à quibus fuit in iudicium vocatus Athanasius: quos non puduit nomina quorundam hominum quasi superstitum, vt cõtra Athanasium testimonium dicerent, citare, quos eosdem ab Athanasio necatos esse criminabantur.

Synodus Alexãdrina aduersus accusatores Athanasij.

Anacl. epist.1.

Neque video quorsum Cõcilij hac in causa cuiusquã magnopere desideret Hardingus authoritatẽ. Anacletus enim suus dixit esse satius affirmare, primatum se suum, *Non ab Apostolis, sed ab ipso Christo accepisse.* Tum etiam Faustinus, Episcopus Potentinus, Romani Pontificis in Carthaginensi Concilio rem & causam agens, cum sibi parum esse in hoc Niceni Concilij Canone præsidij videret, consuetudinem potiùs, præscriptionémque vrgebat. Sic eius verba habent: *Tractãdum est cum vestra beatitudine de Nicenis canonibus, vt conseruentur, & constituta eorum, & consuetudo. Quia aliqua ordine, & Canone tenentur: aliqua consuetudine firmata sunt.* Quanquam Papa Nicolaus primus non modò Concilium Nicenum, & omnia omnino in hoc negotio Concilia contemnit, sed præscriptionis etiam, Cõsuetudinúmque authoritatem repudiat. Sic namque habet: *Animaduertendum est, quia non Nicena, non denique vlla Synodus quicquam Romanæ contulit Ecclesiæ priuilegij: quæ in Petro nouerat eã totius iura potestatis pleniter meruisse, & cunctarũ Christi ouium regimẽ accepisse.*

concil. cartha. 6. can.2.

Nicolaus 1. ad Michaelem imperatorem.

Quod aũt ad eius Cõcilij Niceni adulterationẽ attinet, litis huius ac cõtrouersiæ principiũ, totiúsque rei, vt gesta est, ordinem atque historiam cognoscite. Apiarius quidã presbyter Ecclesiæ Siccensis in Aphrica, vir, vt videtur, improbus. & sceleratus, cum & à suo Episcopo, & à magno etiã aliorũ Episcoporum numero, qui ad illud Conciliũ cõfluxerant, iure esset excõmunicatus, ab illis vniuersis ad Zosimũ eo tẽpore Papã prouocauit. Zosimus re minùs explorata, nec dũ altera parte audita: de Apiarij innocẽtia iudicium pronuntiauit, eúmque cõmunioni restituit. Quódque Cõcilium esse in Aphrica cõgregatũ eo tẽpore resciscere, Faustinum Episcopũ Potentinum eò, duósque pręterea presbyteros Romanos Philippum, & Asellũ misit, qui nõ modò Apiarium iuri suo sine vlla dilatione reddendũ curarẽt, sed palã etiã cum Cõcilio agerẽt, vti cuiuis presbytero à suo Episcopo, aut Metropolitano, aut Cõcilio ad Apostolicã Romanãque sedẽ prouocandi ius esset. Episcopi Aphricani nullã id legẽ iubere responderunt. Faustinus hunc Concilij Niceni

Canonem

Canonem protulit,non illum quidem Nicenorum episcoporum decretis latum,sed à Romano dũtaxat pontifice confictum.Episcopi illi, quorum in numero Diuus Augustinus ille longè celeberrimus,doctissimúsque pater adfuit,fraudem suspicati,se Alexandriam,Antiochiam, Constantinopolin missuros esse dixerunt,qui eiusdem Concilij archetypa exemplaria adducerent,vt que Romanus episcopus similiter faceret,rogarunt:interim se facturos,quod priùs facere consueuerant,affirmarunt.Hac legatione missa,literisq. simul,& veris ipsis,atque authenticis exemplaribus à Cyrillo Alexandrino,& Attico Constantinopolitano episcopo remissis,tum verò Canones esse depranatos,Papámque illud sanctissimũ concilium corrupisse, & sedis suæ Apostolicæ Romanæ euehendæ extollendæq. causa priuilegia,atq. immunitates falsas excogitasse,sibíque attribuisse palam omnibus liquebat.Hîc iam Hardingus meritò posset sua illa effundere: hîc verè posset exclamare,*Papa aleam fraudulenter iactat:Papa Conciliorum Canones,sanctorúmque patrũ decreta sua adulterina fartura distendit.*Episcopi in Aphricano Concilio præsentes,re cognita,& penitus explorata, ad Cælestinum Episcopum tum Romanum hoc modo rescripserunt:*Decreta Nicena siue inferioris gradus clericos,siue episcopos suis Metropolitanis apertissimè commiserunt; Prudentissimè enim,iustissiméque prouiderunt,quæcunque negotia in suis locis,vbi orta sunt,finiẽda:nec vnicuique prouinciæ gratiam sancti spiritus defuturam, qua æquitas à Christi sacerdotibus & prudẽter videatur,& cõstãtissimè teneatur:maximè,quia vnicuiq. cõcessum est,si iudicio offẽsus fuerit cognitorum ad cõcilia suæ prouinciæ,vel etiã vniuersale prouocare. Nisi fortè quisquam est,qui credat, vni cuilibet posse Deũ nostrum examinis inspirare iustitiam,& innumeris cõgregatis in cõcilium sacerdotibus denegare. Aut quomodo trãsmarinum iudiciũ ratum erit,ad quod testium necessariæ personæ, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem,vel multis alijs intercurrẽtibus impedimẽtis, adduci nõ poterũt? Nã vt aliqui tãquam à tuæ sanctitatis latere mittãtur,nulla inuenimus patrum synodo cõstitutum. Quia illud,quod pridem per eũdem coepiscopum nostrum Faustinũ tãquam ex parte Niceni cõcilij exinde trãsmisistis,in cõcilijs verioribus,quæ accipiũtur Nicena,à sancto Cyrillo coepiscopo nostro ecclesiæ Alexandrinæ,& à venerabili Attico Cõstantinopolitano antistite,ex authentico missis,tale aliquid nõ potuimus reperire. Executores etiam Clericos vestros quibusq. petentib. nolite mittere,ne fumosum Typhum seculi in ecclesiam Christi videamur inducere.*Hucusque Concilij verba.

Pontifex Romanus cùm se deprehensum,suámque fraudem manifestò indicatam perspiceret, quandoquidem Canones,quos ipse finxerat,à veris archetypis discreparẽt, consilium cœpit opinione sua callidum vt ipsos archetypos flammis Arianorum periisse, nullumq. præterquam suũ iam remanere verum archetypum persuaderet.Itaque epistolam quandam Athanasij, cæterorũque Ægypti episcoporum nomine,ad Marcum pontificem Romanum scriptam cõmentus est, in qua illi exemplar cõcilij Niceni ab eo deposcerẽt, quãdoquidem sua omnia funditus sublata interiissent.Verùm,hoc nimis fuit exile refugiũ.Non enim facilè poterit Hardingus ostendere, quid in vllo Canonum illorum,qui nunc cõbusti feruntur,Athanasius subsidij inuenire potuisset quo vel se subleuaret,vel aduersarios suos morderet,atque pungeret.

At verò tum Iulius pontifex Romanus,tum Athanasius episcopus Alexandrinus de hac re meminẽrunt:Nihil ergo est(inquit Hardingus)*quamobrem aliquid de corruptione,& dolo malo suspicaremur.* Quãquam hæc suspicionis depulsio,ipsam,nescio quo modo auget magis suspicionem.Nisi hîc vlcus esset,quorsum medicinam adhiberet?Citat quidem Iulius Niceni concilij canonem: attamen Hardingianum hunc canonem neutiquã citat.Deinde cõciliorum consarcinator hanc cautionem de eodẽ in margine adhibuit:*Hoc statutum solùm reducibile est ad quintum,& sextum caput Niceni Concilij:Verùm apertè non inuenitur.* Tantùm nimirum isti Iulio testimonia proferenti tribuenda fides est.

Hardingianus autem Athanasius,quæ scribit,absurda sic,& ridicula sũt,vt seipsa facilè prodãt. Etenim vt antè commonui ad Marcũ Romanum pontificem de librorum incendio scribit:cùm ipse tamen Athanasius certò sciret,nouem ad minimum annis antè demortuum esse Marcũ,quã ea clamitas accidisset.

Persimile est,quòd qui magnam illam Cõstantini imperatoris Donationẽ impudẽtissimè cudit,& commentus est eum decreuisse fingit,(vt Romanæ sedi Cõstantinopolitanus subiiceretur episcopus.Quãquam nec vrbs Cõstantinopolitana tum cõdita, nec nomẽ illud auditũ,nec episcopatus in ea institutus esset.Terentianum illud vsurpare non ineptè liceret:*Non satis commodè diuisa sunt temporibus tibi Daue hæc.*

Deinde idem Athanasius in epistola ad Fœlicem scribit, *Adulteratum ab Arianis esse Conciliũ Nicenum*:in epistola autem ad Marcum,tanquam penitus oblitus sui,*exustum esse Nicenum Concilium ab Arianis* ait.Quanquam,si exustũ fuit,quĩ tum adulterari potuit?siq. adulteratum fuit qui tum crematum fuit?Nõ bene conueniunt ista.Verum enimuero,quandoquidem,vt incensis exustísque Papæ valeat primatus instrumentis tantopere laborat Hardingus,si diligenter omnes rei istius expendere & considerare volueris circunstantias,optime lector, hoc tam magnũ negotium,nihil esse aliud,quàm magnam fabulam facillimè compereris. Primùm enim vniuersa Niceni Concilij acta & exemplaria ad omnes vbique episcopos absentes fuisse transmissa ex Theodoreto liquet.Tum etiã Marius Victorinus contra Ariũ scribẽs,eadẽ acta in orbẽ vniuersum longè lateq. dispersa statim fuisse,eisq.innumerabiles statim subscripsisse,atq. assensisse episcopos testatur.Quod cùm certissimè verum sit,nunquid Hardingus affirmare ausit,ista vniuer-

Concil.carthag. 6.can.3. cano.4.

Non ita fecissent,si cuncta exemplaria cõbusta esse iudicassent.

Cano.7. Concil.Aphric. ca.102.

Concil. Aphrican.can.105.

Papa corruptionis manifestus.

Fumosum Typhum.

In epistola decretali Iulij.

Manifesta corruptio. Athanasius in epistola ad Orthodoxos. Socrates lib.2. cap.14.

Athanasius in epistola ad Fœlicem.

Athanasius in epistola ad Marcum.

Theodor.lib.1. cap.9.lib.2. ca. 8.

Marius Victorinus aduersus Arium.lib.2.

sa exemplaria in omnibus orbis terrarum partibus vno momento, vnóque in loco, vna flamma, vno mandato periisse? Ariani neque potētes ita fuerunt, vt id perficere possent, neque adeo amētes, vt conari vellent. Certè, nihil vnquã eiusmodi illi præterea Concilio accidit. In re autem manifesta quid verbis opus est? Episcopi Aphricani vera istorum Canonũ exemplaria habuerũt. Alypius episcopus Tágastanus in hac cũ Fausino decertatione, inquit: *Adhuc tamen me mouet, quoniã cum inspiceremus Græca exemplaria huius Synodi Nicenæ, ista* (quæ de Romanæ sedis primatu venditantur) *ibi, nescio qua ratione, minimè inuenimus.* Cyrillus etiam Alexandrinus episcopus, vt huius rei penitus explorandæ causâ verum huius Synodi archetypum mitteret rogatus, sic rescripsit: *Necesse habui fidelissima exemplaria ex authentica Synodo vestræ charitati dirigere.* Similiter Atticus episcopus Constantinopolitanus ad idem postulatũ respondit hoc modo: *Canones sicut statuti sunt in Nicæa ciuitate à patribus, in integro ad vos direxi.* Iam verò si Canones isti funditus exusti fuerunt, quemadmodum Hardingus affirmat, vnde tũ fit vt integri postea reperientur, sicuti sanctissimus pater Atticus, & eruditissimus episcopus Cyrillus testantur? Síque integri sunt postea inuēti, quî tũ antea exusti omnino fuerũt? Quonã autẽ etiã pacto accidit, vt homo nullus omniũ, qui vel in Aphrica, vel in Europa, vel in Asia vixerunt: nullus neque ex Orientali ecclesia, neque ex Occidētali hos vnquã videre Canones potuerit, præterquã episcopus Romanus, qui suum ex iis primatũ stabilire tam ambitiosè conatur? Quòd si autem illos re quidẽ vera habeat vetustate vsque adeo authentica cõmendatos, trecētorumque & octodecim episcoporũ manibus subscriptos, id quod confidentissimè iactatur, quin eos profert in medium? quamobrem verò mille & trecentis annis clam in tenebris quodammodo conditi fuerunt, nec vnquam aspecti sunt? Nicenum Concilium mehercle dignum est, quod promulgetur aliquando, atque in lucem edatur.

Concil. Carthag. 6. ca. 4.

Concil. Carthag. 6. ca. 102.

Concil. Carthag. 6. ca. 103.

Ista omnia recto iudicio examinata ad corruptorem apertè indicandum satis valere videãtur. Tamen quò nullus adhuc dubitandi locus relinquatur, quanto studio, quantóque artificio suam Hardingianus Athanasius fabulam persequatur, quæso, Lector, considera. Non duxit esse satis, *vt Canones omnes planè combustos* affirmaret, quod præter illum nemo vnquam affirmauit, quin etiam, quandoquidem hoc prudentibus viris in dubium esse venturum videret, *an vlli vnquam huiuscemodi Canones sanciti fuissent*, rationes atque causas, modum denique ipsum, circunstantiásque omnes, quibus vt illos faceret, adducta Synodus fuisset, cui se interfuisse etiam ait, accuratè exponeret, atque cõmemoraret: *Sanè* (inquit) *præsentibus nobis octoginta capitula in memorata tractata sunt synodo, scilicet quadraginta à Græcis Græca edita lingua, & quadraginta à Latinis similiter Latina edita lingua. Ex hoc* (inquit) *Canonum numero decem capitula adunabantur aliis, & congruis locis inserebantur, vt ad formam septuaginta discipulorum, vel totius orbis terræ linguarum, septuaginta fierent capitula.* Ita ex saluberrimis, sanctissimísque fidei, morúmque præceptis ac legibus, Athanasio isti Hardingiano vt præclara quædam, & bella mysteria fingat otium, est.

Athanasi. in Epist. ad Marcũ.

Ad has cõsiderationes adiungam illud, quod de illa nobilissima Constantini Donatione scriptum à Cardinali Cusano commemini: *In ipsa* (inquit) *scriptura reperi manifesta argumenta falsitatis.* Perinde licet de Hardingianis istis Canonibus respondere: *In ipsa dicendi, scribendique forma manifestò pugnantia reperire licet, & proinde certissima indicia falsitatis.* Etenim viginti priores, de quibus minimè dubitatur, in Nicena Synodo perlati fuerunt: cæteri verò, quos Augustinus, & episcopi Aphricani suspectos habuerunt, quibusque Primatum Romanus pontifex suum confirmat, Romæ fuerunt, non Nicææ conditi: Iste commentitius Canon, quem hîc Hardingus profert, ait: *Pontifex Romanus potestatem, & dominatum in omnes patriarchas obtinet.* At germana, de qua liquet, Synodus Nicena longè secus habet: *Antiqua consuetudo seruetur per AEgyptum, Lybiam, & Pentapolim: vt Alexandrinus episcopus horũ omnium habeat potestatem, quia & vrbis Romæ Episcopo parilis mos est.* Hic Canon nullum, quemadmodum somniat Hardingus, Pontifici Romano reliquorum Patriarcharum principatum tribuit, sed communitatem duntaxat quandam & authoritatẽ suę prouinciæ solicitè gerendæ cæteris æquabilem defert. In hoc autem Canone ista duo verba *Parilis mos*, præcipuè sunt obseruanda: quæ de pari more, & ritu, & authoritatis æquabilitate necessariò intelligenda sunt. Canon Hardingianus *Diuum Petrum magistrum, & dominum omnium Christianorũ principum facit:* neque tamen probare poterit Hardingus, quemquam Christianum extitisse principem, quando Petrus in vita esset. Quòd si autem in reges principésque dominationem Petrus habuisset, apud Simonem tenuissimum coriarium diuersari ac commorari voluisse non est verisimile. In cõclusione minas terribiles proponit, *Siquis huic decreto reclamauerit, anathema sit.* In quo singularem iniuriam tum Augustino, tum omnibus etiam Aphricanis, Numidianis, Mauritanis, Pentapolitanis, Bizancenis facit, qui non modò canoni huic palàm reclamarunt, sed esse etiam adulterinum conclamarunt: pontificemque Romanum hanc ob causam superbiæ atque ambitionis coarguerunt.

Nicolaus Cusanus de Donatione Constantini.

Concil. Nicen. can. 6.

Parilis mos.

Actor. 10.

Denique quid impulit Hardingum, vt *Põtificem Romanum istos septuaginta Canones tuta custodia conseruatos habere diceret?* Quid simulat? quid ludit? Equidem Romanus ipse põtifex reclamat penitus, & se illos habere Canones negat. Sic enim inquit: *Viginti tantum capitula Nicenæ Synodi in Sancta Romana Ecclesia habentur: sed quo neglectu alia defecerint, ambiguum est.* Papa viginti tantùm canones extare confirmat: Hardingus esse septuaginta contendit. Non est rationi consentaneum vt Hardingo fidem habeamus, Papæ abrogemus.

Dist. 16. vigint. Stephanus. pp.

Attamen Stephanus pontifex Romanus integros quondã fuisse Romæ septuaginta Canones perhi-

perhibet: in quam illum fraudẽ Hardingiani istius Athanasij falsa instrumenta induxerunt. Quibus quidem instrumentis etiamsi titulum pontifex suum referat acceptum, eaque eiusmodi sint, vt alibi nusquam terrarũ extent, tamen nec quomodo ea primùm adeptus sit, nec quàm diu seruauerit, nec quo pacto amiserit, explicare potest. Quanquam non malè deperditum videatur, quod nisi per summam impudentiam vendicari, & proferri non potest.

Hardingianus Athanasius ait, *Potestatem ligandi, & soluendi sacra sedi Romanæ speciali quodam priuilegio supra alias ecclesias tributam esse.* Tamen veteres ac catholici patres nullum vnquam huiuscemodi singulare priuilegium agnouerunt. Cyprianus habet: *Quamuis Dominus Apostolis omnibus, post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua authoritate disposuit. Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris, & potestatis.*

Cypria. de simplicitate prælatorum.

Et honoris & potestatis.

Origenes habet: *An verò soli Petro dantur à Christo claues regni cælorum, nec alius beatorum quisquam eas accepturus est? Hoc dictum, Tibi dabo claues Regni Cælorum, cæteris quoque est commune.* Cyrillus habet: *Apostolis, & eorum in ecclesiis successoribus plenam concessit potestatem.* Basilius etiam habet: *Christus Petrum post se suæ Ecclesiæ pastorem constituit, & consequenter omnibus Pastoribus, & doctoribus eandem tribuit potestatem: cuius signum est, quod omnes ex æquo & ligant, & absoluunt, quemadmodum ille.*

Origen. in Matthæ tract. 1.
Cyril in Ioan. lib. 3. cap. 20.
Basil. in libello de vita solitaria. Ca. 23.

Quare, si parem omnibus Apostolis Christus potestatem tribuit: si cæteri Apostoli idem erãt, quod Petrus fuit, æquali honore simul, & potestate donati: si Christus omnes communiter Apostolos affatus est: si omnes pastores æquè & ligant & soluunt, atque Petrus: quo tum ore Hardingus cum suo Athanasio dicere potuit, *ligandi soluendique, potestatem sanctæ Romanæ sedi supra omnes alias speciali priuilegio concessam esse?*

Nunc superest, vt horum omniũ summam breuiter, & nudè conclusam oculis, charissime Lector, tuis subiiciã atque proponã. Canones Hardingiani antè fuerũt exusti, quàm facti: exusti fuerunt, & tamẽ adulterati fuerunt: adulterati fuerunt, & tamen exusti fuerunt. Athanasius iste Marcũ pontificẽ Romanũ de illis crematis nouẽ antè annis certiorẽ facit, quàm ignis cõstructus esset.

Papa manifestæ corruptionis conuincitur testimonio patriarcharum, Constantinopolitani, atque Alexandrini, episcoporum etiam omnium, & Concilij Aphricani, in quo ipse Augustinus præsens adfuit.

Hardingus hos inuisos hactenus Canones Papam custodire affirmat: Papa ipse hoc pernegat.

Canones isti non modò priscis catholicis patribus repugnant, sed etiam cæteris eiusdem Synodi Canonibus aduersantur.

Episcopi in Aphricano Concilio congregati hunc Papæ conatum palàm reprehendunt, *eumque superbiam prophanam inanémque ambitionem appellant.*

His Hardingus firmamentis Romanæ sedis amplitudinem extollit.

Hardingus. 7. Sectio.

AD luculentiorem huius rei demonstrationem facilè liceret hoc in loco proferre Concilium Sardicense, Calchedonense, quædam Aphricana Concilia, atque aliquot etiam ab hæreticis habita, multáque alia: sed cum illa vulgò nota sit testimoniorum copia, ista sufficiant.

Episcopus Sarisburiensis.

ISta Concilia muta inducuntur, & tacita: quę proinde possem tutò præterire, quousque eloqui aliquid didicissent: tamen, quandoquidem isti homines sapienter se facturos putant, si sua omnia tenebris inuoluerint, atque implicarint, non alienum fuerit eadem extricare & euoluere, atque in claram lucem efferre.

In Calchedonensi Concilio fuit ad hunc modum decretum: *Teneat & AEgyptus, vt Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem: quoniam & Romano Episcopo hæc est consuetudo. Similiter & qui in Antiochia constitutus est.* Hoc Concilium patriarcharum horum cuilibet suam finibus quibusdam conclusit distinxítque potestatem, nec vlli in alterum dominatum permisit.

Cõcil. Calchedonen. Actione. 16.

Patres Concilij Aphricani, quo nonnihil Hardingus videtur esse confisus, sic sanxerũt: *Ne primæ sedis Episcopus appelletur princeps Sacerdotum, aut Summus Sacerdos, aut aliquid huiusmodi: sed tantùm Primæ sedis Episcopus.* Rursus: *Si prouocandum putauerint, non prouocent, nisi ad Aphricana Concilia, vel ad Primates prouinciarum suarum. Ad transmarina qui putauerint appellandum,* (hoc est ad Romanum pontificem) *à nullo intra Aphricam in Communionem suscipiantur.* Hæc breuiter quasi prætenens perstrinxi, vt ex istis cætera coniicerentur. Non hinc (opinor) concluserit Hardingus, põtificem Romanum episcopum vniuersalem, aut vniuersalis ecclesiæ caput fuisse appellatum.

Concil. Aphrican. can. 6.
Can. 102.

Hardingus. 8. Sectio.

PRincipes Christiani, qui scitis edictísque suis Canonum decreta de Papæ primatu lata sanxerunt, & confirmarunt, non autem illam ei authoritatem primi tribuerunt, quemadmodum aduersarij nostri falsò

a Falsum. Phocas quidē hunc titulum Romano Pōtifici detulit: Iustinianus minimè.

In authēt. de ecclesiast. titu.

Lib. 4. histor. Longobardica. cap. 36.

tradunt, a *Iustinianus, & Phocas fuerunt. Iustiniani edictum his verbis continetur*: Sancimus secundum canonum definitiones, Sanctissimum senioris Romæ Papam, primum esse omnium sacerdotum. *Circiter septuaginta post Iustinianum annos Phocas imperator tempore Bonifacij, quò arrogantiam, vt Paulus Diaconus scripsit, Constantinopolitani episcopi coerceret, qui vanè, atq; vt Gregorius inquit, contra Domini mandata, & canonum decreta, & proinde impiè, vniuersalis, seu Oecumenici episcopi sibi nomen asciuit, seq; primum episcoporum omnium vocauit, similiter decreuit, atq; constituit vt sancta Romana, atque Apostolica ecclesiæ sedes pro omnium ecclesiarum capite haberetur.*

Episcopus Sarisburiensis.

Theodore lib. 5. cap. 18. Sozom. lib. 7. cap. 24. Socrat. lib. 1. cap. 24.

IMperatores, principes, atque cæteri aliquando erga viros ipsos propenso animo locorum gratiā fuerunt: aliquando contrà locis ipsis fauerunt hominum admiratione, atque amore commoti. Theodosius imperator, *Nullum se vnquam vidisse episcopum præterquam Ambrosium qui se, tanquam episcopum gereret, dicere solitus est.* Constantinus Cæsar de Eusebio Cesariensi episcopo prædicabat: *Dignus est, qui sit episcopus non tantum vnius ciuitatis, sed etiam prope vniuersi orbis.* Locorum autem ratione, cum vel eorum vetustatem, vel imperium politicamque ditionem, vel situs commoditatem, vel aliam huiusmodi aliquam causam atque circunstantiam intuerentur, vt eis gratificari, atque extraordinaria quædam priuilegia deferre vellent, impulsi fuerunt. Hinc nimirum extitit, vt Iustinianus imperator ciuitatem Constantinopolitanam singulari quodam studio complecteretur, quòd ea & opibus aucta, & imperio potens esset, propterque summam amplitudinem, atque nobilitatem suam *Noua Roma* appellaretur: quodque esset, vt inquit, *Mater pietatis nostræ, & Christianorum orthodoxæ religionis omnium.* Eisdem etiam causis inductus imperator hoc singulare priuilegium Romanæ sedi concesit: *Sancimus secundùm Canonum definitiones sanctissimum senioris Romæ Papam primum esse omnium sacerdotum.* Tamen ἐν παρόδῳ, nequem fortè in errorem inducat hoc vocabulum *Papa*, tuum est, Lector, cognoscere, nomen hoc, antiquis temporibus Græcorum sermone significasse patrem, quod ex eo liquet, quòd Iupiter, magnum illud idolum, diuino cultu apud Bithynos dignatum, *Papa* diceretur: ὁ Ζεὺς, ὁ παπίας: id est, Iupiter *Papa*: tum etiam, quòd Augustini ætate, ac seculis prioribus eadem appellatio non Romano duntaxat pontifici, sed omnibus communiter episcopis tributa fuerit. Presbyteri & Diaconi Romani ad Cyprianum Carthaginiensem episcopum literas dant inscriptas hoc modo: *Cypriano Papæ.* Galerius etiam præfectus Cyprianum in quæstionem de fide Christiana adductum interrogat hoc modo: *Tu es, quem Christiani suum Papam nominant*? Sic Hieronymus suas ad Augustinum Hipponensem episcopum epistolas inscribit: *Hieronymus beatissimo Papæ Augustino.* Hæc obiter.

Authent. De ecclesiast. titul. Collatione. 9. Ideoque sancimus. Cod. De sacrosanctis ecclesi. Decernimus sacrosanctā Authen Colla. 9. De ecclesi. titulis. Cœlius Rhodigin. lib. 11. cap. 21. Iupiter Papa. Ciprian. lib. 2. epist. 7. Pontius in passione Cypriani Inter epistolas August. epis. 11.

Quare vt, vnde sumus digressi, eò reuertamur, non debet Hardingus ex quouis, quod legerit, quoduis, quod libuerit, concludere. Hoc pontifici Romano concessum priuilegium, quo ille primus omnium sacerdotum est constitutus non eiusmodi fuit, vt is vnus omnia pro arbitrio administraret, totúmque mundū suo dominatu constringeret: sed tantùm, vt in publicis cōuentibus, atque Cōciliis locū superiorē sedémque capesseret, & ἀταξίας vitandæ causā cęteris pręiret, & moderaretur. Imperatoris diserta verba sunt: *Prærogatiua in episcoporum Concilio, vel extra Cōcilium ante alios residendi.* Hæc autē prærogatiua Græce προεδρία dicitur, id est, *Primæ sedis prærogatiua.* Istæ etiā in illo sermone formæ vsitatæ, & peruulgatæ sunt: τὰ πρωτεῖα ἔχειν, τὰ δευτερεῖα, τὰ τριτεῖα: nec minùs hæ Latinæ, *Obtinere primas, secundas, tertias.* Quòd autem nihil aliud senserit Iustinianus, ex hoc ipso loco, quem nunc Hardingus citauit, manifestò liquebit. Verba hoc modo habent: *Sancimus, &c. senioris Romæ Papam, primum esse omnium sacerdotum: Beatissimum autem Archiepiscopum Constantinopoleos Nouæ Romæ secundum habere locum.* Hinc iam constat hoc, quicquid est priuilegij in eo solummodo situm fuisse, quòd Romanus pontifex primo ante cæteros gradu ac loco resideret. Verba tamen, quæ in eodem decreto consequuntur, attende, quæso, lector, faciléque perspicies, non modò Hardingum dolo malo hac in causa vsum esse, sed pontificē etiam Romanum ista vniuersali potestate, de qua nunc tam altè somniat, disertè tum prohibitum atque exclusum fuisse. Mox enim sequitur: *Beatissimum archiepiscopum primæ Iustinianæ patriæ nostræ habere semper sub sua iurisdictione episcopos prouinciarum Daciæ, & Daniæ, & Dardaniæ, & Mysiæ, atque Pannoniæ: & ab eo hos ordinari: ipsum verò à proprio ordinari Concilio: & in subiectis sibi prouinciis locum obtinere eum sedis Apostolicæ Romæ.* Hic Iustinianensem episcopum in æquali authoritatis gradu intra suam quidem ditionem constitutum videmus, atque Romanum pontificem in sua. Perinde est, quod Iustinianus imperator ait: *Ecclesia vrbis Constantinopolitanæ Romæ veteris prærogatiua lætatur.*

Cod. De sacrosanctis Ecclesiis. Decernimus.

τὴν δευτέραν τάξιν.

Cod. De sacrosanctis Ecclesiis. Omni innouatione.

Quare si episcopus Iustinianæ, Romanúsque pontifex in sua vterque prouincia parē authoritatem obtinet: sique ecclesia Constantinopolitana prærogatiuis atque immunitatibus iisdem finitur, quibus est donata ciuitas Romana, tum verò Romani nequaquam vniuersalis est pontificis potestas, neque caput vniuersalis ecclesiæ meritò appellari potest. Ipse equidem Iustinianus ad Epiphaniū episcopum Cōstantinopolitanū scribens, eū *œcumenicum patriarchā* vocat: quo illū certè nomine nō fuisset dignatus, si hūc Romano pōtifici vnicè deberi titulū iudicasset. Rationis forma, quā ex his Iustiniani verbis cōcludit Harding. huiusmodi est: Romanus pōtifex in cōciliis genera-

Authen. vt determinatus sit numerus Clericorum. ὁ βασιλεὺς Ἐπιφανίῳ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ.

generalibus Primas obtinebat: Ergo, vniuersalis episcopus fuit. Hoc quid ponderis habeat argumentum, Hardingo diiudicandum relinquo.

Attamen Phocas imperator Romanæ sedi extraordinario quodam beneficio concesit, vt eiusdem pontifex *caput omnium ecclesiarum* nuncuparetur. Verùm istud priuilegiũ Hardingus Bonifacio tertio datũ esse nouit, qui Romæ Pontifex fuit anno Domini sexcentesimo octauo, eodem videlicet tempore, quo primùm Mahometes suam cœpit in Arabia constituere sectam, atque propterea nihil ad institutam causam valet, cùm sexcentos annos à me constitutos excesserit. Verumenimuero Bonifacium id ægerrimè, & maxima contentione tunc impetrasse & Platina, & Sabellicus testantur. Quandoquidem autem à viro aliquo singulari pietate prædito primatum hunc constitutum videri cupit Hardingus, hoc te scire operæpretium erit, Lector optime, hunc Phocam, cum militari tantùm ordine censeretur, per nefarium scelus, atque perfidiam domino suo, & principi Mauritio imperatori manus iniecisse, eúmque acerbissima morte affecisse. Quæ quidem eiusmodi fuisse traditur: Primùm educi imperatoris filium natu minimum iussit, quem ante oculos patris necauit: tum secundum: post tertium: deinde, ipsius vxorem: Mauritio interim incredibili mœrore inspectãte, & lugente, & ad Deum vociferante, *Iustus es Domine, & iusta sunt indicia tua.* Tandem & ipsum pari crudelitate Mauritium interfecit, atque imperatoris, & coniugis, & liberorum ipsius vno in aceruo cadauera posuit. Quo ad imperij gubernacula sedente Deus amorem penitus, & fauorem suum subtrahere visus est: Gallia, Hispania, Germania, Longobardia, maximaque orientis pars sese ab imperio in perpetuum disiunxit, tanta nimirum iactura, quanta nunquam priùs acciderat. Postquam vitam huiusmodi flagitiis contaminasset suam multisque homicidiis se, atque aliis sceleribus obstrinxisset, populus in eum inuasit, & trucidatum in ignem iniecit. Hic ille fuit, qui Romanum pontificem vniuersalis ecclesiæ caput esse primus edixit.

Anno Domini 608.

Platina. Sabellicus.

Abbas Vrspergensis in Mauritio.

Cariõ in chronicis. Abbas Vrspergensis.

Hardingus. 9. Sectio.

De vetustis Doctoribus quid dicam? certè nimirum hæc res tam sæpe tamq; tritè ab illis prodita est, vt eorum collatæ atque collectæ in vnum sententiæ vix magno volumine continerentur. Paucorum commemoratio hoc tempore coniecturam facilem de omnibus dabit, atque ita sufficiet.

Irenæus postquam multis verbis ecclesiam Romanam collaudasset, ad extremum hæc verba enunciat, quibus eiusdem principatus agnoscitur: Ad hanc ecclesiam (*Romanam*) propter potentiorẽ principalitatem, necesse est omnem conuenire ecclesiam, hoc est eos qui vndique sunt fideles: *id est, quia maioris potentiæ, & authoritatis est, quàm aliæ ecclesiæ, & omnium princeps.*

Episcopus Sarisburiensis.

Doctorum nimia multitudine se magnopere perturbari queritur Hardingus: Quanquam neminem illorum inuenire potest, qui Romanum pontificem vniuersalem episcopũ, aut vniuersalis ecclesiæ caput nuncupet.

Irenæus nihil neque de primatu, neque de capite ecclesiæ, neque de vlla istiusmodi vniuersali potestate loquitur. Quare authoris sui sententiam ementitur Hardingus, eáque confirmat, quæ ipse nunquam cogitauit. Etenim eo quidem in loco Irenæus duntaxat aduersus Valentinũ, Cerdonem, Marcionem scribit, qui contra doctrinam Apostolicam nouas quasdam hæreses, & inania sui cerebri somnia proposuerunt. Quę vt cuiusmodi essent, liquidò constaret, in eas ecclesias oculos conijcere, quas Apostoli constituerant, illos iubet: *Quæ est ephesi ecclesia à Paulo quidẽ fundata, Ioanne autem permanente apud eos vsq; ad Traiani tempora, testis est verus Apostolorum traditionis. Policarpus ab Apostolis edoctus, in ea, quæ est Smyrnis, ecclesia, constitutus episcopus fuit. Hic docuit semper que ab apostolis didicerat: & testimonium his perhibẽt, quæ sunt in Asia ecclesiæ omnes. Barbari, qui fidem sine literis crediderunt, si quis eis annunciaret ea, quæ ab hæreticis adinuenta sunt, statim concluderent aures.* Sic tum Irenæus hæreticos illos euocauit, vt nos hodie nostros aduersarios, Doctrinæ ecclesiarúmque Apostolicarum trutina examinandos. Inquit autem, *Valdè longum est, in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones:* cámque ob causam in Romanæ ecclesiæ potissimùm exemplo acquiescit, quam ille *Maximam, antiquissimã, & omnibus cognitã* nominat atque, *Huius ecclesiæ exemplo prauã omnẽ doctrinã profligamus.* Deinde adiungit, *Ad hãc ecclesiã, propter potentiorem principalitatem necesse est omnem ecclesiam cõuenire*: rationẽ autẽ hanc affert: *Quia in hac semper conseruata est ea, quæ est ab Apostolis, Traditio.* Eodem modo imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodosius eos omnes nominari Catholicos iusserunt, qui fidem tenerent, & sequerentur Romanæ sedi traditam à Petro. Est namque doctrina Apostolica iudex & regula fidei. Hanc initio doctrinam ecclesia Romana accuratissimè seruabit ab omni labe integram: eaque de causa cæteris honore ac fama præluxit.

Irenæus. lib. 3. cap. 3.

Irenæus. lib. 3. cap. 4.

Cod. De summa Trini. cunctos popul. Sozomen. lib. 7. cap. 4.

Sed illa Irenęi verba vrgebunt: *Propter potentiorem principalitatẽ:* ex his natus illorum error est. Illi de regno & principatu somniant: Christus autem ad discipulos suos inquit: *Reges gentium dominantur eis: vos autem non sic:* & Origenes habet. *Qui vocatur ad episcopatũ non vocatur ad principatum, sed ad seruitutem totius ecclesiæ.* Principatus de quo loquutus est Irenæus, politica administratione, ac ciuili imperio vrbis Romæ continebatur, in qua tum totius orbis Monar-

Matthæ. 20. Luc. 22. Origen. in Esa. cap. 6. 1. Timoth. 3.

chiam Deus collocauerat, in eiúsque ditionem cunctas gentes redegerat. Vnde accidit, vt in ea accensa Dei Ecclesia illustrior cunctísque populis notior existeret. Episcopi autem Romani, qui illis temporibus extiterunt, non fundos possederunt, non ampla vectigalia habuerunt: sed imminente semper illorum ceruicibus securi perpetuis persequutionibus obnoxiam vitam egerunt: vtque Paulus inquit, *Pro purgamentis mundi, & quasi fæce omnium hominum* habiti ab omni principatus specie atque imagine abfuerunt. Nihilominus, princeps quædam seu primaria illa est appellata Ecclesia, propter vrbis dominatum atque principatum. Quo sensu *Ecclesia principalis* apud antiquos patres aliquando accipitur. In Carthaginensi Concilio ad hunc modum habetur: *Placuit, vt nemini sit facultas, relicta principali Cathedra, ad aliquam Ecclesiam in Diœcesi constitutam se conferre.* Similiter Paulinus ad Alypium habet: *Dominus in suis te ciuibus principalem cum principibus populi sui, sede Apostolica meritò collocauit.* Quare principatus, cuius meminit Irenæus, non in Euangelij prædicatione, sed in politica authoritate & administratione constitutus fuit: non in Pontifice, qui Christum profitebatur, sed in imperatore, qui auersus à pietate fuit: non in Ecclesia, sed in crudelissimis vexatoribus hostibúsque Ecclesiæ. Quapropter, quod sic Hardingus argumentatur, *Roma orbem terrarum ditione sua & dominatu complexa est. Ergo Pontifex Romanus caput vniuersalis Ecclesiæ fuit*: non satis, quàm rectè concluderet, visus est attendere. Ex iisdem namque principiis sic non minùs concludere liceret: *Roma principatum illum orbis nunc amisit: Ergo, Romanus pontifex vniuersalis Ecclesiæ caput esse desiit.*

7. Quæst. 1. placuit. Inter epistolas Augustini, epist. 35.

Breuiter, si traditiones, doctrinámque Apostolicam fideliter Ecclesia Romana hodie conseruaret, nos eam omnibus illis decoris ornamentis libentissimè dignaremur, quæ illi tribuit Irenæus. Verùm ea nunc Christi iugum petulantissimè excussit, Deíque mandata pertinacissimè perrupit, quò suas tueretur traditiones. Exempli gratiâ, vt alias innumerabiles corruptelas mittamus, Pontifex Romanus *vniuersalis Episcopi* sibi nunc titulum arrogat. Gregorius verò ait: *Nemo decessorum meorum hoc tam profano vocabulo vti consensit.* Quamobrem sicuti Irenæus de suo tempore dixerat, *Ecclesia Romana semper hucúsque eam, quæ est ab Apostolis, traditionem, & doctrinam tenuit: Ergo, illam omnes Ecclesiæ sibi pro exemplo proponere, illique consentire debent*: ita nobis contrà licet de nostris temporibus vsurpare: Ecclesia Romana traditionem doctrinámque Apostolicam nunc violauit: Ergo, nulla Ecclesia illam imitari, eíque sese adiungere debet.

Gregor. lib. 4. epist. 36.

Hardingus. 10. Sectio.

ANdreas Christum antè sequutus est, quàm Petrus: Et tamen primatum non accepit Andreas, sed Petrus, *inquit Ambrosius.*

In 2. Cor. 11

Episcopus Sarisburiensis.

HOc erratum inde duntaxat profectum est, quòd vocabulum istud, *Primatus*, quid valeat, non rectè intelligitur. Eo namque potestatem quandam per orbem vniuersum fusam, & omnia complexam significari necessarium iudicat Hardingus. Quanquam hoc nomen apud antiquos patres, non pro principatu quodam in alios, aut imperio sumi (sed multò quidem secus adhiberi facilè constiterit. Atque vt principium ab Ambrosio ducam, sic ille habet: *Esau per lentem honorem Primatus amisit.* Eodem modo scribit Augustinus: *Esau primatus suos, non propter gallinam, sed propter lenticulam perdidit.* Similiter Calchedonense Concilium, cum hæresiarcham illum abbatem Eutychem condemnaret, his verbis vtitur: *Decernimus eum extraneum esse ab omni officio sacerdotali, & à nostra communione, & à Primatu monasterij.* Itidem Concilium Toletanum: *Primatu dignitatis honorabiles habentur in palatio.* Non erit (opinor) necesse istis in locis *Primatum* pro vniuersali aliquo infinitóque dominatu accipere.

In sermon. 35. De ieiunio. August. in Euangel. Ioannis. tract. 73. Concil. Calchedonen. Actione prima. Concil. Tolet. 6. ca. 13.

Huc accedit, quod verbum idem, *Primatus*, Patriarchæ cuiusque gradum sublimiorem sæpenumero designet, nedum pro dominatione, quam sibi Romanus Pontifex deposcit, solummodo sumatur. In Constantinopolitano Concilio sic habetur: *Alexandriæ Episcopi solius Orientis curam gerant, seruatis honoribus Primatus Ecclesiæ Antiochenæ.* Perinde quoque reperitur in Calchedonensi Concilio: *Episcopus, qui in Antiochia constitutus est, & qui in cæteris prouinciis, habeant Primatus Ecclesiæ ciuitatum ampliorum.* Ita imperatores Theodosius atque Valentinianus ad Dioscorum Alexandrinum Episcopum scripserunt, quemadmodum in Calchedonensi Concilio perhibetur, *Authoritatem, & primatum tuæ præbemus beatitudini.*

Concil. Constantino. 1. ca. 2. Concil. Calchedo. Actio 16. Concil. Calchedonen. actio. 16

Quare, si verbum hoc, *Primatus*, eam potestatem atque dominationem, quam fingit Hardingus, necessariò significet, tum quidem Esaum, Eutychetem, Episcopum Antiochenum, atque Alexandrinum vniuersalem potestatem, & orbis totius administrationem obtinuisse est necesse. Sin autem pro quouis amplioris dignitatis, aut gradus superioris, aut prærogatiuæ genere rectè intelligi possit, tum Hardingi nonnihil debilitatur argumentatio, nec tantum concludit, quantū proposuit. Equidem Tertullianus habet: *Tot ac tantæ Ecclesiæ, vna est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dum vnam omnes probant vnitatem.*

Tertullian. De Præscriptio. contra hæreti.

Quod ad Petri primatum attinet, Cyprianus inquit: *Hoc erant alij, quod Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis.* Idem etiam Ambrosius confirmat, eodem in loco, cuius hîc Hardin-

Cyprian. De simplicitate prælatorum.

Hardingus meminit: *Inter Petrum, & Paulum, quis cui præponatur, incertum est.* Si quidem in omnes Apostolos principatum Petrus adeptus fuisset, eundem etiam in Paulum profectò exercuisset. Itaque forsan non dubitabit etiam Hardingus affirmare, quantumuis id disertis verbis neget Ambrosius, atque Gregorius dicat, *Petrus vniuersalis Apostolus non vocatur.*

Gregor. lib. 3. epist. 32.

Ex Ambrosij verbis sic concludit Hardingus: Petrus Apostolorum primus fuit: Ergo, Papa vniuersalis Ecclesiæ caput est. Hoc argumentum aliqua animaduersione indiget: etenim, vt nunc habet, parum valet.

Hardingus. 11. Sectio.

IN Athanasii, Episcoporúmque Ægyptiorum ad Liberium Papam epistola, in qua opem ab eo contra Arianorum violentas iniurias supplices petunt, hæc verba inueniuntur: Huius rei gratia, vniuersalis vobis à Christo Iesu commissa est Ecclesia, vt pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis: quia dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet.

Hęc epistola est suppositiia.

Luc. 11.

Episcopus Sarisburiensis.

HAEc epistola, quæ Athanasij nomine circunfertur, præterquam quòd futilis est, atque puerilis, & inanissima quadam loquacitate superfluit, clarissima etiam manifestæ falsitatis indicia ostendit. Si quis plura desideret, consulat, quod antè ad epistolam, quam Athanasius ad Fœlicem scripsisse fingitur, respondimus.

Hardingus. 12. Sectio.

HIlarius multa in laudes Petri, [a] suique in ea sede successoris depromens, inquit: Supereminentem [b] supra omnes alios beatæ fidei suæ confessione locum promeruit.

[a] Falsum: nullũ enim verbũ Hilarius de Petri successore facit.

[b] Falsum: hæc verba non habentur in Hilario.

Episcopus Sarisburiensis.

HIlarius, inquit Hardingus, multus est in efferendo, extollendóque Petro, simul & illius ea in sede successore. Hoc primò vehementer falsum est. Etenim illo in loco omni nullum Hilarius neque de Roma, neque de sede aliqua, neque de successore Petri verbum enuntiat. Fidem modò Petri, qua Christum Dei viuentis esse filium confessus est, collaudat, atque, *Hæc fides est fundamentum Ecclesiæ: super hanc confessionis petram, Ecclesiæ ædificatio est.* Tum adiungit, *Confessione beatæ fidei suæ supereminentem locum promeruit,* quibus Hardingus de suo addit, *supra alios omnes.* In quo alterum etiam falsum admisit. Hilarius enim solummodo inquit, *supereminentem locum promeruit,* neque de altero quoquam meminit. Augustinus habet: *Petrus pro omnibus dixit, & cum omnibus accepit.* Quemadmodum eadem fuit omnium confessio, sic dignitatis idem erat gradus omnium. Gradus autem eiusmodi fuit, nimirum vt Dei sanctorum primitiæ essent, vasa electa, populi parentes, lucerna mundi, columnæ Ecclesiæ, & Angeli Dei, vt sederent super duodecim thronos, & iudicarent duodecim tribus Israel. Hic Apostolorum Christi locus ille *supereminens* fuit, omnibúsque illis æqualiter communis extitit.

De trinitat. l. 6.

August. in. Ioã. tract. 11. & 124.
1. Cor. 15.
1. Cor. 4.
Rom. 9.
Math. 5.
1. Timot. 3.
Luc 22.
Act. 7.
Act. 6.
Reuelat. 1.
Reuelat. 2.

Tamen adduci non potest Hardingus, vt aliquem esse eminentiæ locum, præterquam Romæ, credat: eóque fingit, postquam hanc confessionem edidisset Petrus, Christum ei respondisse: *Beatus es Simon Bariona: eris namque Papa, suprâque fratres tuos eueheris, atque omni potestate regali ornaberis, omnésque mundi principes fasces tibi summittent.* Hic ille est eximius locus, quem Petro Christũ esse pollicitum comminiscitur Hardingus.

Ex istis Hilarij verbis sic argumentari videtur Hardingus: Petrus locum *supereminentem* promeruit: Ergo, Põtifex Romanus caput est Ecclesiæ vniuersalis. Hæc ratio aperta est, séq; prodit ipsa.

Hardingus. 13. Sectio.

AMbrosius credere se confessus Romani imperij amplitudinem Diuina prouidentia præparatam fuisse, quò melius Euangelium in omnes se partes latè funderet, & propagaretur, de Roma sic inquit. Quæ tamen per Apostolici sacerdotij principatum amplior facta est arce Religionis, quàm solio potestatis.

De vocatione gentium. lib. 2. cap. 6.

Episcopus Sarisburiensis.

HAE Ambrosij verba vera quidem sunt, & certa, nec quicquam Hardingi causam adiuuant. Integram autem hoc in loco comprehensionem Hardingus transilijt, quę totum eius institutum funditus euertit. Quæ enim proximè præcedunt verba eiusmodi sunt: *Quamuis gratia Christiana non contenta sit eosdem limites habere, quos Roma, multósque iam populorum sceptro crucis Christi illa subdiderit, quos armis suis ista non domuit.* Si gratia salúsque Dei latiores fides habeat, longiúsque

Extra de Maiori.& obedietia. Vnam sanctam.

diffundatur, quàm ditio Romana, vnde tum vniuersalem potestatem Pōtifex Romanus vendicat suam? Multi, qui extra limites atque imperium Romanum viuunt, tamen gratiæ Christi participes fiunt: qui tum fit vt Bonifacius Episcopus Romanus dicat: *Subesse Romano Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus, pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis?*

Ambros. in sermone 66.

Ambrosius illustrandæ Christi Euangelij amplificandæque gloriæ causa, eam cum imperij Romani, quod permagnam tunc orbis partem complexum est, potentia atque amplitudine confert. Quidam dixit, *Romanos rerum dominos.* Ambrosius habet: *Roma principatum, & caput obtinet nationum.* Sic Ecclesiam cum vrbe, Euangelij vires cum imperij potentia, crucis sceptrum cum imperatoris insignibus, alterius gloriam cum ornamentis alterius comparare videtur. Etsi propter imperium Roma splendida fuit, propter tamen Euangelium multò clarior illustriórque extitit. Imperator Romanus opibus potentiáque sua gentes deuicit: Euangelium autem Christi ipsum imperatorem cepit, sibique subiecit. Constantinus, Theodosius, Valentinianus, aliíque imperatores Romani se suaque omnia Christo subiecta esse confessi sunt. Ambrosius etiã ad Valentinianũ imperatorem scribit: *Quid honorificẽtius, quàm vt imperator dicatur filius Ecclesiæ?* Hęc tota fuit Ambrosij, & sola sententia. Eodem refertur, quod Augustinus inquit *Ostendatur mihi Roma in honore tanto templum Romuli, in quanto ego ibi ostendo memoriam Petri. In Petro quis honoratur, nisi ille defunctus pro nobis? Sumus enim Christiani non Petriani.* Similiter Chrysostomus: *Contigit primùm Antiochiæ Discipulos appellari Christianos. Hoc autem ciuitatum, quæ sunt in mundo cunctarum habet nulla, nec ipsa Romuli ciuitas.* Quare hoc sensit, hoc voluit Ambrosius Romam non antea tam fuisse celebrem Monarchiæ magnitudine, quàm postea Christi Euangelio. At Ambrosius ait: *per Apostilici sacerdotij principatum*: quibus verbis demissi in mundanam pompam oculi facilè præstringuntur. Quanquam non ignorat Hardingus Petrum Romę degentem nullam principatus imaginem aut splendorem habuisse. Omnis eius spiritualis fuit potestas, inque Euangelij duntaxat prædicatione constitit, quibus Deus armis vsus reges principésque sub Christi sui imperium subiungere potest. Sic Deus ad Hieremiam inquit: *Constitui te super gentes & regna.* Petrus etiam ad omnes Christianos communiter loquutus, ait: *Vos estis regale sacerdotium.* Hic autem religionis principatus ac potestas non modò Romæ obtinuit, sed in omni etiam loco, quò Christi nomen immigrauerat atque constiterat. Tametsi, cum propter multitudinem idolorum, quæ culta ea in vrbe fuerant, tum propter imperij amplitudinem, Christi de Roma multò visum esse gloriosissimum triumphum fateor.

Ambr. epist. 32. August. in Psal. 44. Ad populum Antioch. homil. 17.

2. cor. 10.

Hierem. 1. 1. Pet. 12.

Nunc Hardingi videamus argumentationem: *Roma propter Euangelium illustrior fuit, quàm vnquam antea propter imperium fuerat: ergo, Papa vniuersalis ecclesiæ caput est appellatus.* Hoc argumentum eiusmodi est, vt nulla responsione indigeat.

Hardingus. 14. Sectio.

Augustinus in centesima sexagesima secunda epistola habet: In Ecclesia Romana semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus. *Idem Augustinus ad Bonifacium Episcopum Romanum scribens: Hæc cura (inquit, de Pelagianis conquerens)* communis est nobis omnibus, qui fungimur Episcopatus officio, quamuis ipse in eo præemineas celsiore fastigio [a] speculæ pastoralis *Alio in loco hæc verba habet:* Cæterùm magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existam. Quis enim nescit, illum Apostolatus principatum, cuilibet Episcopatui præferendum? *Alium manifestissimum locum habet in libro de vtilitate credendi ad Honoratum:* Cum tamen tantum auxilium Dei, tantum profectum fructúmque videamus, dubitabimus nos eius Ecclesiæ condere gremio, quæ vsque ad confessionem generis humani ab Apostolica sede per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circum latrantibus, & partim plebis ipsius iudicio, partim conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis culmen authoritatis obtinuit? Cui nolle primâs dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ.

[a] Falsum: in Augustini corrum pendis verbis situm.

Lib. 1. contra 2. epistolas Pelagianorum. Ad Bonifacium cap. 1. Quãuis ipse in eo præmineas celsiore fastigio speculæ pastoralis. Lib. 2. de Baptismo contra Donatistas. Cap. 17.

Episcopus Sarisburiensis.

Ad hæc Augustini loca facilis est & expedita responsio. Hîc enim neque vniuersalis Episcopi, neque capitis Ecclesiæ, neque principatus atque dominatus in alios vniuersos mentionem habemus, neque vllum præterea vocabulum extat, quo indicare tale aliquid posse videatur. Hardingus non est nescius Augustinum Concilio Carthaginiensi interfuisse, suóque suffragio Decretum approbasse, quo vetitum, fuit *ne primæ sedis episcopus, aut princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut huiusmodi aliquo vocabulo appellaretur.*

concil. carthagi. 3. cap. 26.

Nec ignorat eundem Augustinum postea illud ipsum in quodam Concilio Hippone Regio: quæ sua fuit diœcesis, habito confirmasse. Nouit etiam hunc ipsum Augustinum vnâ cum aliis Episcopis numero ducentis septendecim in Concilio Aphricano congregatis sanxisse, ne cui homini fas esset in iis regionibus degenti, transmarini cuiusquam opem implorare, atque ad Romanum Pontificem prouocare, quíq; secus fecissent, eum excommunicari: in quo immensam illam dominationem, & vniuersalem potestatem penitus improbauit, de qua tam multi posteà somniarunt. Præterea in Euangeliũ Ioannis inquit: *Petrus erat oculus in capite:* non caput ipsum fuisse Petrum

concil. Hipponen. cap. 27. Concil. Aphrican. ca. 92.

trum affirmat. Hisce ex verbis, quid hac de re Augustinus iudicarit clarissimè cõstat. Cætera quæ hoc in loco afferuntur ex hac Hardingi sola disputatione pendent.

Est profectò verum, cum Augustinum, tum alios pietate præstantes patres antiqua memoria Romanæ sedi summum honorem & reuerẽtiã meritò tribuisse, tum propter ipsius Ecclesiæ vetustatem, tum propter D. Petri decus & memoriam, propterque sanctorum Martyrum excellentissimam virtutem, qui mortem in ea vrbe crudelissimam oppetierant: tum etiam propter religionis integritatem, quæ ibi longissimo tempore pura ab omni labe permanserat, aliisque Ecclesiis quodammodo lucem prætulerat. Nihil autem peræquè magnam illi sedi apud omnes authoritatem conciliauit, atque imperatoris regia, principisque ipsius præsentia, quemadmodum egregiè ex primo Constantinopolitano Concilio apparet. Has ob causas Augustinus inquit, *In sede Romana principatum viguisse.*

Concil. constantinop. I. c. I. Distin. 22. Constãtinopolitanę.

Forsan autem illud verbum, *Principatus*, acriùs adhuc Hardingus vrgebit. Tametsi non dixerit opinor principatum vniuersalem quandam potestatem, aut summum imperium significare: vnde parum ei hoc vocabulum commodare necesse fuerit. Certè princeps, apud Latinos eum sæpenumero hominem declarat, qui vel virtutis suæ, vel gradus, vel cuiusdam insignis facultatis causa, in summo sit honore habendus. Sic apud Ciceronem: *Socrates princeps philosophorum grauitate dicendi princeps Plato: Princeps orbis terrarum Pompeius.* Similiter Chrysostomus habet: *Caput prophetarum Elias.* His in locis *Princeps* non pro domino, aut rectore sumitur, sed eum tantùm virum significat, qui propter eximia, quibus præcellit, ornamenta cæteris omnibus anteponendus videatur. Hac inquam de causa sedem Romanam, qualis suo tempore extitit, Augustinus *Principatum sedis Apostolicæ* vocauit, non quod dominatum aliquem summum obtineret: huiusmodi enim principatum Augustinus ipse in Aphricano Concilio, vt antè demonstrauimus, Romano pontifici tribuendum negauit. Equidem fateor, vt Augustinus inquit, Romano Episcopo ingenuè & diligenter munus suum exequenti primas tunc temporis non detulisse, propter eas, quas nunc attigimus, causas, summæ profectò impietatis atque arrogantiæ fuisset. Quòd tamen idem Pontifex Romanus vniuersalis sibi iam Episcopi titulum arrogat, in eo certè, vt Gregorius inquit, *Antichristi præcursor est:* eique consentire, eodem Gregorio authore, *est repudiare & abiicere fidem.*

De natura Deorum. De oratore. Pro Domo sua. Chrysost. ad Rom. hom. 18.

Gregor. lib 6. epist. 30. & lib. 4. epist. 39.

Huc etiam accedit, quòd in istis Augustini sententiis Hardingus & desecuerit, & immutauerit, quod ei videretur, nec apertè ingenuéque egerit. In primo igitur loco verba Augustini sic habent: *Episcopus videbat se Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus, per communicatorias literas esse coniunctum.* Augustinus Episcopum illum Ecclesiæ Romanæ coniunctum fuisse scribit, non submissione aut subiectione, sed *per literas communicatorias*, quibus verbis æquabilitas quædam, seu communitas significatur. Pòst etiam in eadem epistola Augustinus testatur, Miltiadem Pontificem Romanum, adiunctis aliis quibusdam Episcopis, litem illam in Cæcilianum, atque Donatum A casis nigris disceptasse, non quòd potestate quadam vniuersali, & suprema præditus esset, sicuti fingit Hardingus, sed quòd mandata ab imperatore accepisset. Quare delegatus imperatoris Romanus Pontifex fuit, non authoritate quidem regia communitus, sed societate & æquali iure cum cæteris Episcopis præditus. Deinde etiam idem iudicium, querente, nec acquiescente Donato, pontifici Romano fuit ab imperatore ereptum, nouisque imperatoriis mandatis Arelatensi Episcopo apud Gallos delegatum. Vbinam verò tum Romani pontificis delituit principatus?

Aug. epist. 162. Aug. lib. I. contra epist. Pelagin. I.

In altero loco Hardingus tum Augustini Latina verba singulari fraude adulterauit, tum suam etiam Anglicam translationem corrupit. Augustini verba sic habent: *Communis est nobis omnibus, qui fungimur Episcopatus officio, quãuis ipse in eo præemineas celsiore fastigio, Specula pastoralis.* Hęc Hardingus sic deprauauit de industria, *Celsiore fastigio specula pastoralis*: in quo & Adiectiuũ nomẽ hoc, *Communis*, sine substantiuo posuit, & principale verbum, *Est*, nullo cum casu nominatiuo copulauit, atque etiam, vt ista verba ad causam suam meliùs traduceret, Latinitatem Augustini incongruam fecit. In tertio loco præter alias fraudes, illa etiam verba celat, quæ è Cypriano Augustinus in hoc ipso loco citat, quæque ad hanc causam optimè accommodari possunt. Verba sic habent: *Nec Petrus vendicauit sibi aliquid, aut arroganter assumpsit, vt diceret se primatum tenere, & obtemperare sibi à nouellis, & posteris potiùs debere.* Hæc, inquam, omnia Hardingus callidè dissimulat, itaque causæ suæ illuminandæ, capiendique Lectoris causa, quicquid ei visum fuerit, detrahit & decerpit.

De Baptismo contra Donatistas. lib. 2. c. I. Cyprian. ad Quirinum.

Hardingus. 10. Sectio.

Contra Luciferianos.

EGregia illa Hieronymi sententia nullo modo prætermitti debet: Ecclesiæ salus à summi sacerdotis dignitate pendet: (*intelligit autem*[a] *Papam Petri successorem*) cui si non exors quædam, & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes.

[a] Falsum: non enim Hieronymus, sed quemuis episcopum intelligit.

Episcopus Sarisburiensis.

EGregiè verò meminit Hardingus istam Hieronymi sentẽtiam. Tametsi modò voluisset duos duntaxat versiculos proximè præcurrentes ad memoriam suam adiunxisse, facilè vidisset

ista vix digna esse, de quibus meminisset. Neque enim dubium est, quin eo in loco Hieronymus de omnibus vniuersim Episcopis loquatur: nullum autem separatim de Romano Pontifice verbum faciat. Ibi *de confirmationis* ritu disputat, quam ille multis in locis ex Ecclesiæ consuetudine pacis atque concordiæ conciliandæ causa ab Episcopo solo procuratam fuisse, neque à presbytero quoquam alio ostendit: idque, vt inquit *ad honorem magis sacerdotij, quàm ad necessitatem legis.* Hæc inquam ab eo de omnibus peræquè dicuntur Episcopis. Tum mox hæc verba adiungit, quæ nunc hîc retulit Hardingus *Ecclesiæ salus à summi sacerdotis dignitate pendet.* In quo Hieronymus Cypriano penitus assentitur, nimirum *ad vitanda schismata & sectas vnum summum sacerdotem*, id est, vnum Episcopum, *in singulis Ecclesijs prudenter institutum fuisse, ad cuius mores & doctrinam reliquus se clerus conformaret.* Hac autem ratione Ecclesiæ præclarè conseruata est consensio.

Cyprianus inquit, *Ecclesia sibi cohærentium sibi inuicem sacerdotum glutino copulatur.* Sic habet Hieronymus: *Singuli Ecclesiarũ Episcopi, singuli archiepiscopi, singuli archidiaconi, & omnis ordo Ecclesiasticus suis rectoribus nititur:* glossa autem in eadem verba sic habet: *Hieronymus probat hîc, plures prælatos non debere esse in vna Ecclesia: sed singulos debere esse in singulis Ecclesiis.* Huc pertinet, quod Hieron. in epist. ad Titũ scribit: *Hæc propterea, vt ostenderemus, apud veteres eosdem fuisse presbyteros, quos & Episcopos. Paulatim verò vt dissensionum plantaria euellerentur, ad vnum omnem solicitudinem esse delatam.* Hac de causa, quemadmodum antè commemorauimus, Cyprianus *hinc schismata nasci, quòd sacerdoti Domini non obtemperetur*, docet. Atque hoc est, quod Hieronymus ait, *Nisi exors quædam Episcopo, & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesia efficientur schismata, quot sacerdotes.* Ista autem de omnibus Episcopis communiter prolata, Hardingus ad vnum priuatim Episcopum violenter torquet: itáque quod vniuersale est, id particulare efficit, quódque peculiare est, generale facit arbitratu suo: vtque Cyprianũ antea, sic nunc Hieronymum est ementitus, causámque profligatissimam testimoniis falsis confirmare, stabiliréque conatur.

(Margin: cyprian. lib. 4. epist. 9. Hieronym. ad Nepotian. 7. Quæst. 1. in Apibus. Hieronym. ad Titum ca. 1. cyprian. lib. 1. epist. 3. Hierony. contra Luciferianos.)

Illa tamẽ verba Hieronymi fortiùs vrgebit Hardingus, ab illo disertè posita, *Sũmus sacerdos:* quę sunt de Papa scilicet necessariò intelligenda: ideóque notã hanc adiungit parenthesi illustri cõprehensam *(Intelligit autem Papam Petri successorem.)* Quanquam Hardingus nihil esse causæ nouit, quamobrem ista verba eo modo sint necessariò interpretanda. Suus Amphilochius Basilium *summum sacerdotem* appellat, etsi ille Romanus Pontifex neutiquam esset. Episcopus in sua diœcesi quilibet summus sacerdos dici potest, si presbyteros reliquos ei subiectos spectes. Hoc modo Pontificatum quemque, *Maximum sacerdotium* vocare Lactantius videtur.

(Margin: Amphilochius. Lactantius lib. 4. cap. 30. Hieronym. ad Euagrium.)

Romanum autem Pontificem non ita Hieronymus sublimi in gradu collocat, atque Hardingo videtur, sed eum parem atque æqualem cæteris cunctis Episcopis constituit. Sic enim ad Euagrium scribit: *Si authoritas quæritur, Orbis maior est Vrbe. Vbicunque fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij, &c. eiusdem est meriti, eiusdem sacerdotij.* Hoc in loco disertè Romanum Pontificem nominauit Hieronymus, eúmque in eodem cum cæteris numero atque ordine posuit. Rursus inquit: *Quid mihi profers vnius verbi consuetudinem?* Tanti æstimare sedem Romanam Hieronymus videtur. Huc refertur Cypriani illud: *Hoc erant cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & Honoris, & Potestatis.* Cyprianus etiam Cornelium Pontificem Romanum *fratrem suum*, Cyrillus Cœlestinum *conseruum* vocat. Quare quando Hardingum inaudita quadam interpretatione fretum Romano Pontifici *potestatem quandam exortem, atque eminentem omnibus* tribuentem audio, Doctorem Durandum mihi videor audire dicentem: *Hic est Melchisedec, cuius sacerdotium non est cæteris comparatum: Ille est caput omnium pontificum, à quo illi, tanquam à capite membra, descendunt, & de cuius plenitudine omnes accipiunt.* Illa etiam occurrit animo Canonistarum sententia: *Dominus Deus noster Papa.* Quod autem adiungit *salutem Ecclesiæ ex summo sacerdote pendere*, quem Romanum esse Pontificem putat: certè, Gregorius habet, *Quando is, qui appellatur vniuersalis, cadit, vniuersa ecclesia à statu suo corruit.*

(Margin: cyprian. de simplicitate prælatorum. Cyprian. lib. 1. epist. 3. cyrill. in epist. ad cœlestinum. Durand. lib. 2. Extrauag. Ioã. 21. cum inter. In glossa. Impressum Lugduni, anno Domini 1556. & antè, Lugduni anno 1513. Gregor. lib. 4. epist. 76.)

Hardingus. 16. Sectio.

Extat epistola quædam *Theodoreti Cyrenensis episcopi Græcè, scripta ad Leonẽ Pontificem Romanum: in qua pulcherrimum habemus de Apostolicæ sedis primatu testimonium. Verba sic habent:* Si Paulus *(inquit)* veritatis præco, & spiritus sancti tuba ad Petrum cucurrit, vt ab eo decisionem & declarationem deferret ad eos, qui Antiochiæ contendebant & litigabant de viuendo secundum legem Mosis: multò magis nos, qui exigui sumus & viles, ad tuum curremus Apostolicum thronum, vt à te Ecclesiæ vulnerum medicinam accipiamus: *Deinde hæc verba sequuntur:* Διὰ πάντα γὰρ ὑμῖν τὸ πρωτεύειν ἁρμόττει, *id est,* In omnibus enim rebus *(ad fidem nimirum & religionem pertinentibus, ita enim sentit)* primatus tibi conuenit. Multis enim tuus thronus ornatur prærogatiuis.

(Margin: Πολλοῖς γὰρ ὁ ὑμέτερος θρόνος κοσμεῖται πλεονεκτήμασι.)

Episcopus Sarisburiensis.

Hic respondere possem, Theodoretum hunc & hostem fuisse Cyrilli capitalem, & hæreticum etiam Nestorianum, eóque crimine in Constantinopolitano Concilio condemnatum, quemadmodum in Euagrio, Nicephoro aliisque authoribus constat. Etsi verò quidem in Calcedo-

(Margin: concil. Constantinopo. actio. 5.)

chedonense Concilium Martiani Imperatoris authoritate atque gratia fuit introductus, Episcopi tamen Illyrici, AEgypti & Palæstinæ in illum acerbissimè,& palam inuecti sunt: *Fides perit istū Canones eiiciunt: Mitte hunc foras, magistrum Nestorij. nolite istum dicere Episcopum. non est Episcopus: impugnatorem Dei foras mitte: hæreticum foras mitte: Iudæum foras mitte.*

Euagri. lib. 4. cap. 38. Niceph. lib. 17. cap. 17. Concil. Calched. Actio 1.

Sed ista non vrgebo: quin censeo potiùs Theodoretum istum, vt erat & singulari eruditione, & magna nominis celebritate, ita Episcopum etiam vigilantissimum, sanctissimúmque fuisse. Hæresin autem Nestorianam apertè in Concilio Constantinopolitano abiurauit, & execratus est, palámque dixit *Anathema Nestorio.* Hisce autem in verbis ab Hardingo selectis nihil asserit Theodoretus, quod nos negemus. Nulla profectò neque capitis Ecclesiæ, neque vniuersalis Episcopi reperitur hîc mentio.

Concil. Constātinop. Actio. 8.

Quod si autem Paulum Hierosolymas profectum esse putet Theodoretus, vel quò Petrum tanquam Ecclesiæ caput viseret, vti somniare videtur Hardingus, vel quò totum doctrinæ genus illud suum certiùs cognosceret, quasi nimium non satis ei constaret, num quæ hactenus vbique tradidisset, vera essent, an non, tum ea dicit, quæ cum Pauli mente penitus pugnant? Est enim illud perspicuum, Paulum neutiquam agnouisse Petrum pro capite suo, sed contrà se illi æqualem fecisse. Sic enim inquit: *Videbant mihi concreditum esse Euangelium præputij, sicut Petro circuncisionis.* Rursus: *Iacobus, Cephas, Ioannes, qui putabantur esse columnæ, dextras dederant mihi ac Barnabæ societatis.* Hîc æqualitatis inter Petrum factam esse pactionem, & neutrum superiorem altero, neutrum inferioriorem videmus. Proinde Ambrosius ait, vt suprà attigimus, *Inter Petrum, & Paulum, quis cui præponatur, incertum est.*

Ad Galat. 2. Dextras dederunt societatis. Ambros. serm. 66. Act. 15.

Neque verò Paulus iccirco Hierosolymas iter suscepit, quò certius aliquid de veritate disceret, quasi de doctrinæ suæ ratione dubitaret. Etenim omnis Apostoli contentio, totúsque illius epistolæ status contrarium ostendit. Sic enim verba eius habent: *Neutiquam contuli cum carne & sanguine* (id est cum quoquam homine) *neque redij Hierosolymam ad eos, qui ante me fuerant Apostoli: Euangelium prædicatum à me ab homine non accepi sed patefiente mihi Iesu Christo: si quis euangelizauerit præter id, quod accepistis, anathema esto: qui in summo pretio sunt inter Apostolos, quod ad euangelij veritatem spectat, nihil mihi contulerunt. Petro restiti in os, & dixi ei coram omnibus: non enim recto pede incedebat, sed reprehendendus erat.* Hinc satis liquidò constat profectionem illam Hierosolymitanam non eam ob causam fuisse à Paulo susceptam, quò Petri sententiam iudiciúmque de fidei parte aliqua ambigua & controuersa cognosceret, quemadmodum hîc Hardingus opinatur. Iccirco Hieronymus inquit: *Ad hoc iuit Hierosolymam, vt videret Apostolum (Petrum) non discendi studio, qui & ipse eundem prædicationis haberet authorem: sed honoris priori Apostolo deferendi.* Iterum etiam: *Propterea quindecim ponit dies, vt ostendat non fuisse grande tempus, quo potuerit aliquid à Petro discere: vt ad illum sensum, à quo cœpit, cuncta referantur, se non ab homine doctum esse, sed à Deo.* Similiter Hugo Cardinalis scriptor impolitus habet: *Secundùm literam instruimur de mutua dilectione, quam deberent habere prædicatores, & doctores: quia Paulus venit videre Petrum, quoniam bona audierat de eius doctrina.* Quid autem manifestius & clarius esse potest, quàm quod hac de re Chrysostomus scribit? Hæc ipsius verba sunt: *Paulus nihil opus habebat Petro, nec eius egebat voce: sed honore par erat illi: nihil enim hîc dicam amplius.* Deindè statim: *Sicut nunc multi fratrum nostrorum ad viros sanctos proficiscuntur, eodem affectu tunc Paulus ad Petrum profectus est.*

Galat. ca. 1. Galat. ca. 2. Hieronym. in epist. ad Galat. 1. cap. Hieron eodem loco Galat. 2. Hugo Cardinalis in epist. ad Galat cap. 1. Chrysost. in epist. ad Galat. cap. 2.

De cæteris autem, quòd pontifex Romanus existimatione, gratia, priuilegijs cæteris episcopis antecesserit, nullus negat. Etenim ex quatuor patriarchis primas ille cùm in Concilio, tum extra Concilium obtinebat, eiúsque propterea in omnibus synodis plurimùm semper valebat ad constituenda administrandáque negotia authoritas. Atque hoc fuit τὸ πρωτεύειν, id est, *Primas obtinere:* & πλεονέκτημα, hoc est, *Prærogatiua*, seu priuilegiū: quæ vocabula Hardingus in margine posuit.

Hoc in loco sic concludere videtur Hardingus: *Pontifex Romanus priuilegium quoddam, & prærogatiuam præ alijs consequutus est: Ergo, vniuersalis episcopus fuit.*

Hoc argumentum efficitur *à genere ad speciem affirmatiuè*, nec vnquam, vt nouit Hardingus, in scholis dialectici valuit.

Isto etiam modo ratiocinari videtur: *Paulus ascendit Hierosolymas Petri visendi causa: Ergo, pontifex Romanus est caput ecclesiæ.* Adeo infirma concludit Hardingus, eáque tamen ita suo illustrauit ornatu verborum, vt egregia esse videantur. Tametsi hac quidem ratione Iacobum æquè ac Petrum ecclesiæ fuisse caput concluserit: se namque illum, non minùs, quàm hunc visisse testatur Paulus. De seipso etiam Hieronymus scribit *se consultò profectum esse Alexandriam, quò Didymum videret:* neque tamen ille proinde caput ecclesiæ fuit.

Galat. ca. 1. Hieronym. in proœmio in epist. ad Ephes.

Hugo Cardinalis, fateor, inquit: *Hinc primùm cœpit, vt episcopi, archiepiscopique vouerent se Papam esse visuros, quandoquidem Paulus Hierosolymas ascendit vt Petrum videret.* Præterea etiam ait, *Consuetudini huic additum esse mandatum hoc, scriptum in Deuteronomio, Non apparebis in conspectu Domini vacuus.*

Hugo Cardinalis in epist. ad Galatas. Deuter. 16.

Hardingus Doctorum loca tam breuiter perstringens, eáque summis quodāmodo, vt inquit, pedum digitis festinanter trāsgrediens, quod & nos expectauimus, & ille cōfidētissimè atque vnicè proposuit, ne semel quidem attigit. Etenim secretis verborum exquisitissimis quibusdam ornamentis, & sanctissimorum patrum nominibus, hucusque non euicit pontificem Romanum intra sexcentos à nato Christo annos vnquā fuisse vel vniuersalem episcopum, vel vniuersalis eccle-

siæ caput appellatum. Quam rem si demonstrare potuisset, non tam leuiter prætериturum fuisse sanè censeo.

Hardingus. 17. Sectio.

Iam an primatus iste rationibus necessariis stabiliri, & constitui possit videamus. Multitudinem, quæ in se vna est, vnam permanere minimè posse, nisi ab vno aliquo contineatur & sustentetur, cum eruditissimi philosophi disseruerunt, tum etiam communis rerum natura docet. Nam quæuis multitudo sua quidem sponte in multas partes dissipatur: quòd autem vna existat in eóque statu conseruetur, aliunde habet. Id autem, vnde vna sit, suámque vnitatem tueatur, vnum esse necesse est: alioquin enim & ipsum alterius ope indigebit, quo vnum fiat. Quam ob causam Homeri sententia illa fuit ab Aristotele tanquam eximia quædam, vsurpata: Non consentaneus est multorum dominatus, vnus dominus esto: *quæ significantur regum princípúmque multitudinem ineptam esse ad subditorum vnitate constringendam frequentiam. Quare quum Ecclesia Christi vna sit (etenim sicut vna fides est, vnus baptismus, vna vocatio, ita Ecclesia etiam vna est, immo nos omnes vnum corpus sumus, & membra alij aliorum, quemadmodum Paulus ait: & in symbolo fidei, omnes nos vnam credere sanctam Catholicam, Apostolicámque Ecclesiam confitemur) idcirco inquam, vno principe & rectore opus habet, à quo pendeat, & contineatur. Si secus acciderit, statim dissoluatur disrumpatúrque vnitas est necesse: ideóque necessarium fuit, vt Ecclesiæ gubernatio atque administratio vni mandaretur.*

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω.

Episcopus Sarisburiensis.

Horum omnium ex Aristotele philosopho, ex vno Homeri poetæ versiculo, atque ex ea, quam fingit Hardingus, rationis conuenientia, non aliunde, ducitur confirmatio. Aristotelis atque Homeri hac in causa non potest esse magna ratio: quos tamen de vno vnius exercitus Imperatore, déque vno regni vnius principe, in quo multitudo, seu societas perturbationem rerum maximam efficit, loquutos esse constat. Neque enim illis vnquam vel somniantibus in mentem venit, vnum orbi vniuerso dominari regem oportere.

Hardingi plus firmitatis habere rationes viderentur, si iisdem vel Christus, vel Petrus, vel Paulus, vel vetustus quisquam Doctor, aut catholicus pater vsus vnquam fuisset. Nam alioquin Augustinus de rationis ad intelligendas cognoscendásque scripturas adhibita disquisitione loquens, sic habet: *Hæc consuetudo periculosa est. Per scripturas enim diuinas multò tutiùs ambulatur.* Huius vis rationis Alexandrum illum superbissimum Macedoniæ regem impulit, vt diceret, *Quemadmodum cæli vnum duntaxat solem capiunt, ita terrarum orbem vnum solummodo regem habere posse:* Bonifaciúmque octauum Papam commouit, vt sic concluderet: *In principio creauit Deus cælum & terram: non in principiis: Ergo, Papa est caput Ecclesiæ.*

August de doctrina Christiana.li.3.ca.28. Quintus Curtius. De maioritate & obedientia. Vnamsanctam.

Verùm omnis (inquit Hardingus) *ex multis conflata societas naturali quadam propensione ad dissolutionem fertur: quódque eandem continet integram, vnum esse oportet.* Perinde nimirum est, ac si diceret, Papam solùm Ecclesiæ conseruare vnitatem, eámque vnam efficere. Quare ipsum Papam esse vnum necesse est: quandoquidem si duo pluresve essent, Hardingus inquit, tum altera aliqua re opus haberent, qua ad vnitatis rationem reducerentur. Tametsi non oblitus est Conciliū Syrmiense, cum controuersiam illam de Romanæ sedis possessione inter Fælicem atque Liberium ambitiosissimam, acerrimámque sedare vellet, ambos simul esse pontifices iussisse: neque tamen proinde vel Ecclesiæ dissoluere vnitatem, vel Ecclesiam monstrum biceps facere voluisse. Sic Roffensis habet, *Ecclesia vna est, non propter Christum, sed propter Papam, qui eam conseruat vnam.* Hæc ab Hardingo explicata ratio, inuenta nuper est, nec ab antiquo quoquam patre scriptis vnquam cōmendata. Gregorius inquit: *Nullus decessorum meorum hoc tam profano vocabulo vti cōsensit, vt vniuersalis Episcopus appellaretur:* eo tamèn tempore constitisse Ecclesiæ vnitatem negauerit.

Sozomen. li. 4. cap. 15. κοινῇ ἱερᾶσθαι. Roffensis.

Gregor. lib. 4. epist. 32.

Neque certè immensa hæc, atque infinita potestas, quam isti somniant, ab infinitis maximísque periculis tuta consistere poterit. Quandoquidem autem administrandæ Christi Ecclesiæ è Philosophis, poetísque, qui Christi ne tenuissimam quidem notitiam habuerunt, voluit Hardingus rationem depromere, meminit etiam poetarum versibus proditum esse Phaetontem temerarium, & imprudentem iuuenem, cum à Phœbo patre precibus & lachrymis importunis impetrasset, vt paternum currum conscendere, solémque cœlo circumagere sibi liceret, mundum ipsum statim per imperitiam inflammasse, atque incendisse. Non debet iniquo animo ferre Hardingus, quòd Romanum Pontificem Phaetonti adolescenti inconsiderato conferam. Gregorius siquidem propter hoc ipsum studium atque hunc conatum, quemadmodum ex ipsius verbis manifestò apparet, eum *Lucifero, atque Antichristo comparat.* Ampliùs etiam inquit, *Si hanc causam æquanimiter portamus, vniuersæ Ecclesiæ fidem corrumpimus.*

Argumentum istud sic habet: *Christi Ecclesia vna est: Ergo, Papa est vniuersalis Episcopus.* Si quis istam argumentationem negaret, demiror qua tandem Hardingus Dialectica fretus eandem comprobaret.

Gregor. lib. 4. epist. 34. & epist. 38. Greg. lib. 7. epist. 69. Grrg. lib. 6. epist. 24.

Hardingus. 18. Sectio.

Qvòd autem isti Euangelici obiiciunt, Christum esse rectorem Ecclesiæ, illúmque vnum Ecclesiæ vnitatem tueri: respondemus, quòd quamuis Ecclesia primò & præcipuè à Christo gubernetur, vt cætera

tera etiam omnia gubernantur, Dei tamen incredibilis bonitas instituerit, vt quæque res eo modo conseruetur, qui illius conditioni atque naturæ maximè conueniat. Quare cùm genus humanum ex sensu potissimum pendeat, omnémque disciplinam atque institutionem ex rebus sub sensum subiectis percipiat, homine igitur opus habet gubernatore atque rectore, quem externo sensu comprehendant. Ad hunc autem modum sacramenta, quibus Dei gratia ad nos deriuatur, propter humanam naturam, cùm eiusmodi esset à Deo condita, in rebus aspectabilibus constituuntur: Necessarium ergo fuit, vt ista Ecclesiæ administratio vni viro traderetur, qui primò fuit Petrus, postea quilibet Petri successor ad tempus suum, vt suprà demonstratum est. Neq; potest iste vnus homo potestatem hanc vllo ex consensu aut societate hominum accipere: sed à Deo accepisse necessarium est. Etenim Christi vicarium [a] *constituere, ad solum Christum pertinet. Nam cùm Ecclesia, omnésque qui de Ecclesia sunt, Christi sint, nō ob alias causas, tum præcipuè, quòd magno pretio redempti sumus, suo nimirum sanguine, vt Paulus inquit: qui potest ad alium quenquam, præterquam ad illum pertinere authoritas instituendi, & creandi sibi vicarij, qui eius vices sustineat?*

[a] Falsum: Christus enim nullū vnquam huiusmodi vicarium constituit.

Episcopus Sarisburiensis.

Longus est Hardingus in hac causa rationibus quibusdā à natura rerum ductis demonstrāda. Quòd autem intelligeret Augustinum dicere, *Si ratio contra diuinarum scripturarum authoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit verisimilitudine: Nam vera esse non potest:* quódque quas cōparauit rationes, admodum infirmas atque leues esse perspiceret, iccirco complures in vnū quasi in angustum congessit & contulit, cùm quò Lectorum sensus omnes compleret, tū etiā quò meliùs illæ hoc modo mutuam sibi inuicem opem, auxiliúmque ferrent.

August. ad Marcellinum epi. 7.

In ipso aditu ludendi & cauillādi quodam studio abreptus, nos *Euangelicos* nūcupat. Deus cordis illius loculos aperiat, vt diuini Euangelij fulgorem aspiciat, & quid ipse repudiauerit, secū reputet. Summum certè & horrendum scelus est, hominem Christianum sic Christi Euangelium irrisione quadam ludere, Paulus inquit: *Si opertum est Euanglium, in illis qui pereunt, est opertum.*

1. Cor. 4.

Molestè fert Hardingus, quòd nos Ecclesiæ vnitatem nō Papa, sed Christo solo fundamus atque stabilimus; atque hoc ille horum recētium Euangelicorum dogma appellat. Deo gratias maximas agimus: Euāgelici isti dogmatis sui firmamēta habēt optima. Paulus inquit: *Eum dedit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus eius.* Rursus: *Ille est caput, qui dat salutem corpori: Christus pax nostra est, & nos in Christo Iesu vnum sumus.* Propterea Gregorius inquit: *Nos quoque à vobis non lōgè sumus: quoniam in illo, qui vbique est, vnum sumus. Agamus ergo ei gratias, qui solutis inimicitiis in carne sua fecit, vt in omni orbe terrarum vnus esset grex, & vnum ouile, sub se vno pastore.* Hæc loca atque alia huiusmodi infinita doctrinæ nostræ luculentissimam confirmationem continent.

Ad Ephes. 1. Ad Ephes. 5. Ad Ephes. 2. Gregor. libr. 4. epist. 36. ad Eulogium. Ioan. 10.

Iam verò si poterit Hardingus è scripturis, sanctísve Doctoribus huiusmodi aliquid proferre, vnde Papam esse caput Ecclesiæ, id est, caput corporis Christi manifestò liqueat: aut ecclesiam ab illo vim quandam vitalem, & salutem haurire: aut illum esse pacē nostram: aut nos omnes in illo vnum esse: aut mundum vniuersum gregem vnum existere, vnúmque ouile, atque illum vnicū pastorem: aut Paulum, vt vnum esse dominum, vnam fidem, vnum baptismum dixit, sic vnum quoque Papam statuisse: tum verò nonnihil esse causæ sentiemus, quamobrem totius ecclesiæ vnitatē prout Hardingus somniat, Papa fundatam atque constitutam esse existimare debeamus. Videtur quidem Augustinus hoc priuilegium Paulo tribuere noluisse. Eius perspicua sunt verba: *Nec Paulus radix eorum erat, quos plantauerat, sed ille potiùs, qui ait, Ego sum vitis, vos estis sarmenta. Caput etiā eorum quomodo esse poterat, cùm dicat, Nos omnes vnum esse corpus in Christo, ipsúmque Christum caput esse vniuersi corporis?* Si Paulus, vt inquit Augustinus, Ecclesiæ caput esse nō potuit, an Romanū pōtificem esse posse iudicabimus?

Ad Ephes. 4.

Augus. contra literas Petiliani lib. 3. cap. 42. Ioan. 15. Ephe. 1 Ephes. 4.

Atenim genus humanum (inquit Hardingus) *ex sensu maximè pendet: Ergo, vniuersa Ecclesia ab vno homine regi, atque gubernari debet: ille autem Petri successor, Christíque in terris vicarius est.* Neminē autē ex antiquis patribus neq; rationis istius necessitatē perspicere, neq; nomen hoc titulúmque singularē, quo Christi vicarius appellatur, cognoscere vnquam potuisse certè demiror. Quanquā vnā verā vocem Hardingus in multis emisit: Christi nēpe solius esse, nec cuiusquā alterius, vicarium Christi constituere. A quo principio huiusmodi licet argumentum ducere: Christus nūquam instituit, neque sanxit, neque verbo adeo vllo aut voce significauit, Pontificem Romanum, eiúsve successorē vicarium fore suū: hoc est, Episcopum quendā vniuersalē supra totā Ecclesiā: Ergo ex istis ab Hardingo ipso cōcessis atque positis, pontifex Romanus lōgo iā tempore iniustā quandā potentiā, & Christo cōtrariam, nec ei vnquā cōmissam exercuit, réque vera nihil est minus, quàm Christi vicarius, Hieronymus de omnibus Episcopis generatim loquitur: *Nouerint Episcopi, se magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate, presbyteris esse maiores.* Si Christus, vt Hieronymus testatur, æqualem presbyteris omnibus dignitatem concesserit, num verisimile videatur, vni presbytero, iuxta Hardingi sententiā, principatū atque dominatū in omnes totius orbis presbyteros ab eo delatū atque demandatū esse? Quod autem ad vniuersalem Christi vicariū attinet, Tertullianus dicit, *Spiritum Sanctum Christi esse vicarium.* Sic enim scribit: *Sedet ad dextram Dei patris: nisi vicariam vim Spiritus sancti, qui credentes agat.*

Hyeronim. in epi. ad Titum.

Tertul. de præscriptionibus contra Hæreticos.

Quādoquidē tamē nō modo diuino quodā, internóq. instinctu afficimur, sed sensib. etiā externis

Eusebij Episco pi Romani. Epist.3.. Hyeronym.ad Euagrium tom. 2. pag.329. 2.Thessalon.2.

obsequimur, hanc ob causam Christus non vnum quempiam hominem, quasi generalem quendam vicarium suum constituit, sed Apostolorum vnumquemque, & consequenter presbyteros singulos intra suas Ecclesias vicarios sibi reliquit. Ita Eusebius pontifex Romanus habet: *Caput Ecclesiæ Christus est: Christi autem vicarij sacerdotes sunt, qui vice Christi, legatione funguntur in Ecclesia.* Ideo Hieronymus inquit: *Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit. Cæterùm omnes Apostolorum successores sunt.* De illo præterea vniuersali Christi vicario nullam scripturæ mentionem faciunt, nisi fortè de illo, quem prædixit Paulus: *Homo ille sceleratus, filius perditus, sese opponens & efferens aduersus quicquid dicitur Deus aut numẽ, adeo vt in templo Dei tanquam Deus sedeat, præse ferens se esse Deum.* Hunc autem vicarium Christus oris sui spiritu conficiet.

Postremò, hoc modo argumentari videtur Hardingus: *Genus humanum ex sensu maximè pendet: Ergo, Papa caput est vniuersalis Ecclesiæ:* argumentum verò stupidum, nec sensu, nec ratione præditum. Eadem argumentatione non minùs rectè concluserit: *Genus humanum maximè pendet ex sensu: Ergo: vnus rex toti orbi dominari debet.*

Hardingus. 19. Sectio.

Rationum futilissimarum frequentatio.

QVare, vt paucis perstringam, nisi impiè dicere volumus, Dei prouidentiam aut defuisse, aut deesse Ecclesiæ suæ, quam amauit vnicè sic, vt eius causa vnigenitum filium suum dederit, cuiúsque se nunquam fore immemorem pollicitus est, sicuti mater partus sui, quem in vtero gestauit, obliuisci non potest: ratio ipsa nobis facilè persuaserit: vni homini, vni Episcopo, principi & summo omnium Episcoporum, Petri successori administrationem, atque gubernationem Ecclesiæ à Deo delatam esse. Nam alioqui si varia in Ecclesia capita, ac rectores Deus constituisset, nec vni dominatum in alios assignasset, sed æqualem omnibus potestatem in sua cuiq; Ecclesia tribuisset: tum tot erexisse Ecclesias videretur, quot rectores essent. Atque hoc modo in populum fidelẽ suum induxisse videri possit turbulentam illam confusionem omnium rerumpublicarum perniciem, à qua principes tantopere abhorruerunt, quam Græci ἀναρχίαν vocant, id est, reip. formam eiusmodi in qua, quia nulli magistratuũ ordines seruantur, omnis politia tollitur. Quam rem, quum eam homines prudentes, & in regendis rebuspub. exercitati, vt maximè exitialem, atque pernitiosam fugiant, atque auersentur in terrestrium horum regnorum administratione, summæ Dei sapientiæ, Dominóque nostro Christo, qui pulcherrimi rerum omnium in terra simul, & in cœlo author est ordinis ascribere, intolerandæ cuiusdam & profanæ impietatis esset. Quare, si regnum incolume permanere nequeat, nisi vnus regendi potestatem habuerit, nonne Ecclesia tam latè diffusa in maximum discrimen adducetur grauissimarum perturbationum, & corruptelarum, atq; extremi etiam interitus, nisi, vt occasio tulerit in tãtis discordiis atque controuersiis hominum, in tot dissensionum facibus, à dæmonibus vnitatis hostibus vltrò citróque vibratis & coniectis, vnum fuerit caput & rector, quem omnes consulant, cui omnes auscultent, omnes obsequantur, & obtemperent? Si lites ac dissensiones de fidei negotiis excitentur, si de sensu scripturarum aliqua fortè controuersia nascatur, an non necessarium fuerit, vnum esse summum iudicem, cuius sententiæ stet pars vtraque? Si necessitas postulauerit (quod sæpenumero accidit) vt Concilia generalia habeantur, qua ratione poterunt Episcopi, ad quos hæc res pertinet, in vnum congregari, nisi vnius principis rectoris mandato, cui obedientiam præstare debent? Alioquin enim forsan euocati, nequaquam venient. Deniq; quo pacto sceleratorum hominum reprimetur contumacia atque pertinacia, maximè si Episcopi ipsi mutuis inter se dissensionibus distrahãtur, nisi aliquis extiterit, qui summa potestate præditus in alios seuerè animaduertat, erga alios spiritum lenitatis exerceat, ea moderatione, qua & malitia superetur, & æquitas conseruetur, & concordia constituatur: ne si exiguæ contentionum scintillæ non statim initiò restinguantur ab eo, qui authoritate præstat, tandem ingens schismatum atque hæresium efferuescat incendium, ad certissimum multitudinis periculum? Itaque sicut vnum corpus est Christi, vnus grex, vna Ecclesia, ita vnum etiam caput est illius sui mystici corporis, vnus pastor, & vnus primarius famulus, institutus œconomus, præfectus, & rector familiæ Christi, eo absente donec reuersus fuerit.

Episcopus Sarisburiensis.

De Maioritate & obedientia. Vnam sanctam in Glosa. [a]De sentent. Excommu. Ca. Si aliquid Hostien. b De translat. Episcop Ca. Quanto. Innocen.3. cExtra de constitut licet Romanus. dDe translat. episcop. Ca.quãto in Glosa. eDe concessio. Præbendæ Ad Apostolatus in Glosa.

QVi summum Romani Pontificis dominatum tollit, is Dei prouidẽtiam (inquit Hardingus) funditus tollit: atque in angustissima Dei prouidentia ad suam inanissimam rationem stabiliendam Hardingus abutitur. Eadem, vt videtur, contemplatio Petrum etiam Bertrandum induxit, vt hanc siugularem in Decretalia Glossam scriberet: *Non videretur Dominus discretus fuisse, vt cum reuerentia eius loquar, nisi vnicum post se talem vicarium reliquisset.* Proinde adiungit: *Christo data est omnis potestas in cœlo, & in terra: Ergo, summus Pontifex, qui est eius vicarius, habet eandem potestatem.* Similiter illi dicunt, [a] *Papa potest facere omnia, quæ Christus ipse potest:* Atque etiam, [b] *Papæ & Christi est vnum tribunal.*

Hinc Hardingus sic argumentari videtur: *Nisi vnus fuerit à Deo cõstitutus vniuersalis totius orbis Episcopus, qui omnia iura in* [c] *scrinio pectoris siti habeat,* [d] *cui sit pro ratione voluntas: cui* quicquid egerit, atque admiserit nemo possit dicere, [e] *Domine cur ita facis?* idémque neque exhortetur, neque doceat, neq; sacramenta administret, neque disciplinam exerceat, neq; vllã vel Episcopi, vel presbyteri

byteri, vel Diaconi, vel cuiusquam omnino ne infimi muneris ecclesiastici partem exequatur, tātùm se vniuersæ Ecclesiæ moderatorem esse, rectorémque venditet, nisi aliquis eiusmodi extiterit, tum inquit Hardingus, *Deus nihil prouidet, neque Ecclesiam omnino suam curat.*

Si aliqua fortè de interpretatione, sensúque verbi diuini controuersia extiterit, si concilio opus fuerit, si qua inter inferioris gradus Episcopos emerserit contentio, *necessarium est,* (inquit Hardingus) *esse vnum summum iudicem, qui Dei mentem fideliter exponat, qui Concilia indicat, qui Episcoporum causas cognoscat, disceptétque.* Quanquam, indagandi perscrutandique scripturarū sensus Augustinus permultas atque perbellas regulas, & quasi leges quasdam perscribit: hanc autem inauditam de consulendo Papa regulam non attingit, nec pro regula ducit.

De doctrin. Christi. lib. 3.

Verùm, obiiciunt scripturas esse perobscuras, quærendum igitur in doctorum commentariis illarum sensum. Doctores autem discrepant, quare ponderandæ atque examinandæ sunt ad Magistri sententiarum trutinam. Magister ipse sententiarum aliquando non tenetur: ergo, ad doctores scholasticos concurrendum est. Illi autem vehementissimè inter se digladiantur: Scotus pugnat cum Thoma, Occamus cum Scoto: Alliacensis cum Occamo: Nominales cum Realibus decertant, Scholastici cum Canonistis: Denique nunc grauiores excitātur contentiones, obscurioresque difficultates apparent, quàm vnquam antea: neque vlla sedatas eas atque decisas aliquando fore spes ostenditur, præterquam à pontifice Romano, quem Hardingus iudicem supremum vocat, quíque est, vt quidam inquit, *doctor vtriusque legis, authoritate non scientia.* Tametsi, par quidem huiusmodi in negotiis ipsius cum authoritate scientia videtur. Etenim vtcunque iudicium ipse, sententiámque tulerit de controuersia, ea tamen remanet integra. Alphonsus de Castro doctor illarum partium inquit: *Cum constet plures Papas adeò illiteratos esse, vt Grammaticam penitus ignorent, qui fit, vt sacras literas interpretari possint?* Ille igitur supremus arbiter, à cuius labris veram ac genuinam scripturarum sententiam petendam esse contendit Hardingus, eat potiùs, atque Grammaticam, vt inquit Alphonsus, à magistro discat. Quid si autem Papa hæreticus fuerit? fuit autem Liberius Arianus: Honorius, Eunomianus: Anastasius, Photianus: atque, vt Lyra habet: *Multi Papæ inuenti sunt Apostatæ.* Quid si etiam veneficus extiterit, & se necessitudine atque societate cum diabolo coniunxerit, quemadmodum Syluester secundus fecit? Num ab huiusmodi viri sententia tanquam à diuino oraculo pendere, certúmque diuini verbi sensum ab illo expectare debemus? Olim verò quibus erat istiusmodi aliquis iniectus scrupulus, & dubitatio, qua liberari magnopere cupiebant, homines sapientissimos adire non Papam solebant. Leo Papa ipse in re ambigua alios Episcopos in deliberationem adhibere non dubitauit: Episcopi Numidiani non à Pontifice Romano, sed à Cypriano, cæterísque Aphricanis Episcopis consilium petierunt. Ita de se Hieronymus testatur: *Ob hanc causam vel maximè Alexandriam nuper perrexi, vt viderem Didymum, & ab eo in scripturis omnibus, quæ habebam, dubia omnia exquirerem.* Ambrosius etiam scribit, viros quosdam eruditos, qui causam dubiam ad Romanum Pontificem detulerant, ab eóque responsum, atque sententiam acceperant, tamen quò sibi vehementiùs adhuc satisfieret, ad ipsum etiam accessisse: sic autem habet: *Post Romanæ Ecclesiæ definitionem meam adhuc sententiam expectant.*

Magister non tenetur.

Baldus.

Alphonsus de Castro lib. 1. cap. 4.

Alphonsus de Castro lib. 1. ca. 4.

Nicol. Lyra in Matth. 16. ca.

Platyna in Syluestro.

Leo Epist. 37. ad Episcopum Rauennatem.

Cyprian. lib. 1. epist. 4.

Hieronym. in procemio in epist. ad Ephes.

Ambrosius lib. 10. epist. 83.

Cōcilia autem generalia indicta & conuocata ab imperatoribus solis fuisse, non à pontificibus Romanis satis liquet, & postea (fauente Deo) luculentiùs constabit. Sozomenus inquit, *Imperator præceperat Concilium Mediolani celebrari.*

Sozomenus citatur inter acta Liberij.

Episcoporum controuersiæ sedari, constituíque consueuerunt non solùm à Pontifice Romano, qui per hosce multos annos nihil propè aliud egit, quàm vt acerbissimas inter principes discordias concitaret alerétque, verumetiam aliquando à principe, aliquando à Conciliis, aliquando ab aliis Episcopis, aliquando ab inferioris ordinis hominibus, qui non erant Episcopi. Diuus Ambrosius in Galliam euocatus est, ad reducendos in concordiam Episcopos Gallicanos. Bernardus, qui Abbas modò fuit, maximam illam dissensionem, quæ inter Innocentium Papam, atque Petrum in Ecclesia Romana extiterat, composuit. Quare ad ista negotia transigenda nouum quendam vicarium generalem constituere, aut cuiquam homini vniuersalem hanc potestatem in Ecclesiam Dei tribuere, minimè quidem opus est.

Ambros. de obitu Valentiniani.

Bernardus in Cant. cantic. Sermo. 22.

Rationes Hardingi sic instituuntur: *Deus prouidet, & mirificè prospicit Ecclesiæ suæ: Ambigua scripturæ loca explananda, Generalia Concilia indicenda sunt: Episcopi discordiis mutuis flagrantes reconciliandi sunt: Ergo, Romanus Pontifex Christi vicarius est vniuersalis & caput vniuersalis Ecclesiæ.* Alioquin enim, inquit, non rectè gubernari, non concordia contineri Ecclesia potest. Sed Dei nomē immortaliter prædicetur: Deus Ecclesiam regere suam, non tantùm absque istiusmodi vicario, sed inuito etiam potest. Misera verò esset, & miseranda Ecclesia Dei, si Romanum Pontificem duntaxat haberet gubernatorem. Longum esset perturbationem, atque dissipationem Ecclesiæ suæ, quam cernere licet, si modò aspexerit, commemorare. Bernardus de eadem verba faciens, sic habet: *Mali ibi proficiunt, boni deficiunt: A planta pedis, vsque ad verticem capitis non est in ea sanitas.* rursus: *Serui Christi seruiunt Antichristo.* Si paucas vnius vrbis Ecclesias tam malè Romanus Pōtifex regat, qui tum innumerabilem totius catholicæ Ecclesiæ Dei multitudinem administrare poterit?

Bernard. ad Eugenium. lib. 4.

Bernard. de Conuers. Pauli Esa. 1.

Bernard. in Cant. cantic.

Deus autem alias vias, atque rationes Ecclesiæ suæ gubernandæ semper habuit. Cyprianus inquit: *Ideo plures sunt in Ecclesia sacerdotes, vt vno hæresim faciente, cæteri subueniant,* rursus: *cohærentiū*

Cypri. ad Steph. lib. 3. Epi. 13.

Cypr.li.4.epi.9 Hieron.ad Titum ca.1. Hieron.contra Luciferanos.

sibi inuicem sacerdotum glutino copulatur. huc spectat quod Hieronymus habet, vt suprà commemorauimus: *Nouerint Episcopi, se debere in communem Ecclesiam regere.*

Concordia autem, quam Hardingus iactitat, est illa quidem nihil aliud, quàm turpissimum, durissimúmque seruitutis iugum: tantum abest, vt hæc concordia sit. Hieronymus inquit: *Nomine vnitatis & fidei, infidelitas scripta est: Nam illo tēpore nihil tam pium, nihil tam conueniēs seruo Dei videbatur, quàm vnitatē sequi, & à totius mundi communione non scindi*: vnitatem consectari videbantur, inquit Hieronymus, tamen in fidelitate remanserunt. Sic inquit Sapiens: *In tanto viuentes ignorantiæ bello, tot & tanta mala pacem appellabant.*

Sapient.14.

Hardingus. 20. Sectio.

Hic forsan aliquis obiecerit, ex euentu rerum, atque ex Ecclesiæ consuetudine non constare Papam suprema hac potestate, atque authoritate in omnes Episcopos, atque in omnem Christi gregem in rebus ad fidem pertinentibus, & in negotijs Ecclesiasticis præditum fuisse. Enimuero qui historias Ecclesiasticas peruolutarit, atque Ecclesiæ conditionem, omnium temporum ac ætatum considerauerit, hoc longè clarissimum esse facilè concesserit. Atque hic primùm loca quædam noui testamenti proferre possem, quæ & Petrum initio primatum hunc inter discipulos gessisse, & illos eundem ei, vt iure suum, detulisse manifestò demonstrent. Exempli gratia, cum primus atque solus eos excitaret ad sufficiendum alterum Iudæ, quando ita se gessit, vt eum non interesse modò, sed præesse illi rei omnes agnoscerent: Cum pro omnibus responderet, quando populus obstupefactus eos admiraretur, nonnulli etiam vt musto inebriatos deriderent, quòd eos in Pentecoste tot gentium linguis loquentes audirent: Cum illo formidolosæ seueritatis genere, Ananiæ, Saphiræq; coniugis suæ scelus & hypocrisin vlcisceretur: Cùm orta controuersia de obseruandis quibusdam Mosaicis ritibus, ipse vt princeps, & caput reliquorum sententiam ante alios diceret. In multis alijs locis, quæ breuitatis causa prætermitto, non minimum momentum habet, quòd Paulus Damascum reuersus ex Arabia, post tres annos Hierosolymas perrexerit, visendi Petri causa, cúmque eo dies quindecim commoratus fuerit.

Act.1. Act.2. Act.5. Act.15.

[a] Falsum: cum cōuitio iunctū.

Galat.1.

[a] *Verum, quandoquidem aduersarij nostri scripturas, quantumuis perspicuas, priuata sua & inaudita interpretatione in sententiam Catholicæ Ecclesiæ sensui planè contrariā deflectunt, atque detorquent: consentaneum putaui Lectorem, quod ad luculentiorem huius rei confirmationem attinet, ad historias remittere, quæ testimonium fidele de tota ratione, & conditione Ecclesiæ omnium seculorum continent. Quæ quidem historiæ vsum Ecclesiæ eiusmodi semper obtinuisse palàm indicant, ex quo Petri primatus omnibus abundè confirmatus esse videatur. Etenim historias Ecclesiasticas cum patrum scriptis conferentes, præter alia multa, quæ huc spectēt, istas inualuisse consuetudines animaduertimus, quæ ad hanc singularē authoritatem, atque potestatem comprobandā valent. 1. Primùm Episcopos cuiusq; nationis ad Papā semper in maximis suis negotiis [b] prouocasse, sempérque ab Apostolica sede cum opem, atque auxilium aduersus vim, iniurias, molestias flagitasse, tum cæterorum etiam abusuum emendationem supplices petijsse. 2. Deinde sceleratorum hominum malitiam repressam & vindicatam fuisse ab illa authoritate, excommunicando, eijciendo, è gradibus suis & locis eos deturbando, aliásq; censuras Ecclesiasticas exercendo. 3. Præterea ordinationes, atq; electiones Episcoporū omnium prouinciarum à Papa confirmatas fuisse. 4. Tum vel approbationem, vel improbationem conciliorum ad illum pertinuisse. 5. Porro Episcopos iniustè condemnatos & abdicatos à Concilijs, ab ipso absolutos fuisse, suisq; ecclesiis restitutos. 6. Postremò, episcopos & Patriarchas post diuturnas lites & contentiones, tandem melius consultos, ei reconciliatos fuisse.*

[b] Falsum vt deinceps ostendam.

Episcopus Sarisburiensis.

AGgreditur nunc Hardingus authoritatis huiusce vniuersalis possessionem, vel potiùs occupationem, ex perpetuo primùm vsu ipsius Petri, deinde aliorum pontificum Romanorum, qui ei successerunt, confirmare. De Petro autem luculenter explicasse sibi videtur, hoc modo: *Petrus cum cæteris interesset, primus sententiam dixit, & consilium dedit: Ananias & Saphira verbo conciderunt, & extincti sunt: ergo, Petrus caput extitit, potestatémque vniuersalem in totam ecclesiam obtinuit.* Infirmæ verò rationes, quibus tam immensus titulus innitatur. Non ipsum certè Hardingum facilè crediderim eum pro totius orbis capite habiturum, qui primus omnium in Concilio sententiam dicit, aut inusitatum aliquod miraculum diuina potentia edit. Etenim sæpenumero in maximis conciliis, natu, aut gradu minimus primus sententiam rogatur, maximus autem, summúsque omnium vltimus. Equidem in hoc ipso Apostolorum concessu, postquam Petrus dixisset, & quid sibi videretur, proposuisset, & cæteri finem fecissent, ad extremum non Petrus, sed Iacobus sententiam pronuntiauit, quod certè ad caput, præsidémque concilij pertinebat. Vehementer esse simplicem oportet, & indoctum, quem hæ futilissimæ coniecturæ abducant.

Act.15.

Tametsi, qui diligenter, & penitus perpenderit, vt Petrus inter fratres se suos semper gesserit, neque id sibi assumpsisse illum, neque cæteros ei tribuisse, vt pro capite vniuersalis ecclesiæ haberetur, facilè intellexerit. Reliquos discipulos fratres ipse suos appellat, se cōpresbyterum vocat. Nulli præcipit, nulli mandat, sed alios & audit, & tractat vt æquales, ac collegas suos: ire iussus Samariam à fratribus, non tanquam caput illorum, & princeps renuit, sed profectus illò est, vt legatus: quòd se ad Cornelium contulisset, & cum Ethnicis egisset, reprehensus, se purgauit, factíque sui rationem edita apologia exposuit.

Act.15. 1.Petr.5. Act.8. Act.11.

Cæteri

Cæteri Apostoli sine dubio, summam Petro, vt præcipuo corporis Christi membro reuerentiam exhibuerunt: quenquam tamen illum pro capite suo reputasse, & coluisse, eíve infinitam hanc, vniuersalémque potestatem detulisse, nusquam apparet. Paulus se illi in Apostolatu confert, & inquit: *Mihi creditum est Euangelium præputij, sicut Petro circuncisionis: & Iacobus, Petrus, & Ioannes, qui videbantur esse columnæ, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis.* Postea dicit: *Ego restiti Petro in faciem: erat enim reprehendendus.* Rursus in epistola ad Corinthios: *Arbitror me nihil inferiorem esse eximiis Apostolis.* Hinc manifestò liquet, Paulum pro collega Petrum, nedum pro capite suo habuisse. Quod animi causa dicit Hardingus, nos scripturas in alienum sensum deflectere atque detorquere, plus haberet oratio fidei, si & modum disertè exposuisset, & loca sigillatim designasset. Tritum autem est: *Dolosus versatur in generalibus.* Non dubito, quin Lector æquus perspiciat scripturas pro nobis planissimè facere, nec vlla detortione indigere. Quare de hac re Cyprianus inquit, sicuti antea commemoratum est. *Idem erant alij, quod Petrus.* Similiter Origenes inquit: *Nos quoque efficimur Petrus: & nobis dicitur illud, quod hunc sermonem sequitur: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim est, quisquis est discipulus Christi.* Perinde etiam habetur in Augustino contra Donatistas: *Clarus à Mascula dixit, Manifesta est sententia Domini nostri Iesu Christi Apostolos mittentis, & ipsis solis potestatem à Patre sibi datam permittentis: quibus nos successimus, eadem potestate Ecclesiam Domini gubernantes.* Hisce testimoniis clarissimè euincitur, nos scripturas nequaquam torquere, sed eas rectè ingenuéque adhibere.

Galat. 2.
2. Cor. 2.
Cyprianus de simplicitate Prælatorum.
Orige. in Mat. tractat. 1.
Augustin. de Baptismo contra Dona. lib. 7. ca. 43.

Iam verò longum esset fusè commemorare, vt Hardingus, reliquíque gregales sui scripturas tractauerint. Quæ particulariter, & duntaxat de Deo ipso, eiúsque Christo prolata verba sunt, eadem ad Papam accommodare istis hominibus fas est, sine vllo violentæ detortionis crimine. Cornelius Episcopus in postremo Tridentino concilio huiusmodi oratione vsus est: *Papa lux venit in mundum: sed dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* Stephanus autem Archiepiscopus Patracensis in Lateranensi concilio sic Papam affatur: *Tibi data est omnis potestas in cœlo, & in terra:* Similiter Bonifacius papa habet: *Spiritualis à nemine iudicatur.* Rursus: *Quæ sunt potestates à Deo ordinatæ sunt: Ergo, Papa superior est Imperatore.* Vt alia verò istiusmodi loca pene innumerabilia taceam, an hoc sit scripturas detorquêre, nécne prudenti lectori considerandum & iudicandum relinquo. Certè, quemadmodum antè à me dictum est, Camotensis sic de illis refert: *vim faciunt scripturis, vt habeant plenitudinem potestatis.*

Cornel. Episc. Bitontinus in oratione ad Synodum.
Stephan. Archiepis. Patra. in concil. Lateran. sub Leone Sessione 10.
De Maioritate & obedientia vnam sanctam
1. Cor. 2.
Rom. 13.
Citatur à Cornelio Agrippa de vanit. scien.

Quandoquidem autem scripturas Hardingus, in quibus nullum esse defensionis suæ positum præsidium animaduertit, missas penitus facit, omnémque defensionem suam ad legitimam Ecclesiæ praxin reuocat: neque molestum fore, neque inutile Lectori confido, si quasi tentandi studio ἐν παρόδῳ hâc rem breuiter attigero: neque verò dubito, quin hinc omnes certò intelligere possint, Romanum pontificem intra sexcentorum à Christo annorum ambitum nunquamneq. appellatum, neque habitum fuisse caput Ecclesiæ vniuersalis.

Primùm aliarum regionum Episcopi in suis ad pontificem Romanum literis, non caput illũ vocant suum, sed fratrem, vel socium. Cyprianus ad Cornelium sic scribit: *Cyprianus Cornelio fratri:* Episcopi in Carthaginensi concilio ad Innocentium sic scribunt: *Honoratissimo fratri* Ioannes Constantinopolitanus Episcopus ad Hormisdam sic: *Frater in Christo charissime.* Sic Dionysius Episcopus Alexandrinus Stephanum, & Sixtum pontifices Romanos, *fratres suos amantissimos* vocat. Sic Aphricani Episcopi Anastasium appellant *Consacerdotem.* Itidem Cyrillus Cœlestinũ, & Marcellus Ancyranus Episcopus Iulium, *Comministrum* vocant. Ista vocabula, *Frater Consacerdos, Comminister,* æqualitatem potiùs quandam Episcoporum designare videntur, quàm huiusce modi regalem potestatem, seu authoritatem vniuersalem, qualem nunc Romanus pontifex vendicat.

Cyprian. lib. 1. epist. 3.
concil. Cartaginen. 5.
In decretal. Hormisdæ.
Euseb lib. 7. ca. 5.
Euseb. lib. 7. ca. 9.
In cõci. Aphri.
In cõci. Ephes.
Epiphanius li. 3. tom. 1. hæresi. 72.

Deinde, quod ad externam disciplinam Ecclesiæ spectat, Romano pontifici non totius orbis imperium defert, sed suam quandam vt cæteris Patriarchis, & distinctam prouinciam assignat Concilium Nicenum. Aphricanum Concilium disertè vetat, ne quisquã ex illa Regione Romã prouocet. Quatuor Patriarchæ, Romanus, Cõstantinopolitanus, Antiochianus, Alexãdrinus literas ad se mutuò dare communicatorias consueuerunt, quibus religionem, & fidem alteri alteris profiterentur suam: quod societatis, non principatus indicium fuit. Alexandrinum Concilium Asterio lustrandi, perpurgandíque Ecclesias omnes Orientales, Eusebio verò Occidentales summam authoritatem mandauit: in quo Romanum pontificem non nimis curasse, nec eum vniuersalem Episcopum agnouisse videtur. Quid autem attinet longam orationem depromere? Æneas Syluius, qui pòst Romanus pontifex ipse fuerat, hanc rem luculentissimè declarat: *Ad Episcopos* (inquit) *Romanos aliquis sanè, sed tamen paruus, ante Nicenum Concilium respectus erat.* Denique ex ipsis argumentis, quibus Hardingus vtitur, nimirum ex ratione prouocandi: excommunicandi, electiones confirmandi, concilia approbandi, Episcopos restituendi, schismaticos in gratiam recipiendi, planum me facturum spero Romanum pontificem pro capite Ecclesiæ agnitum non fuisse, ne vniuersalem huiusmodi, absolutámque potestatem obtinuisse. Ita sextuplex Hardingiana probatio, in margine distincta, tandem non nisi simplex apparebit.

Concil. Nicen. can. 9.
Concil. Aphric. can. 92.
Literæ Synodicæ.
Geor. lib. 1. epi 25. & li. 6. epist 24.
Rufin. lib. 1. ca. 29.
Æneas Syluius

Hardingus. 21. Sectio.

Primùm de prouocatione Episcoporũ ad sedem Apostolicam, præter alia multa celeberrima illa exẽpla habemus, Athanasii illustrissimi Episcopi Alexandrini, & luminis mundi, qui magnis multisque affectus iniuriis ab Arianis, primò ad Iulium Papam, eóque defuncto ad Fœlicẽ prouocauit: Chrysostomi, qui ad Innocentium prouocauit, Theophili coactus violentis iniuriis: Theodoreti, qui ad Leonẽ. Neque verò tantùm per delegatos suos ad Papam prouocare soliti sunt Episcopi, verùm etiam quibusdam in causis ipsi iussi, & citati in personis suis comparuerunt. Quod manifesto constat ex historia Theodoreti, qui sic scribit: Eusebius Nicomedensis (qui summa fuit Arianorum columna) quique eum in illa factione sequuti sunt Athanasium Iulio Romano pontifici falsò detulerunt. Iulius Ecclesiasticam normam sequutus eos Romam venire iussit, & venerandum Athanasium regulariter citandum curauit. Is adfuit ad diem. Falsi delatores Romam non iuerunt, certò scientes fictum suũ mendacium deprehensum iri.

In causa defensionéque Ioannis Chrysostomi, hi Episcopi Constantinopoli ad Innocentium Papam profecti sunt, Pansophus Pisidiæ Episcopus, Pappus Syriæ, Demetrius secundæ Galatiæ, Eugenius Phrygiæ. Hi supplices fuerunt pro Chrysostomo. Ipse per literas cum Innocentio causam suam egit. In epistola autem, inter alia, sic scribit: Ne confusio hæc omnem, quæ sub cœlo est, nationem inuadat, obsecro vt scribas, & authoritate tua definias, quòd hæc tam iniquè facta, & absentibus nobis, & non declinantibus, iudicium, non habeant robur, sicut neque sua natura habent. Illos autem, qui iniquè egerunt,[a] Ecclesiasticæ censuræ subiicito: nos verò, qui nec conuicti, nec redarguti, nec habiti vt rei sumus, Ecclesiis nostris restitui manda, vt solita fratrum charitate fruamur. *Innocentius re omnipenitus cognita, Theophili iudicium contra Chrysostomum irritum esse pronunciauit, & decreuit. Omnis hæc tragœdia fusè commemoratur & exponitur à Palladio Helenopolitano Episcopo, In vita Ioannis Chrysostomi, qui eodem tempore vixit. Ex hac Chrysostomi prouocatione, atque ex tota actione, maximè autem ex ipso filio huius Epistolæ ad Innocentium, Papæ primatus apertissimè confirmatur. Idẽ etiam fatentur Athanasius, & Episcopi Aegypti, Thebaidos, Lybiæ in Alexandrino concilio congregati hisce verbis, in epistola ad Fælicem:* Vestrum est enim nobis manum porrigere, quia vobis commissi sumus. Vestrum est nos defendere, atque liberare: nostrúmque est à vobis auxilium expetere, vestríque parere iussionibus. *Et paulò pòst:* Scimus enim vos vniuersalis Ecclesiæ, & maximè Episcoporum, qui oculi propter contemplationem & speculationem vocantur Domini, curam gerere: vt semper vestræ sedis præsules, primò Apostoli, deinde successores eorum fecerũt: *Theodoretus eruditissimus ille episcopus Cyri, præter illam epistolam, in qua Leonis auxilium, & opem implorauit, maximis affectus molestiis, in alia epistola ad Renatum presbyterum, Leonis intimum sic scribit:* Spoliarunt me sacerdotio, exegerunt me ciuitate, nec ætatem meam in religione consumptam, nec canos reuerentes. Itaque te obsecro, persuade sanctissimo Archiepiscopo (*Leonẽ intelligit*) vt sua Apostolica authoritate vtatur, & nos ad vestrum concilium venire iubeat. Hæc enim sacrosancta sedes clauum & gubernacula omnium totius orbis ecclesiarum tenet, tum propter alias causas, tum maximè quòd semper pura remansit ab omni sentina hæreseos, nec quisquam in ea sedit, qui contra sensit, sed potiùs gratiam Apostolicam semper incorruptam seruauit. *In quibus verbis Theodoreti, hoc præcipuè obseruandum est, quòd sancta sedes Romana (vt inquit) Ecclesiarum totius orbis gubernacula teneat, ob hanc maximè causam, quòd hæresi nunquam contaminata fuisset, vt cæteræ omnes ab Apostolis institutæ* Ecclesiæ *fuerant.*

[a] Falsum: Chrysostomi verba ementita.

Episcopus Sarisburiensis.

Romanos pontifices, quò principatu, summóque totius orbis imperio potirentur, cùm multa ambitiosissimè, importunissiméque tentasse, tum sanctissimi Concilij Niceni Canones manifestò corrupisse certissimum est. A quo tempore nunquam destiterunt, sed nouos subinde in hac sententia Canones excuderunt, quos Clementi, Anacleto, Euaristo, Telesphoro, Hygino, aliísque Martyribus falsò attribuerunt, atque multos præterea consimiles, de suo finxerunt. Epistola Decretalis, quæ Iulio ascribitur, ficti aliquid videtur redolere, tum ob alias probabiles causas, tum etiam quia à vera Iulij epistola, quam Athanasius citauit in Apologia sua, discrepat, cùm vnæ, eædémque esse ambæ, nec vlla in re differre deberent. Quapropter non iniuria nobis suspicari licet, *Quicquid Roma venerit, instar Euangelij neutiquam esse habendum.* Itaque vt se per summam ambitionem in altissimum gradum extollerent, oblata ex huiusmodi prouocationibus occasione abusi, cùm causam ipsam nunquam parum cognoscerent, quemadmodum ex eo constat, quod de Apiario scriptum est, quódque de Flauiano, & Eutychete memoriæ proditur, pios & catholicos Episcopos asperiùs tractabant, atque hæreticos in gratiam suam recipiebant: id quod Episcopi in generali Concilio Aphricano vehementer improbant, & sibi magnopere displicere significant.

Athanasius in apologia 2.

Primùm igitur ostendam, nullas huiusmodi ex omnibus orbis terrarum regionibus ad Romanum pontificem fuisse legitimas prouocationes, atque hoc igitur falsò esse ab Hardingo positum. Et probatu facilem ad hæc Chrysostomi, Athanasij, Theodoreti loca fore responsionem confido

confido. Quòd autem nulla huiuſcemodi data tum fuerit ad Papam prouocatio, ex Conciliorũ generalium conſenſu, ex authoritate ſanctorum patrum, ex legibus & ſanctionibus imperatorũ atque principum perſpicuum eſt: ex quibus Eccleſiæ cuiuſmodi fuerit ea memoria conſuetudo, & vſus, facilè licebit intelligere.

In Niceno Concilio ſic decretum fuit: *Ab aliis excommunicati, ab aliis, ad Communionem ne recipiantur.* Prouocationes Hardingianæ, atque iſta verba non bene conueniunt. At obiiciet, Epiſcopum vel ignorantia deceptum, vel malitia impulſum iniuſtè excommunicare alterum poſſe. Huic incommodo hoc ipſum concilium remedium comparauit prouocandi, non ad Pontificẽ Romanum, ſed ad ſynodum prouincialem eiuſdem regionis. Hæc verba ſunt Concilij: *Ergo vt hæc poſſint digna examinatione perquiri rectè viſum eſt, per ſingulos annos, in ſingulis prouinciis, bis in anno, Epiſcoporum Concilium fieri, vt ſimul in vnum conuenientes ex cõmuni prouincia, huiuſmodi quæſtiones examinent.*

Concil. Nicen. 1. Can. 5.

Concil. Nicen. 1. Can. 5.

Epiſcopi in Concilio Telæ habito in Hiſpania ſic decreuerunt: *Presbyteri, & Clerici ne appellent, niſi ad Aphricana Concilia.*

Conſil. Telen. tempore Z oſimi Cano. 17.

Ita Mileuitanum Concilium ſanxit: *Si ab Epiſcopis appellandum putauerint, non prouocent niſi ad Aphricana Concilia, vel ad Primates prouinciarum ſuarum. Ad tranſmarina autem qui putauerint appellandum, à nullo intra Aphricam in Communionem recipiantur.*

Concil. Mileuitan. Can. 22.

Similiter in Concilio Aphricano cautum fuit: *Si fuerit prouocatum, eligat is, qui prouocauerit, Iudices, & cum eo & ille, contra quem prouocauerit, vt ab ipſis deinceps nulli liceat prouocare.*

Concil. Aphrican. Can. 62.

Rurſus in eodem Concilio: *Non prouocent, niſi ad Concilia Aphricana*, & ſic deinceps verbatim, ſicuti in Concilio Mileuitano habetur. Non poſſum autem hîc Gratiani hac de re Gloſſema tacitus dimittere. Quòd enim Concilium ſtatuit, vt qui ad tranſmarina prouocauerint pro excommunicatis haberentur, Gratianus ſic interpretatur hoc decretum, & hanc perbellam exceptionem, quaſi quoddam medicamentum adhibet: *Niſi fortè Romanam ſedem appellauerint.* Qua quidem interpretatione illud ipſum ex lege eximit, propter quod vnum lex ipſa lata eſſet. Certum eſt enim & minimè dubium Concilium Aphricanum præcipuè atque diſertè voluiſſe omnes prohibere ad ſedem Romanam prouocationes. Atque has tamẽ ſolas Gratianus excipiẽdas eſſe contendit.

Concil. Aphrican. Cano. 92.

2. Quæſt. 6. Ca. placuit.

Quid autem tam perſpicuum eſſe poteſt quàm epiſtola illa, quæ eſt à ducentis & ſeptendecim Epiſcopis in Concilio Aphricano data ad Cœleſtinum pontificem Romanum, in qua cũ ſtatus ratióque omnis, qua hęc cauſa acta eſt, fuſè exponitur, tum quàm grauiter & moleſtè totum hoc negotium ferrent, ſignificatur. Sic verba habent: *Decreta Nicena ſiue inferioris gradus clericos, ſiue Epiſcopos ſuis Metropolitanis apertiſſimè commiſerunt. Prudentiſſimè enim iuſtiſſiméque prouiderunt, quæcunque negotia in ſuis locis, vbi orta ſunt, finienda, nec vnicuique prouinciæ gratiam ſancti ſpiritus defuturam, qua æquitas à Chriſti ſacerdotibus & prudenter videatur, & conſtantiſſimè teneatur: maximè quia vnicuique conceſſum eſt, ſi iudicio offenſus fuerit Cognitorum, ad concilia ſua prouinciæ vel etiam vniuerſale prouocare. Niſi forte quiſquam eſt, qui credat, vni cuilibet* (Romanum nimirum pontificem deſignat) *poſſe Deum noſtrum examinis inſpirare iuſtitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium ſacerdotibus denegare, Aut quomodo ipſum tranſmarinum iudicium ratum erit, ad teſtimonium neceſſariæ perſonæ, vel propter ſexus, vel propter ſenectutis infirmitatẽ, vel multis aliis intercurrentibus impedimentis adduci non poterunt? Nam vt aliqui, tanquam à tuæ ſanctitatis latere mittantur, nulla inuenimus patrum ſynodo conſtitutum. Quia illud quod pridem per eundem coepiſcopum noſtrum Fauſtinum, tanquam ex parte Niceni Concilij exinde tranſmiſiſtis in Conciliis verioribus, quæ accipiuntur Nicena, à ſancto Cyrillo coepiſcopo noſtro Alexandrinæ Eccleſiæ, & à venerabili Attico Conſtantinopolitano antiſtite, ex authentico miſſis, tale aliquid inuenire non potuimus. Executores etiam Clericos veſtros quibuſque petentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumoſum Typhum ſeculi in Eccleſiam Chriſti, quæ lucem ſimplicitatis, & humilitatis diem, Deum videre cupientibus præfert, &c.*

Epiſtola Aphrican. concilij ad Cœleſtinum

Iuſtitiam examinis vnicuilibet.

Epiſcopi Orientales, qui Ariani extiterunt, cum Romano pontifice per literas de illius ambitione, qua dominatum in ipſos ſibi aſſumpſit iniuſtum expoſtulabant: neque fas ei eſſe, quod ab ipſis actum fuerat, vllo dolo malo, aut prætextu prouocationum irritum facere docebant.

Sozomenus lib. 3. ca. 8

Cyprianus hanc Romam curſandi, fallendíque iuris conſuetudinem reprehendens ad Cornelium pontificem Romanum ſcribit ad hunc modum: *Quum æquum iuſtúmque ſit, vt vniuſcuiuſque cauſa illic audiatur, vbi crimen eſt admiſſum, & ſingulis paſtoribus portio gregis ſit adſcripta, quam regat vnuſquiſque & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus, oportet vtique eos, quibus præſumus, non circumcurſare, nec Epiſcoporum concordiam cohærentem ſua ſubdola & fallaci temeritati collidere: ſed agere illic cauſam ſuam, vbi & accuſatores habere, & teſtes ſui criminis poſſint: niſi paucis deſperatis, & perditis minor videtur eſſe authoritas Epiſcoporum in Aphrica conſtitutorum, qui iam de illis iudicauerunt, &c.*

Cyprian. lib. 1. Epiſt. 3.

Hinc liquido patet ſanctos patres atque Epiſcopos antiqua memoria, hanc cauſarum Romã vſque tranſlationem vehementer improbaſſe, quòd eo modo iuſtitiam infringi, augeri ambitionem, & ſanctos Canones palàm violari perſpicerent.

Quapropter Iuſtinianus Imperator, quæ hinc dimanare potuerunt, incommoda proſpiciens

Authen. De sanctiss Episcopis. Collatio 9. Si quis verò.

ἐκδίκους αἰτίας ἀντιλέγειν δυναμένῳ.

In eodem. παρεχέτω πέρας

atque huic intolerabili ambitioni occurrere cupiens, vt hanc licentiam seuera lege reprimeret, subditis suis necessarium esse iudicauit. Legis autem hæc forma extat. *Siquis sanctissimorum Episcoporum eiusdem Synodi dubitationem aliquam ad inuicem habeat, siue pro ecclesiastico iure, siue pro alijs quibusdam rebus prius Metropolita eorum, cum alijs de sua Synodo Episcopis causam examinet, & iudicet. Quòd si vtraque pars rata non habuerit ea, quæ iudicata sunt, tunc beatissimus Patriarcha Diœceseos illius inter eos audiat, & illa determinet quæ Ecclesiasticis Canonibus, & legibus consonant, Nulla parte eius sententiæ contradicere valente.* Deinde statim sequitur: *Patriarcha secundùm Canones, & leges præbeat finem.* Hisce verbis omnes ad Romanam sedem prouocationes funditus tolluntur.

Codi. De sacrosanctis Ecclesiis. Omni. Cod. De Epis. & Clericis. Actor. in nullo alio foro, vel apud quenquã alterum Iudicem, Clericos (Ecclesię Constantinopolitanæ) litibus tenet irretire. Cod. de Episcopis. & Clericis. Omnes.

Huc accedit, quòd Honorius atque Theodosius Cæsares factas ad pontifices Romanos prouocationes illis eripuerint, atque legem de iisdem apud Episcopum, Synodúmque Constantinopolitanam instituendis iusserint. Lex hac forma perscripta est: *Omni innouatione cessante, vetustatem & Canones pristinos Ecclesiasticos, qui vsq; tunc tenuerunt, per omnes Illyrici prouincias seruari præcipimus: vt si quid dubietatis emerserit, id oporteat, non absque sententia viri Reuerendissimi Sacrosanctæ legis Antistitis Ecclesiæ vrbis Constantonopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogatiua lætatur, Conuentui Sacerdotali, & sancto iudicio reseruari.* Non debet hic Hardingus obliuioni tradere, quòd Cnostantinopolitana Ecclesia æque amplas, siue authoritatem, siue præcellentiam, siue potestatis vniuersalitatem spectes, prærogatiuas obtinuerit, atque Romana vnquam Ecclesia. Quare si Romanus pontifex Ecclesiæ vniuersalis caput extitisset, Constantinopolitanum etiam episcopum caput eiusdem perinde fuisse, necesse esset.

Præterea Leo Imperator hoc ipsum disertiùs adhuc iussit: *Omnes, qui vbicunque sunt, vel posthac fuerint, Orthodoxæ fidei Sacerdotes, & Clerici, cuiuscunque gradus sint, Monachi quoque in causis ciuilibus, ex nullius penitus maioris, minorisue sententia Iudicis commonitoria ad extranea iudicia pertrahantur, aut prouinciam, vel locum, vel regionem, quam habitant, exire cogantur.* Itaque, siue Ecclesiasticum, siue politicum iudicium esset, causam dicere in sua prouincia reum oportuit, non ad externa, & transmarina tribunalia inuitum trahi.

Bernard. ad Eugenium. de Cõsideratione. lib. 3.

Quantopere verò Bernardus morem istum probauerit, ex ipsius quidem verbis apparet. Sic enim ad Eugenium pontificem scribit: *Quousque non euigilat consideratio tua ad tantam appellationum confusionem? Ambitio in Ecclesia per te regnare molitur: præter ius, & fas, præter morem, & ordinem fiunt. Repertum ad remedium, reperitur ad mortem: Antidotum versum est in venenum. Murmur loquor, & querimoniam communem Ecclesiarum. Truncari se clamant, & demembrari. Vel nullæ, vel paucæ admodum sunt, quæ plagam istam aut non doleant, aut non timeant.* Hic ille egregius est & præstans locus, in quo primum Hardingus primatus sui fundamentum iecit: Confusio, mors, venenum, terror, truncatio Ecclesiæ: vsurpatur præter ius, præter fas, præter morem, præter ordinem: improbatur à sanctis patribus: damnatur a piis Conciliis: denique penitus antiquatur & rescinditur à compluribus clarissimis, nobilissimisque principibus. Hoc præcipuum est fundamentum, quo primatus nititur Hardingianus.

Vrgebunt tamen isti homines, & acriter instabunt Chrysostomum, Athanasium, & Theodoretum, patres & Episcopos summa pietate, & sanctimonia præditos, Romam prouocasse, Romaníque pontificis authoritatem agnouisse, atque, vt ea vti vellet, suppliciter obsecrasse. Quò autem hoc cuiusmodi fuerit, certiùs intelligamus, necessarium videtur statum, in quo tũ hi sancti patres versati sunt, & miserandam rerum omnium in Orientali orbis parte grassantem eo tempore perturbationem intueri. Chrysostomus de ea sic habet: *Certamen est totius orbis: Ecclesiæ vsque ad genua humiliatæ sunt: populi dispersi: Clerus dinexatus: Episcopi exules: constitutiones patrum violatæ.* Dux imperatorius templum, in quo precibus operam dabat Athanasius, obsedit: Cæterorum, qui cùm Athanasio fuerunt, partim bonis omnibus expoliati sunt, partim relegati, partim militum pedibus obtriti, partim in via trucidati. Paulus Constantinopolitanus strãgulatus: Marcellus Ancyranus munere abdicatus: Lucius Adrianopolitanus in custodia mortuus. Theodulus & Olympius, duo Thracẽses Episcopi interfici iussi. Imperator ad se adduci aut viuum, aut mortuum Athanasium iusserat.

Epist. 2. chrysost. ad Innocentium. Socrates lib. 2. cap. 11. Sozomen. li. 3. cap. 6. Athanas. in Epistola ad solitariam vitã agentes. Theodoret. lib. 2. cap. 14.

Hi sanctitate præstantes patres, cum res in extremam propè desperationem adductas, totámque Orientalem Ecclesiam miserè vastatam viderent, eò confugere coacti sunt, vnde spes aliqua consolationis affulgebat: maximè autem Ecclesiæ Romanæ fidem implorabant, quæ tum & propter hominum frequentiam, & religionis integritatem incorruptam, summámque in eadẽ perseuerantiam, & quòd etiam ferre opem miseris ac pro illis deprecari nõ grauatè soleret, omnium erat celeberrima, præque cæteris nobilitata. Similiter autem nonnunquam ab imperatore opem petebant. Etenim Athanasius in Concilio Tyri damnatus ad Imperatorem Constantinum prouocabat: Flauianus ad Theodosium, Valentinianúmque Imperatores: Donatus a Casis Nigris ad Constantinum: Imperatores autem aliquando reos ad se euocabant, & rem ipsi iudicabant: aliquando eos aliis per literas studiose scriptas commendabant. Constans Imperator ad fratrem suum Constantium scripsit, vt Episcopos Orientales citaret, ab eisque rationem actorum omnium contra Athanasium suorum exigeret. Imperator Honorius operam dedit, quãtam potuit, vt Athanasius restitueretur. Constantinus Imperator Athanasij impulsus querelis, Episcopus Concilij Tyriani præsentes apud ipsum adesse iussit. Verba mandati sic habent: *Quot-*

Athanas. Apolog. 2. Socrat. lib. 1. cap. 23. Cassiodorus li. 4 cap. 20. Ambros. lib. 10. Epist. 78. August. epist. 162. Inter decreta Iulij, è Sozomeno.

quot Synodum Tyri habitam compleuistis sine mora ad pietatis nostræ castra properetis: ac re ipsa, quàm syncerè ac rectè iudicaueritis ostendatis: idque coram me, quem syncerum esse Dei ministrum, ne vos quidem ipsi negabitis. Sic sancti homines iniuriis ac miseriis afflicti, auxilium quærebant, vbicunque vlla inueniendi spes ostenderetur. Ista autem auxilij imploratio atque obtestatio cum accusatione aduersariorum coniuncta, & illorum calamitates declarat, nec legitimam prouocandi rationem cumulatè euincit.

Attamen certissimũ est, & extra omnem controuersiam positum, Chrysostomum ad Innocentiũ prouocasse: etenim Hardingus eius hîc verbis vsus est. Protulit hoc in loco Chrysostomum Hardingus: fateor. Sed perinde ingenuè & fideliter, ac Nicenum olim Concilium Papa Zosimus. Tu verò, optime & Christiane lector, si tibi Chrysostomus suppetierit, inspice locum istum, eiúsque verba perpende diligenter: sin minùs habes, ne sis tamen nimiùm ad credendũ facilis. Non agit tecum Hardingus simpliciter. Chrysostomi verba sic Latinè habent: *Ne confusio hæc omnem, quæ sub cœlo est nationem inuadat, obsecro vt scribas, quòd hæc tam iniquè facta, & absentibus nobis, & non declinantibus iudicium, non habeant robur: sicut neq; natura sua habent. Illi autem qui iniquè egerunt, pœnæ Ecclesiasticarum legum subiaceant. Nobis verò, qui nec conuicti, nec redarguti, nec habiti, vt rei sumus, literis vestris, & charitate vestra, aliorúmq; omnium, quorum antè societate fruebamur, frui concedite.* In his nõ ita multis tria loca Hardingus insigniter adulterauit, immutatis prorsus verbis, aliisque de suo interpositis, atque intertexis. Hæc enim verba, quæ authoritatem Romano pontifici nõnullam tribuere, & prouocationem arguere videntur: (sic autem valent, *Scribas & authoritate tua decernas: eos Censuræ ecclesiasticæ subiicias: manda vt nos ecclesiis nostris restituamur:*) hæc, inquam, verba in Chrysostomo non inueniũtur, nec in Græco, nec in Latino: sed duntaxat ab Hardingo perbellè introducuntur, quò meliùs exornet hanc suam atque instituat prouocationem. Causam istam sine manifesta corruptione ac deprauatione doctorum nullo modo consistere posse videt. Itaque hæc Hardingi est, non Chrysostomi prouocatio.

Epist. Chrysost. ad Innocen. in tom. 5.

Hardingus Chrysostomum insigniter corrumpit.

Quòd enim nullam istiusmodi ad Romanum pontificem prouocationem Chrysostomus fecerit, tum ex Chrysostomi ipsius epistolis, tum ex ipso modo, quo episcopus Romanus in hac re agenda vsus est, tũ ex rei exitu atque definitione apertissimè constat. Nam quod ad ipsum Chrysostomum attinet, nullam ille prouocationis vllius mentionẽ facit: nec rogat, vt Romã aduersarij sui euocentur: nec Innocentium pro totius orbis episcopo, aut pro generali orbis vniuersi iudice æstimat: sed his solummodo verbis eum salutat: *Innocentio episcopo Romæ Ioannes.* Tum in eadem epistola omnia huiuscemodi externa iudicia remouet, atque repudiat, iuxta sanctiones Carthaginensis, Mileuitani, Aphricanique Concilij. Hæc sunt ipsius verba: *Neq; congruum est, vt hi, qui in AEgypto sunt, iudicent eos, qui sunt in Thracia.*

Ad Innocen. epist. priore.

Neque verò ipsius pontificis Romani verba vllam videntur prouocationis continere significationem, sed contra potiùs valere. Etenim non visitata sua iubẽdi aut mãdandi voce vsus est, sed tantùm facili quodam ac familiari scribendi genere hortatur, vt adsint: neque vt corã ipso adsint, sed coram Synodo complurium episcoporũ, qui ea de causa conuenerant. Sic enim Iulius ad Episcopos Orientales scribit: *Quæ est causa offensionis? An quia adhortati vos sumus, vt ad Synodum occurreretis?* Hîc eos hortatur, & rogat, non iubet, non mandat: neque vt ad ipsum, sed vt ad Concilium veniant excitat. Rursus ait: *Legati vestri Macarius presbiter, & Hesychius diaconus, Concilium indici postulauerunt.* Rursus: *Vellem vos magis ad iam dictam Canonicam conuenire vocationem, vt coram vniuersali Synodo reddatis rationem.* Similiter ad Athanasiũ scribẽs Basilius in illo luctuosissimo calamitosissimoque tempore consilium ei dat huiusmodi: *Viros igitur ecclesiæ tuæ potẽtes* (Non ad Pontificẽ Romanum, sed) *ad Orientales episcopos mitte, qui quibus calamitatibus premamur, illis exponant.* Similiter iterum habet: *Visum mihi est consentaneum, vt scribatur episcopo Romæ, vt ea, quæ hîc geruntur, consideret, dẽtq; Concilium.*

Epist. Iulij in Athanasij Apolo. 2.

In Apolog. 2. Epist. Iulij ad Orientales, inter decreta Iulij.

Basil. epist. 48. ad Athanasi.

Neque sua tantùm authoritate Romanus pontifex episcopis Orientalibus diẽ dixit, sed ex aliorũ episcoporum consilio. Sic enim Athanasius inquit: *Misit omnium Italicorum episcoporum consilio Iulius ad episcopos Orientales, certum illis Synodi diẽ denuntians.* Quod ipse etiã Iulius affirmat, hisce verbis: *Tametsi solus sim, qui scripsi, tamen non meam solius sententiam, sed omnium Italorum, & omnium in his regionibus Episcoporũ scripsi.* Simili ratione Innocentius pontifex Romanus restituendi Chrysostomi, reducendæque in pristinã concordiã ecclesiæ percupidus, non seipso, nec sua subnixus authoritate, sed decreto atque consensu Cõcilij in Italia habiti fretus, Legatos in Orientales partes misit: atque in Concilio cum aliis præsens potestatem illam vniuersalem sibi non assumpsit, quam isti nunc fingunt, sed sententiam, perinde vt cæteri, dixit quemadmodum ex Miltiade Romano pontifice apparet, cui simul cum tribus episcopis Gallicanis, & quatuordecim Italis mandatum fuit, vt Cæciliani, & donati à Casis Nigris causam decernerent.

Basil. ad Athanasi. epist. 42.

Atha. in epist. ad solitariam vitam agentes.

Epist. Iulij. in apologia Athanasij. 2. Niceph. lib. 13. cap. 33.

Optatius lib. 1

Iam vt ad actionem huius causæ veniamus, Hardingus non est nescius episcopos Orientales hanc singularem authoritatem, & prærogatiuam pontificis Romani neutiquam agnouisse, & propterea vocatos non paruisse, nec eius sententiam tantilli æstimasse, id quod multis modis facilè demonstrari queat. Igitur hoc responsum Iulio remiserunt: *Si nostris placitis assentiri volueritis, pacem vobiscum, & communionem habere volumus. Sin verò aliter egeritis, & eis ampliùs, quàm nobis assentiri iudicaueritis, contraria celebrabimus: & deinceps nec vobiscum congregari, nec vobis obedire, nec vobis vestrísve fauere volumus.*

Inter decret. Iulij concil. tom. 1.

Hanc actorum suorum infirmitatem pontifices Romani & intellexerunt ipsi, & ingenuè cõfessi sunt. Sic enim Innocentius ad Augustinum, Alypium, aliosque Aphricanos episcopos scribit de Pelagio: *Si adhuc taliter sentit, cum sciat se damnandum esse, quibus acceptis literis aut quando se nostro iudicio committet? Quòd si accersendus esset, id ab illis melius fieret, qui magis proximi, & non longo terrarum spatio videntur esse disiuncti.* Qua de causa Iulius pontifex Romanus, quam ipse hac in re parum posset, non ignarus, ad imperatorem Constantem literas misit, eúmque de re omni certiorem fecit, petiitque vt ad fratrem suum Cõstantium scriberet, atque ab eo contenderet, vt episcopos Orientales mittendos curaret, quò factorum

Inter decreta Innoc. epi. 27.

Sozom. lib. 3. cap. 10.

Concil. const. 5. actio. 1.

in Athanasium suorum rationem redderent. Eodem modo Clerus ciuitatis Antiochenæ similibus ærumnis afflictus & vexatus, ad Ioannem Constantinopolitanum patriarcham scripsit, vt imperatorem pro eis deprecaretur. Ex his intelligitur immensam hanc infinitámque potestatem, atque incredibilem dominatus in orbem vniuersum prærogatiuam ea quidem memoria ignotam fuisse.

Hinc igitur clarè esse luculentérque comprobatum iudico, primò pontificem Romanum factas ex omni parte orbis prouocationes recipiendi authoritatem non habuisse, idque ex Niceno, Telensi, Mileuitano, atque Aphricano Concilijs, ex Cypriano, atque ex Martiano, & Iustiniano imperatoribus patuit. Deinde, Hardingum causæ suæ melius amplificandæ gratia Chrysostomū ter vno in loco egregiè ementitum esse. Tertiò, literas Chrysostomi querelam habuisse, non prouocationem, quod etiam tum ex ipsis verbis, & genere literarum declaratum fuit, tum ex pontificis Romani ipsius cōfessione, tum ex infirmactorum suorum authoritate. Ius enim inquit: *Iurisdictio sine modica coerctione nulla est.* Non autem nego, quin ex compromisso, & litigantiū arbitrio fierent aliquando cùm apud Romanum pontificem, tū alios etiam episcopos iudicia, non tamen ex legitima aliqua agendi formula, aut iuris præscriptione. Hoc etiā modò ad Iulium perductam fuisse hāc inter Athanasium atque Arianos primùm controuersiā credibile videatur, quandoquidē Ariani illū magnopere & libenter rogarunt, vt cognoscendæ huius rei causâ Cōcilium cōuocaret. Etenim ipse Iulius ad episcopos Oriētales scribit, sicuti antè cōmemorauimus: *Si Macario, & Hesychio nullam Synodum postulantibus adhortator fuissem, vt ad Synodum, qui ad me scripsissent, conuocarentur, idq. in gratiam fratrū, qui se iniuriam pati conquerebantur, etiam ita iusta fuisset mea cohortatio: Iam verò, vbi iidem illi, qui à vobis pro grauibus viris & fide dignis habiti sunt authores mihi fuerint, vt vos conuocarem, certè id à vobis ægre ferri non debuit.* Quare Iulium istos euocasse, non aliqua istiusmodi potestate vniuersali, qualem Hardingus comminiscitur, inductum, sed consensu duntaxat & postulatione vtrorumque commotum manifestò constat. Atque iccirco Iulius ait, ab eo citatum fuisse Athanasium *Regulariter.* Iudicij enim regula fert, vocari primùm, tum accusari, postremò condemnari: Canonum autem regulam minimè intelligit, quemadmodum Hardingus interpretatur. Nam de prouocationibus Romam faciendis nullus adhuc perlatus Canon fuerat, Ad spuriam Athanasij, ad Fælicem epistolam antea responsum est. Theodoretus loco suo motus, in exilium pulsus, crudeliterque tractatus fuerat, quemadmodū ex suis ad Renatum literis apparet: quo fit, vt ea, quibus vsus ille est, verba calamitatum potiùs atque angustiarum suarum indicia, quàm iudicij certa testimonia fuisse sui videantur. Solet enim quisque eum efferre, eiúsque potestatem amplificare, cuius opem implorat, atque petit. Verùm etiamsi daremus Romano tum licuisse pontifici quasuis prouocationes suscipere, ea, qua fingunt isti, ratione, ex eo tamen Hardingus necessariò euincere non poterit, pontificem Romanum caput vniuersalis ecclesiæ fuisse. Ostiensis enim inquit: *Prouocationes fieri possunt, non solùm ab inferiore iudice ad superiorem, sed etiam ab æquali ad æqualem.* Hac autem ratione, sicuti post fusiùs & vberiùs demonstrabimus, Donatus à Casis Nigris legitimè fuit à pontifice Romano ad episcopum Arelatensem apud Gallos per Imperatorem translatus. Ostiēsis verba huiusmodi sunt: *Non nocebit error, si appelletur ad maiorem, quàm debuerit, vel ad parem.* Quo in loco sic annotatum est in margine, *Appellari potest ad parem si de hoc sit consuetudo.* Hinc manifestum est prouocationes ad ipsam iuris strictam regulam directas, necessariò non concludere quandam dignitatis præstantiam, nedum hunc infinitum in vniuersam ecclesiam dominatum.

De officio eius, cui mandata est iurisdictio. Mandatam.

Epistol. Iulij in apolog. Ath. 2.

Regulariter.

Theodoret.

August. epist 162.

Extra. de appellationib. in sexto Roma. Eccle. in glosa.

Tametsi primum hoc principium de prouocationibus contra ipsum retorqueri, reijcíque nullo negotio posse, Hardingus prouidisse facilè potuisset.

Primò, quòd firmissimis testimoniis constat prouocationes eo tempore, in causis adeo ecclesiasticis, ad Imperatores principésque politicos factas esse.

Secundò, quòd pontifex Romanus huiusmodi causas ad se prouocatione delatas, mandato, iussúque Imperatoris iudicarit.

Tertiò, quòd causæ à pontifice Romano priùs cognitæ atque definitæ, postea, facta prouocatione, ab illo fuerint ad alios iudices translatæ.

Quod attinet igitur ad primū, legitimè fuisse ad principem in negotiis ecclesiasticis prouocatū, ex Eusebio, Socrate, Nicephoro, atque Augustino compluribus in locis perspicuè constat. Donatus à septuaginta episcopis damnatus in Aphrica Constātinum imperatorē appellauit, ab eóque admissus est. Augustinus habet: *Parmenianus vltro passus est suos adire Constantinum.* Rursus habet: *Infero adhuc & verba Constātini ex literis eius, vbi se inter partes cognouisse, & innocētem Cæcilianum comperisse, testatur.* Similiter habet: *An fortè de Religione fas non est, vt dicas Imperator, vel quos miserit Imperator? Cur ergo ad Imperatorē Legati vestri venerunt?* Sic rursus etiam: *Si nihil debent in his causis imperatores iubere, si ad Imperatores Christianos hæc cura pertinere non debet, quis vrgebat maiores vestros causam Cæciliani ad Imperatorem mittere?* Quapropter Constantinus Cæsar Episcopis Orientalibus, qui ad Concilium Tyrianum conuenerant, vt ipsi adessent, denūtiauit, quò factorum suorum rationem redderent. Hæc sunt ipsius verba: *Vt re ipsa, quàm syncerè, ac rectè iudicaueritis, ostendatis: idque coram me.* Ex his paucis testimoniis luculenter apparet, illa quidem memoria ad principem fuisse in causis Ecclesiasticis prouocatum: eique tum licuisse easdem cognoscere. Neque tamen idcirco caput vniuersalis Ecclesiæ princeps fuit. Gregorius non alienum existimauit negotium ecclesiasticum de cuiusdam episcopi purgatione Brūnichildæ Gallorum reginæ demandare. Tametsi sic animaduersum est in Glossa: *Fuit tamen hic nimium papaliter dispensatum.* Quod ad Romani pontificis hac in re potestatem attinet, huiuscemodi prouocationes ad ipsum delatas esse Imperatoris mandato, non suo iure certissimè constat. Augustinns contentionem eam, quæ inter Cæcilianum & Donatum A Casis nigris fuerat, exponens, rem istam dilucidè narrat hoc modo: *An fortè non debuit Romanæ Ecclesiæ*

Euse. lib. 10. ca. 5.
Socr. li. 1. ca. 34.
Niceph. lib. 7. cap. 43.
August ep. 162.
Contra epist. Parm. li. 1. ca. 5.
Contra Cresc. Gram. l. 3 c. 71
Contra epist. Parm. li. 1. ca. 7.
August. epist. 68
Soc. li. 1. ca 33.

Gregor. lib. 11. Epist 8.
2. Quæst. 5. Mennam.

Aug. epi. 162.

Ecclesiæ episcopus Miltiades cũ Collegis transmarinis episcopis illud sibi vsurpare iudicium, quod ab Aphris septuaginta, vbi Primas Tigisitanus præsedit, fuerat terminatum? Quid, quod nec ipse vsurpauit? Rogatus quippe Imperator Iudices misit episcopos, qui cum eo sederent. Ipsum mãdati istius exemplar tum in Eusebio, tum in Nicephoro extat adhuc. Neque verò id fuit Romano duntaxat pontifici delegatum, sed ei vnà cum Rheticio, Materno, Marino, & Marco cõmissum, quos imperator ipsius vocat collegas. Sic autem mandati verba habent: *Constantinus imperator Miltiadi episcopo Romano & Marco. Quandoquidem plures ad me literæ venerunt ab Anilino, illustrissimo Aphricæ præfecto, in quibus scribit Cæcilianum Carthaginẽsem Episcopum à quibusdam Collegis suis de multis rebus accusari &c. Visum est mihi, vt Cæcilianus ipse cum decem episcopis eius accusatoribus, & cum decem aliis, quos ipse suæ causæ necessarios esse iudicarit, Romam nauiget: vt ibi vobis præsentibus vnà cum Rheticio, & Materno, & Marino collegis vestris, quos huius rei causà Romam iter arripere iussi, audiri possit &c.* Ex his manifestum est pontificem Romanum Imperatoris fuisse delegatum, suámque iurisdictionem, authoritatémque ecclesiasticam non à D. Petro, sed ab Imperatore accepisse. Vnde facilè colligitur pontificis Romani non perinde tum vniuersalẽ extitisse potestatem, atque eã nunc Hardingus fingit: nec tum notum mortalibus fuisse hoc Papæ Clementis Quinti decretum, quod postea in Concilio Viennensi promulgasse fertur: *Omne ius regum pendet à Papa.* Neque verò Romani pontificis tanti fuit momenti sententia, quin ei contra quem iudicatum fuit, ipsius repudiare iudicium, atque ad alterum prouocare fas esset. Etenim Donatus apud Miltiadem damnatus, ab illo prouocauit, atque Imperatorem induxit querẽdo, vt hoc arbitrium episcopo Arelatensi in Gallia, & aliis quibusdam committeret. Denique cùm illic etiam causa se casurum esse intelligeret, ad extremum ipsum Imperatorem appellauit. Confitetur etiam per literas Imperator, se iudicem sedisse, ac vtrumque causam dicẽtem audiuisse. Quare, si prouocationum admisio potestatem hanc vniuersalem necessariò euincat, tum Imperatoris fuit vniuersalis potestas. Ille namque omnes ex omnibus vndique regionibus prouocationes recepit, atque adeo etiam in causis ecclesiasticis. Deinde, tum pontificis Romani non fuit vniuersalis potestas. Ille namque omnes ex omnibus vndiq. regionibus prouocationes nõ recepit, atque adeo etiã in causis ecclesiasticis. Deinde, tum pontificis Romani non fuit vniuersalis potestas: licuit enim illum disceptatorem recusare, atque ad alium quempiam prouocare: sic igitur Hardingi contra ipsum aptè reuoluuntur rationes.

Euf. li. 10. ca. 5. Nicep. li. 7. cap. 43. Collegas.

Clemens. 5.

Aug. epist. 68.

August. contra Cresconium grammat. lib. 3. cap. 71.

Hardingus. 22. Sectio.

QVam ob causam illi ecclesiæ omnes hucusq; Christianæ nationes in omnibus negotiis fidei auscultarunt atq; obtemperarunt, & nunc etiam similiter facere debent. Quanquam enim ea sedes in charitate aliquando defecerit, eúmque in locum venerit, vt verè dicere illa verba Euangelij potuerit, quibus vsæ sunt stultæ virgines: Lampades nostræ sunt sine luce, *tamen in fide nunquam defecit, quemadmodum Theodoretus testatur, atq; Augustinus confirmat. Quam extraordinariam gratiam, & singularem prærogatiuam Christi precationi acceptam referre oportet, qua à Deo impetrauit Petro, & ipsius* [a] *successoribus, vt eorum nunquam deficeret fides. Quare vitiosa pontificum Romanorum vita nos à credenda atque imitanda ea doctrina, quam sancta Romana ecclesia profitetur, atq; docet, abducere non debet. Quò huius rei nobis adhuc luculentius constet fides, illud accuratè perpendendum est, quod Augustinus scribit Epistola 165. in qua postquam omnes ordine Papas recensuisset, qui Petro successerunt ad illũ vsque ipsum, qui sua ætate Papa fuerat, sic inquit:* In illum ordinem episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro vsque ad Anastasium qui nunc eandem cathedram sedet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præiudicaret ecclesiæ, & innocentibus Christianis, quibus Dominus prouidens, ait de propositis malis, quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim & nõ faciunt. Vt certa sit spes fidelibus, quæ non in homine, sed in Domino collocata, nunquam tempestate sacrilegi schismatis dissipetur. *Atq; in epistola 166. habet:* Cælestis magister vsque adeo cauendum ab omni malo dissentionis præmonuit, vt etiam de propositis malis plebem securam faceret, ne propter illos doctrinæ salutaris cathedra desereretur: in qua coguntur etiam mali bona dicere. Neque enim sua sunt quæ dicunt, sed Dei, qui in Cathedra vnitatis doctrinam posuit veritatis. *Ex his perspicuè docemur, quòd quamuis successores Petri, Christique in terra vicarij propter impuram vitam reprehendẽdi fuerint, tamen ab illis non debemus in doctrina dissentire, neque nosmet ipsos in fide ab eis disiungere: quandoquidem, etiamsi improbi sunt, Diuina tamen prouidentia coguntur, ne populi mens incerta penderet, ea loqui, quæ bona sunt, & docere veritatem: cum quæ dicunt, non sua sint, sed Dei, qui doctrinam veritatis in sede seu Cathedra vnitatis posuit: quæ singularis gratia ad Petri potissimùm sedem alligata est, vel ex vi precationis eius, quam Christus fecerat, vt antè dictum est, vel loci respectu & dignitatis, quam illius sedis episcopi pro Christo obtinent, sicuti Balaamus nullo modo adduci potuit, vt ei populo malediceret, cui Dominus benedictum esse voluit. Caiaphas etiam prophetauit, quia summus erat pontifex pro illo anno, & verè prophetauit, vir alioqui sceleratissimus. Quapropter pontificum Romanorum malefacta ad infringendam illorũ doctrinam valere non debent. Ad hoc institutum similitudo illa, qua vsus est Gregorius Nazianzenus, de aureo, argenteo, & plumbeo sigillo rectè accommodari potest. Si metallorum precium spectes, aurum atque argentum præstant: sin autem sigilli bonitatem, plumbum in cera imaginem non minùs, quàm argentum aut aurum imprimit. Quoniam Romana sedes heresεων fœtore nunquam fuit contaminata, vt inquit Theodoretus, Deusq; in ea vnitatis cathedra doctrinam veritatis collocauit, vt Augustinus scribit: hanc ob causam ea ad clauum sedet, atque totius orbis ecclesias regit: & hanc ob causam episcopi ad eam prouocauerunt, atque eius, cùm vel quæstio aliqua difficilis de religione, vel controuersia omnino, aut contentio vlla nasceretur, iudicium atque sententiam omnes semper requisiuerunt.*

[a] Falsum: multi enim Papæ in fide errarũt vt docebo.

Aug. de cũctis episcopis generatim, non de pontifice Romano separatim loquitur.

Hardingus Papam Balaamo, & Caiaphæ confert.

Episcopus Sarisburiensis.

HOC verò pertenue certè est miserúmque refugiũ. Coactus hîc Hardingus est, põtifices Romanos, quod ipsorum doctrinã, Calaamo, Caiaphæ, atque plumbeo sigillo cõferre, quoad vitam autem lãpades esse ipsos lucis expertes fateri. *Nihilominus* (inquit) *non debemus ab illis discedere: Christus enim inquit, Scribæ, & Pharisæi sedent in Cathedra Mosis, facite quod dicunt: quod autem faciunt ne facite. Dicunt enim & nõ faciunt.* Quandoquidẽ huiuscemodi placuerunt Hardingo similitudines, non debet iniquiùs ferre, si quis istis inductus ita fortè dixerit, vt Christus olim simili in causa dixit: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi: Cæci duces: Colorata sepulchra: Clauditis regnum cælorum coram hominibus: nec ipsi vos intratis, nec alios sinitis: Domum Dei fecistis speluncam latronum.* Balaamus quidem, tametsi pseudopropheta esset, tamen os aperuit, & populo Dei benedixit. Caiaphas, etsi fuit improbissimus pontifex, vaticinatus tamen est, verumque dixit: Sigillũ plumbo licèt impressum perfectam imaginem reddit. Scribæ atque Pharisæi, etiamsi hypocritæ fuerunt, & nequissimè vixerunt, tamen populum diligenter instituerunt, & optimè dixerunt: Manichæi quantũuis hæretici existerent & malè docerent, tamen externam consuetudinem suam omnium oculis subiectã hominibus, vti Augustinus testatur, magnopere probauerunt. At isti, quibus Hardingus vniuersalem in orbem terrarum principatum vendicat, neque populo Dei benedicunt, neque diuinam veritatem enuntiant: neque aliquod impressum vel vitæ sanctæ, vel doctrinæ sanæ signum ostendunt: neque docent ecclesiam: neque loquuntur bene, sicuti Scribæ atque Pharisæi fecerant: neque Hardingo ipso cõfitente, viuunt bene, quemadmodum Manichæi vixerãt. Augustinus ait: *Qui nec regiminis in se rationem habet, nec sua crimina detersit, nec filiorum culpam correxit, Canis impudicus dicendus est magis, quàm Episcopus.*

Matth. 23. — Luc. 11. — Num. 23. & 24. Ioan. 11. — Augu. confess. lib. 3. cap. 9. Retract. lib. 1. cap. 7. — 2. Quæst. 7. Qui nec

Quanquam tanta licèt in vita vitiorum contagio inhæreat, *Sedes tamen Romana*, inquit Hardingus, *nunquam in fide labi poterit.* Etenim Christus Petro dixit, *Ego oraui pro te, vt fides tua non deficeret.* Pari nimirum olim confidentia Sacerdotes subnixi fuerunt, quemadmodum ex his verbis prophetæ Michææ constat: *Sacerdotes in mercede docuerunt, & prophetæ in pecunia prophetauerunt, & super Dominum requiescebant, dicentes: nonne dominus est in medio nostri?* Simili audacia freti Sacerdotes iactarunt, vt est apud Hieremiam: *Non peribit lex à sacerdote, nec consilium à Seniore.* Deus autem illis longè secus respondet: *Nox vobis erit pro visione, & tenebræ pro diuinatione.* Equidem ipsa glossa in decretalia hanc rem ita explicat, vt nullũ relinquat dubitandi locum. Hæc verba sunt: *Certum est, quòd Papa errare potest.* Et Alphonsus de Castro habet: *Omnis homo errare potest in fide, etiamsi Papa sit.* Quod vt confirmaret adiunxit: *De Liberio Papa, constat fuisse Arianum.* Papa Honorius hæreticus fuit, ex eorum secta, qui Monothelitæ appellabantur, eóque crimine damnatus est in sexto Concilio Constantinopolitano. Papa Marcellinus palàm idolo immolauit. Papa Ioannes 22. impiam atque hæreticam opinionem habuit de morte animarum, ob eamque reprehensus fuit, non à Cardinalibus, sed à Gersone, atque à Schola Sorbonensi apud Parisios.

Luc. 22. — Mich. 3. — Hierem. 8. — Mich. 3. — 24. Quæst. 1. in glosa. — Alph. contra hæreses. lib. 1. cap. 4. — Concil. Const. 6. Acti. 12. — Conc. tomo. 1. in vita Marcel. — Gerson.

Papa Sylue ster secundus veneficus fuit, & consuetudinem cum dæmone familiarem habuit, eiusque opera Papa factus est. Anastasius Papa cum Photino hęretico cõmunicauit, eámque ob causam à Clero suo desertus, & derelictus fuit. Hildebrandus Papa, qui primus omnium in hisce regionibus legitimas ministrorũ nuptias vetuit, qualis cũ vita, tũ religione fuerit copiosè depingitur in quodã Concilio Brixiæ habito: in quo & appellatus fuit homo facinorosus, & ea sempiterna ignominiæ nota inustus: incendiarius: sacrilegus: homicidiorum, & periuriorum patronus: hęreticus contra Apostolicam doctrinam: vetus Berengarij discipulus: veneficus, necromantiæ deditus: homo possessus à dæmone: atque iccirco à fide Catholica disiunctus. Patres Concilij Basiliensis inquiunt: *Multi pontifices in errores, & hæreses lapsi esse leguntur.* Atque ipse Romanus pontifex ait: *Etiamsi Papa innumerabiles homines secum ad inferos traheret, nemo tamen mortalis ausit eum reprehendere, nisi deprehendatur à fide deuius.* Denique Nicolaus Lyranus ingenuè loquitur: *Multi Papæ inuenti sunt Apostatæ.*

Holcote in lib. Sapi. lect. 189. — Dist. 19. Anastasius. — Abbas Vrsper. in Chronicis. — Concil. Basile. in Epist. Synodali. — Dist. 40. Si Papa. — Nico. Lyra. in 16. cap. Mat.

Hæc etsi ita sunt, tamen Hardingi sententia sedes Romana nunquam à fide aberrauit, neque aberrare potest. Valẽtiniani hæretici, quemadmodum refert Iræneus, de seipsis prædicare soliti sunt, esse se ex cœlesti substantia natos, nec propterea opus habere, vt peccatum fugiant, quemadmodum cæteros. Quantumuis enim contaminatè vitam instituerent, tamen iactabant: *Nos sumus spirituales, nullum nobis peccatum nocere potest: sumus enim aurum, quod quamuis in cœnum deponatur, non amittit decorem suum, sed suam naturam custodit, cùm cœnum nihil nocere auro possit.* Similis esse oratio istorum hominum videtur, qui quicquid Papa vel crediderit, vel dixerit, vel fecerit, integram ipsius remanere fidem, neque vnquam deficere posse confirmant, quandoquidem in Petri Cathedra sedet: quasi sic ei commissa esset ecclesiæ administratio, vt eam pro arbitratu suo gereret, nec vllam omnino culpam præstaret. Hanc ob causam inquiunt: *Quòd si totus mundus sentiet in aliquo aduersus Papam, tamen videtur, quod magis standum est sententiæ Papæ.* Iterum aiũt: *In Papa si desint bona acquisita per meritũ, sufficiunt ea, quæ à loci prædecessore præstantur.* Rursus similiter: *Papa sanctitatem recipit à Cathedra.* Et Sixtus Papa ait: *D. Petrum habitare in pontifice Romano, eúmq; quicquid egerit, regere, atq; omnia onera sustinere.*

Irenæ. lib. 1. cap. 1. — De electi & elect. potestate significasti. In glosa. idem Albert. Pigghius. li. 6. cap. 13. — Dist. 40. Non nos. — Dist. 40. Si Papa. — Di. 19. Sic. om. In glosa. ἐν ὁλβίῳ ὄλβια πάντα.

Adeo isti luxuriantur, ac delicias consectantur, atque hominum mentes inani oratione deliniunt. D. autem Ioannes inquit: *Nolite dicere, patrem habemus Abraham.* D. paulus de suis loquens successoribus habet: *Equidem scio, quòd post discessum meum, ingressuri sint ad vos lupi graues, non parcentes gregi.* Et Hieronymus habet: *Non sunt sanctorum filij, qui tenent loca sanctorum.* Quod autem Hardingus inquit, Christum pro Petro precatum esse, ne ipsius deficeret fides, illa non ad Petrum solum, sed ad omnes etiam Apostolos pertinebat precatio. Origenes inquit: *Num audebimus dicere portas Inferni contra Petrum duntaxat non præualuisse, contra cæteros præualuisse? Quidni potiùs dicamus,*

Epist. Sixti. 2. — Matth. 3. — Actor. 20. — Dist. 40. Nõ est facile. — Orig. in Mat. tract. 1.

verba, quæ loquutus est Christus, de vnoquoq; eorum vera fuisse, de quibus dicta erant? Nam & quæ prius dicta sunt, & quæ sequuntur, velut ad Petrum dicta, sunt omnium communia. Eadem etiā Beda ad omnes communiter fideles, non ad Petrum sigillatim refert. Atque hoc modo verba Christus ipse sua interpretatur, sic enim patrem precatur: *Pater sancte serua eos per nomen tuum. Non precor pro illis tantùm, sed pro ijs omnibus, qui per illorum prædicationem sunt in me credituri.*

Beda in Luc. cap. 22.

Ioan. 17.

Attamen (inquit Hardingus) *quantumuis impius fuerit Romanus pontifex, non tamen debemus ab ecclesia Romana nosmetipsi remouere.* Quanquam secus habet Cyprianus: *Plebs obsequens præceptis Dominicis, & Deum metuens, à peccatore Præposito separare se debet.* Nicolaus etiam Papa excommunicationis pœna præcisè sanxit, ne quis præsens adesset celebrāti Missam sacerdoti ei, quem ipse pro certo adulterum esse sciret. Tametsi non ex vita duntaxat illorum offensionem maximam capit ecclesia Dei, sed etiam ex eo præcipuè, quòd religionem impuram & deprauatam consectātur, quòd verbum diuinum opprimunt, quòd apertè populo imponunt, quòd idololatriam manifestò tuentur. Quid si autem aurum Romanum in scoriam conuersum sit? Quid si ciuitas fidelis meretris facta sit? Quid si sanam doctrinam tolerare nullo modo posint? Quid si domum Dei speluncam latronum fecerint? Quid si Roma facta sit magna illa Babyl, mater fornicationū, sanguine sanctorū Dei imbuta, atque inebriata? Quid si autē abominatio sedeat in loco sancto, in templo Dei? Non tamen inde discedere oportet? num illa tamen diuinæ religionis norma atque columna esse debebit? Certè Christus inquit: *Cauete à fermento Scribarum & Pharisæorum.* Et Deus ipse inquit? *Exite de illa populus meus, ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius ne accipiatis.* Irenæus habet: *Presbyteris illis, qui sunt in ecclesia obaudire oportet qui successionem habent ab Apostolis: qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum patris acceperunt.* Hic sanctissimus pater audiendos quidem & obediēdos esse Episcopos scribit, sed cum exceptione, hoc est, non omnes cuiusque modi tandem fuerint, aut quiduis tandem dixerint, sed eos qui diuinæ veritatis certissimum donum acceperunt. Quòd autem scribarum & Pharisæorum authoritate fretus vendicare nonnihil Hardingus videtur, inquiens, *Sedent in Cathedra Mosis, quod igitur dicunt, facere debemus:* Hunc locum Augustinus sic exponit: *Sedendo in Cathedra legem Dei docent: Ergo, per illos Deus docet. Sua verò si illi doceant* quemadmodum ecclesia Romana docuit, & adhuc docet innumera) *tum* (inquit Augustinus) *nolite audire, nolite facere.*

Cyprian. lib. 1 epist. 4.
Di. 32 Nullus.

Esai. 1.
2. Tim. 4.
Hierem. 7.
Mat. 21.
Apocal. 17.
Daniel. 9.
2. Theff. 2.
Matt. 16.
Apocal. 18.

Irenæus, lib. 4. cap 43.

Aug. in Ioan. tract. 46.

Hardingus. 23. Sectio.

IAm verò quòd pontifex Romanus potestatem & imperium in alios Episcopos semper habuerit, nominatim [a] *Orientales (nam de Occidentali ecclesia nulli dubium vnquam fuit) præter centum alia manifesta argumenta, hoc vnum habemus luculentissimum, quòd tres habuerit in Oriente Delegatos, seu Vicarios, quos nunc vulgò Legatos vocant: idque episcoporum illorum gratiâ, quorum erant ecclesiæ Roma longiùs disiunctæ. Vnus erat episcopus Constantinopolitanus, quemadmodum in epistola Simplicij ad Achatiū Constantinopolitanum commemoratur. Secundus erat Alexandrinus episcopus, sicuti Bonifacij secundi ad Eulalium epistola testatur. Tertius fuit Thessalonicensis episcopus, quemadmodum copiosè exponitur in 82. epistola Leonis ad Anastasium Thessalonicensem. Ex diligente harum epistolarum lectione quiuis perspexerit, vniuersas ecclesias Græcas, Asiaticas, Syriacas, Ægyptiacas, & breui Oriētales omnes Romano pontifici humile obsequium reddidisse atq; exhibuisse, & ad eius iudicium omnes ctrouersias, querelas, causásq; retulisse, atq; ad illum solum prouocasse.*

[a] Falsum: Orientales enim episcopi nullū vnquā huiusmodi imperiū agnouerunt.

Episcopus Sarisburiensis.

QVid de centum illis argumentis, quæ se Hardingus silentio præterijsse iactat, iudicemus ex eo faciliùs constiterit, quòd hoc vnicum, quod ille quasi omnium instar esse voluit, non modò falsum sit, sed omni etiam veritatis similitudine ac specie careat. Ista Leonis, Simplicij, & Bonifacij testimonia, quandoquidem sine voce introducūtur, possunt etiam sine responso dimitti. Quanquam Bonifacius iste secundus, quando causam suam egit, coactus fuit vt Augustinum illum singulari sanctitate patrem, cæterósque omnes episcopos Aphricanos, Numidas, Pentapolitanos, aliósque finitimarum regionum, qui ambitiosissimis Romanorum pontificum inceptis & conatibus restiterunt, illorúmque in adulterando Niceno Concilio fraudem manifestò deprehenderunt, *penitus inflammatos, & Diabolicos spiritu instigatos esse* diceret.

Vnde autē Hardingo liquet Romano pontifici omnes subiectos fuisse Orientales Episcopos, quibus ille tanquam seruis suis imperaret atque dominaretur? Quo in Concilio decretum, & sancitum fuit? Quis subscripsit? Quis literarum monumentis mandauit? Quis vnquam huiusmodi Canones vidit? Nihil hac in causa vehementius ad persuadendum afferre Nicolaus Papa potuit, quàm quòd Petrus primùm Antiochiæ episcopus esset, deinde Romæ: & Marcus eius auditor Alexandriæ. Hinc egregiè atque luculentè cōcludi posse putat, Romanis pontificibus vniuersum parere mundum oportere. Equidem in ficto illo Diplomate, seu donatione Constantini imperatoris, potestas Romano pontifici tributa est (fateor) in quatuor reliquos patriarchas, Antiochenum, Alexandrinum, Constantinopolitanum, Hierosolymitanum. Hoc autem Diploma pontifices Romani ipsi, atque ex seipsis excogitarunt, & commēti sunt, & quidem ineptè sic, vt vel puer

Nicol. PP. ad Michaelē imperator.

quiuis eiusdem facilè deprehendit futilitatem. Etenim præter alia permulta falcissima, eo illo tempore, quo hoc esse factum diploma fingitur, neque patriarcha aliquis fuit, neque Episcopus, neque presbyter, neque Ecclesia Constantinopoli, neque ipsa dum extructa vrbs, aut eo nomine appellata. Nihilo secius Pontifex Romanus hac tam pertenui ratione inductus Mitram triplici corona suam ornauit, quo significatur illum in tres orbis partes vniuersalem potestatem habere, Europam, Asiam, Aphricam. Ita quemadmodum Persarum olim rex *Solis se, Lunæq́ fratrem* appellauit, sic Nicolaus Papa se principem vocat totius mundi.

Nicola. PP. ad Micha. Imperatorē: princeps super omnem terram.

Concil. Nicen. Can. 6.

Cæterùm, quid Romano Pontifici Episcopi Orientales debuerint, quicunque temporum historiam & consuetudinem legerit, atque perpenderit, facilè perspexerit. Primùm, Nicenum Cocilium tribus patriarchis suum sigillatim munus distinxit, atque assignauit, sic vt singuli sua curantes alterumne interpellarent: & Romano Pontifici iussit, quemadmodum in historia scribit Rufinus, vt Ecclesias suburbanas, id est, suæ prouinciæ ambitu comprehensas inspiceret: qua de causa Romam Athanasius Romanæ ditionis Metropolin appellat. Hanc etiam ob causam Orientales Episcopi in Epistola ad Iulium sua illum Conseruum suum vocant: atque Cyrillus Alexandrinus ad Cœlestinum scribens, eum fratrem nominat suum. *Conseruus, & frater*, æqualitatis sunt, non imperij vocabula.

Rufi. li. 1. cap. 6.

Athan. in epist. ad solitariam vitam agentes. Metropolis Romanæ ditionis.

cassiod. lib. 4. cap. 24.

cyril. epist. 27. pag. 294.

Minimè certè dubium est, quin permulti Pontifices Romani maturè admodum dominatum hunc appetere cœperint, atque adeo huius rei gratia Concilia manifestò adulterare, ac corrumpere non dubitarint, quemadmodum iam antè demonstrauimus. Externi autem Episcopi nūquam illis concesserunt, nec inanes istos titulos agnouerunt. Episcopi Orientales in suis ad Iulium literis fidem, quæ tum Romæ florebat, ab ipsis primò dimanasse confirmant, suásque Ecclesias proinde, vt refert Sozomenus, Romana Ecclesia *inferiores non esse iudicandas*: neque vt Socrates præterea habet: *A Romano pontifice ordinandas*. Gennadius Constantinopolitanus Episcopus simul, & Concilium illic celebratum ad Romanum Pontificem scribunt hoc modo: *Curet sanctitas tua vniuersas tuas custodias, tibique subiectos episcopos.*

Sozo. li. 3. ca. 8. ἢ παρὰ ταῦτα τὰ δευτερεῖα φέρειν ἠξίουν.

Socr. li. 2. c. 15. μηδὲν κανονίζεσθαι παρ' αὐτοῦ.

Alexandrinum Concilium Ecclesias vniuersas Orientales Asterio commisit lustrandas atque purgandas: Occidentales autem Eusebio Vercellensi. Quo mandato subnixus Eusebius adiuncto sibi Hilario omnes Illyricas, & Gallicanas, & Italicas Ecclesias inspexit, atque correxit. Vbi tum fuerit vniuersalis illa Romani Pontificis potestas, quærat aliquis? Basilius inquit: *Antiochenæ ecclesiæ conditionem & incolumitatem ab Athanasio episcopo Alexandrino pendere*, non vt Hardingus inquit, à Romano Pontifice. Quare Athanasium obtestatur, vt ei consulat.

Rufin. lib. 1. cap. 29.

Rufin. lib. 1. cap. 30. & 31.

Basil. epist. 48.

Honorius & Theodosius imperatores sanxerunt, vt omnes intra Illyricum nascentes controuersias Constantinopolitanus Episcopus, non pontifex Romanus, cognosceret, atque decerneret. Ipsa etiam glossa in decreta hanc ipsam latam ab Honorio & Theodosio legem explicans, hæc verba habet: *Imperator dicit, quòd Patriarcha Constantinopolitanus habet idem in suis subditis, quod Papa habet in suis.* Imperatoris istiusmodi verba sunt: *Constantinopolitana ecclesia Romæ veteris prærogatiua lætatur.* Quod etiam ex eo magis adhuc perspicuum est, quòd quando aliquis patriarcha in vlla ex hisce quatuor principibus sedibus recèns institueretur, literas ad cæteros Patriarchas daret Communicatorias: in quibus singuli religionis fideíque cōfessionem singulis suam significabant. Sic aliis fecit Pontifex Romanus, sic pontifici Romano fecerunt alij. Vnde parem illorum fuisse authoritatem, nec quenquam imperium aut dominatum in alteros exercuisse certissimè apparet. Qua de causa quando Eulogius Alexandrinus Episcopus ad Gregorium Romanum pontificem scripsisset hoc modo: *Sicut iussistis*, istud scribendi genus Gregorius penitus repudiauit, atque auersatus est. Sic enim rescribit: *Hoc verbum iussionis, quæso, à meo auditu remouete. Scio enim quis sim, & qui sitis. Loco mihi fratres estis: moribus patres. Non ergo iussi, sed quæ vtilia visa sunt, indicare curaui.*

Cod. de sacrosanct. Eccle. lege. 6.

Dist. 22. Renouantes. In glosa.

Cod. de sacro. Eccl. lege. 6.

Literæ Synodicæ.

Greg. lib. 1. ep. 24. 25. & li. 6. epist. 5.

Greg. lib. 7. epist. 30.

Denique quod Michael Palæologus imperator Orientalis in Concilio Lugdunensi circiter annum Domini 1442. à Romano pontifice multùm & vehementer rogatus, Episcopos Orientales ei subiectos esse confessus fuisset, eum domum reuersum, atque defunctum Clerus suus sepeliri non est passus. Hardingus tamen, *Omnes Episcopos Græciæ, Asiæ, Syriæ, Ægipti, denique omnes Orientales Romano pontifici humilem obedientiam reddidisse, atque exhibuisse* defendit.

Paulus Aemil. in historia Gallorum lib. 8.

Hardingus. 24. Sectio.

QVemadmodum autem Romanus pontifex nocentes coercuerit Censuris Ecclesiasticis, aliísque modis, exempli causa excommunicatione, exactione, abdicatione, mulctaque iniunctione pro ratione delictorū, plura exempla habemus, quàm vt omnia putem esse hoc loco commemoranda. Qui ecclesiasticas inspexerunt historias, memoria repetere possunt, vt Timotheus Alexandrinus episcopus vnà cum Petro Diacono excommunicatus fuerit à Symplicio Papa: Nestorius Constantinopolitanus à Cœlestino: Theophilus Alexandrinus cum Arcadio Imperatore, & Eudoxia imperatrice ab Innocentio, propter impia sua in Chrysostomum facinora: vt Dioscorus Alexandrinus depositus fuerit, etsi toto Ephesino secundo Concilio repugnante: vt Petrus Antiochenus non modò Episcopatu abdicatus, sed omni etiam sacerdotali honore priuatus: vt Photius è patriarchatu Constantinopolitano, in quem Michaelis Imperatoris gratia, impiíque auunculi sui importuno rogatu inuaserat, à Nicolao primo exactus. Istam authoritatem epistola Cypriani, quam ad Ste-

ad Stephanum tempore suo Papam scripsit contra Martianum episcopum Arelatensem in Gallia, manifestò confirmat & euincit. Cum enim Martianus iste hæreseos Nouatianorum defensor esse cœpisset, hominésq; fideles ea imbutos seduxisset, Cyprianus à Faustino certior factus Lugduno, de ista re Stephanum admonuit, eique vehementer suasit, vt literas ad populum Arelatensem mitteret, quarum authoritate Martianus submoueretur, atque alter in illius locum sufficeretur, quò (vt inquit ille) Christi grex, qui ab illo hactenus dissipatus & vulneratus contemnitur, in vnum colligatur. Quod neutiquam scripsisset Cyprianus, si huiusmodi potestatem Romanus pontifex minimè habuisset.

Episcopus Sarisburiensis.

HÆC certè ratio parum argumenti habet. Semper enim non Romano solùm pontifici, verùm ceteris etiam episcopis vniuersis reprehendere, atque adeo etiam excommunicare maleficos licuit. Anthymus cum suis excommunicatus à singulis Patriarchis fuit: Paulus Samosatensis, quemadmodum scribit Nicephorus, ab vniuersis, quotquot orbis contineret, episcopis: Auxētius & Iouinianus ab Ambrosio: Dioscorus atque Eutyches à Concilio Constantinopolitano: Cyrillus, etsi orthodoxus, & summa pietate episcopus, ab omnibus Orientalibus. Nullus tamen istorum, qui isto modo sunt excommunicationis iure vsi, vel Romanus pontifex, vel vniuersalis ecclesiæ caput extitit. Quòd autē Hardingus ait, ex historiis ecclesiasticis repetere nos memoria posse, ab Innocentio pontifice Romano Imperatorem Arcadium excommunicatum esse, ipse etiam repetat ex iisdem historiis. Theodosium imperatorem ab Ambrosio excommunicatum fuisse: atque Anastasium Antiochenum episcopum cum priuatis literis Iustinianum hæreseos sæpe redarguisse, tum palam sæpenumero in ecclesia de eo vsurpasse. *Quisquis aliud Euāgelium sequutus fuerit, Anathema sit.* Atque tamen neque Ambrosius, neque Anastasius pontifex Romanus fuit.

> Concil. Const. 5. Act. 1. — Nicepho. li. 6. cap. 28. — Ambrosi. li. 10. Epist. 81. — Concil. Const. 5. Act. 5 — Conc. Calche. actio 10 — Niceph. li. 13. cap. 24 — Theodor. li. 6. cap. 18. — Eu[a]g. lib. 4. cap. 40.

Quod autē attinet ad sententię exequutionem, ad abdicationem, atque ad depositionem episcoporum, Hardingus satis nouit Romanum pontificem non tantę fuisse authoritatis, vt ista pręstare posset. Qua de causa Innocentius de Pelagio inquit: *Quibus acceptis literis, aut quando cōmittet se nostro iudicio?* Hāc etiam ob causam Fælix Romanus pontifex à Zenone Imperatore opē petiit, cui Imperator respondit: *Admisimus depositionē Anthymi:* etenim alioqui nullius fuisset momēti Papæ sententia. Iccircò de se Constantinus imperator ait: *Si quis Episcoporum incōsultè tumultuatus sit, Ministri Dei, hoc est, mea exequutione, illius audacia coercebitur.* Similiter Iustinianus imperator huiuscemodi legem promulgauit: *Si quis episcopus definitū tempus emanserit & domum reuocatus, venire noluerit, moueatur, & ecclesia sua priuetur, atq; alter melior eius loco eligatur.* adiungit, *authoritate huius legis.* Istius authoritate legis abdicati fuerunt episcopi: sine qua sententiam exequi suam Papa minimè potuit. Quare, si hoc modo concluserit Hardingus: Papa alios episcopos excommunicauit: Ergo, ecclesię caput fuit: Tum ex eodem principio contrà valet argumentum isto modo: Papam ipsum alij episcopi excommunicauerunt: Ergo, non fuit ecclesiæ caput. Quod ad Antecedētem illam propositionem attinet, nimirum excommunicatum fuisse ab episcopis Papam, minimè dubium est. Etenim Iulium pontificem Romanū ab episcopis Orientalibus: Leonem Papā à Dioscoro: Vigilium à Mēna Constantinopolitano episcopo: Honoriū à sexto Concilio Constantinopolitano excommunicatum esse historia ecclesiastica testatur. Quòd si autem plus abdicationi episcoporum, quàm excommunicationi tribuat Hardingus, meminerit etiam Iulium Papam ab episcopis Orientalibus loco motū fuisse, quemadmodum scribit in historia Sozomenus: Hildebrandum à Concilio Brixiensi: Ioannem à Concilio Constantiensi: Eugenium à Concilio Basileēsi: atque duos pariter Papas Sylucrium, & Vigilium ab Imperatore Iustiniano. Ita iacta ab Hardingo fundamenta suam ipsius euertunt structuram, & contra ipsum disertè concludunt.

> Inter decreta Innocentij. — Concil. Const. 5. Actio 1. — Concil Const. 5 actio 4. — Theodo. lib. 1. cap. 19. — Authen de ecclesia. diuersis capitulis. κατὰ τὴν τοῦ παρόντος νόμου δύναμιν. — Sozo. li 3. c. 12. — Dist. 21. in tantum. — Niceph li. 17. cap. 26. — Concil. const. 6. Act. 13. — Sozom. lib. 3. cap. 11. καθεῖλον Ἰούλιον τὸν Ρώμης ἐπίσκοπον.

Hardingus. 25. Sectio.

AD comprobādam Papæ in confirmandis ordinationibus, atq; electionibus [a] *omniū episcoporum authoritatē, permulta exempla facilè adduci potuerunt, quemadmodum quòd nonaginta Ariani episcopi in Conciliū Antiochiæ contra Athanasiū conuenientes à Iulio petierunt, vt eos comprobare, & confirmare dignaretur, quos ipsi pro Athanasio, Paulo, Marcello, atq; aliis à se damnatis, atq; submotis substituerant.*

> [a] Falsum: Pontifex enim Romanus nō omnes per orbem episcopos, sed suos tātùm prouinciales confirmauit.

Præterea, quod Theodosius imperator vehemētissimè cōtendit à Leone, vt Anatoliū cōfirmaret: Similiter etiā, quòd Martianus imperator eundē rogauit, vt confirmaret Proterium, quorū vterq; Alexandrinus fuit episcopus, quemadmodum ex literis ad Leonem in illorū gratiam conscriptis apparet: Anatolium autē Leo ordinare, confirmareq; planè noluit, ni priùs ille profiteri vellet, se credere & tenere eam doctrinam, quam Leo in sua ad Flauianum epistola comprehenderat, & scriptis etiam testaretur, se cum Cyrillo, cæterísq; Catholicis episcopis contra Nestorium sentire. Etsi autem nihil amplius hac de re proferri posset, tamen sancti Gregorij testimonium eam abundè conuinceret. Cū enim certior esset factus Maximū ordinatū fuisse Salonitanorū episcopū, quæ ciuitas in Illyrico est, absque authoritate & confirmatione sedis Apostolicæ, atque ambigeret an id Maurtij imperatoris iussu factum esset, qui multa gessit alia sceleratè, de hac re ad Constantinam imperatricem scribit ad hunc modum: Salonitanæ ciuitatis episcopus, me, ac responsali meo nesciente ordinatus est. Et facta est res, quæ sub nullis anterioribus Principibus euenit. *Ex his constat supra annos mille episcoporum ordinationem atq; electionem à sede Apostolica confirmatam fuisse.*

Episcopus Sarisburiensis.

SI hæc disputatio valuerit, atque si ille pro ecclesiæ capite habendus fuerit, ad quem electionis, consecrationísque episcoporum approbatio pertinuerit, profectô multa sint ecclesiæ capita est necesse. Complures enim ista potestate præditos fuisse constat. [a] Ambrosius scribit. *Omnes Episcopos cùm Orientales, tum Occidentales assensu approbationéque sua ipsius ratam habuisse electionem.* Theodosius imperator pro Flauiano Constantinopolitano Episcopo propugnans, [b] *Omnes Episcopos Orietales, Asiæ, Ponti, Thraciæ, atq; Illyrici, eius electionẽ cõprobasse* dicit. [c] Eudoxius Antiochiæ episcopatū suscepit, neq; approbãte, neq; assentiente Georgio Laodicensi episcopo, & Marco Arethusensi, cæterisque episcopis, quorum ea res interfuit: éstque eo nomine reprehensus. [d] Gregorius presbyter scribit, quòd, cum Gregorij Nazianzeni, antequam episcopi Ægypti, & Macedoniæ venissent, peracta fuisset electio atque ordinatio, illis non expectatis ac consultis, illum ij approbare, aut tanquam episcopum admittere prorsus noluerint, non quòd ipsum eo loco indignum iudicarent, sed quòd priuatos hoc modo se suffragiis suis existimarent.

[a] Ambro. li. 10. Epist. 82.
[b] Theodo. li. 5. cap. 23. αἱ τῆς ἑῴας ἐκκλησίαι τῆς Φλαβιανοῦ προεδρίας ἀντέχονται.
[c] Sozom. lib. 4. cap. 12. μήτε τῶν ἄλλων οἷς ἡ χειροτονία διέφερε συνδεξαμένων.
[d] Greg. presbyter in vita Nazianzen. Ἀντέλεγον τῇ ψήφῳ.

Anacletus sic sancit: *Episcopus non minus, quam à tribus episcopis, reliquisq; omnibus assensum præbentibus, vllatenus ordinetur.* Hinc ergo perspicuum est ad approbandam cuiusuis episcopi electionem omnium illius prouinciæ episcoporum necessariam fuisse habitam assentionem: quam illi mutuò significabant, literas communicatorias vltro citróque mittentes. Quapropter cum Ioannes Constantinopolitanus episcopus vniuersalis sibi episcopi titulum assumpsisset, Gregorius Eulogio Alexandrino cæterísque Orientalibus episcopis suasit, vt nec darent, nec ab eo acciperent literas eo titulo inscriptas. Itidem Orientales episcopi, postquam Iulium pontificem Romanum excommunicassent, mandata dederunt, nequi vel acciperent ab eo literas, vel ad eũ darent, quò se illum pro episcopo neutiquam habere declararent. Neque verò episcopi duntaxat istas electiones approbarunt, sed princeps etiam atque populus. Postquam Ambrosius designatus atque institutus episcopus Mediolanensis Nobiles ex Aula acerbiùs exagitaret, atque eorum vitia insectaretur, imperator Valentinianus dixit: *Ista omnia ego fore præsciui: atq; iccirco non solùm non repugnaui, sed etiam eius electioni suffragatus sum.* De electione Nectarij Sozomenus scribit ad hunc modum. *Episcopi, qui interfuerunt electioni, nomina nonnulla eorum, quos dignos illo loco indicarent scriptis comprehensa obtulerunt: Imperator rem perpendens sigillum vltimæ scripturæ apposuit, & Nectarium elegit.*

Anacl. epist. 2.
Gregor. lib. 4. epist. 36.
Sozom. lib. 3. cap. 11.
Theo. li. 4. ca. 7 καὶ σύμψηφος τῆς χειροτονίας γεγένημαι.
Sozo. lib 7. cap 8. Τὸν δακτύλιον ἐπιτιθεὶς τῇ τελευταίᾳ γραφῇ.

Gratianus imperator, quando Constantinopolin aduenit Gregoriũ Nazianzenum amplexus est, & post collatum cum eo priuatim sermonem ei dixit: *Tibi, ô pater, & tuis laboribus Deus per nos hanc ecclesiam tradit. Ecce do tibi hanc sacram domum, & sellam, & populus obsecrabat Imperatorẽ, vt episcopum in throno suo constitueret.* Perinde liceat de populi assensu, atque approbatione repetere. Anacletus, quemadmodum vulgò citatur, ita scribit: *Sacerdotes à proprio ordinentur episcopo: ita vt Ciues, & alij Sacerdotes assensum præbeant.* Cyprianus similiter habet: *Plebs obsequens præceptis Dominicis habet potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi.*

Greg. presbyter in vita Nazianzeni. ἐγκαθιδρῦσαι τὸν ἀρχιερέα τῷ θρόνῳ.
Anac. epist. 2.
Cypri. lib. 1. cap. 4.

Tam multis tum cuiusque episcopi admissio suffragiis comprobari debuit. Quare non satis in hoc fundamento firmitatis esse videtur, quo Romanus pontifex ecclesiæ caput esse confirmetur. Etenim facilè potuit Hardingus animaduertisse, ipsius Romani pontificis ab aliis episcopis approbari solitam fuisse electionem. Cyprianus de Cornelij Romani põtificis approbatione scribit ad hunc modum: *Vt Cornelium noueris Coëpiscoporum testimonio, quorum numerus vniuersus per mundum concordi vnanimate consensit.* Postea in quadam ad Cornelium ipsum epistola fusius eandem exponit: *Ad comprobandam ordinationem tuam, facta authoritate maiore, placuit vt per Episcopos omnes omnino in ista prouincia positos, literæ fierent, vt te vniuersi Collegæ nostri, & Communicationẽ tuã, id est, ecclesiæ Catholicæ vnitatem, pariter, & charitatẽ probarent pariter, & tenerent.* Quod si hanc electionis Cornelij confirmationem fuisse negauerit Hardingus, mox ibidem subsequitur: *Sic episcopatus tui veritas, pariter & dignitas, apertissima luce, & manifestissima, & firmissima confirmatione, fundata est.* Ita quãdocunque vel ordinatus, vel abdicatus fuisset episcopus, cæteri episcopi certiores ea de re facti fuerunt, eadémque est à fratribus suis vel comprobata, vel abrogata.

Cyprian. lib. 4. epist. 2.
Cyprian. lib. 4. epist. 8.

Quod autem vniuersos totius orbis terrarum episcopos vnus Romanus pontifex ordinaret, atque institueret, præterquam quòd & penitus ἀδύνατον & ab omni specie veritatis alienum videtur, facilè etiam locupletissimis testimoniis atque monumentis antiquitatis refellitur. Agapetus pontifex Romanus, circiter annum Domini 540. postquam Mennam episcopum Constantinopolitanum occasione quadam extraordinaria cõsecrasset, hac ipsum laudatione prosequutus est: *Et hoc dignitate eius (Mennæ) accedere credimus, quòd à temporibus Petri Apostoli, nullum alium vnquam Orientalis ecclesia suscepit episcopum manibus nostræ sedis ordinatum.* Itaque Agapetóne Papæ mauis, an Hardingo fidem habere, ipse, Lector, videris.

Concil. Const. 5. actio. 2.

Neque culpæ mihi det Hardingus, quòd ordinationem episcoporum pro confirmatione ponam. Etenim ipse ordinationem atque cõfirmationem vnam, eãdémque facere videtur: aut saltẽ vnã coniungere atque copulare. Sic enim loquitur: *Leo Anatoliũ ordinare & cõfirmare planè noluit.* Equidem Liberatus eam Alexandriæ consuetudinem inueterasse scribit, vt qui episcopus esset designatus, ad feretrum, in quo demortui decessoris cadauer iaceret, accederet, eiúsque manus in suum

Liberat. ca. 20.

suum ipsius caput poneret, atque D. Marci pallium indueret: quibus peractis nihil illi ad confirmationem deesset, nulla interim facta pontificis Romani mentione. Cyprianus etiam Hispaniæ episcopis mandat, vt Sabinus, quem ipsi episcopum legitimè constituerant, minus illud retineret, quantumuis eum Cornelius & reprobaret, nec confirmare vellet. Atque adeo illud commentitium Anacleti decretum, quo cautum est, vt omnes episcopi, Romæ se quotannis semel sisterent, non hoc ad omnem orbem Christianum refert mandatum, sed eos duntaxat episcopos comprehendit, quos Romana prouincia haberet. Sic verba habent: *Omnes Episcopi qui huius Apostolicæ sedis ordinationi subiacent &c.* Vnde colligi posit, alios episcopos illius sedis ordinationi minimè subiectos fuisse. Atque hoc est, cuius Salonitanum episcopum coarguit Gregorius, quòd cum in prouinciæ Romane ditione versaretur, ipso nesciente consecratus esset.

Ciprian. lib. I cap. 4.

Anacle. epist. 3. Dist. 93. Iuxta sanctorum.

Quod enim ista Gregorius non de omnibus omnino episcopis intellexerit, sed de iis solùmodo, qui ad suam ipsius prouinciam pertinerent, ex verbis ipsius manifestò apparet. Sic enim scribit: *Episcopi mei: episcopi mihi commissi.* Quod autē Salonitana ciuitas in Illyrico sita Romana aliquādo prouincia cōtineretur, ex epistola, quā Damasus Romanus pōtifex ad episcopos Illyricos misit liquidò cōstat. Hæc eius verba sunt: *Par est omnes, qui sunt in orbe Romano, magistros consentire.*

Gregor. lib. 4. Epist. 34. Sozomen. li. 6. ca. 23. πάντας τοὺς ἐν τῷ ῥωμαίων κόσμῳ διδασκάλους.

Quòd Hardingus ait, rogatum atque oratum fuisse pontificem Romanum, vt Flauiani, Anatolij, atque Arianorum episcoporum electionem ratam haberet, hoc quidem de generali quadam approbatione accipiendum est, qualis erat omnium episcoporum communis, maximè quatuor summorum patriarcharum, non Romano pontifici propria. Neque ita certè necessaria habita fuit Romani pontificis admisio, quasi ipse posset pro authoritate, quicquid vellet, rescindere, ac quem vellet & admittere, & repellere: sed concordiæ tantùm atque consensus gratia, quò nimirum omnes intelligerent nullum esse in ecclesia episcopum, qui non probatus simul & approbatus esset à fratribus suis. Etenim alioquin Orientales episcopi ad Iulium scripserunt hoc modo: *Si ordinatos à nobis episcopos approbare volueris, nos tecum communicabimus: sin minus, contrarium indicemus.* Gratianus etiam imperator Nectarium Constantinopolitanum constituit episcopum repugnante maxima parte episcoporum. Quare hoc modo meliùs instituisset argumentum Hardingus: *Romanus pontifex suæ prouinciæ episcopos confirmauit: nullam autem singularem potestatem habuit omnes alios episcopos per orbem vniuersum confirmandi, nihilo magis, quàm alij illius: Ergo non tum pro capite ecclesiæ habitus, neque hanc vniuersalem potestatem obtinere iudicatus fuit.*

Sozomen. li. 3. cap. 8. Sozome. lib. 7. ca. 8.

Hardingus. 26. Sectio.

QVòd pontifices Romani vsu ecclesiæ recepto authoritatem habuerint Concilia vel rata vel irrita faciendi, non est opus, vt ego multis ostendam, præsertim cùm regula ecclesiastica (quemadmodum in tripartita historia legimus) decreuerit [a] *vt nullum concilium celebraretur, atq; haberetur sine iudicio, atq; mandato Papæ. Concilia autem habita Arimini, Seleuciæ, Syrmij, Anthiochiæ, & secundum Ephesi, quia non* [b] *indicta & approbata fuerunt Romani pontificis authoritate, pro legitimis Concilijs non sunt habita, sed non minùs hac de causa repudiata sunt, quàm quòd hæretica decreta tulerint. Patres in Nicena congregati Synodo, literas ad Syluestrum Papam miserunt, orantes eum, vt consensu suo ea approbaret ac confirmaret, quæcunque ipsi decreuerant. Isidorus testatur Concilium Nicenum Canones edidisse, quos (inquit ille) ecclesia Romana accepit & ratos habuit. Secundum generale Concilium Constantinopoli habitum Damasus similiter comprobauit ab illis patribus flagitatus. Eodem modo tertium Concilium Ephesi agitatum confirmauit Cœlestinus, cuius in illo Concilio vicarij seu delegati fuerunt, ille clarissimus Alexandriæ episcopus Cyrillus, & Italius alter nomine Arcadius. Quod autem ad quartum Concilium attinet, nempe Calchedonense, qui illuc etiam conuenerant patres in epistola sua ad Leonem Papam manibus 44. episcoporum subscripta, ab eo humiliter petierūt, vt decreta atq; sanctiones eiusdem stabiliret, corroboraret, & approbaret. Cùm hoc igitur de quatuor primis & præcipuis Concilijs verū esse intelligamus, vt de cæteris aliquid dicamus non est necesse. Quanquam ad certiorem istorum omnium confirmationem illud imprimis afferendum est, quod Constantius imperator tam importunè tamq; vehemēter à Liberio Papa contendit, vt Concilij Antiocheni, à nonaginta Arianis episcopis celebrati acta confirmaret, in quo abdicatus fuit Athanasius, atq; episcopatu suo deiectus. Existimauit enim, sicuti scribit Ammianus Marcellinus, quod in eo Concilio actum esset irritum fore, ni pontificis Romani authoritate approbatum & confirmatum fuisset, quam ille æternam ciuitatem nuncupat.*

Lib. 4. ca. 19.

Quæ Roma na suscipiens cōfirmauit ecclesia.

In præfatione Nice. Concilij.

Lib. 15.

[a] Falsum: in ipsa verborū corruptione positum.

[b] Falsum: tum enim dierū pōtifex Romanus non habuit authoritatem indicendi Concilia.

Episcopus Sarisburiensis.

HOC in loco duo Hardingus vehementer falsa posuit: quorum alterum cōuersione in Anglicum sua, alterum historiæ recitatione continetur. Quod ad prius attinet, Casiodorus in Latina translatione sic habet: *Canones iubent extra Romanum nihil decerni pontificem.* Socrates in Græco, vnde Latinum est desumptum, sic scribit: μὴ δεῖν παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου ῥώμης κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας: hoc est: *Canones ecclesiasticos præter Romani episcopi sententiam fieri non oportere.* In quo Hardingus Græcum pariter, & Latinum dedita opera penitus corrupit, atque adulterauit, nec verbū vllum, quod in Archetypo haberetur retulit. Κανονίζειν, id est, *decernere*, in Anglico reddit,

Casiodolib. 4. ca. 19. Socrat. lib. 2. cap.

habere, vel, vt ipse loquitur *Celebrare concilium.* Παρὰ γνώμην, quod est, *præter sententiam*, aut quemadmodum Cassiodorus interpretatur, *Extra*, ille in Anglicum ad hunc sensum transtulit *Sine iudicio atq; mandato.* Quinetiam, ne illum ipsum, cuius, tam strenuè causam propugnat, intactum atque illæsum passus est abire. Cùm enim in Græco ἐπίσκοπον ῥώμης appellatum eum videret, in Latino *Romanum pontificem*, satius existimauit vtrumque & Græcum, & Latinum repudiare, & *Papam* eum nuncupare: atque ita ornandi amplificandique Papæ studio incensus, locum omnem hunc immutauit, atque deprauauit, nec verbum vnum rectè transtulit.

Quod autem ad historiam attinet, Arianorum Concilia proinde reprobata fuisse contendit, quòd ea non indicta essent à Papa. Tamen præclarè nouit ad officij eius rationes illo quidem tempore haudquaquam pertinuisse, vt Concilia indiceret. Etenim ex ipsa adeo politia, atque vsu temporum illorum liquet, à Constantino imperatore indictum fuisse Concilium Nicenum: à Theodosio primo Constantinopolitanum: à Theodosio secundo Ephesinum: atque à Martiano Calchedonense. Scribit etiam in historia Socrates: *Iccirco Imperatores in historia complexus sum, quia ex quo tempere cœperunt esse Christiani, Ecclesiastica negotia pendent ab illis, & maxima Concilia de illorum sententia & facta sunt, & fiunt.* Episcopi etiam, qui ad Constantinopolitanum Concilium venerant se ad Romanum Concilium fuisse à Damaso pontifice Romano euocatos testantur: Verùm adiungunt, *Ita mandante per literas imperatore.* In epistola verò ad Theodosium imperatorem scribunt hoc modo: *Literis, quibus nos conuocasti, Ecclesiam honore prosequutus es.*

Socrat. lib. 5 in procemio.
τὰ τῆς ἐκκλησίας πράγματα ἤρτηται ἐξ αὐτῶν.
Theo. li. 5 ca. 9. διὰ τῶν τοῦ θεοφιλεστάτου βασιλέως γραμμάτων.
Inter Acta Cōcil. Constan. 5.

Pontifex autem Romanus nondum quidem ad tantam authoritatem aspirauerat, vt generali Concilio diem indicere posset: neque enim vniuersale eius in cæteros omnes imperium fuerat adhuc mundo persuasum: neque illius quisquam mandato paruisset. Gregorius Romanus pontifex efficere nullo modo potuit, vt Episcopus Salonitanus, vnus tantùm homo, ad ipsum vocatus veniret. Sic enim apud Constantiam imperatricem conqueritur: *Comptento me atque despecto, ad me venire secundùm iussionem Dominorum noluit.* Quapropter, quàm esset tenus hac in re sua potentia conscius Leo, literas ad Clerum, populúmque Constantinopolitanum misit, suasitque vt Concilium generale ab imperatore peterent: *Exposcite (inquit) vt petitioni nostræ, qua plenariam indici Synodum postulamus, clementissimus imperator dignetur annuere.* Liberatus scribit Leonem pontificem Romanum, aliosque complures ex Italia episcopos in genua procidisse sua, atque omnibus precibus ab Imperatore Valentiniano, atque Eudoxia imperatrice contendisse, vt Conciliū indiceretur: neque tamen impetrare potuisse. Pòst, imperatorem Theodosium rogauit vt Concilium ad locum aliquem conuocaret intra Italiam: Imperator autem, contrà ac Romanus pontifex flagitauerat, Ephesum indixit. Deinde idem etiam à Martiano postulauit imperatore: qui demississimæ isti pontificis petitioni non concessit, sed vt Calchedone haberetur Concilium mādauit. Quòd autem Leo ambos hosce imperatores obtestatus est, vt Concilium in diem longiorem reiicerent, quandoquidem & tempus, in quod indiceretur, nimis breue videbatur, & hostes vias omnes obsidebant, vt episcopi non sine maximo periculo iter facere possent, neuter tamen adduci potuit, vt de præfinito tempore quicquam mutaret, sed vt omnes ad præstitutum diem adessent, iusserunt. Neque Leo quantumuis hac potestate vniuersali præditus, ausus est repugnare. Ex his facilis est coniectura, quàm verè vel Gelasius Papa scripserit: *Solam Apostolicam Romanam sedem authoritate sua decreuisse, vt Calchedonense Concilium indiceretur:* vel quod nobis persuadere conatur Hardingus: *Omnia fuisse à Papa conuocata Concilia.*

Gregor. lib. 4. epist. 34.
Leo epi. 23.
Liberat. ca. 12. Genibus Prouolutis.
Leo epi. 11 ad Theodos. August.
Leo epi. 13.
Leo epi. 50.
Leo epi. 13. 44. 58.
Epi. Gelasij ad episcopos Dardaniæ.

Neque verò omnibus semper conciliis Romanus pontifex, aut eo absente Romani pontificis legatus præfuit ac præsedit. Constat enim Niceno Concilio præfuisse Eustathium Antiochenum patriarcham, Romanique pontificis legatos Vitum, & Vincentium quarto infrà loco consedisse. Constantinopolitano Menna moderatus est Concilio: Sardicensi Hosius Cordubensis: Aquileiensi Ambrosius Mediolanensis: Carthaginiensi Aurelius Carthaginiensis: Calchedonensi Leonis Romani pontificis legatus præsedit, non tamen iure suo, aut vniuersalis potestatis ergô, sed tantùm precariò, ipsiúsque imperatoris permissu.

At comprobauit (inquit Hardingus) Concilia generalia pontifex Romanus. Quis negat? Ipsum alij quoque fecerunt, non modò patriarchæ, seu episcopi, verùm etiam politici principes. In Calchedonensi Concilio scriptum est ad hunc modum: *Diuæ memoriæ Theodosius confirmauit omnia, quæ iudicata sunt à Sancta & Vniuersali Synodo Generali lege:* Sic etiam Martianus imperator inquit: *Sacro nostræ Serenitatis edicto, venerandam Synodum confirmamus.* Constantinum itidem imperatorem Niceni Concilij decreta confirmasse Eusebius testatur. Similiter episcopi in Constantinopolitano Concilio ad Theodosium Imperatorem scribunt ad hunc modum: *Rogamus tuam clementiam, vt per literas tuæ pietatis ratum esse iubeas, confirmesq; Concilij decretum.*

Concil. Calchedon. actio 1.
Concil. Calchedon actio. 3.
Eusebius in vita Constantini.
Inter acta Concilij. Constan. 5.

Quare, cùm Principibus politicisque magistratibus Conciliorum decreta, atque sanctiones confirmare fas esset, potéstne cuiquam dubium esse, quin episcopis etiam idipsum liceret? Quapropter Theodoretus ait, *Edicta Niceni Concilij ad alios episcopos transmissa fuisse absentes.* Victorinus autem scribit, *Innumerabiles episcopos illud Concilium approbasse, eiq; subscripsisse.*

b Theodo. li. 1 cap. 9. & lib. 2 cap. 8

Imprimis autem solita fuit requiri quatuor primorum patriarcharū præ cæteris, subscriptio, atque confirmatio, tum quia illorum amplior prouincia fuit, tum etiam quòd authoritate ac fide cæteris præstarent. Quorū primus semper Romanus pontifex extitit, ideóque grauissima esse maxi-

Victorin. lib. 2

maximíque momenti ipsius visa est assensio. Eam ob causam Martianus imperator abs Leone pō tifice Romano postulauit, vt ad Concilium Chalcedonēse literas mitteret, in quibus normā fidei ab eo constitutam sibi probatam esse significaret. Perinde Theodosius imperator omnes episcopos rogauit, vt Cōcilio Niceno subscriberēt, atq; assentirētur. Etenim & legi & rationi consentaneum est, *vt quod omnes attingit, ab omnibus approbetur.* Quapropter Iulius Romanus pontifex vniuersa Antiocheni Concilij acta rescidit, atque irrita esse pronunciauit, quòd ipse, qui vnus erat è quatuor Patriarchis, non æquè esset eò vocatus, atque alij. Quòd enim ad cuncta generalia Concilia primates omnes & Metropolitani præcipuè euocari soliti fuerint Eusebius, & Theodoretus, & alij declarant. Atq; iste Canō est à Iulio citatus, qui Canones atque leges vllas ab omni ecclesia obseruandas introduci prohibet præter Romani pontificis sententiam, qui vnus è quatuor primariis patriarchis erat, atque vnam ecclesiæ nō minimam partem sua prouincia cōplectebatur. Iccirco suam Chalcedonēsis Cōcilij approbationem testificatur hisce verbis Leo Romanus pontifex: *Fraternitas vestra nouit, me definitionem Sanctæ Synodi toto corde complexum esse.* Ad Martianum etiā imperatorem scribit hoc modo: *Constitutionibus Synodalibus libens adieci sententiam meam.* Hoc autem eo referebatur, non quò suam regalem quodammodo potestatem ostenderet, sed quò sanctiones istæ abs se atque à cæteris confirmatæ plus apud omnes authoritatis haberent. Sic ipse Leo scribit: *Clementia vestra arbitratur, malum facilius delendum, si per vniuersas Ecclesias definitiones sanctæ Synodi Apostolicæ sedi placuisse doceantur.*

Leo Epist. 60. inter acta Conci. Chalchedō.

Regula Iuris.

Euseb. Orat. 3. de vita Constā. Theodo. lib. 2. cap. 7.

τὰς ἐκκλησίας κανονίζειν.

Leo Epist. 61.

Leo epist. 59.

Leo epist. 59.

Quòd autem omnis Conciliorum approbatio non solùm ad pontificem Romanum, sed etiam ad alios non minùs episcopos pertineret, facilè probatur. Episcopi in Romano Concilio congregati Damaso pontifice, Arianorum Arimini habitum Concilium damnarunt, propterea quòd illud neque Romanus pontifex, cuius inprimis sententia cognosci debuit, neque Vincentius, neq; quisquam ex reliquis approbasset. Concilium autem Carthaginiense atque Aphricanum pro legitimis habentur, etiamsi ea Romanus pontifex comprobare noluit. Sanxit Concilium Chalcedonense, vt episcopus Constantinopolitanus proximus dignitate ad Romanum pontificem accederet, atque Metropolitanos Asiæ, & Ponti, & Thraciæ consecraret. Hoc decretum Leo Romanus pontifex vehementer improbauit, nec eidem vnquam est assensus: nihilominus ratum semper mā sit, atque adhuc obtinet. Liberatus de eo scribit hoc modo: *Cùm Anatolius consentiente Concilio Primatum obtinuisset, Legati verò Romani Episcopi contradicerent, à Iudicibus & Episcopis omnibus illa contradictio suscepta non est. Et licet Sedes Apostolica nūc vsque cōtradicat, tamē quod à Synodo firmatū est, imperatorio patrocinio permanet.* Quod etiam cum hisce Hieronymi verbis consentire videtur: *Maior est authoritas orbis, quàm vrbis:* Romam autem significat.

Sozom. libr. 6. cap. 23.

Leo epist. 13.

Liberatus cap. 13.

Hieronym. ad Enagrium.

De istis à me breuiter expositis liqueat, Romanum pontificem nullam authoritatem habuisse, neque indicendi Concilia, neque iisdem præsidendi, neque decreta conciliorum approbandi atq; confirmandi, potiorem, quàm quemuis è quatuor patriarchis: denique rata esse posse concilia quā tumuis eadem Papæ nunquam probata fuerint. Ex his autem non facilè (puto) concluserit Hardingus caput vniuersalis ecclesiæ fuisse pontificem Romanum.

Hardingus. 27. Sectio.

IAm verò, quantum semper authoritatis Romanus pontifex habuerit, atque exercuerit in episcopis, qui iniustè damnati fuerant, absoluendis, atque iisdem restituendis ecclesiis suis, è quibus per iniuriam expulsi fuerant ab hæreticis, aut aliis iniquis modis: res ita nota est cunctis iis, qui historias, quibus antiquus ecclesiæ status depingitur, legerint, vt nomina tantùm commemorare sufficiat. Athanasius Alexandrinus, & Paulus Constantinopolitanus abdicati, suisque episcopatibus exacti per vim ab Arianis, instigante imperatore Constantio, Romam prouocauerunt ad Iulium Papam, eiúsque authoritate suis locis [a] restituti fuerunt. Sic Leo Flauianum episcopum Constantinopolitanum à Dioscoro excommunicatum absoluit. Sic [b] Nicolaus primus Ignatium Sedi Constantinopolitanæ reddidit, etsi repugnante, quantum posset, Michaele imperatore. Multi præterea episcopi omnibus seculis absoluti atque ecclesiis suis restituti fuerunt, authoritate Sedis Apostolicæ, qui nullo suo merito excommunicati, abdicati, suaque dignitate spoliati fuerant. Istis autem paucis contenti erimus.

a Falsum Athanasium enim imperator, nō Papa restituit.

b Papa Nicolaus mortuus est anno Domini 868.

Episcopus Sarisburiensis.

ATHanasius atque Paulus, inquit Hardingus, ab Arianis à Constantio imperatore incitatis deiecti suis sedibus ad Papam prouocarunt, illiúsque authoritate fuerunt restituti. Hîc ego Lectoris, qui tēporū illorū secū reputare cōditionē potest, iudiciū prudētiámq; appello, quàm credibile videatur vel Athanasiū ab imperatore ad Papā prouocasse, vel Papæ mādatum satis magni momenti atq. authoritatis fuisse cōtra imperatorē. Nondū enim natus erat neq; Bonifacius octauus, qui imperatorē Papa minorē fore decreuit: neq; Innocētius tertius cū sua Glossa, qui rē proportione quadā exactissima Geometrica cōclusit, atq; papā imperatore quinquaginta septem gradibus esse superiorē deqniuit, quantò nimirum sol luna maior esset: neq; Alexāder tertius, qui pedem in imperatoris ceruicibus posuit.

De Maior. & obedient. Vnā Sanctam. Extra de Maior. & obedien. solitæ & in Glos. Cagrion in Federico.

Epi. Decretalis Innocentij. 27.

Certè papa illo tempore nullum neque abdicare, neq; restituere, neque ad se euocare authoritate sua episcopum potuit, quemadmodum ex Innocentij ac Gregorij confessione antè docui.

Gregor. lib. 4. Epist. 34.

Leo Epist.45. Socrat.lib.1. cap.2. DeEccle.dluer. cap.

Immò, Leo Papa fatetur se misellum monachum Eutichem abbatem à monasterio suo eiicere nō potuisse, quin ab imperatrice Pulcheria postulare coactus esset, vt ea hominem tollēdum curaret.

Athanasium autem Cōstantinus magnus imperator authoritate sua submouit atque in exilium misit, quemadmodum ex Socrate constat. Iccirco Iustinianus imperator habet. *Si quis in hoc episcopus deliquerit, secundùm vim huius legis deponatur.* Vt autem ab imperatore Constantino patre ablegatus fuit, ita à Constantino filio imperatore non à Papa restitutum fuisse, cùm Socrates, qui historiam hanc literis mandauit, testis est, tum complures etiam epistolæ ac literæ indicant, ex imperatoriis instrumentis atque monumentis depromptæ.

Socrates lib.2. ca.3 Sozom.lib.3. ca.20. Theodoret.li.2. ca.8. Theo.li.2.ca.11.

Primùm ex historiis constat Valentem imperatorem, qui Occidentem imperio continebat, cuiúsque opem Athanasius deiectus implorabat, Athanasij causam Constantio fratri, qui tum Orienti dominabatur, per literas commendasse, ab eóque vehementer petiisse, vt Athanasium suis restituendum curaret. Ni enim ita faceret, se cum exercitu Alexandriam profecturum, atque Athanasium deducturum esse minatus est. Quibus acceptis literis scripsit ad Athanasium Constantius imperator vt ad aulam quàm celerrimè accurreret, quò restitui patriæ suæ ab eo posset. Postquam autem venisset, literas imperator ad Clerum, populúmque Alexandrinum misit, iussitque vt ipsum studiosè acciperent, atque superiora sua contra eum decreta antiquarent. Literas ipsas prolixè recitare longum esset. In cæteris Constantius imperator ita scribit: *Recipiat voluntate Dei, nostróque iudicio patriam suam, pariter & ecclesiam.* Rursus: *Omnes episcopum superno iudicio, nostráque sententia destinatum, libenter, & piè suscipite.* Cassiodorus autem insuper ait: *His literis confidens Athanasius, redit in Orientem.* Episcopi etiam qui Hierosolymas conuenerant ad Concilium, de eius reditu facti certiores literas ad populum Alexandrinum miserunt, in quibus ei de restituto Athanasio congratulantur: *Debetis ergo etiam pro Imperatoribus continuò preces facere, quòd vestra studia cognoscentes Athanasium vobis restituerint:* Theodoretus autem de eadem re scribit ad hunc modum: *Procerum senatorúmque coniuges viros suos obtestatæ sunt, vt Imperatoriam maiestatem flagitarent, vt Athanasium suo gregi restitueret: quòd ni facerent se illos relicturas, & ad illum profecturas affirmarunt.*

Cassiodor. li. 4. cap.31. Cassiodo.li.4. cap.30. Cassiodor.li.4. cap.39. Theodor.li. 2. 2.cap.17.

Leo Epist.39.

Ita etiam episcopi, quos Ariani vnà cum Flauiano exegerant, non à Papa, sed ab imperatore restituti sunt. De eo enim Leo Papa ipse sic ad imperatricem Pulcheriam scribit: *Vos sacerdotes Catholicos, qui de ecclesiis suis iniusta fuerunt eiecti sententia, reduxistis.*

Nicolaus Papa, quēadmodū suprà occasione quadā inducti exposuimus, secūdus extitit à Ioanna papa, fœmina pontifex Romanus, circiter annum noningentesimum à Christi natiuitate. Huius ergo testimonium prætermitti potuit. Crescēte papæ potētia imminutas fuisse imperij vires omnes intelligunt. Hinc impulsus Platyna fuit vt diceret: *Periit & potestas imperatorum, & virtus Pontificum* Olim imperator Papam confirmauit, nūc imperatorem Papa: Olim Papam ad Concilia citauit imperator, nunc contrà papa Imperatorem.

Platyna in Adriano.2.

Epist. Athanasij ad Liberium. Sozom. lib. 4. cap.8.

Quod ad Athanasij restitutionem attinet, Iulius Papa imperatori pro eo supplicauit: neque aliud quicquam à Iulio petiisse Athanasius videtur. Sic enim ad Liberium scribit: *Precamur vt vestris exhortationibus, tam per vos, quàm per Apocrisiarios vestros adiuuemur.* Deinde, quandoquidem Patriarcha fuit, particulare Concilium indixit, & episcopos diligenter solicitauit. Etenim Ariani iactabant: *Canone ecclesiastico prohiberi, ne quisquam semel abdicatus restitueretur, nisi se antè in Concilio purgasset: statuitq; vt episcopi, qui eum restituunt, plures numero sint, quàm qui abdicarūt.*

Orientalium Episto.ad Iuliū. Socra.li.6.ca.18 Leonis epi. 24.

Quapropter Chrysostomo vehementer vitio verterunt iniqui sui, quòd is semel abdicatus locum suum sine episcoporum aliorum concilio recuperasset. Iccirco Flauianus episcopatu munereque suo per scelus priuatus, Appellationi suæ formulam non vni Romano pontifici, sed ei pariter, atque aliis episcopis obtulit. Quod verissimum esse ex istis Leonis Romani pontificis ad imperatorem Theodosium verbis liquerit: *Omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes mansuetudines vestræ cum gemitibus, & lachrymis supplicant Sacerdotes, vt, quia eisdem Libellum Appellationis Flauianus Episcopus dedit, generalem Synodum iubeatis intra Italiam celebrari.*

Sozo. li.3.ca.11. Concil. Basile. Athan.in Apo.2 Cassiodor. li.4. cap.34.

Hisce in Conciliis pontifex Romanus principem locum aliquando obtinēs reū pronunciauit dignū vel restitui, vel deiici. Ea tamen sententia non perpetuò rata fuit. Antiochenum Concilium Iulium Papam deposuit: non tamen ideo depositus est Iulius. Concilium Basileense Eugenium Papam à gubernaculis ecclesiæ submouit: Eugenius tamen esse Papa non desiit. Pontificum istius modi in causis parum quidem valuerunt decreta, ni imperatoris accederet authoritas: Ideóque Athanasius ipse imperrtorem Concilij Sardicensis decretum comprobasse, atque ita se domum reuocari iussisse refert.

Attamen vrgebit Hardingus, verba esse diserta, quibus restituisse Iulius Athanasium dicitur. Ita est, & nemo negat. Verborum tamen ista sententia est, Iuliū eius illum criminis, cuius arcessebatur, absoluisse, & propterea dignum iudicasse, qui restitueretur. Constat namque, neque Hardingus ignorat, non statim propter Iulij literas fuisse restitutum. Perinde etiam de aliis scribitur. Cassiodorus inquit: *Maximus quoque restituit beato Athanasio & communionem & dignitatem:* hoc est, eum dignum pronunciauit, qui restitueretur. Neque enim Maximus pontifex fuit Romanus.

Sozom.li.3. cap.8.

Cassiodor.li. 4. cap.34.

Istis rebus consideratis, rationem Hardingus isto modo confecerit. Papa non potuit authoritate sua restituere eos, qui exciderant: Ergo Papa non fuit Ecclesiæ caput. Aut isto modo: Imperator eos, qui exciderant, restituit: Ergo, imperator ecclesiæ caput extitit.

Har-

Hardingus. 19. Sectio.

DE recõciliatione præsulum ecclesiæ, tum episcoporũ, tum Patriarcharũ Romano põtifici, qua ipsius [a] *primatus agnoscitur & prædicatur, non opus est vt multa dicam, præsertim cùm res sit tam perspicua. Postquam tota ecclesia Aphricana cẽtum annorum spatio in* [b] *schismate perseuerasset, & se à sedis Apostolicæ obsequio remouisset, ab Aurelio Carthaginẽsi Archiepiscopo seducta,* [c] *quo tempore Diuina vidicta eã barbaris, & immanibus Vãdalis, qui Ariani fuerunt, in seruitutem tradidit. tãdem cùm Deus bonitate sua cõmotus populi sui eius prouinciæ misertus esset, & ducem fortißimum illis excitaret Bellisarium, qui Vandalos debellauit, atque profligauit, necnon Eulalium illum sanctißimum archiepiscopum Carthaginensem, qui ecclesiam domum reduxit, & membra dißipata integro corpori Catholicæ nimirum Ecclesiæ, coniunxit instrumentum publicum quo pœnitentiæ ipsorum, humilisq; submißionis formula cõtinebatur. solenniter oblatũ, atq; exhibitum fuit Bonifacio secundo põtifici Romano ab Eulalio, nomine totius prouinciæ, quod summa cum lætitia acceptum fuit, ipseque statim reconciliatus est. De hac reconciliatione ac restitutione ecclesiarũ Aphricanarum ecclesiæ Catholicæ, quæ est corpus Christi mysticum, Bonifacius scribit ad Eulalium Thessalonicensem episcopum, rogátque, vt cum ecclesiis vicinis gratias Deo Optimo Maximo de eadem agat.*

Quòd si autem hoc loco vellem commemorare quinam episcopi se per hæresin, Schisma, aliámve prauitatem à sedis Romanæ obsequio disiungentes, eidem se prioris temeritatis pertæsi denuo submiserint, eíq; recõciliati fuerint: amplum exspatiãdi campũ ingrederer. Cùm minores multarũ prouinciarũ episcopi, tum maiores etiã patriarchæ ita fecerunt. Illorum, qui malitioso imperatricis Eudoxiæ studio morem gerere cupiẽtes, impiam illam contra Chrysostomum coniurationem exercuerunt, qua deiectus, atque in exilium abductus fuit, Alexander episcopus Antiochenus Orientis Primas vnus extitit: qui postea [d] *dolore permotus, quòd tanti facinoris & approbator, & instigator fuisset, se humillimè Innocentio Papæ submisit, modísque omnibus absolui, atque in gratiam recipi contendit. Qua de causa legatos suos Romã misit, qui Innocentio solenne quoddam suæ resipiscentiæ, humilisque submißionis instrumentum exhiberẽt, & quicquid imperatum esset reciperẽt. Qua ipsius humilitate commotus Innocentius eius postulatu concessit, eúmque in ecclesiæ catholicæ gremium recepit, atq; hoc modo reconciliatus est. Permultas alias huiuscemodi Patriarcharum Alexandriæ & Hierosolymarũ Romanæ sedi in similibus negotiis reconciliationes facilè liceret cõmmemorare: quas vitandæ prolixitatis studio prætermitto: nec de Constantinopolitanis patriarchis aliquid dico, qui vt in antiquis historiis legimus, se à Romana ecclesia duodecies remouerunt, eidémque sunt toties reconciliati.*

a Falsũ: etenim recõciliatio nõ est necessarium aut primatus aut subiectionis indicium.

b Augustinus fuit vnus ex istis schismaticis

c Eodem hoctẽpore Roma ipsa sexies direpta fuit: idquod Hardingo penitus excidit.

c Falsum: hæc enim historia multis mendaciis intertexitur.

Episcopus Sarisburiensis.

PRimùm, hoc *Reconciliationis* nomen Hardingus inter æquales nullo modo consistere posse existimat: deinde illam omnẽ de Antiochenæ ecclesiæ recõciliatione historiã emẽtitus est, vt manifestò liquebit. Hæc fundamẽta sunt, quibus hasce cõfirmationes cõstituit. Neq; enim nescius est Hardingus proprio loquẽdi vsu ita obtinuisse, vt *Submittere* se principibus suis subditi, *Reconciliari* autem æquales æqualibus dicãtur.

Ad ista, quæ de Eulalio referũtur, breuis est & facilis respõsio. Historia penitus intellecta sibi ipsa respõdet. Luce meridiana clariùs cõstat, queẽadmodũ suprà vberiùs cõmemorauimus, atq. ex actis Aphricani Cõcilij apertè liquet, Zosimũ Romanũ Pontificem, quò suum in reliquos omnes episcopos imperiũ cõstitueret, Nicenũ Cõcilium palã adulterasse. Fraus ea fuit in Aphricano cõcilio deprehẽsa atque manifestò cõuicta. Episcopi illi numero ducẽti atq. septẽdecim, Apiariũ quendam presbyterũ, quẽ ipsi singularis petulãtiæ scelerísq. reũ excõmunicauerãt, cùm re neutiquã examinata, ipsius tãtùm audita criminatione & querela, à põtifice Romano ad cõmunionẽ, atque gratiam receptum esse per summũ sui omniũ cõtemptum intelligerẽt: cúmq; accusatores atq; testes, sine quibus nullũ potest legitimũ iudicium exerceri, vel ætatis, vel inualetudinis suæ ergô, vel propter alias causas tam longum iter suscipere sine periculo nõ potuisse viderẽt: Romanũ põtificẽ per literas rogarũt, ne huiusmodi *fumosum seculi typhũ* in ecclesiã inueheret, decretúmq; in eo cõcilio fecerũt, vt nemini liceret ex Aphrica ad externũ quenquã episcopũ prouocare. Cẽtũ deinde elapsis annis Eulalius iste Carthagniẽsis episcopus, si modò vera sint, quæ de eò prædicãtur, nõ Romæ cõficta, vt alia multa, se ipse Romanæ ecclesiæ recõciliauit, Bonifacio secũdo Papa, queẽadmodũ in Põtificali extat. Nullũ est enim præterea eiusdẽ, quod sciã, monumẽtũ. Recõciliationis hæc verba sũt: *Hãc professionẽ meã manu mea subscripsi, eãdémq; Bonifacio sancto & venerãdo Papæ Ciuitatis Romæ direxi, penitus dãnans meos antecessores & successores, cæterósq; omnes, qui Apostolicæ Romanæ sedis priuilegia infringere conabũtur.* Bonifacius etiã de eadẽ ad Eulaliũ episcopũ Alexãdrinũ scribit ad hũc modũ: *Aurelius Carthaginiẽsis ecclesiæ olim episcopus cũ collegis suis* (collegæ autem ipsius D. Augustinus, Alypius, ducẽtiq; & quatuordecĩ alij episcopi fuerũt) *instigãte diabolo, superbire tẽporibus prædecessorũ nostrorũ cõtra Romanã ecclesiã cœpit.* Horũ alier per publicũ instrumẽtũ à se subscriptũ, consignatũq; cũ diuũ Augustinũ, tũ alios præterea ducẽtos, & sedecĩ pietate præstãtes episcopos pariter & quatuor generalia Cõcilia Aphricanũ, Carthaginiense, Mileuitanũ, Hipponense prorsus damnat atq; execratur: alter eos impulsos atque instigatos à diabolo fuisse, & cùm extra ecclesiã Dei vixisse, tũ in schismate obiisse affirmat. Si hæc vera sunt, posthac Augustinus pro diuo minimè haberi, neque locum in Calendario aliquem occupare debebit.

Inter decreta Bonifa. 2 Epist. Bonifac. 2. ad Eulalium.

Zosimus Papa suppositítiorũ Conciliorum author.

Euseb. lib. 4. ca 23.

οἱ τοῦ Διαβόλου Ἀπόστολοι ζιζανίου γεγέμηκαν.

Quòd si autem isti omnes spectata virtute patres, qui iustis verísque de causis Nicenum Concilium defenderunt, diabolico instinctui paruerint: quonam ille tandem est incitatus spiritu, qui palàm & toto quodammodo spectante mundo id ipsum Concilium corrũpere atque adulterare est ausus? Certè Dionysius episcopus Corinthius sic conqueritur: *Rogatu fratrum meorum scripsi epistolas: sed illas Apostoli diaboli alia eximentes, alia interserentes, impleuerunt zizaniis, quibus væ reponitur.*

Roma sexies capta & direpta intra 140. annos.

Gregor. lib. 4. epist. 32.

Interim tamen (Hardingus inquit) *Aphrica vltione diuina subacta fuit & depopulata à Vandalis:* Hîc in Dei iudicia Hardingus ascendit, illásque vniuersas calamitates ei regioni accidisse statuit atque pronunciat, quòd à sede Romana discessisset: quod quidẽ illi nihil aliud esse videtur, quàm ipsum Deum repudiare, atque refugere. Tametsi facilè intelligere potuit Hardingus circiter id ipsum tempus, quo istis iactata fuit tempestatibus Aphrica, Romam ipsam sexies captam fuisse à feris Barbarísque hostibus, Vestrogothis, Ostrogothis, Herulis, Vandalis, Hunnis, & Longobardis intra centum & quadraginta annorum decursum. Mœnia conuulsa fuerunt: castella deiecta: ædificia combusta: nobiles capti: plebs spoliata & relegata: vrbs ipsa lõgo tempore deserta, ac incolis vacua. Si cladium Aphricanarum causam Hardingus tam citò perspectam habeat, quid est, quod de sextuplo tetrioribus ærumnis ac miseriis nesciat, quæ eadem tempestate in Romam reciderunt? Si episcopi, populúsque Aphricanus propter schisma suum tam vehementer afflicti sunt, qua tũ de causa maximis malis exerciti fuerunt pontifices, populúsque Romanus, qui nullo schismate laborasse existimãtur? Quanquam Posidonius ait, Deum singulari misericordia inductum diuo Augustino tribuisse ab hostibus tunc obsesso, vt eo viuente Hippo sua nequaquã expugnaretur. Nihilominus Augustinus acerrimus fuit fraudis ambitionísque pontificis Romani indagator, id est: schismatis istius princeps, vindéxque vehementissimus.

Theodor. lib. 5. ca. 25.

Nicephor. libr. 14. ca. 26.

Iam verò vt ad Alexandri Antiocheni episcopi reconciliationem veniamus, multa Hardingus sua intertexuit, atque interseuit, quò ista omnia illustriora atque ornatiora viderentur. Etenim in iis omnibus, quę hac de re scripsit Innocentius, nulla penitus, neque solennis instrumenti, quo pœnitentiæ declaratio continetur: neque accipiendæ, quamcunque pontifex Romanus infligeret mulctæ: neque subiectionis, neque humilis submissionis fit mentio. Certè verò Alexander iste cùm principio Antiochenam ecclesiam seditionum ad dissensionum, quas Eustathius quidam excitauerat, plenam offenderet, populum illum prudentia sua & sanctissimis ad exhortandum comparatis sermonibus ad concordiam reuocauit: deinde etiam eandem in aliis ecclesiis piam prudentiã exercuit, eámque omnem contentionem, quæ propter Chrysostomi dãmnationẽ accensa lõgotẽpore exarserat, restinxit: eiúsque nomẽ, quod inimici sui ex albo Catholicorũ episcoporũ eraserãt, restituendũ curauit: atque imperatorẽ Theodosiũ iuniorem, aliarúmque regionũ episcopos per literas vt similiter faceret, hortatus est. Postremò, sedatis omnibus discordiis, non quò se subiiceret, quemadmodum fingit Hardingus, sed quo firmam faceret recõciliatæ gratiæ fidem, ecclesiã suam cum Romana, cæterísque Occidentalibus ecclesiis, à quibus antea dissidiorũ causa disiũctæ fuerant, cõmunione atque societate deuinciri in primis studuit. Quod etiam ex ipsius Innocentij ad Alexandrum eadem de re verbis apparet: *Gratias agens Domino Communionẽ Ecclesiæ vestræ ita recepi, vt præ me feram, Apostolicæ sedis cõdiscipulos primos dedisse cæteris viam pacis.* Hîc Alexandrũ non subditum, aut seruũ, sed condiscipulum Innocentius suum nuncupat. Condiscipulum autem suum Apostolicæ sedis eum proinde vocat, quòd Petrus Antiochiæ primùm, deinde Romæ sedem obtineret: suntque eam ob causam ambæ istæ Petri Apostoli sedes, Apostolicæ dictæ.

Innocentij epi. 17. ad Alexandrum.

Innocentii epi. 15.

In alia etiam epistola ad Alexandrum hæc habet: *Voluit Compresbyter noster Cassianus, hanc amicitiarum nostrarũ paginulam quasi primitias pacis nostræ, conscribi. Quare gratulor tuæ fraternitati, cæterísque omnibus illius Ecclesiæ tecum sentientibus.* His verbis Innocentius ipse hanc reconciliationem amicitiæ, seu societatis instrumentum appellat, non pœnitentiæ, aut humilis submissionis, quemadmodum Hardingus falsò est interpretatus. Neque *Reconciliationis* vocabulum semper imperiũ atque dominatum arguit, verùm etiam, ídque vsitatissimè societatem, seu æqualitatem indicat, vt antè ostendimus. Sic Paulus inquit: *Christus Iudæum simul & Ethnicum in vno corpore reconciliauit.* Quid autem ea reconciliatione significetur exponit hoc modo: *Omnes vnum sumus in Christo Iesu* Ita Plinius iunior inquit: *Principis est reconciliare æmulas ciuitates:* non quò altera in alterius potestatem redigatur, sed quò amicitia & concordia consocientur. Perinde est, quod Christus ait: *Vade, reconcilieris fratri tuo.*

Ephe. 2.

Galat. 3.

Plin in Panegyrico.

Matthæ. 5.

Sic itaque Romano pontifici reconciliatus est Patriarcha Antiochenus: non tanquam principi suo subditus, sed vt in corpore membrum mẽbro copulatur: & (quandoquidẽ hoc Innocẽtius ipse vsus est vocabulo) quemadmodum in schola *Condiscipulus* alter alteri.

Innocen. epi. 17

Concil. Aphri. Ca. 68.

Eodẽ modo, quando Alexandrina quondam ecclesia à Romana dissideret, Aphricani Concilij patribus visum est de pace cum vtraque agere, non vt Romanæ tanquam capiti suo Alexandrina ecclesia cederet, vtque ei perpetuò audiens dicto esset, sed vt ipsæ sibi reconciliarentur, mutuámque concordiam tuerentur. Ita *reconciliatum Asatio*, non vt superiori suo, sed vt fratri fuisse Petrum Moggum Liberatus scribit. Hac ipsa sententia Romanus pontifex Hormisda ad Epiphanium Episcopum Constantinopolitanum scribit: *Aequale studium & æqualem curam suscipiamus, quibus vna est in communione & fide amicit ia.*

Liberatus cap. 18.

Concil. Constã inop. 5. Act. 2.

Hanc

Hanc reconciliationis formã Socrates in historia sua copiose exposuit, cuius hæc summa in pauca adducta. Macedoniani hæretici, postquam hæreses suas abiurassent, legatos suos Eustathiũ Syluanum, & Theophilum ad Liberium pontificem Romanum, atque ad alios Occidẽtales episcopos miserunt. Liberius quando ipsorum fidem cum Niceno Concilio, cúmque ea, quam ipse cæteríque vniuersi Occidentalis Ecclesiæ episcopi profiterentur, fide penitus consentire perspiceret, eos ad communionẽ recepit, atque Orientalibus episcopis diligenter per literas commendauit. Isti legati Roma profecti in Siciliam contendunt, atque in Synodo quadam episcoporum illis se ipsi reconciliant. Ad suos autem reuersi, literas ad omnes illarum partium ecclesias scribunt, rogántque vt literas à Liberio Romano pontifice, aliísque episcopis Italiæ, Aphricæ, Galliæ, Siciliæ, totiúsque Occidentis missas legant, & secum concordare ac cõmunicare velint.

Socrates li. 4. ca. 12. & 13.

Extat etiam aliud exemplum reconciliationis, quam Harsenius episcopus Hipsilitensis cum Athanasio episcopo Alexandrino fecerat. Eius verba hæc sunt: *Nos volẽtes ecclesiastico Canoni pro veteri instituto subiici, scribimus tibi, Papa dilecte, promittimúsque in nomine Domini, nos deinceps nõn cõmunicaturos cum schismaticis, aut cum iis, quibus nondum pax est cum ecclesia Catholica, siue episcopi sint, siue presbyteri, siue diaconi.* Hæc, siue submissio, siue reconciliatio, facta fuit Athanasio: non tamen Romanus fuit pontifex Athanasius.

Athana. Apol. Secunda.

Ista tum recõciliationis forma vsæ sunt ecclesiæ, nulla adhibita huiusmodi humili subiectione qualem Hardingus somniat, nulláque neque Primatus, neque vniuersalis alicuius potestatis facta aut agnitione, aut mentione.

Hardingus. 29 Sectio.

Quare, postquam supremam authoritatem, atque primatum Papæ ex communi ecclesiæ consuetudine confirmauerim, non est opus, vt insuper ostendam, quemadmodum in omnibus [a] *quæstionibus [illegible] & controuersiis ad fidem, atque religionem pertinentibus, Romana sedes semper consuli solita fuer[illegible] admodum omniumcausarum difficilium, & ancipitum definitio illius sedis sententiæ arbitrióque commissa fuerit: denique, quemadmodum vniuersus orbis* [b] *lucem inde acceperit: Quæ omnia quandoquidem nõ possunt paucis tractari, eruditum lectorem ad historias ecclesiasticas remitto, in quibus hanc rem vberrimè expositam reperiet.*

a Falsum: multæ enim grauissimæ quæstiones nunquam fuerunt Romam delatæ.
b Falsum: Roma enim ipsa lucẽ è Græcia suam petiit.

Episcopus Sarisburiensis.

Roma populis debellatis totius orbis imperium adepta, cùm & propter vrbis dignitatem ac splendorẽ, & propter sapientiam atque doctrinam, quæ imperij domicilium plerunque comitantur, nobilissima vrbium omnium ac celeberrima semper fuit: tum propter maximas opportunitates ad eam ex omnibus regnis ac regionibus adeundi tam Orientalibus, quàm Occidentalibus, atque etiam ex Aphrica, Aegypto, aliísque Meridionalibus partibus, tũ præterea ad quæstionum difficilium cognitionem dubitationúmque explicationem, in loco vniuersæ terræ cõmodissimo sita esse & condita videbatur. Quemadmodum enim Athenas Thucydides *Græciam Græciæ* totius appellat: ita Romam quidam, quo tempore maximè ea florebat, *Epitomen orbis terrarum* nuncupabant. Huius tantæ maiestatis admiratione excitati homines ad eam vndique tam incredibili frequentia cõfluxerunt, vt Beda homo nostras præclarè doctus cùm Romæ versaretur, & peregrinorum, qui admirandi tantùm causâ, & res cõtemplandi venerant, multitudinẽ cerneret, quatuor istas angustissimas literas *S. P. Q. R.* hoc modo interpretatus sit: *Stultus populus quærit Romam.* Itaque propter & loci commoditatem, & responsionis celeritatem multæ causæ, quarum ambigua dubiáque disceptatio esse videbatur, eò delatæ fuerunt. Multæ, inquam, non omnes. Etenim qui concilio atque alterius prudentia indigebant, ad illos scripserunt, séque contulerunt, qui eruditione præstare, & ipsis optimè satisfacere posse iudicabantur. Ita Marcellinus, Dulcitius, Bonifacius, Euodius, aliíque complures de quæstionibus suis ad Augustinum scripserunt, eiúsque consilium flagitarunt. Ambrosius, quemadmodum antè commemoratum est, permultos ex iis, qui cum Romano pontifice egerant, pòst ad ipsum retulisse de suis rebus solitos esse scribit, quò sibi persuasum magis esse posset. Huc etiam accedit, quòd Leo ipse pontifex Romanus, ideóque Hardingi quidem opinione, orbis terrarum oraculum, se deiicere, atque ab episcopis aliis consilium petere non putauit alienum. Quare ista Hardingi sententia neque in omnibus vera est, neque ad ipsius confirmandam causam valet. Nam si sic argumentabitur: Quidam homines in rebus dubiis Romanum pontificem consuluerunt: Ergo, pontifex Romanus ecclesiæ caput appellatus est: Ista quidem vix consequetur conclusio.

ἑλλὰς ἑλλάδος. Cœlius Rhodiginus lib. 18. ca. 25.

Ambrosi. lib. 10. epist. 83.

Leo. epist. 37.

Iosias princeps in causa longè grauissima de religione ad fœminam nomine Olda, vxorẽ Sellumi, misit, & quid ipsa cõsilij daret, rogauit. Iudæi etiam trito & vulgari prouerbio iactare cõsueuerunt: *Qui interrogat interroget in Abila.* Tamen neque Oldã caput ecclesiæ, neque Abila princeps ciuitas in Israel, Iudáve fuit.

Regum cap. 22.
Paralipom. 2. ca 34.
Sam. 2. cap. 20.

At mundum vniuersum Roma lumine illustrauit suo. At mundus vniuersus hoc esse manifestò falsum perspicit: neque tamen eo concesso id concluderetur, quod vellet.

Certè verò seu Romam, seu Antiochiam, seu Alexandriam, seu quamuis aliam ampliorem religione florentem vrbem, caput, aut fontem Euangelij vocare licet. Sic Babylonem Ioannes

appellat, *magnam matrem fornicationum & abominationum terræ.* Ita Arnobius Hetruriam, qua in regione stat Roma: ita Ambrosius Romam ipsam *Caput superstitionis* nuncupat.

Apoca. 17
Arnob. lib. 2. aduersus gẽtes
Ambros. Serm. 66.

Quòd si autem locum ipsum inquirere voluerimus, è quo primùm affulsit religionis lumen, Hierosolymas fuisse, non Romam necessariò fateri debemus. In Esaia enim propheta scriptum est, *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem.* Qua de causa Episcopi Orientales in Synodo Constantinopoli congregati, Hierosolymam omnium ecclesiarum matrem appellant. Nihil tamen impedit, quin maior quæque Metropolitana ciuitas intra suam ipsius prouinciam eodem hoc titulo honestari posit. Hoc ipsum Cæsareæ, cuius Basilius episcopus extitit, tribuit Nazianzenus: *Cæsarea propè mater est omnium ecclesiarum: eámq; vniuersa Christiana respublica sic complectitur, & respicit, vt circulus centrum.* Eodem modo Antiochiam Chrysostomus extollit, & prædicat: *Cogita vrbis magnitudinem, quod non de vna, vel de duabus, vel de tribus, vel de decem animabus nunc nobis est consideratio, sed de millibus infinitis, de totius Orbis Capite.* Sic Antiochiam totius orbis caput appellat Chrysostomus, propterea quòd illius Syriacæ prouinciæ caput esset: quemadmodum primaria ciuitas, princeps Occidentis ecclesiæ, Roma fuit.

Esai. 2.
Theodor. lib. 5. cap. 9.
Grego. Nazianzen. in epist. ad Cęsarienses.
Ad populum Antiochen. homil. 3.

Hardingus. 30. Sectio.

IAm verò, vt Iuello paucis respondeam, qui Romanum pontificem nunquam intra sexcentos à Christo annos vniuersalem episcopum, aut vniuersalis ecclesiæ caput esse appellatum affirmat, déq; eo sibi tam certò persuadet: etsi puerile quidem est de nomine, quo res appelletur, litigare, cum res, quæ nomine illo significatur, cumulatè comprobetur: tamen quò boni homines intelligant cum antiquo Euangelio minimè congruere quicquid noui nostri Euangelici aut affirmant, aut negant: idoneum & luculentum testimonium proferam, quo Romanum pontificem vniuersalem episcopum, seu œcumenicum patriarcham, quod idem est, scilicet episcopum, seu principem patrem totius orbis, atque caput etiam ecclesiæ, tum appellatum esse constet. Leo ille præstantissimus Romæ pontifex vniuersalis episcopus, & vniuiuersalis patriarcha dictus est à sexcentis & triginta episcopis ex omnibus mundi plagis in Concilium generale Calchedone congregatis: quod & in Concilio disertè [a] *exprimitur, & perspicuè à Gregorio affirmatur in tribus epistolis, quarum vna est ad Mauritium imperatorem, altera ad Eulogium patriarcham Alexandrinum, tertia ad Anastasium patriarchã Antiochenum. Fuit ergo nomen illud Papæ delatum à patribus illius magni Concilij: quod illi minimè quidem commisissent, si esse nefas existimassent. Reuera tamen nec Leo ipse, nec quisquam præterea successorũ suorum se vnquam eo vocabulo aut appellauit, aut inscripsit, quemadmodum Gregorius habet, nedum sibi nomen illud arroganter assumpsit: sed humilitatis potiùs nomine vsi sunt, & se quisq; nominauit,* Seruum Dei. *Nihilominus multi sanctissimi Martyres, Romani inquam pontifices, se ipsi episcopos vniuersalis ecclesiæ vocare, soliti sunt,* [b] *quod planè nihil aliud est, quemadmodum patres illi Calchedonenses iudicarunt. Ita se Sixtus appellauit imperante Adriano* [c] *in epistola sua ad episcopos totius orbis: Ita Victor in epistola ad Theophilum Alexandrinum: Ita Pontianus in epistola ad vniuersos homines, quotquot in Christum crederent, supra mille trecentos abhinc annos: Ita Stephanus in epistola sua ad omnium prouinciarum episcopos in diebus Cypriani. Atq; isti omnes ante Constantinum, & ante Concilium Nicenum extiterunt, quæ tempora incorrupta fuisse aduersarij nostri confitentur. Eodem titulo vsus est etiam post Nicenum Conciliũ Fœlix, &* [d] *Leo multiq; alij antequam sexcenti post Christum anni transigebantur. Neq; verò hoc titulo, & isto nomine ad suam ostentationem ipsi duntaxat Romani pontifices vsi sunt, quemadmodum ecclesiæ aduersarij criminãtur, sed ab alijs fuerunt iisdem decorati: exempli causa, Innocentius à patribus Concilij Carthaginiensis, & Marcus ab Athanasio, cæterisq; episcopis Ægypti.*

[a] Falsum: Nulla enim eius mentio in aliquo canone habetur.

[b] Falsum: hæc enim vocabula idem non significant.

[c] Hæ adulterinæ sunt epistolæ, ac nullius fidei.

[d] Falsum: statim enim antè confessus est Hardingus, Leonem illud vocabulum nunquã vsurpasse.

Episcopus Sarisburiensis.

HOc in loco obscurè confitetur Hardingus, tot productis testimonijs nondum se tamen euicisse, pontificem Romanum episcopi vniuersalis, aut capitis vniuersalis ecclesiæ vocabulo intra sexcentos à Christo primos annos vnquam fuisse appellatum: multas licet de re ista coniecturas collegerit, partim ecclesiasticæ politiæ, quæ tum obtinuit, rationem ementiendo, partim sanctissimorum patrum verba in alienum sensum atque scientiam torquendo. Hactenus itaque magno studio prorsus nihil egit.

Istis autem Rhetoricam suam correctionem adhibet, aítque, *Puerile est de rei cuiusquam nomine contendere.* Atque ita tandem omnis ista contentio in puerilem conclusionem desinit. Quanquam secus videtur statuisse Gregorius, neque pro re adeo puerili habuisse. Postquam enim Ioannes Constantinopolitanus vniuersalis sibi nomen episcopi vendicasset, ei Romanus tum pontifex Gregorius acriter restitit, contráque illum scripsit ista: *Deus ab vnitate, atq; humilitate ecclesiæ malum superbiæ & confusionis auertat.* Rursus. *Omnibus viribus prouidẽdũ est, ne in vnius veneno sermonis viuentia in Christi corpore membra moriãtur.* Præterea nomẽ hoc, vti suprà vberiùs docuimus nouũ, peruersum, superstitiosum, ambitiosũ, impiũ, antichristianũ appellat: vocabulum singularitatis, erroris, confusionis, blasphemiæ, Canonibus, toti ecclesiæ, D. Petro, atque Euangelio contrarium. *Tamen Hardingus de nomine laborare puerile esse affirmat.* Quanquam, si res ipsa, quæ hoc vocabulo declaratur legitima fuisset, vocabulum ipsum non perinde horrendum extitisset. Contrà autem ipsa adeo nominis istius vsurpatio intolerabilis est: quare, quod eo demõstratur, multò

Gregor. lib. 4. Epist. 36.

qui-

quidem intolerandum magis videri necessariò debet.

Iam verò breue responsum daturus Hardingus sexcentos & triginta episcopos profert, à quibus titulus iste Leoni pontifici Romano tributus fuit in Concilio Calchedonensi, quique ipsum vniuersalem episcopum appellarunt: quod à Gregorio in tribus epistolis proditum esse memoriæ ait. Hic autem, Christiane lector, vnum hoc (spero) tecum ipse cogitabis atque repetes. Si vniuersalis episcopi nomen Romano pontifici concessum, donatúmque fuerit in Calchedonensi Concilio, quod anno Domini 488. habebatur, tum ex Hardingi ipsius confessione, atque ex huius Concilii testimonio Romanus pontifex ante illud tẽpus vniuersalis episcopi titulum non est consequutus. Alioquin enim qui aut illi conferre potuerunt, quod nõ in sua potestate fuit: aut ipse recipere, quod antè habuerat? Ista verò munerũ donatio vehemẽter certè puerilis extitisset. Itaq; ex integro sexcentorũ annorũ numero nobis sponte sua Hardingus annos quadringentos octaginta & octo remittit, quò faciliores rationes conficiamus. Antequam progrediamur, quãtum huic sexcentorum triginta episcoporum Concilio Calchedonensi ipse Papa fidei tribuat videamus. Gelasius Papa inquit: *Apostolica Romana sedes ex parte quadam illud non approbauit, propterea quòd multa in eo per incompetentem præsumptionem ventilata essent.* Leo Papa vniuersum Concilium ambitionis & inconsultæ temeritatis insimulat, Hieronymus autem in negotio coniugij *Inter raptorem, & raptam* istis sexcentis & triginta episcopis, totiúsque Concilij sanctioni, atque decreto repugnans probatur. Cõcilia Tanti æstimant isti, quãdo ipsis placet. Ius autem inquit: *Absurdum videtur, licere eidem partim comprobare iudicium defuncti*, (quatenus ab eo est) *partim euertere* (quando illi videtur aduersari.)

Gelasius inter acta Concil. Tarracon. *Per incompetentem præsumptionem vẽtilata.* Leo, *Ambitionem & incõsultam temeritatem* 36. Quæstio.2. Tria legitima. Pan. De bonis libertor. Nam absurdum. Caius.

Hardingus autem regeret. *Quanta hoc cunque fide Concilium fuerit, Leoni nomen vniuersalis episcopi dedisse constat.* Quid si autem istud omnino falsum sit? Quid si nullus huiusmodi titulus neque datus, neque oblatus in illo Concilio fuerit? Certè quidem integrum extat Calchedonẽse Concilium, & scriptis, & typis mandatũ, faciléque consuli potest. Quamobrẽ neque locum Hardingus designat, neque Canonem indicat, neque verba profert? saltem non notam aliquã in margine posuit, vt eò nos remitteret? Fortè autem dixerit, combustum ab hæreticis esse Canonem istum, quemadmodum antè de Niceno Concilio affirmauit. Quanquam vix probabile videatur, ex omni illo Concilio sex duntaxat versus igne cõsumptos fuisse, idq; in omnibus vbiq; exemplaribus: reliquum autem Concilium incolume prorsus remansisse: Et verba ea, quibus titulum Papa suum asserit, per negligentiam amitti potuisse, maximè Romæ, in Papæ ipsius bibliotheca: quæ autem Papa reprobat atque damnat, integra seruari. Nullum aliud habet intra sexcentos à Christo annos habitum, quod venditet Hardingus, Concilium: atque illud ipsum tamen neutiquam extat. At testis erit satis locuples Gregorius: is inquit: *sexcenti triginta episcopi in Calchedonensi Concilio Romanum pontificem episcopum vniuersalem appellarunt.* Falsum est, atque in Lectoris fraudem comparatum. Neque enim Gregorius inquit, Episcopos eius Concilij vel salutasse, vel inscripsisse, vel prædicasse, vel appellasse eo nomine pontificem Romanum: Modò inquit: *Romano pontifici vniuersitatis nomen oblatum est.* Obtulisse hoc illi nomen eos confirmat, appellasse autem eo nomine minimè. Quare immodico studio abductus authoris sui sententiam ementitur Hardingus. Gregorius autem ampliùs affirmat, *Neque Leonem, neque quenquam alium decessorum suorum pontificum Romanorum illud superbum atque prophanum nomen vnquam assumpsisse, aut eo appellari se permisisse: quantumuis licèt à Concilio eis oblatum esset.* Pontifices Romani nunquam eo nomine vsi sunt, etsi oblato: amittere ergo illud debent *lege, de non vsura.*

Gregor. lib. 4. epist. 32. & 36.

Superbum, prophanum nomen.

Respondebit Hardingus, *hoc humilitati esse suæ tribuendum potiùs, quàm quòd minùs licere putarent.* Qua de causa, vocari malunt *Serui seruorum Dei.* Equidem Gregorius, qui istis verbis primus, quasi legitimo titulo suo vsus est, ita se ingenuè appellasse propter intolerandas, quas pertulit, molestias ac assiduos labores est existimandus. Sic enim ipse conqueritur: *Veni in altitudinem maris, & tempestas dermersit me.* Eundem etiam Augustinus multò ante Gregorium titulum vsurpauit aliquando, quòd ipsius esset æquè dura conditio. Hæc enim de se habet: *Augustinus episcopus Seruus Christi, Seruorúmque Christi.* Cæterùm, qui neque gregem pascit: neque agrum Domini arat: neque vineam colit: neque Sacramenta administrat, neque consolatur, neque exhortatur, neque docet: qui nobilium hominum humeris per vicos sublimis vehitur, neque terram contingere propter summam sanctitatem debet: qui nobilissimum Gallorum regem stapedam tenere totius Christianitatis imperatorem equum habena ducere, principes dominósque mundi calceum osculari cogit: qui nullum in ecclesia Christi ministerium exequitur, quomodo se vel Seruum Christi, vel Seruorum Christi seruum nominare sine intolerabili hypocrisi possit? Hoc est verò palam dissimulare, vocabula pueriliter iactare, & apertè omnibus mortalibus illudere. Sic quidam de Iulio Cæsare scripsit: *Deposuit nomen dictaturæ, at vim retinuit.* Ita Appianus principes Romanos se Imperatores dici velle inquit, quod castrense verbum fuit, bellóque tantùm valuit: reges autem nominari nullo modo velle, quandoquidem regis tum apud eos maximè inuisum esset, odiosúmque nomen. *Quanquam* (inquit) *re quidem vera reges sunt.* Ita Cæsar Augustus, etsi tyrannus esset, & plebem dominatu oppressisset, dici tamen Tribunus plebis voluit. Eodem modo Verres, quanquam Siciliam omnem miserrimè exhausisset, funditúsque vastasset, se tamen σωτῆρα inscripsit ipse, id est, Custodem, atque seruatorem eius insulæ.

Gregor. lib. 1. epist. 7. & 25.

De Meritis & remissione peccatorum, ad Marcellinum. lib. 3. ca. 1.

Dion. Appianus. εἰσὶ δὲ τὰ ἔργα βασιλεῖς

Cornelius Tacitus in Augusto. Cicero in Verrem.

τῷ ὀνόματι περιπέπλεσι τὴν μοχθηρίαν.

Gregor. lib. 4. epist. 36.

Gregor. lib. 4. cap. 39.

Concil. Carthaginen. 3. can. 26.

Romanus pōtifex nō debet vniuersalis episcopus appellari.

Dist. 99. primæ Sedis.

Ita isti manifestò simulant, & vt quidam loquitur, *Vitium nomine contegunt*. Non tamen aliqua istiusmodi simulatione, humilitatisue prætextu inductus Leo atque Gregorius, aut vllus præterea pius pontifex Romanus nomen istud recusauit, vti fingit Hardingus: sed ipsa iniquitate atq; iniuria, quæ eodē contineretur. Sic enim Gregorius habet: *Si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, patriarcharum nomen cæteris derogatur. Absit autem ab omni Christiana mente, vt quisquam sibi tantum arroget. Prophano huic nomini consentire, est fidem amittere*. Est itaque in Carthaginiensi Concilio decretum hoc modo: *Primæ sedis episcopus ne appelletur Princeps Sacerdotum, vel summus Sacerdos, vel aliquid huiusmodi: sed tantum Primæ Sedis Episcopus. Vniuersalis autem nec etiam Romanus pontifex appelletur*. Posterius hoc membrum Canonis illius (*Vniuersalis autem Episcopus nec etiam Romanus pontifex appelletur*) quidam Petrus Crabbe, à quo vnum in corpus congesta fuerunt Concilia, de industria & callide dissimulauit, atque resecuit. Tametsi fraus nullo negotio deprehenditur. Etenim eandem clausulam integram inuenire licet cum in manu scriptis exemplaribus Conciliorum, tum in Gratiano, qui decreta collegit: atque adeo ipsa barbara glosa in eadem verba sic habet: *Hic dicitur, quòd Papa non debet vocari Vniuersalis*. Hardingus eo nomine appellatum esse Papam asserit: atque ad illud confirmandum Concilium profert sine Canone. Ipsum verò generale Concilium Carthaginiense habet: Vniuersalis autem Episcopus ne Romanus quidem pontifex appelletur illiúsque extat Canon, & ab omnibus cerni potest. Nunc lector Christianus statuat, vtri potiùs fidem habere velit.

Inter Decreta Concil. Tarracon.

Socrates lib. 1. cap. 11.

Non obtulisset hoc Concilium (inquit Hardingus) *nomen istud Leoni, nisi id legitimum fuisset*. Tametsi non esse legitimum, quicquid in Concilio disceptatur, ipse nouit. Quædam enim huius ipsius Calchedonensis Concilij decreta, tanquam ab omni æquitate & iure disiuncta damnarunt Leo atque Gelasius, quemadmodum priùs admonuimus, quantumuis repugnante sexcentorum triginta Episcoporum sanctione. Niceni patres contra diuina præcepta legitimas presbyterorum atque episcoporum nuptias dirumpere sunt conati: à Paphnutio autem, quandoquidem rem illicitam moliebantur, reprehensi sunt atq; prohibiti. Quare sic rectiùs concluserit Hardingus: Leo, Gregorius, cæteriq; sancti patres Romani pontifices vniuersalis Episcopi nomen repudiarunt, id quod ipsorum verba declarant, quòd & in reliquos Episcopos iniuriosum esset, & fidei labem nonnullam aspergeret: ipsáque eadem de causa generale Concilium Carthaginiense decreuit Romanum pontificem eo nomine nequaquam appellari aut debere aut posse: fuit itaque nomen illud illegitimum.

Cōcil. Calchedonē. Actio. 3.

Hæc quanquam ita sunt, verum tamen esse debet, quod Hardingus ait, *In Calchedonensi Concilio ita appellatum esse Leonem*. Loca nota sunt, nec possunt negari. Tribus enim in epistolis eo nomine salutatur: quarum primam misit Athanasius quidam presbyter: alteram Ischyrion Diaconus: tertiam Theodorus etiam Diaconus. Ex omni autem illa sexcentorum tringinta episcoporum multitudine, ne vnum facilè ostenderit Hardingus, qui sic illum vel salutauerit, vel appellauerit.

Itaque quòd Hardingus, quò Lectoris sui memoriæ consulat, notam istam in margine defixit, *Pontificem Romanum vniuersalem episcopum, & caput ecclesiæ dictum esse ante mille abhinc annos*, multò quidem veriùs atque meliùs librum hisce annotationibus suum insignire potuisset:: *Gregorij verba ementita: Concilium corruptum: vnicus iste Canon amissus: cæteri omnes salui & incolumes: peregrinus presbyter, duóque inopes Diaconi pro bonis atque legatis suis priuatim agētes, Leonem vniuersalem episcopum nuncuparunt: sexcentorum autem & triginta episcoporum, qui ferre in Concilio suffragia potuerunt, nullus eum ita vnquam vocauit*. Ista in margine verè annotare licuisset Hardingo.

Verùm pontifices Romani (inquit Hardingus) *qui sancti patres martyrésque extiterunt, isto nomine vsi sunt, quemadmodum ex ipsorum literis apparet*. Atque hic epistolarum inscriptiones introducuntur, quas Sixtus, Pontianus, aliique nonnulli scripsisse feruntur, quæ longè reuera pòst scriptæ sunt, quàm ij obiissent, à quibus fuisse scriptæ dicuntur. Fundamenta Hardingus tam ruinosa iacit.

Quidnam autem isti vetusti patres loqui docentur? aut quid ad causam hanc adiumenti afferunt ipsorum verba? Inscriptionem literarum suarum huiusmodi fecerunt: *Sixtus Pontianus, Victor episcopus vniuersalis ecclesiæ. Hoc autem* (inquit Hardingus) *nihil planè est aliud, quàm vniuersalis episcopus: nihil quicquam inter ista interest*. Quàm isti indagant, & venantur, quod nusquam inueniri potest? Quandoquidem Hardingus *Episcopum vniuersalem*, quem quærebat, inuenire haud potest, quod illi genere accedit proximè, nempe *episcopum vniuersalis ecclesiæ*, nactus est: atque ista duo, inquit, eadem sunt. Quanquam hæc res haud magno ad inuestigandum labore indigebat: puer quisque nullo negotio reperisset.

Gregor. lib. 4. epist. 32. & 36.

Quòd si autem Episcopus vniuersalis idem fuerit, atque Episcopus vniuersalis ecclesiæ, quî tum verum est, quod Gregorius inquit, *Nemo decessorum meorum vnquam vti hoc nomine consensit*. Aut quî nomen hoc vniuersalis Episcopi tantopere detestari potuit, cùm interim nomen istud Episcopi vniuersalis ecclesiæ, quod à maioribus suis vsurpatum fuisse intellexit, tam facilè toleraret, si penitus vnam, eandémque rem ambobus hisce vocabulis declaratam esse iudicaret? denique si eadem ista sint: vt confirmat, & sibi persuadet Hardingus, nomina, vnde tum accidit, vt hoc sit pium, impium illud: superbum illud, hoc nequaquam: illud blasphemum, hoc verò omnis blasphemiæ expers?

Inde

Inde autem est hic error, quòd verba ista, *Vniuersalis ecclesia*, perperam intelliguntur. Etenim ecclesia vniuersalis, atque ecclesia Catholica, quorum nominum alterum Græcum est, alterum Latinum, idem valet: communitérque ab eruditis patribus dicitur, quasi contraria ecclesiæ particulari, cuiusmodi sunt hæreticorum atque schismaticorum ecclesiæ. Hoc modo pius quisque episcopus Catholicæ, seu vniuersalis ecclesiæ est episcopus: quemadmodum singuli pij homines eiusdem membra sunt. Sic Calixtus scribit: *Calixtus Archiepiscopus ecclesiæ Catholicæ vrbis Romæ*: Sic Marcellus, *Marcellus episcopus sanctæ & Apostolicæ, & Catholicæ vrbis Romæ*. Istis in locis Roma Catholica, hoc est, Vniuersalis vrbs appellatur: partim vt hæreticorum, quæ prorsus particulares fuerunt, ecclesiæ remouerentur: partim vt constaret, ecclesiam illam Catholicæ atque vniuersalis fidei esse alumnam. Ita etiam in Concilio Constantinopolitano scriptum est, *Clerici & Monachi Apostolici Throni Antiochenæ magnæ Ciuitatis, Catholicæ sanctæ ecclesiæ Dei.*

Calixti epist. Decret. 1. Marcelli epist. 2. Concil. Constantinopo. 5. Actio. 1.

Deinde, quiuis episcopus vniuersalis ecclesiæ dici episcopus potest, propterea quòd ad ipsius officium pertinet non suum modò gregem curare, sed cæteros etiam vniuersæ Dei ecclesiæ omnes cura complecti. Ita Origenes habet: *Qui vocatur ad Episcopatum, vocatur ad seruitutem totius Ecclesiæ.* Ita Chrysostomus vniuersum populum cohortans inquit: *Vniuersæ ecclesiæ curam geramus.* Ita ad episcopos Gallicanos scribit Eleutherius Papa: *Huius rei gratia vniuersalis vobis à Christo commissa est Ecclesia, vt pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis.* Quare, hisce de causis cum Romani, tum Antiocheni atque Gallicani episcopi dicti sunt episcopi vniuersalis ecclesiæ. Vniuersalis autem episcopus nullus eorum est vnquam nominatus.

Origen. in Esa. homil. 6. Chrysost. in 2. Corinth. hom. 18. Epistola Eleutherii ad Episcopos Galliæ.

De Ioanne Constantinopolitano, qui primus in illud nomen inuasit, Gregorius pontifex Romanus ita scribit: *Despectis omnibus solus conatur appellari episcopus.* Similiter Pelagius Papa habet: *Si primus patriarcha vocetur vniuersalis, tum reliqui nomen amiserunt patriarcharum.* Hoc igitur *vniuersalis episcopus* indicat, illámque infinitam atque immoderatam potentiam arguit, quam Romano pontifici vendicat Hardingus. Sic enim antea confirmauit, *reliquos tres patriarchas duntaxat esse nomine tenus patriarchas, atque eius delegatos, & seruos, qui quod ipse iusserit, exequantur.* Pro quo episcopum Hardingus vniuersalis ecclesiæ inuenit: itaque quod queritur defugiens, ad illud respondet, quod in dubium minimè venit: suóque silentio non obscurè confitetur hactenus se vniuersalem suum episcopum nec inuenisse, nec inuenire posse.

Gregor lib. 4. epist. 34. Pelagii. 2. epist. 1. Distin. 99. Nullus. Sectione. 23.

Quòd hîc Aphricanum Concilium, epistolámque Athanasii iactat Hardingus, eodem modo diluitur: præterquam quod ea epistola, quam illi sanctissimo patri tribuunt, tota sit ex vanissimis, manifestissimísque commentis concreta, quemadmodum suprà docuimus. Episcopi, qui ad Aphricanum Concilium conuenerant, cùm vniuersalem Papæ potestatem penitus repudiarunt, Clericis suis excomunicationis proposita pœna si ad eum prouocarent, tum pluribus ad ipsum in eodem Concilio datis literis familiaritatis, æqualitatísque vocabulo vtuntur, eúmque fratrem suum appellant.

Concil. Aphrican. Cap. 12. Canon. 101. & 105

Iam verò, vt istis nonnihil addamus, quandoquidem Hardingus post tam diuturnas vigilias, factámque cum suis studiorum & causæ communicationem, vniuersalem suum episcopum nondum potest in ecclesia Romana reperire, an illum nos alio vllo in loco inuenire possimus, videamus, idque non vnius presbyteri, aut Diaconi testimonio, sed imperatorum Catholicorum, & Conciliorum, adeóque ipsius Romani pontificis authoritate confisi: neque aliquam nominum permutationem adhibentes, quemadmodum Hardingus sua coactus inopia pro *Vniuersali episcopo* Vniuersalis ecclesiæ episcopum introducit, sed verbis claris, manifestis, disertis, & sine vlla exceptione luculentissimis, quod instituimus, confirmantes.

In Constantinopolitano Concilio illius vrbis episcopus vix alio salutatur aut appellatur nomine, Sic enim illi fere semper inscribitur, *Oecumenico patriarchæ Ioanni. Patri patrum, & vniuersali episcopo Ioanni. Sanctus, œcumenicus Archiepiscopus, & Patriarcha Mennas.*

Concil. Constantinop. 5. Actio. 1

Alexandrinum episcopum vniuersi orbis iudicem appellatum fuisse testis est Nicephorus. Clemens ad D. Iacobum Hierosolymitanum episcopum scribit, hoc modo: *Clemens Iocobo fratri Domini, Episcopo Episcoporum, regenti Hebræorum sanctam Ecclesiam Hierosolymis, sed & omnes Ecclesias, quæ vbique Dei prouidentia fundatæ sunt.* Iustinianus imperator ita scribit: *Epiphanio archiepiscopo huius regiæ vrbis, & vniuersali patriarchæ.* Postremò, Romanus ipse pontifex Constantinopolitanum episcopum ad hunc modum salutat: *Therasio generali patriarchæ Adrianus Seruus Seruorum Dei.* In postremo Florentiæ habito Concilio Iosephus Constantinopolitanus episcopus eodem vsus est titulo, séque *Archiepiscopum nouæ Romæ, & Patriarcham vniuersalem* inscripsit. Si instrumentis tam bonis pro Romano pōtifice agere potuisset Hardingus, ea non ita silētio prætereuntū fuisse cēseo.

Nicepho. lib. 34. ca. 34. Clementis Epist. 1. Authent. Constitutio. 3. οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ. Concil. Nicen. 2. Act. 2.

Hardingus. 31. Sectio.

QVod ad alterum nomen attinet: (Caput ecclesiæ) *eo nomine appellatum fuisse tum Romanum pontificem negare Iuelllum vehementer miror. Aut enim contrà loquitur, ac nouit, in quo se iudicio suo, atque conscientia condemnet ipse est necesse, aut non ita doctus est, atque à suis esse iudicatur. Etenim, qui in antiquorum patrum lectione versatur, nomen illud vbique ferè Petro primo pontifici Romano, atque ita* [a] *consequenter Petri successoribus tributum reperiet, nomen (inquam) illud aut in* terminis

Floridum genus dicendi. a Falsum: Petrus enim solus ita vocatus est: neque tamen Romanus pontifex fuit.

a Hi termini nõ sunt æquipollentes.

æquipollentibus, *aut expressis. Primò scriptura Petrum vocat* Primum, Nomina duodecim Apostolorum (*inquit Matthæus* hæc sunt.[a] Primus Simon, qui dicitur Petrus. *Neque tamen Petrum primum elegit Christus, sed Andream eius fratrem, sicuti prius admonuimus. Dionysius ille vetustus author Petrum aliquando* Supremum decus *nuncupat, quia fuit omnium Apostolorum honoratissimus: aliquando* Summum: *aliquando* verticalem. *Origenes in principium Euangelij Ioannis inquit:* Nemo existimet nos Petro Ioannem anteponere. Quis ita fecerit? Quis enim Apostolorum superior sit eo, qui est, & dicitur vertex eorum? *Cyprianus Romanam ecclesiam respectu summæ potestatis, quam ille pontifex obtinet, vocat* Ecclesiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est. *Eusebius Cæsareensis de Petro Romam diuina prouidentia misso ad debellandum Simonem Magum loquens, eum vocat* Potentissimum & maximum Apostolorum, & reliquorum omnium principem. *Augustinus Petrum vsitatè nominat* Primum Apostolorum: *Hieronymus, Leo, Ambrosius, aliique Doctores,* Principem Apostolorum: *Chrysostomus in locum illum Ioannis cap. 21.* Sequere me, *inter alia hæc habet:* [b] Si quis à me quæreret, quomodo Iacobus sedem Hierosolymitanam susceperit, hoc est, quomodo factus fuerit episcopus Hierosolymitanus, responderem, quòd hic (*Petrum significat*) totius orbis magister illum ei præfecerit. *In alio etiam loco adducens illud, quod Deus Hieremiæ dixit,* Posui te tanquam ferream columnam, & quasi aheneum murum: verùm Pater (*inquit*) illum vni genti præfecit: hunc autem (*scilicet Petrum*) Christus orbis totius rectorem constituit &c. *Cæterum, ne forte isti loci supremam hanc authoritatem Petro soli, non item successoribus suis tribuere videantur, memoria repetendum est, Irenæum, atque Cyprianum agnoscere, & vocare ecclesiam Romanam* Primam *&* principem, *Theodoretus etiam in epistola ad Leonem eandem propter episcopi illius Sedis primatum* orbi terrarum præsidentem *appellat. Ambrosius in illum locum D. Pauli 1. Timoth. 3. vbi ecclesia Columna dicitur, & firmamentum veritatis, sic habet:* Cùm totus mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus eius dicitur: cuius hodie rector est Damasus.

Matth. 10.

De diuinis nominibus, Cap. 3.

Lib. 1. epi. 3.

τὸν καρτερὸν καὶ μέγαν τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν λοιπῶν ἁπάντων προήγορον.

b Hæc verba callidè adiecta sunt ad Chrysostomi sententiam, id quod prudenti lectori facilè liquebit.

Homi. 87. In Matth. homil. 55. Ierem. 1. τῆς οἰκουμένης πρὸς διδάσκαλον.

Vtcunque multa recitauit Hardingus, nõ dum tamen vniuersalis ecclesiæ caput reperit.

Non fatigassem Lectorem tam molesta tot testimoniorum recitatione, nisi Iuellus confidentissimè iactaret, nullam nos sententiam, aut clausulam habere, qua vel hunc, vel quenquam omnino ex vniuersis Articulis suis confirmemus.

At forsan aliquis, dixerit, Nondum tamen Romanum pontificem vniuersalis ecclesiæ caput esse appellatum audio. Quid autem refert, vtrum hoc ipsum vocabulum in vllo prisco authore inueniatur, necne? Alia eiusdem significationis: & momenti sæpissime occurrunt. An non idem valet Caput ecclesiæ vniuersalis, *&* Rector domus Dei, *quem Romanum pontificem Ambrosius appellat? Vnde istud argumentum concluditur.* [c] *Ecclesia, imò vniuersalis ecclesia est domus Dei: at Damasus pontifex Romanus est rector domus Dei iuxta Ambrosium: Ergo Damasus est rector vniuersalis ecclesiæ. Eodem autem iure ac titulo Papa, qui est pontifex Romanus, nunc etiam est eiusdem rector. Quid aliud est, Romanam ecclesiam principem ecclesiam vocare, respectu episcopi vrbis illius, non autem aliter* (*qui Tropus est*) *quemadmodum Irenæus & Cyprianus eam vocant & præsidentem aut* [d] *dominantem vniuerso orbi, vt Leo: quàm pontificẽ Romanum Caput vniuersalis ecclesiæ dicere? Quid sibi vult Chrysostomus, quãdo Petrum* totius orbis magistrum *nominat? Et illud cuiusmodi est, quod alio in loco ait,* [e] Christum non vni genti præfecisse Petrum, quemadmodum Pater Hieremiam Iudæis solis præfecerat, sed orbi toti: *Quid (inquam) aliud vult, quàm esse illum Caput vniuersi orbis, & proinde vniuersalis ecclesiæ?*

c Miserandus syllogismus cõ cluditur in secunda figura affirmatiuè.

d Falsum Leo enim nullum habet eiusmodi verbum.

e Perinde est, quod Gregorius habet de Paulo: obtinuit totius ecclesiæ principatum in 1. Regũ lib. 4. cap. 4.

In locum Ioan. 21. homil. 87. Exponẽs illud, sequere me. In Matth. hom. 55.

Episcopus Sarisburiensis.

VNiuersalis episcopi appellationem vnico duntaxat testimonio, eóque incerto & penitus obscuro confirmat Hardingus. Quod autem ad alterum attinet, id est, caput ecclesiæ, magnifica quadam & gloriosa venditatione atque iactatione subnixus ingreditur, quasi maximam vincendi spem in confidentia collocaret, quemadmodum in aliquo lusionis genere fieri solet: *Si ista* (inquit) *nouerit, Iuellus, tum contrà loquitur reclamante conscientia: si nescierit, indoctus est.* De eruditione contendere futile esset, & puerile. Satis ille videri debet sciẽtia instructus, qui verum dixerit. Quòd si autem Hardingus, quantacunque doctrina præditus, Caput ecclesiæ suum inuenire poterit, non pugnabo: egregie doctum esse confitebor Hardingum.

Pontificem Romanum ita appellatum esse, aut *æquipollentibus* vocabulis, aut disertè ait. Ita hæret, ac titubat, & labitur in principio. Quanquam si Caput ecclesiæ reuera pontifex Romanus extitisset, atque ita habitus, existimatúsque ab hominibus fuisset, quare nunquam disertè fuit & apertè sic appellatus? Nemóne per sexcentos annos eius pronunciare, & planè proferre nomen potuit? Vocabula autem illa vim eandem, atque significationem obtinentia, quæ ipse *æquipollentia* vocat, hoc indicent necesse est, Esse Romanum pontificem Generalibus omnibus Cõciliis superiorem: eum vnum posse scripturas interpretari, errare verò, aut iudicari à quoquam homine non posse: absque illo nullam existere salutem, orbémque vniuersum illum debere vniuersale caput agnoscere: qui secus fecerit, ei impendere immortale exitium. Tantum sibi Romanus põtifex isto nomine vendicat. Nisi ita vocabula Hardingi valuerint, minimè æquipollent. Ingenuè magis & apertè fecisset Hardingus, si confessus esset *Nomen istud nondum inueniri posse,* atque ita deliberandi spatium postulasset.

Termini æquipollentes.

Vt ad rem autem veniamus, de pontifice Romano quæritur: de beato Petro respondetur: quasi Petrus ad hanc vsque diem pontifex remansisset. Verùm illud sibi isti assumunt, quicquid in Petro fuerit prærogatiuæ, id omne hæreditario iure ad Romanum pontificem

necessariò

necessariò deuolui, tametsi nullam Petri scintillulam habuerit. D. Petrus à priscis patribus variè appellatur, Primus, Præcipuus, Vertex Supremum decus Apostolorum, & ab Eusebio atque Augustino προήγορος, & princeps Apostolorum. In quibus postremis verbis Augustini, & Eusebij, admonendus es mihi lector, *Principem*, non semper pro principe quodam, & Domino authoritate & imperio præpollente intelligi, sed aliquando virum primarium, aut præstantissimum significare. Ita legimus in scripturis, *Princeps familiæ*: *princeps legationis*: *princeps coquorum*. Eodem modo Cicero inquit, *Seruius princeps in iure ciuili*: *philosophorum princeps Aristippus*. Sic Petrus dicitur princeps Apostolorum: ideóque illum Augustinus Primum, vocat, & præcipuum. Hîc autem imaginari non oportet, quemadmodum fingere videtur Hardingus, Petrum fuisse dominum, aut principem constitutum & potestatem atque imperium in fratres suos obtinuisse. Ambrosius, vti antè commemorauimus, collocatis inter se Petro, & Paulo sic ait: *Inter ipsos, quis cui præferatur, incertum est*. Similiter Cyprianus habet: *Hoc erant cæteri Apostoli, quod fuit Petrus; pari consortio præditi, & honoris, & potestatis*. Ambrosius sibi de Petro, & Paulo incertum esse affirmat, vtrum alteri præponat: Cyprianus ait, Omnes Apostolos pari honore, & potestate præditos fuisse: Hardingus tamen Petrum solum principem, cæterósque omnes subditos, & seruos extitisse somniat.

Exod.6. Numer.10. 4.Regum.25. Dist.44. Cum autem. In Bruto. Tusculana.2. Augustin. de verbis Do. in Euang. Matth. ca. 14. Ambrosi. Sermon.66. Cyprian. De Simplicitate prælatorum.

At Chrysostomus affirmat. *Petrum orbi vniuerso præfectum à Christo fuisse*. Quid ex hisce verbis extraordinariæ, & singularis potestatis collegerit Hardingus non intelligo. Quod enim Petro mandatum erat, idpsum cæteris etiam Apostolis vniuersis æquali iure commissum fuit. Christus omnibus dixit, *Ite in vniuersum orbem, & prædicate Euangelium*. Atque Paulus de ipsis fuisse vaticinio prænunciatum inquit: *In omnem terram exiuit sonus eorum*. Quare, quæ hoc in loco Chrysostomus de Petro dixit vno, eadem aliàs de vniuersis Apostolis eisdem pene verbis est loquutus. Ita in Ioannem scribit. *Apostoli suscipiunt curam totius mundi*. Ita de Paulo habet: *Michaeli gens commissa est Iudæorum*: *Paulo verò Terra, ac maria, atque vniuersi orbis habitatio*. Rursus: *Paulo Deus omnem prædicationem, & res orbis, & mysteria cuncta vniuersámque dispensationem concessit*. Similiter inquit Gregorius: *Paulus catenis vinctus Romam petit occupaturus mundum*. Iterum, *Paulus ad Christum conuersus, Caput effectus est Nationum*: *quia obtinuit totius Ecclesiæ principatum*. Hæc ea fuit vniuersalis potestas, quam D. Petro tributam fuisse Chrysostomus confirmat: neque illi separatim vni, sed reliquis cunctis Christi Apostolis æqualiter. Quod alibi ipse Chrysostomus aperte exponit hisce verbis: *Apostoli vniuersum orbem terrarum peruaserunt, & omnibus principibus fuerunt magis propriè principes, regibus potentiores*. Ita non modò Petrus. sed vniuersi etiam, & singuli Apostoli orbis totius principes extiterunt.

Chrysosto. in Matthæ. hom. 55. Matth.28. Marc.16. Psalm. 19. Rom.10. Chrysosto. in Ioan. hom. 87. Chrysosto. in Acta. hom.3. Chrysosto. in epist. ad Romanos. hom.18. Grego. in Iob. lib.17. ca.6. Gregor. in 1. Regum. lib.4. ca. 4. Chrysosto. in Psalm.44.

Sequitur, *quòd Petrus Iacobum Hierosolymitanum episcopum constituit, idque ex authoritate Chrysostomi*. Etsi Chrysostomi locus iste non adeo magni sit momenti, tamen quando accuratè excutitur, atque inspicitur, vehementer suspectus esse videatur, quòd neque cum iis, quæ præcurrunt, neque quæ subsequuntur, congruit: sed planè fraudem nonnullam redolet. Si verba Hardingus ipse æquo iudicio expendere vellet, atque æstimare, vnde ea in illum locum irrepserint, miraturum esse sat scio.

Chrysostom. in Ioan. hom. 87.

Neque Iacobum à Petro quicquam authoritatis accepisse est credibile, cum antè à Christo satis accepisset authoritatis. Christus enim singulis Apostolis æquè mãdata dedit: *Vt pater meus viuẽs misit me, ita ego vos mitto*: *Vos eritis mihi testes, vsque ad fines mũdi*. Quod si Petrus Iacobo authoritatem dederit, quis tum Paulo dedit? Nõ enim profectò in immuni habitauit Paulus, sed imperio non minùs fuit, quàm Iacobus obnoxius. Paulus autem ait: *Se Apostolum fuisse non ab hominibus, neque per homines, sed à Iesu Christo, & Deo patre*. *Qui principes fuerunt Apostoli, nihil mihi dederunt*. *Mihi commissum fuit prædicare Euangelium inter Gentes, quemadmodum Petro inter Iudæos*. Eundem autem locum exponens Chrysostomus habet: *Paulus nihil opus habebat Petro, nec illius egebat voce*: *Sed honore par erat illi*: *nihil hic dicam amplius*, Hinc iam liquet cæteros Apostolos minimè à Petro Apostolarum, authoritatémque suam accepisse.

Lucæ.24. Ioan.15. Act.1. Ioan.17. Ioan.20. Galat.1. Galat.2. Chrysostom. epist. ad Galat. cap.2. Actor.8.

Cæterùm, vt demus mandasse Petrum Iacobo, vt Hierosolymis prædicaret, ex eo tamen non efficitur Petrum in Apostolos dominatum, & imperium habuisse. Etenim inde istud summum incommodum sequeretur, Apostoli Hierosolymis constituerunt, vt Petrus proficisceretur Samariam, & Euangelium annunciaret: Ergo Apostoli Petro dominati sunt: Quo firmissimum Hardingi præcipuúmque principium conuellitur.

Sed Apostolorum caput fuisse Petrum concedamus, tanquam rem ab hac causa longissimè remotam. Ex eóne concluserit Hardingus Papam esse vniuersalis ecclesiæ caput? Quid enim Papa habet, quod Petrus habuit? An Euangelium prædicare? Non prædicat. Gregémne pascere? Non pascit. At succnessioem, Sessionemque in Petri cathedra, quæ Romæ est, suam iactabit. Responderit aliquis, Scribas atque Pharisæos in Mosis cathedra sedisse. Hardingus autem non est nescius Petrum, quando istud acciperet priuilegij Hierosolymis, non Romæ fuisse. Quare ista ratio sic meliùs constabit: Petrus neque est cæteris Apostolis dominatus: Neque Romæ pontifex fuit, quando eum Christus est alloquutus: quare hinc Romanus pontifex vniuersalem potestatem, dominatúmque in omnem orbem iure sibi vindicare nequit. Certè Augustinus habet: *Paulus ipse non poterat esse Caput eorum, quos plantauerat*. *Inquit enim, Nos cum multi sumus vnum esse corpus in Christo*: *Christúmque ipsum esse caput Vniuersalis illius corporis*. Ex istis Augustini verbis

Matthæ.23. August. contra literas Petiliani. lib.1. 1.Corinth.12. Roman.12. Ephes.1.

ſic argumentari licet: Paulus eorum, quos plantauerat, caput eſſe non potuit: Ergo, multò minùs Papa caput eſſe poteſt eorum, quos nunquam plantauerat.

Illud tamen adhuc vrgebunt, quòd Theodoretus Romanam eccleſiam τῆς οἰκουμένης προκαθημένην appellat, quæ verba falsò reddidit Hardingus, *Præſidentem*, ſeu *imperantem orbi terrarum.* Neque enim ignorat προκαθῆσθαι eſſe *Primo loco ſedere*, neque imperium vllum dominatúmue arguit. Rectiùs vertiſſet, *Eccleſiam orbis terrarum præſidentem.* Atque ita ipſius cum Iuſtiniani imperatoris Conſtitutionibus pulchrè conſpiraſſet conuerſio, quibus primas obtinendi in Conciliis conuentibúſque omnibus priuilegium Romano pontifici tribuitur.

Auth. Colla. 9. De Eccle. tit. 1. Cod. De Sacro ſanctis Eccleſ. cap. Decernimus.

Illud etiam obiicient, quòd eccleſiam Romanam Cyprianus, *Eccleſiam principalem* vocat: ex quo non intelligo, quàm rectè poſſit Hardingus concludere iſto modo: Eccleſia Romana eſt eccleſia principalis: Ergo pontifex Romanus eſt caput Vniuerſalis eccleſiæ. Etenim Cyprianus ipſe in eadem epiſtola diſertis verbis ait: *Authoritatem epiſcoporum Aphricanorum æquè magnam eſſe, atque Romani pontificis.* Cicero vrbis illius nobilitatem prædicans, eam vocat *Lucem orbis terrarum*, atque *Arcem omnium gentium.* Frontinus ſimiliter habet: *Roma vrbs indiges, terrarúmque dea.* De eadem etiam Hieronymus ætate ſua ſcribit: *Romanum imperium nunc vniuerſas gentes tenet.* Quapropter in Calchedonēſi Cōcilio Romanus imperator dicitur *Dominus omnis Terræ, & Dominus Vniuerſi Mundi.* Propter cùm hanc imperij magnitudinem, ac maieſtatem, tum etiam Martyrum multitudinem inuictamque virtute: proptérque locum ipſum, in quo Petrus maximè verſatus eſt: atque vetuſtatem eccleſiæ, doctrinæque integritatem, Romana eccleſia *principalis eccleſia* eſt nominata. Verùm adiungit: *Vnde Vnitas Sacerdotalis exorta eſt.* Quandoquidem iſta verba pondus non nullū habere videntur, præſtātiſſimum fore iudicio alterius alicuius æqui æſtimatoris ſententiam attendere. Polydorus Vergilius hæc eadem Cypriani verba exponens habet: *Ne quis erret, nulla alia ratione Sacerdotalis ordo à Romano Epiſcopo profectus eſſe dici poteſt, niſi apud Italos duntaxat id factum eſſe intelligatur: cùm perdiu ante aduentum Petri in vrbem Romam, apud Hieroſolymas Sacerdotium inſtitutū fuiſſe liquidò liqueat.* Itaque hoc encomium, Polydori quidem iudicio, Romanæ eccleſiæ delatum eſt à Cypriano, non totius orbis, ſed Italiæ duntaxat ratione. Proinde Auguſtinus inquit: *Ciuitas, quaſi Mater, & Caput eſt cæterarum: vnde etiam Metropolis appellatur.* Atque hoc eſt quod vrbem Antiochenam Chryſoſtomus nuncupat *Metropolin fidei.*

Cyprian lib. 1. epiſt. 3. Cicero. in Catil. Oratio. 4. Petrus Crinit. lib. 1. cap 18. Hieronym. ad Algaſiam. q 11. Concil. Chalchedon. Acti. 1.

Polydor. Vergil. de inuentoribus rerum lib. 4.

Auguſt. de cōſenſu Euangeliſt. lib. 3. Ad populum Antioch. hom. 17.

Iſtis addit Hardingus *Eccleſiam eſſe dictam domum Dei: cuius rector (inquit Ambroſius) nunc eſt Damaſus.* Quàm iſti omnia rimantur ſubtiliter, vt aliquid inueniant? & tamen hoc aliquid, nihil erit. Quam enim Ambroſius hac de re opinionem habuerit, facilè licet alibi ex aliis ipſius verbis intelligere: In epiſtola ad imperatorem Valentinianum ſua Damaſum non principem populi, nec caput eccleſiæ, neque vniuerſalem epiſcopum vocat, ſed tantùm epiſcopum eccleſiæ Romanæ. Siricium etiam pontificem Romanum in literis fratrem ſuum appellat.

Ambroſ. lib. 5. epiſt. 30.

Ambroſ. lib. 10. epiſt. 81.

Attamen, Damaſum perſpicuè & diſertè rectorem domus Dei vocat. Potuit perſimile ex Hieronymo teſtimonium adferre. *Damaſus virgo Eccleſiæ Virginis doctor eſt.* Quid autem hinc colliget Hardingus? Quid de ipſo Ambroſio, aliiſq; epiſcopis ſentit? Nónne illorum quiſque fuit rector eccleſiæ Dei? Equidem Paulus presbyteros Epheſinos ſtatim diſceſſurus exhortatur ad hunc modum: *Attendite vobis ipſis, & toti gregi, in quo vos ſpiritus ſanctus conſtituit epiſcopos, vt regatis eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Nihil aliud inter hæc Pauli verba, atque illa Ambroſij intereſt, niſi quòd Ambroſius habet, *Rector Eccleſiæ*, Paulus verò, *Regere eccleſiam.* Non tamen verbis ſuis ſanxit Paulus, vt Epheſini presbyteri vniuerſam Dei eccleſiam regerent. Sic Origenem Hieronymus vocat *Magiſtrum eccleſiarum:* ſic Chryſoſtomum Theodoretus *Doctorem orbis terrarum:* ſic Nazianzenus Baſilium, *Columnam, & firmamentum eccleſiæ.*

In Apologia. aduerſus Iouinianum.

Actor, 20.

Hieronym. de locis Hebraicis. Theodo. lib. 5. cap. 32. Nazianzen. in laudem patris ſui. ϛύλον καὶ ἑδραίωμα.

Verùm animaduerte diligenter, optime Lector, atque Hardingum perſpicies hunc Ambroſij locum præclarè detorſiſſe, atque ex indefinita, ſeu particulari propoſitione contra Dialecticas leges Vniuerſalem concludere, quo faciliùs Papæ vniuerſalem poteſtatem tueatur. Quòd enim Ambroſius indefinitè de eccleſia dixit, nulla certa, eccleſia nominata, id Hardingus ad Vniuerſalem, totámque eccleſiam violenter trahit: quaſi Vniuerſa Dei eccleſia Romæ fuiſſet. Simile genus erroris Bonifacium octauum induxit, vt iſto modo ratiocinaretur. *Dominus dixit generaliter, Paſce oues meas, non ſingulariter has, aut illas, Ergo cōmiſiſſe intelligitur Vniuerſas.* Ni Ambroſium Hardingus ſic quaſi decurtaſſet, quæ mox ſequuntur verba, eius facilè ſententiam demonſtraſſent: Sic enim exponit, quid per domum Dei intelexerit: *Ibi neceſſe eſt dicatur eſſe domus Dei, & veritas, vbi ſecundùm voluntatem ſuam timetur.* Hæc domus in omnibus vbique locis extitit, in quibus cognitus cultúſque Deus fuit: nedum in eccleſia duntaxat Romana.

De Maior. obediē. Vnam Sanctam. Ioann. 21. Ambroſ. in 1. Timot h. ca. 3.

At hæc effugia ſunt, inquiet Hardingus. Etenim ſingularem quendam Damaſo ſibíque proprium principatum atque dominatum tribuere videtur Ambroſius. Minimè verò ita ipſius præ ſe ferunt verba. Sententia verò eius qua ratione, niſi ex verbis, intelligi poteſt? Verùm vt hoc quicquid eſt omni ſcrupulo liberemus, an hæc ipſa dicendi forma ad alterum quemquam ſimili ratione accommodata aliquando fuerit, videamus. Arſenius in Submiſſione ſua ſic ad Anathaſium ſcripſit: *Nos quoque diligimus pacem & vnitatem cum Eccleſia Catholica, cui tu per Dei gratiam præfectus es.* Hic Athanaſius eccleſiæ Catholicæ præfectus eſſe dicitur: Romanus tamen pontifex nequaquam fuit. Ita Cyprianus habet: *Hæc eccleſia vna eſt, quæ tenet, & poſſidet omnem ſponſi ſui gratiam: hac præſidemus.* Hic ſe præſidentem, ſeu rectorem eccleſiæ Dei vocat Cyprianus:

Athanaſi. in. Apolog. 2. Cypria. ad Iubaianum de Hæreticis Baptizandis.

Interim Carthaginis episcopus, non Romæ fuit. Denique de omnibus presbyteris Origenes vniuersim ita loquitur: *Si tales fuerint, vt à Christo super illos ædificetur Ecclesia.* Hîc singulos presbyteros singula esse ecclesiæ Dei fundamenta ponit. Origenes. Quis tamen dixerit presbyterum quemuis esse Romanum pontificem? Itaq; Ambrosius hoc vult, Episcopum quemque aut patriarcham in sua diœcesi, seu prouincia totius ecclesiæ Rectorem esse. Atque hoc est, quod dicere Cyprianus videtur, *Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur.* Quare iniuriam facere Hardingus Ambrosio videtur, quòd eius tam violenter ad vniuersalem pontificis Romani confirmandam potestatem verbis abutitur.

Orige. in Matthæ. tractatu. 1.

Cypria. de simplicitate Prælatorum.

Hîc autem Hardingus veritus, ne Lector suus harum pertæsus frigidissimarum ineptiarum, aliáque luculenta magis, aptéque conclusa argumenta desiderans, fortè diceret: *Nondum autem audio Caput vniuersalis ecclesiæ*, istud ipse præoccupauit. *Quid enim* (inquit) *refert: ipsúmne illud vocabulum apud antiquum authorem quenquam reperiatur, necne?* Attende verò, Lector. Nomen hoc, *Caput vniuersalis ecclesiæ*, idipsum est, quod nos negamus, quódque Hardingus probandum suscepit, & se iam cumulatè euicisse, atque affirmasse asseuerat. Nunc tamen ad extremum suæ conscius inopiæ, illud defugit tanquam rem nihili, aítque, *Quid interest, vtrum eo nomine appellatus fuerit, an non?* Quasi diceret, Vniuersi veteres ecclesiæ patres Græci simul, & Latini verbis, & eloquentia caruerunt, atque aut non potuerunt, aut non sunt ausi Caput ecclesiæ suo & proprio nomine appellare. Quanquam si ita nuncupatus fuit Romanus pontifex, id ostendi possit: sin minùs verum est, quod ego primùm asserui. Certè, titulum vniuersalis episcopi Gregorius nomen nouum, inusitatum, atque inauditum vocat: aítque insuper, *Si placidè ferimus, vniuersæ ecclesiæ fidem corrumpimus.* Hæc itaque causa fuit ob quam prisci doctores Romanum pontificem Caput ecclesiæ nunquam vocarunt, quòd nec ita vnquam eum fuisse habitum, nec esse re ipsa Caput ecclesiæ intelligerent.

Gregor. lib. 4. epist 32.

Gregor. lib. 6. epist. 24 vniuersæ ecclesiæ fidem corrumpimus.

Hardingus quando, quod tantopere indagauit, nondum inuenire potuit, ad rationis subsidium sibi putauit esse confugiendum: *Vniuersalis ecclesia* (inquit) *est domus Dei: Damasus est rector domus Dei: Ergo Damasus est rector vniuersalis ecclesiæ.* Iste syllogismus manifestò fallax est, & tot habet vitia, quot partes.

1. Primùm, ambigua est, multipléxque significatio horum verborum; *domus Dei*. Etenim cùm vniuersalis, tum particularis quæque ecclesia est domus Dei.

2. Dei, altera est fallacia, quam vocant Ex meris particularibus, seu A non distributo ad distributum.

3. Tertiò, aliud in ipsa Syllogismi forma maximum vitium inest, cuius puero vel parum Dialecticis imbuto notissimum. Etenim contra Dialecticorum præcepta formámque argumentandi concludit in Secunda figura affirmatiuè, cùm tamen Hardingus satis intelligat omnes Secundæ figuræ modos Negatiuè semper concludi. Huius autem argumenti ex consimili faciliùs intelligetur infirmitas: *Vniuersalis ecclesia est Catholica ecclesia: Arsenius autem ait Athanasium Alexandrinum episcopum Rectorem fuisse Catholicæ ecclesiæ: Ergo Athanasius episcopus Alexandrinus recto fuit Vniuersalis ecclesiæ.*

Quare hactenus verè dixerit Iuellus nullam ab Hardingo neque clausulam, neque sententiam allatam esse, qua liquidò constet Romanum pontificem, vel vniuersalem episcopum, vel Caput Vniuersalis ecclesiæ fuisse nominatum.

Hardingus. 32. Sectio.

Verùm vt istis hominibus satisfaciam, omnémque cauillandi occasionem præripiam, pauca testimonia recitabo, in quibus vocabulum hoc (Caput) *Petro primo pontifici Romano disertè tribuitur, eodémque iure successoribus etiam suis & sedi Apostolicæ. Chrysostomus de virtute, & potestate Petri, atque de ecclesiæ firmitate loquens, in 55. Homilia in Matthæum hæc verba in multis habet.* Cuius pastor, & [a] caput, homo piscator, atque ignobilis &c. *Quibus verbis affirmat Pastorem & Caput ecclesiæ, hominem piscatorẽ, atque ignobilem adamantis naturā firmitate superare. Rursus in Homilia de laudibus Pauli sic habet. Neque hic modo talis fuit, sed is etiam, qui Apostolorum caput fuit, qui sæpenumero dixit, se paratum esse vitam pro Christo profundere: tamen mortem ille vehementer pertimuit. Sic Caput Apostolorum extitit, tum hominum inferiorum caput fuit, atque ita caput vniuersalis ecclesiæ fuit.*

a Caput dignitatis & virtutis ergò. Sic Gregorius habet: *Paulus caput effectus est nationum.* In 1. Regum. lib. 4. ca. 4.

Hieronymus contra Iouinianum inquit: Propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto, Schismatis tollatur occasio. *Vnde constat, Caput constitutum fuisse Petrum, quo dissidia, atque Schismata tollerentur. Itaque incommodi istius nunc remanente periculo, & magis etiam, quàm illo tempore propter & maiorum multitudinem ecclesiæ, & permultos præterea morbos: eandem durare medicinam existimandum est, nisi dicere voluerimus, Christum minùs nunc ecclesiam suam tantopere auctam & multiplicatam curare, quàm principiò, cùm eius grex exiguus esset. Hanc ob causam, nisi Dei erga ecclesiam prouidentiam denegabimus, vnum esse nunc etiam Caput, ad tollendam Schismatum occasionem constitutum non minùs, quàm Apostolorum ætate, fateamur est necesse. Hic autem successor eius est, qui Caput tunc Christi mandato fuit, Romanus nempe pontifex in eadem, qua Petrus sedit, residens cathedra.*

Cyrillus ait: Petrus vt princeps, Capútque cæterorum, qui primus exclamauit, tu es Petrus filius Dei viui: *Augustinus etiam in Homilia quadam ad populum eum vocat* Caput ecclesiæ: Totius (*inquit*) corporis membrum in ipso capite curat Ecclesiæ, & in ipso vertice componit omnium

membrorum Sanitatem. *Alio etiam in loco*: Saluator quando pro se, & Petro exolui iubet, pro omnibus exoluisse videtur. Quia sicut in Saluatore erant omnes causa Magisterij, ita post Saluatorem in Petro omnes continentur: ipsum enim constituit [a] Caput omnium. *Hic habent isti homines disertum vocabulum, quod requirunt*, Caput cæterorum, Caput ecclesiæ, Caput omnium, *& proinde* Caput vniuersalis ecclesiæ. *Quid amplius quærunt? Neque hic respondere possunt, quòd quamuis authoritas ista, titulúsque Capitis Petro tribuatur, ab eo tamen ad successores suos minimè deriuetur, atque transferatur. Certum est enim Christum ita instituisse ecclesiam suam, vt ea fuit ad mundi dissolutionem duratura, iuxta illud Esaiæ prophetæ*, Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit Messias, vt confirmet illud, & corroboret illud in iudicio & iustitia amodo, ac vsq; in sempiternum. *Quare sic illos, qui tum fruebantur ministerio, instituisse Christum liquet, vt ipsorum successoribus suis transmitteretur authoritas ac potestas ad ecclesiæ vtilitatem in perpetuum, præsertim cùm diceret*: Ecce ego sum vobiscum vsque ad finem mundi. *Quam ob causam, quemadmodum in historia sua de Vandalorum persequutione scribit Victor, Eugenius Carthaginiensis episcopus ab Obado magno duce Hunerici regis Vandalorum rogatus de Concilio in Africa celebrando propter fidei negotia inter Arianos, quibus rex studuit, & Catholicos transigenda, ita habet*: Si nostram fidem regia potestas scire desiderat, quæ vna & vera est, mittat ad suos. Ego etiam ad fratres meos scribam, vt coepiscopi mei veniant, qui fidem vobis nobísque communem declarent: *tum hæc verba habet*: Et præcipuè ecclesiã Romanam, quæ caput est omnium ecclesiarum. *Romanam ecclesiam appellans, pontificem Romanum, eiúsue pro eo mittendos delegatos intelligit.*

Sic itaque luculentis, & antiquis testimoniis confirmauimus, nomen & titulum Capitis, Rectoris, Præsidentis, Præcipui, & Principis gubernatoris ecclesiæ à patribus non modò Petro tributum esse, sed etiam eius successoribus, Sedis Apostolicæ Pontificibus. Istis itaque se amicè & perbenignè admonitum esse censeat Iuellus, vt suum de sententiæ mutatione, & subscriptione promissum meminerit.

Lib. Quæst. vet. & noui testam. q. 75

a Falsum: in manifesta Augustini deprauatione positũ. Augustinus habet, *Caput eorũ*, Non *Caput omnium*.

Cap. 9

Matth. vlti.

Lib 2.

Episcopus Sarisburiensis.

ISta omnia præterire sine responso testimonia liceret mihi, vtpote ab hoc negotio penitus aliena. Neque enim dubito, quin sibi facilè æquus Lector sit persuasurus, nos diuo Petro litem nullam intendere, neque ipsius conari curiosiùs excutere titulos, aut suo illum iure spoliare. Petrum quidem ab istis patribus hîc cõmemoratis, Augustino, Hieronymo, Chrysostomo, & Cyrillo verticem & caput Apostolorum appellatum esse liquet: & si necesse esset, idipsum multis præterea testimoniis confirmare, & conuincere possem. Quotus enim quisque est, qui hoc nesciat?

Verùm nouit Hardingus, controuersiam non de Petro, sed præcipuè & nominatim de Romanis pontificibus esse institutam: atque de iis respondere debuisset, si syncerè simplicitérque agere atque Lectori (vt inquit) suo cumulatè satisfacere in animo habuisset. Intra primos sexcentos annos pontifices Romæ sexaginta & octo extiterunt, cùm fidei constantia, tum virtute & doctrina cæteris præstantiores: qui deinde consequuti sunt. Quare quando numero tam multi, eruditione tam spectati, vita tam sancti fuerunt, mirum est non posse Hardingum vincere, quenquam ex iis omnibus tam longo tempore nuncupatum semel ecclesiæ Caput fuisse, ac proinde in vno Petro ita acquiescere: qui cùm titulos istos acciperet, Romanus episcopus nequaquam fuit: quique in disceptationem minimè vocatur. Itaque repetat Hardingus, quam in margine scripsit notam: & quòd scripsit hoc modo: *Petrus, & Successores sui Caput Ecclesiæ disertè nominati*: eam potiùs corrigat sic: *Petrus solus, nec quisquam ex successoribus suis, Caput Ecclesiæ disertè nominatus*, Ita ipsius cum Textu Nota congrueret, neque Lectorem suum falleret.

Admonendus hîc est Hardingus obiter mihi, quòd quanquam existimationis suæ gratia causam probare suam vehementer cupit, non tamen ita debuit imperitis hominibus per præstigias imponere, atque veterum patrum verba ementiri, & corrumpere. Etenim in Hieronymi loco, quem citat, verba quædam omisit, sensúmque ipsum penitus dissimulauit: in Augustino verbum cum verbo commutauit. Hieronymus in eo loco magna quadam verborum acrimonia vsus Ioannem Petro præponit, maximè quòd Petrus maritus, Ioãnes cœlebs fuisset. In ipso autem cõtentionis æstu hanc sibi ipse Obiectionem proponit: *At dices. Super Petrum fundatur Ecclesia, licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claues regni cælorum accipiant, & ex æquo super eos ecclesiæ Fortitudo solidetur.* Hæc verba etsi eadem cum reliquis circuitione comprehensa præterire, atque celare consultum Hardingo visum est. Sequitur deinceps: *Tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt, Capite constituto, schismatis tollatur occasio. Sed cur non Ioannes electus est virgo? Ætati delatum est: quia Petrus Senior erat: ne adhuc adolescens, & penè Puer progressæ ætatis hominibus præferretur.* Hæc est itaque Hieronymi sententia, Christum vitandæ perturbationis maximæque rerum omnium confusionis causa, quæ societates plerunque omnes peruadit, in quibus ordo nullus conseruatur, Petro mandasse, quia reliquos ætate antecedebat, vt pro cæteris loqueretur, atque ageret, tanquam princeps, & Caput fratrum suorum omnium. Quæ ratio toto deinceps orbe passim recepta atque instituta fuit: vt in singulis presbyterorum Collegiis, vnus cæteris præcelleret, atque Episcopus diceretur. Hæc satis commoda reprimendæ in ecclesia contentionis via visa est. Non tamen vti somniat Hardingus, vt vnus vir Vniuersalis rector totius ecclesiæ constituatur: Hæc autem vberiùs à me in 15. Sectione istius Articuli disseruntur.

In Augustini testimonio Hardingus animi sui causa manifestam deprauationem adhibuit, & pro

Hardingus priscos Doctores ementitur.

Hieronym. aduersus Iouinianum. lib. 1. Apostoli omnes æquales.

Hieronym. ad Nepotian. 7. Quæst. 1. in Apibus. Hierony. in epist. ad Titum, cap. 1. Hierony. contra Luciferian.

pro verbo *Eorum*, prudens vsus est *Omnium*. Quòd enim Augustinus habet: *Ipsum constituit Caput eorum*: maluit Hardingus hunc locum hoc modo proferre: *Ipsum constituit Caput omnium*. Nimirum corrumptam disciplinam sine aliqua corruptione consistere non posse satis intellexit.

Augu. in quæst. Veteris & Noui testam. quæstio. 75.

Deinde, non dubito quin meminerit Hardingus, quæstionem hanc & disceptationem non de extraordinario quodam nomine, semel, iterúmue singularem ob gratiam tributo commotam esse: sed de vsitato perulgatóque Romanorum pontificum titulo. Etenim Theophrastus habet: *Quæ semel, aut bis accidunt, contemnunt legislatores.* Neque quod quisquam alteri vel gratia inductus, vel virtutis admiratione illectus nomen dederit, eo illum tanquam trito, & suo titulo appellatum vulgò fuisse est existimandum. Chrysostomus de imperatore Theodosio ita scribit: *Læsus est qui non habet parem vllum super terram, Summitas, & Caput omnium super terram hominum.* Eleuterius pontifex Romanus Lucio Insulæ huius regi titulum hunc tribuit, *Vos estis Vicarius Christi*. Chrysostomus de Elia loquens, eum prophetarum Caput vocat. Synodus Ephesina in literis ad Theodosium, Valentinianúmque imperatores, Cyrillum Alexandrinum episcopum hoc titulo denotat: *Caput episcoporum congregatorum Cyrillus*, Ita Gregorius Paulum hoc insigni ornat: *Paulus ad Christum conuersus, Caput effectus est nationum.* Atque vt Romani pontificis proprios titulos penitiùs intueamur, Nicolaus Papa ita scribit: *Constat, pontificem à pio principe Constantino Deum appellatum.* Hæc etiam ab ipsis dicuntur: *Papa est in primatu Abel, in Zelo Elias, in mansuetudine Dauid, in potestate Petrus, in vnctione Christus.* Ista (inquam) nomina tanquam studij & amoris sui testimonia aliquibus impartita fuerunt: neque tamen est proinde dicturus Hardingus, vel imperatorem Caput omnium super terram hominum dici oportere: vel regem, Christi Vicarium: vel Eliam, caput prophetarum: vel Cyrillum, Caput Concilij: vel Paulum, caput nationum: vel Romanum pontificem, Deum, aut Christum, tanquam vsitato atque proprio nomine. Etsi autem quibus D. Petrus appellari solitus fuerit nominibus, nihil omnino ad istam causam, vt ante dixi, interest: Hardingi tamen expendere hac de re argumentum placet: *Petrus* (inquit) *caput fuit Apostolorum: Ergo, Caput fuit inferiorum hominum: atque ita consequenter caput vniuersalis ecclesiæ.*

Pan. de legib. & Senatuscon. & Lon. Con. Nam ad ea Chrysosto. ad populum Antioch. Hom. 2.
Chrysostom. in Epist. ad Rom. 11. Hom. 18.
Cyril. Thom. 4. Epist. 5.
Gregor. in 1. Regum lib. 4. cap. 4.
Dist. 96. Satis euidenter.

Captiosum argumentandi genus hoc, in quo quasi gradibus quibusdam assurgitur, atque ad id, quod volumus, ascenditur: quod Soriten Dialectici nuncupant. Simili forma sic concluserit Hardingus: Elias, quemadmodum ait Chrysostomus, Caput fuit prophetarum: Ergo, hominum inferiorum Caput erat: atque ita vniuersalis ecclesiæ.

Huius autem rationis vitium ex eo argumento faciliùs liquebit, quo Themistocles prætor Atheniensis de seipso, de vxore, déque puero suo lusisse aliquando dicitur. Sic verò habet: Populo Atheniensi ego impero: Mihi vxor mea: Vxori puer: Ergo, puero meo populus Atheniensis paret. In ista argumentatione, hoc verbum *Imperare*, seu *Regere*, tria significat. Themistocles enim imperabat, vt Prætor: Coniux sua, vt mulier peruersa, atque importuna: Puer, vt indulgentia materna lasciuus. Atque hinc extitit ea fallacia. Non aliter autem vocabulum hoc, *Caput*, principem nunc doctrina, nunc dignitate, nunc dominatu declarat. Ex quo etiam magna argumentandi fraus consequitur. Ineptus enim esset, qui sic concluderet: Paulus eruditione atque authoritate caput reliquorum omnium fuit: Ergo, reliquis omnibus dominatus est.

Victor autem iste, qui Vandalorum historiam literis mandauit, neque Scripturæ, neque Concilij, neque doctoris fidem obtinet, neque quibus institutis, & qua politiæ ratione vsa fuerit Ecclesia Primitiua exponit: neque satis constat, aut quàm syncerus author esset, aut qua memoria vixerit: neque Pontificem Romanum caput vniuersalis Ecclesiæ nominat. Tantùm ait, *Romana ecclesia est Caput omnium Ecclesiarum.* Fuisse autem eo quidem tempore Caput Romanam Ecclesiam nos neutiquam inficiamur, quemadmodũ ex iis, quæ supra in hocipso Articulo sæpius dicuntur, apparet. Ita Bethlem caput orbis Prudentius appellat: *Sancta Bethlem caput est orbis.* Ita Chrysostomus Flauiano multa admonens, & præcipiens de salute ciuitatis Antiochenæ, *Cogita* (inquit) *de totius orbis capite.* Istis autem caput dignitate & honore, non imperio declaratur.

Prudentius in Enchiridio.
Chrysost. ad populum Antioc. Hom. 3.

Quandoquidem Hardingus nullum ex omni loco pontificum Romanorum numero inuenire potuit, qui caput vniuersalis Ecclesiæ esset vnquam nuncupatus, proinde satius esse duxit, vt causæ defensionisque suæ fundamentum in D. Petro collocaret. Qua de causa Petrum alij quidã astipulatores sui omnibus creaturis prætulerũt. Bonifacius ait Deum assumpsisse Petrum *in consortium indiuiduæ Trinitatis, atque ab eo tanquam à Capite dona sua omnia in corpus transfundere.* Hinc Hardingus argumentum sic vrget: *Petrus Apostolorum caput fuit, atque ita omnium inferiorum hominum: Ergo, Pontifex Romanus est Caput vniuersalis Ecclesiæ.*

Extra de election. & electi potestate. Bonif. 8. Fundamenta.
Ab ipso quasi quodam capite, dona sua omnia diffundit in corpus.

Itaque quemadmodum Iulianus Imperator mente captus, Magni Alexandri successione quadam in se immigrasse animam aliquando finxit: ita nunc Romani pontifices eadem phrenitide laborantes D. Petri animam in se successionis quodam iure habitare sibi persuadent: atque iccirco quicquid vel honoris, vel iuris Petrus habuit, sibi tanquam hęreditarium & suum adsciscunt. Eámque ob causam inquiunt, *Nos Petri sumus successores*: ita vti quondam Pharisæi iactarunt: *Nos sumus filij Abrahæ.* Ioannes autem Baptista eis dixit: *Vos huiusmodi successioni ne confidite. Deus enim è lapidibus potest excitare filios Abrahæ.* Cùm etiam filij Scæuæ, qui Magi atque auersi à fide fuerunt, Christi Paulique nomine ad suas exercendas præstigias abuterentur, homo ille, quem dæmon occupabat, respõdit, *Christum noui, & Paulũ noui: Vos autem qui estis?* Petrus verò certè caput Apostolorum non proinde fuit, quòd Romanus Pontifex esset. Constitutus enim caput à Christo fuit,

Socrat. lib. 3. cap. 21.
Matth. 3.
Actor. 19.

propter tum ætatem, tum animi spiritúsque fortitudinem longo antè tempore, quàm Romam proficisceretur: Capútque & fuisset, & perpetuò remansisset, quantumuis Romam nunquam vidisset. Quare insidiosum est hoc Hardingi argumentum, atq; à Dialecticis vocatur *Fallacia accidentis.*

Itaque, vt demus caput Ecclesiæ fuisse Petrum, non tamen Romanus Pontifex eundem propterea titulum sibi iure vendicare potest. Quanquam autem Petrus propter reuerentiam quandam eximiam, atque admirationem spiritus, virtutúmque suarum ita aliquando est appellatus, quemadmodum & Paulus est etiam interdum eadem de causa similiter nominatus, tamen si caput hoc ad vniuersalem potestatem, & dominatum, atque imperandi authoritatem referatur, Petrus neque reipsa fuit caput vniuersalis Ecclesiæ, neque ita est à fratribus suis existimatus atque habitus: id quod multis modis abundè constat. Quapropter Gregorius inquit: *Paulus membra Dominici corporis certis extra Dominum quasi capitibus, & ipsis quidem Apostolis subiici particulariter euitauit.* Sic Augustinus, quem locum supra citauimus, *Nec Apostolus Paulus caput est, & origo eorum, quos plantauerat.* Rursus similiter habet: *Paulus Apostolus, quanquam sub capite præcipuum membrum, tamen membrum est corporis Christi.* Denique Gregorius ait: *Certè Petrus Apostolus primum membrum sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud, quàm singularium sunt plebium capita? Et tamen sub vno capite omnes membra sunt Ecclesiæ. Atque vt cuncta breui cingulo loquutionis astringam, sancti ante legem, sancti in lege, sancti sub gratia: Omnes hi perficientes corpus Domini in membris sunt Ecclesiæ constituti: Et nemo se vnquam vniuersalem vocari voluit.*

Paulus caput æquè ac Petrus.

Gregor. lib. 4. Epist. 38.

August. contra literas Petiliani lib 1. cap. 5.

August. contra epistolam Parmeniani. lib. 2. cap. 8.

Gregor. lib. 4. Epist. 38.

Ex istis sic rectè concludere licet: Petrus quoad imperium, perpetuúmque dominatum caput vniuersalis Ecclesiæ nequaquam fuit: Ergo, Papa multò minùs caput est vniuersalis Ecclesiæ.

Hardingus. 33. Sectio.

Libet istis, quæ hactenus dicta fuerunt hac de causa locum quendam è Martino Luthero adiungere, quò qui veterum priscæ Ecclesiæ patrum grauitatem minoris æstimant, recentis tamen huiusce patris Lutheri, Patriarchæ atque Architecti nouæ suæ Ecclesiæ leuitate saltem commoueantur. Leuitatem meritò appellare licèt, quòd in hisce verbis, quæ hic commemorabo, Papæ primatum non tam prudenter agnoscere & approbare videtur, quàm in aliis scriptis temerariè atque furiosè eundem insectari atque oppugnare. In exiguo tractatu, qui inscribitur, Resolutio Lutheriana super propositione sua 13. de potestate Papæ, hæc verba habet: Primùm, quod me mouet Romanum Pontificem esse aliis omnibus, quos saltem nouerimus se pontifices gerere, superiorem, est ipsa voluntas Dei, quàm in ipso facto videmus. Neque enim sine voluntate Dei in hanc Monarchiam vnquam venire potuisset Romanus pontifex. At voluntas Dei, quoquo modo nota fuerit, cum reuerentia suscipienda est, ideoque non licet temerè Romano Pontifici in suo primatu resistere. Hæc autem ratio tanta est, vt si etiam nulla scriptura, nulla alia causa esset, hæc tamen satis esset ad compescendam temeritatem resistentium. Et hac sola ratione gloriosissimus Martyr Cyprianus, per multas epistolas confidentissimè gloriatur contra omnes Episcoporum quorumcunque aduersarios. Sicut 3. Regum legimus, quòd decem tribus Israël discesserunt à Roboam filio Salmonis, & tamen quia voluntate Dei, siue authoritate factum est, ratum apud Deum fuit. Nam & apud Theologos omnes, voluntates signi, quam vocant operationem Dei, non minùs quàm alia signa voluntatis Dei, vt præcepta prohibitiua, &c. metuenda est. Ideo non video, quomodo sint excusati à schismatis reatu, qui huic voluntati contrauenientes, sese à Romani pontificis authoritate subtrahunt. Ecce hæc est vna prima mihi insuperabilis ratio, quæ me subiicit Romano pontifici, & primatum eius confiteri cogit. *Hucusque Lutherus.*

Ita, breuiter attigi nonnihil è scripturis, è Canonibus, & Conciliis, ex edictis Imperatorum, è sententiis patrum, è rationibus, varioque vsu Ecclesiæ, quæ ad confirmandum Papæ primatum, & supremam potestatem adferri consueuerunt. In summa, quod Iuellus negauit comprobaui, [a] *pontificem Romanum intra sexcentos à Christo annos appellatum fuisse vniuersalem Episcopum à multis hominibus magnæ fidei, ac sæpenumero caput vniuersalis Ecclesiæ, tum nominibus æquipollentibus, tum etiam disertè. Nunc pergamus ad proximum Articulum.*

a Falsum: Petrum enim si excipias, neutrum istorum titulorum comprobauit.

Episcopus Sarisburiensis.

Rem verò Hardingianam in nonnullas compulsam esse angustias hinc liquet, quòd propter testimoniorum aliorum penuriam, Lutheri auxilium implorare & flagitare cogitur. Quòd ad religionis mutationem attinet, quam illi libuit leuitatem appellare, si crebras mutationes recordari modestè suas, earúmque occasiones prorsus leuissimas repetere vellet, æquior erga alios forsan existeret. Certè Doctor Lutherus postquam est ad ministerium veritatis semel à Deo euocatus, nunquam postea ab aratro respexit, neque oblatam sibi diuinitus gratiam repulit, etsi orbis vniuersas contra se vnum conspirasse potestates sentiret. Argumentum hoc ab effectis, aut signis diuinæ voluntatis ducitur. Papa, inquit, Monarchiam consequutus est, atque ad regalem imperij dignitatem aspirauit: Hoc autem contra Dei voluntatem accidere nunquam potuit: Ergo, ita Deus ipse voluit.

Argumenta, quæ aut à permissione Dei, aut ab indiciis voluntatis eius sumuntur, necessariò non euin-

euincunt,neque res ipsas in se esse bonas, neque eas approbare Deum.Etenim Deus Nabuchadnezerum,Sannacherebum , Pharaonem,aliósque tolerauit:ipsique adeo istorum hominum status ac progressus certissima fuerunt diuinæ voluntatis testimonia.Ni enim ita Deus voluisset,hi regnare haudquaquam potuissent. Tamen hinc bonos fuisse viros Deoue gratos non concluditur. Ita Deus Antichristum in loco sancto sedere patietur.Daniel inquit, *Faciet & prosperabitur.* Rursus,*Roborabitur fortitudo eius , & non in viribus suis*, sed diuinis. Non tamen proinde Antichristum Deus diliget aut amabit,eiúsque flagitiis delectabitur.Paulus enim habet:*Deus illum conficiet spiritu oris sui, & destruet illum fulgore & gloria aduentus sui.*

Iam verò,quandoquidem Hardingus , vt epilogus præclare introductus videatur, diuinæ voluntatis effectuum meminit , non fore tibi molestum confido , Lector optime, quid ex ista vniuersali potestate effectum,consequutúmque fuerit paucis expendere. Ecclesiam Romanam nonnullis de causis antè expositis præcipuam semper, maximéque illustrem ab initio extitisse damus. Tametsi Æneas Syluius,ipse pontifex Romanus,inquit:*Ad Romanos pontifices ante Nicenum Concilium aliquis sanè,etsi non magnus,respectus fuit.* Cyprianus sua ætate conquestus est , *Etiam in sinu sacerdotum ambitionem dormire.* Origenes etiam suo tempore Christi ministros principum politicorum superare videri intolerantiam quæritur. Dei tamen Ecclesia illis quidem seculis vbique fuit atrocissimis atque acerbissimis persequutionibus vindicata. Itaque ambitionis istius coercendæ corrigendæque causa,in Carthaginiensi concilio postea decretum fuit , *vt ne quis appellaretur Summus Episcopus,aut princeps Episcoporum,aut alio istiusmodi nomine.* Græci episcopi in Concilio Antiocheno , & Aphricani numero ducenti , & septendecim in Aphricano congregati Romanæ sedis superbiam atque arrogantiam conqueruntur.Quòd Ioannes Episcopus Constantinopolitanus vniuersalis sibi nomen asciuit Episcopi , Gregorius Romanus pontifex eum Luciferum & Antichristi prænuncium appellauit,noménque sibi assumpsisse superbum, ambitiosum,pompaticum,blasphemum affirmauit.Deinde tamen,postquam maxima contentione & precibus ab Imperatore Phoca Romani Pōtifices nomē illud sibi impetrassent,atq; in eius possessione diutius hæsissent,eò tandem illorum superbia creuit , vt intolleranda videretur. Tum sancire ac decernere cœperunt , oportere quēq; mortalē hominē sedi Romanæ subiectū esse,damnationis adeo pœna proposita iis,qui contra facerent:neque seruari omnino posse, qui non illi sedi obediret ac pareret. Romanū pontificē esse generalē omnium hominum iudicē:ipsúmque à nemine iudicari posse, neque ab Imperatore,neq; à Rege,neq; ab vniuerso Clero,neq; à toto populo,quia scriptum est per Prophetam Esaiam *Nunquid securis gloriabatur aduersus eum,qui secat in ea.* Quicquid ipse fecerit, neminem posse ei dicere, *Domine cur ita facis?* ipsum habere ius omne,& æquum in scrinio pectoris sui reconditum: cæteros omnes Episcopos ab eius plenitudine haurire : [a] nulla Concilia posse leges Ecclesiæ Romanæ præscribere, Romaníque pontificis authoritatem omnibus esse Conciliis plane exemptam:[b] quamuis Papa innumerabiles hominum multitudines secum ad infernum traheret , neminē tamen mortalē audere debere illum reprehēdere:[c] Papæ placitū aut libidinem pro lege stare,*In illis,quæ vult,est ei pro ratione voluntas*:nullam esse aliam factorum ipsius reddendam rationem,præterquam hanc, *Quia ipse voluit*: [d] *Quia de eo,quod nihil est,potest facere aliquid.* [e] Se ius habere vtriusque gladij tam Secularis,quàm Spiritualis:Secularem principem non posse gladium extrahere,nisi ad nutum & patientiam Ecclesiæ:[f] se esse hæredem imperij,[g]ac quinquaginta & septem gradibus imperatore superiorem : idque propterea , quòd Lunam Sol ea proportione superet:[h] sibi fas esse reges & imperatores abdicare,quemadmodum Henricum quartum Cæsarem,& Chilperichum regem Gallorum abdicauit.

Tum Christianitatis Cæsarem humi se ad ipsius pedes prosternere coēgit,eiúsque calcare ceruicem non dubitauit,additis istis Prophetæ Dauidis verbis:[i] *Super aspidem & basiliscum ambulabis*: [k] Tum Cæsari largitus est, vt Procurator Ecclesiæ Romanæ diceretur:[l] Tum veluti Nabuchadnezerus alter,aut Alexander,aut Antiochus,aut Domitianus,Dei Optimi Maximi nomen atque appellationem sibi asciuit , seque vtpote Deum à nemine mortali posse in iudicium vocari iactauit: [m]Tum dici permisit,*Dominus Deus noster Papa*:[n]*Tu es omnia,& super omnia: Omnis potestas tibi data est,tam in cœlo,quàm in terra.*Taceo miserandam imperij expilationem atque direptionem:maximarum regionum Christianam aliquando religionem profitentium amissionem : fidem infirmatam ac debilitatā:excitatos & confirmatos Turcas:populi incredibilem ignorantiam atque cæcitatem. Hæc nimirum aliaque eiusmodi vniuersalis Papæ potestas effecit.Vtinam verò ita re ipsa esset,vti dici tàm vehementer contendit,séque in sua propriáque Ecclesia Christi esse vicarium, & [o] diuinorum mysteriorum procuratorem demonstraret. Multò tum certè piis hominibus tolerabilior videretur,multóque minorem excitaret sui offensionem.Nunc autem vt eius,quod vendicat,iure pertineret ad ipsum possessio,tamen suo ipsius iudicio meritus est vt eo priuetur.[p] Gregorius enim Papa inquit:*Priuilegium meretur amittere,qui abutitur potestate*:& Papa Syluerius habet:[q] *Etiam quod habuit,amittat,qui,quod non accepit,vsurpat.*

Nunc vt paucis istius Articuli summam replicemus atque euoluamus.

Primùm,Hardingus ea testimonia Anacleto,Athanasio, aliisq; sanctissimis patribus falsò adscripta,sciens & consultò profert,quæ ipse esse commentitia certissimè nouit , quæque palàm absurdissimarum , secúmque pugnantium ineptiarum referta se ipsa produnt , nec aliquam veritatis similitudinem speciésue habent.

Esai.36.
Daniel.cap. 7.
Matth.24.
Daniel.8.
2.Thess.2.
AEneas Syluius.
Cyprian.in sermone de Ieiunio & Tentatione.
Origē.in Matt tractat 12.
Distinct 99.
Primæ sedis.
Sozom.lib.3. cap.8.
Concil. Aphri.
Epist.ad Cœlest.
Gregor. lib.4. Epi.34 38 .&c.
Anno Domini 602.
De Maior.& Obedien. Vnā sanctam.
Ibidem in glosa.9. Qu. it.3.
Nemo.Dist.21.
Inferior sedes.
Esai.10.
De concessione Præbendæ. in Glosa.
Extra. de constitution. Licet
Durand lib. 2.
a De electio. & electi potestate. Significasti.
b Dist. 40. Si PP.
c De translatie. Episcopi, Quanto in Glosa.
d De concessio. Præbendæ. Proposuit , In Glosa.
e De Maior. & Obedien. Vnā sanctam.
f Clemen. de appellationib. Pastoralis.
g De Maior. & obedien. Solitæ in Glosa.
h De sentent. & re iudicata. Ad Apostolicæ
i Psalm.91.
k Dist. 96. Si imperator.In Glosa.
l Dist.96. Satis euidenter.
m Ioan.22.De verbor. signifi- In Glosa. Cum inter.
n In Concil. Lateranen. Sub Iulio.
o 1.Corinth. 4.
p 11.Quast.2. Priuilegium.
q 25.Quæst.2. Sic decet. 1.

2. Canones quosdam Niceni, Calchedonensísque Concilij iactauit, eísque vehementer confisus est: quos tamen neque extare, neque vnquam extitisse satis scit.

3. Gregorij verba mutilauit atque truncauit, suáque ipsius reclamante conscienta in medio dissecuit & abrupit, quò Lectori faciliùs imponeret.

4. Veteres sanctitate præstantes patres, Irenæum, Cyprianum, Ambrosium, Cyrillum, Augustinum, Theodoretum, Hieronymum, atque alios violenter, & per summam vim traxit atque torsit repugnante sua ipsorum sententia, atque sensu.

5. De prouocationibus Romam faciendis, Orientalis orbis administratione, excommunicatiobus, ordinationum confirmationibus, approbationibus Conciliorum, restitutionibus, atque reconciliationibus, vniuersam Ecclesiæ rationem vsúmque manifestò est ementitus.

6. Hæc cùm ita sint vniuersa, neutrum tamen ex istis, quos tam sagaciter peruestigauit, duobus gloriosissimis titulis inuenit hactenus: quantumuis & maximos labores susceperit, & multas pollicitationes, iactationésque adhibuerit.

Quapropter, vt concludam, ita me nunc etiam, quemadmodum priùs, subscribere atque rescribere oportet, quòd etiamsi Hardingus multùm hac in re desudauit & elaborauit, ac quicquid vel priuata, vel communicata amicorum suorum opera præstare potuit, effecit: nondum tamen neque in sacris scripturis, neque in vetustis Cóciliis, neque in quoquam prisco & Catholico patre inuenire potuit, pontificem Romanum intra sexcentos primos à Christo annos vnquam aut vniuersalem Episcopum, aut Ecclesiæ vniuersalis caput esse appellatum.

DE

FINIS.

DE REALI PRAESENTIA

ARTICVLVS QVINTVS.

Episcopus Sarisburiensis.

VEl populum edoctum esse, vt corpus Christi realiter, substantialiter, corporaliter, carnaliter, aut naturaliter in sacramento inesse crederet.

Hardingus 1. Sectio.

* CHRISTIANVS *populus semper edoctus fuit, corpus & sanguinem Iesu Christi arcana diuinæ gratiæ, sanctique spiritus virtute, in hoc sanctissimo mysterio adesse, idque verè, ac reipsa. Hæc doctrina disertis Christi verbis fundata est, quibus in instituendo hoc sacramento vsus est, ab Euangelistis, atque D. Paulo explicatis.* Edentibus illis (*inquit Matthæus*) accepit Iesus panem, & quum benedixisset, fregit, deditque discipulis suis, & ait, Accipite, comedite: hoc est corpus meum: & accepto poculo, ac gratiis actis, dedit eis, dicens. Bibite ex eo omnes: Hic est enim sanguis meus Noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. *Iisdem ferè verbis, Marcus, Lucas, & Paulus diuinam istam institutionem exprimunt. Neque dixit Dominus tantùm:* Hoc est corpus meum, *sed ne qua posset in verbis subesse ambiguitas, quo planiorem redderet illorum sententiam, hoc etiam addidit,* Quod pro vobis traditur. *Similiter de poculo non solùm dixit,* Hic est sanguis meus, *sed etiam quasi omnem dubitandi occasionem præripere cupiens, annectit,* qui pro multis effundetur. *Quemadmodum autem fideles nihil dubitant, quin Christus in illo supplicio ac morte, quam in cruce pro nostra redemptione subiit, non tantùm sui corporis figuram, sed & proprium ac verum corpus substantialiter dederit, nec figuram solummodo sanguinis sui, sed ipsum pretiosum sanguinem suum reipsa exhibuerit: ita persuasissimum habent, illa verba, quibus institutum est hoc sacramentum, nullum alium admittere sensum, sed nobis in sacris istis mysteriis idem ipsum corpus, quod crucifixum est, & eundem sanguinem, qui pro nobis effusus est, quod ad substantiæ veritatem attinet, præberi. Ita scripturæ ipsæ credentibus satis ampla suppeditant argumenta veritatis corporis, & sanguinis Christi in sacramento, aduersus sacramentarios, quorum ea sententia est,* * *nihil nisi figuram, signum, ac typum in sacramento adesse.*

Matth. 26.

Marc 14. Luc 22. 1. Cor. 11. Luc. 22.

* Falsum: non enim euincere potest Hardingus, populum in Ecclesia primitiua ita fuisse edoctum.

* Falsum: nos enim ita nunquam docuimus.

Episcopus Sarisburiensis.

HArdingus isto modo de industriáne agat, an quòd institutam scribendi rationem persequitur suam, sanè non intelligo: tantùm video illum de alio interrogatum, ad aliud semper respondere. Quæritur in hoc tempore *vtrum corpus Christi realiter, & corporaliter insit in sacramento*: ad hoc respondet, *Christi corpus realiter, ac corporaliter nobis coniunctum atque vnitum esse*: atque huc omnem sermonem suum refert, cum nihil interim ad id, quod in quæstionem adducitur, respondeat. In superioribus articulis confictas aliquas authoritates, aut simulatum aliquem Ecclesiæ vsum, aut aliqua Doctorum verba perperam intellecta, aut aliquam communis atque humanæ rationis similitudinem, aut saltem ornatum aliquem, fucúmque verborum prætendere potuit: in hac autem causa nihil prorsus habet, ex quo aliquid aptè cõcludatur, ne ipsum quidem subsidium, atque ordinem insitæ nobis naturæ. Quod autem dicit, *Christianum populũ sic fuisse ab initio edoctum*, mirum profectò videri possit, vel absque doctore fuisse ita edoctum, vel doctorem illum sine verbis hoc docere potuisse, vel ea verba dicta, non scripta vnquam fuisse. Certè Hardingus ipse suo silentio, atque inopia obscurè fatetur, verba ista *realiter, carnaliter, &c.* in hac de sacramento quæstione ab antiquis doctoribus nunquam fuisse vsurpata. Aliòquin enim aut ab ipso, aut à collegarum suorum quopiam reperta iamdudum fuissent.

Verùm Christus ait (inquit Hardingus) *Hoc est corpus meum*: *Hic est sanguis meus*: *atque vt omnem ambiguitatem è medio tollat, adiungit, quod pro vobis datur, qui pro vobis effundetur.* His verbis Hardingus suam fundatam dicit carnalem præsentiam, tametsi Christus istarum vocum nulla prorsus vtatur, neque vlla omnino alia, quæ ad eam pertinere posse videatur. Fisherus etiam Roffensis olim Episcopus, clarus Hardingi astipulator, ingenuè fatetur hunc sensum ex nudis Christi verbis nullo modo elici posse. Sic enim scribit: *Hactenus Matthæus: qui & solus Testamenti noui me-*

Io. Fisherus contra captiuitatem Babilonicam N. 8. & O.

minit. Neque vllum hîc verbum positum est, quo probetur in nostra Missa veram fieri carnis, & sanguinis Christi præsentiam. Quinetiam porrò confirmat, *non posse per vllam scripturam probari.* Hîc magnam videmus iudiciorum discrepantiam inter eos, qui Hardingi opinionem probant, idque in rebus grauissimis. Hardingus carnalem suam præsentiam satis arbitratur confirmatam his Christi verbis, *Hoc est corpus meum*: Fisherus contrà, *nec istis scripturæ verbis nec aliis vllis probari posse,* contẽdit:& tamen nemo vnquam dubitauit, quin Fisherus cum Hardingo omni ex parte comparandus esset.

D. Smithus De Eucharist.
Stephan. Gardinerus.
D. Smithus.
Stephan. Gardinerus in Diabol. Sophistica fol. 6.
De conf. Dist. 2. Ego Berengarius.
Step. Gardinerus in Diabol. Sophistica fol. 15.
De conf. dist. 1. Ego Berengarius, *manibus tractari, frangi, dentibus atteri.*

Et sanè licet Hardingus hæc Christi verba tam mordicus teneat, ac si nihil potuisset dici planiùs, tamen alij ex amicis eius multiplicibus ac variis interpretationibus obscura atque ambigua ea reddiderunt, neque adhuc possunt consentire. Quidam ex illis aiunt, *Naturale corpus Christi in sacramento esse, sed non naturaliter*: Alij dicunt *naturaliter, & sensibiliter adesse*: Quidam disertè affirmant, *neutrum istorum vocabulorum in hac controuersia de Christi præsentia in sacramento vnquàm fuisse vsurpatũ*: Atqui alij eorum omnẽ litem dirimunt, & Christum præsentẽ esse *naturaliter* aiunt Concilium etiam Romæ habitum Papa Nicolao secundo statuit, & Berengarium subscribere coegit, *Christum in sacramento esse sensibiliter*, vel, vt illi barbarè dixerunt, *sensualiter.* Quidam aiunt, *Christi corpus nequaquam diuidi, aut frangi in sacramento, sed tantùm accidentia*: Nicolaus autem Papa, atque vniuersum illud concilium asserunt, *ipsum corpus Christi manibus tractari, diuidi, frangi, dentibus atteri*, nedum accidentia duntaxat. Verùm vt de aliis dissidentibus opinionibus taceam, ex his patet doctissimis illius sententiæ patronis nondum planè constare de sensu verborum Christi, etiamsi eorum clientes atque subscriptores longè aliter de illis persuasum habeant. Nunquid verò putat Hardingus populum Christianum semper idem penitus de hac re sensisse, cum hoc eorum doctores & magistri nequaquam præstiterint, aut discipulos fuisse meliùs institutos ipsis doctoribus? Quod si autẽ articulus iste neq; ex vllis scripturæ verbis cõfirmari, quemadmodum Fisherus ait, atque ex eorum porrò qui ita docent dissensionibus apparet, neque ex antiquo aliquo doctore, aut patre potest, quod Hardingus suo silentio fatetur, tum certè pius, & catholicus populus meritò potest assentionem suam cohibere, atque carnalem istam præsentiam in dubium vocare. Neque sanè controuersia illa inter nos hodie disceptata de literis ipsis est, aut syllabis verborum Christi, (eas enim vtrique & noscimus æquè, & agnoscimus) sed de sensu tantùm, verborúmque intellectu, quem Hieronymus, ait ipsarum esse scripturarum medullam. Ipsúmque ius dicit, *In fraudem legis facit, qui saluis verbis legis, sententiam eius circumuenit.* Augustinus etiam hoc ipsum videtur quibusdam suæ ætatis vitio, vertere: sic enim ait: *Cùm in vnam partem procliuiter ire cœperint, non respiciunt diuinæ authoritatis alia testimonia, quibus possint ab illa intentione reuocari, & in ea, quæ ex vtrisque temperata est veritate, ac moderatione consistere.* Si vera sit Hardingi defensio hanc solam esse verborum Christi sententiam, nimirum corpus eius hoc tam crasso modo *realiter & carnaliter* in sacramento esse, Christúmque nisi ita sentiat, nihil omnino aliud sentire, plus quàm stupendum videri possit, nullum vnquam ex veteribus & orthodoxis Ecclesiæ doctoribus hoc potuisse animaduertere: aut si animaduerterunt, verbis tamen caruisse, & cum ea essent dicendi copia, eloqui non valuisse.

Hieronymus ad Gala. cap. 1.
Pan de Leg. & senatusconsulto & longa cõsuetud.
Contra legem
Augustinus de fide & operibus. cap. 4.

Atqui non est (inquit Hardingus) *nuda figura,* ideóque concludere se posse putat, corpus Christi *realiter* præsens adesse. Eodem etiam modo licet ei dicere, cùm baptismi sacramentum nuda nequaquam figura sit, in eo Christum *realiter* inesse. Certè, Augustinus cùm de petra in deserto loqueretur ita scribit: *Hinc est, quod dictum est, Petra erat Christus. Non enim dixit, petra significat Christum, sed tanquam hoc esset, quod vtique per substantiam hoc non erat, sed per significationem.* Non dixit Paulus petra fuit Christi figura, sed petra fuit Christus. Et Basilius idem affirmat: *Christus re vera petra est immobilis, & inconcussa.* Non tamen ideo dicturus est (opinor) Hardingus, Christum *realiter* aut *carnaliter* in petra fuisse.

August. supra Leuiticũ quæst. 57.
1. Cor. 10.
Basil. de Pœnitentia.

Neque sanè persuadere mihi possum Hardingũ tam capitalem esse figurarũ hostem, quàm se nunc videri cupit. Etenim ipse in his non ita multis Christi verbis, quæ ad sacramenti istius institutionem pertinent, quemadmodum posteà luculentius declarabitur, opem è sedecim aut pluribus figuris petere cogitur, iisque tam inauditis, tam crassis, tam à ratione dissentaneis, vt illas nec Augustinus, nec Hieronymus, nec veterum theologorum quisquam agnouerit, nec bonus vnquam aliquis Grammaticus probarit. Tot & tales ei fas est figuras excogitare ad mendacium stabiliendum: nobis ad defendendam veritatem ne vna semel vti conceditur.

Equidem veteres Catholici patres hac in re nunquam restricti adeò fuerunt, vt hæreticum esse crederent in exponendis Christi verbis figuram adhibere. Breuiter, vt pauca tibi exempla proponam, Augustinus ait: *Christus adhibuit Iudam ad conuiuium, in quo corporis & sanguinis sui figuram discipulis suis cõmendauit, & tradidit.* Similiter Tertullianus: *Christus acceptum panem, & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, dicendo, hoc est corpus meum, hoc est, figura corporis mei.* Ambrosius inquit: *Ante benedictionem verborum cælestium alia species nominatur, post consecrationem corpus Christi significatur.* Hîc dissimulare non possum, me non minùs testimoniorum multitudine premi, quàm Hardingum inopia affligi. Si cæteros omnes citarem antiquos & pios patres, quorum eadem scriptis declarata est sententia, nimis essem sanè Lectori molestus. Alius etiam deinceps locus dabitur huic proposito aptior. Admonendus tamen mihi obiter es, amice Lector, Augustinum hac de re sic scribere: *Ea demum est miserabilis animæ seruitus, signa pro rebus accipere,*

Augustin in Psalmum 3.
Tertul. contra Marcionẽ li. 4.
Ambros. de illis qui initiãtur mysteriis. Cap. vltimo.

pere, & supra creaturam corpoream, oculum mentis ad hauriendum æternum lumen leuare non posse. Et rursum: *In principio cauendum est, ne figuratam loquutionem ad literam accipias. Et ad hoc enim pertinet, quod ait Apostolus, litera occidit: spiritus verò viuificat. Cùm enim figuratè dictum sic accipitur, tanquam propriè dictum sit, carnaliter sapitur. Neque vlla mors animæ congruentiùs appellatur.* His verbis, Lector, Augustinus sensus tuos excitat, vt quid agas, etiam atque etiam consideres, ne fortè falli videaris.

Augus. de doctrina Christiana lib.3.cap.5. Animæ seruitus. Ibidem. Animæ mors.

Vbi autem Hardingus iniquè de nobis affirmat & prædicat, *quòd nudam figuram, & inane signum & tesseram tantùm, aliud autem nihil retinemus*, si ex Deo est, ignorare non potest, quàm non debeat vel linguam, vel manum ad falsum testimonium ferendum conferre. Scriptum est, *Dominus destruet omnes, qui loquuntur mendacium.* Optimè nouit nos vacuis signis ac figuris populum Dei nequaquam pascere, quippe qui doceamus sacramenta Christi sancta esse mysteria, & Christum in illis percipiendis nobis proponi non aliter, ac cum in cruce penderet: & nos in illis nostrorum peccatorum remissionem, & nostram cum Deo reconciliationem, & vt Chrysostomus cóciſè ait, *Christi summum beneficium, & nostram salutem* posse contemplari. In quibus populum docemus non inane signum, aut tesseram, sed ipsum Christi corpus, ac sanguinem verè nobis præberi: nos verè illud comedere, verè illum bibere: verè nos eo sustentari atque ali: Nos ossa ex eius ossibus, & carnem ex eius carne fieri: Christũ in nobis habitare, & nos in ipso vicissim remanere. Nec tamẽ dicimus, vel substantiam panis aut vini perire, vel Christi corpus cœlo demitti, vel *realiter*, aut *carnaliter* in sacramento adesse. Nos ex veterum patrum doctrina dicimus, corda in cœlum subleuare, & illic agno Dei pasci. Chrysostomus dicit: *Ad alta contendat oportet, qui ad hoc corpus accedit.* Similiter Augustinus: *Quomodo tenebo absentem? Quomodo in cœlum manum mittam vt ibi sedentem teneam? Fidem mitte, & tenuisti.* Spiritualiter ergo, & fidei nostri ore, Christi corpus edimus, & sanguinem eius bibimus, idque non minùs verè, quàm verè frangebatur eius in cruce corpus, & effundebatur sanguis. Sic Augustinus, sic Chrysostomus, sic alij sancti patres sua ætate populum instituerunt: Panis quidem, quem nos ore corporis accipimus, res est terrena, atque ideò figura, quemadmodum & aqua Baptismi similiter figura est: Christi verò corpus, quod eo repræsentatur, & fidei nostræ porrigitur, res ipsa est, non figura: cuius gloriam spectantes nequaquam sumus de figura soliciti. Ad hoc ipsum alludens Barnardus ait: *Annulus non valet quicquam: hæreditas est, quam quærebam.*

Deut.5. Exod.20. Psal.5. Galat.3. Roman.5. Chrysost. ad populum Antioc. Hom.60. Ephes.5. 1.Ioan.4. Sursum corda. Chrysost. in 1. Corin.10.Hom. 24. Augustin. in Ioan. tract.50. Bernard. de cœna Domini.

Denique tria hic nobis sunt consideranda. Primùm, vt discrimen inter signum, & rem ipsam, quæ signo declaratur, ponamus. 1.

Secundum, vt Christum suprà quæramus in cælo, nec illum in terra esse corpore præsentem suspicemur. 2.

Tertium, vt Christi corpus fide solùm comedi posse, nec alio vllo modo intelligamus. In quo sanè haud obscurè cerni potest quid inter nos, atque Hardingum intersit. Nos enim Christum in corde ex doctrina Pauli collocamus: Hardingus illum in ore ponit. 3. Ephes.3.

Nos Christum sola fide manducari posse confirmamus: Hardingus contrà & ore, & dentibus sumi defendit. Verùm laudetur ac prædicetur nomen Domini, quòd magna piorum hominum multitudo insulsam omnique consolatione vacuam huius doctrinæ futilitatem iamdudum sentiat. Etenim ex Cypriano didicerunt sacrosanctum Christi corpus *mentis esse non ventris cibum*: Augustinum etiam audiuerunt dicentem: *Quid paras dentem & ventrem? Crede, & manducasti.*

Nunc tecum cogita, Lector Christiane, satiúsne fuerit figuræ nomine vti, quo etiam Tertullianus, Augustinus, aliíque omnes antiqui patres sæpe vsi sunt, idque libere: an, ista nisi nuper inaudita verba vsurpare, *realiter, corporaliter, carnaliter*: quibus vel vnum ex antiquis patribus vsum esse in hac causa *de reali in sacramento præsentia* nunquam poterit Hardingus euincere.

Hardingus. 2. Sectio.

DEinde [a] *non possumus statuere, vbi Dominus promissum præstiterit, quod in sexto Ioannis fecit*: Panis quem ego dabo, mea caro est, quam dabo pro vita mundi: *nisi tantùm in vltima sua cœna. In qua si carnem suam Apostolis præbuit, eámque non aliam, nisi eam, quam pro mundi vita dedit: ex eo consequitur, in beato sacramento non merum panem esse, sed illud ipsum verum illius corpus in substantia. Non enim merus fuit panis, sed verum eius corpus, quod datum, atque oblatum fuit in cruce.*

a Falsum: cum periculosa doctrina coniunctum.

Episcopus Sarisburiensis.

HOc principium non solùm in se falsum est, verùm etiam eiusmodi doctrinæ plenum, quæ multum periculi habeat, & facilè in desperationem salutis adducat. Si enim fieri nullo modo possit, vt alibi quàm in sacramento Christi carnem comedamus, quòd hîc Hardingus videtur assumere, ex eo consequitur omnes infantes Christianos, & alios etiam vniuersos, quicunque ex hac vita non antè accepto sacramento discedunt, necessariò damnatos esse, atque iræ diuinæ filios obiisse. Christi enim verba diserta sunt, & ad omnes pertinent: *Nisi comederitis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* His possumus Minorem istam subiicere: *Liberi Christiani non accipiũt sacramentũ*, ac proinde, ex Hardingi sententia, *carnem filij hominis non comedunt*: Hinc necessariò efficitur, infantes Christianos nullam in se vitam habere, sed esse interitus, ac damnationis filios.

Ioan.6.

Hæc scilicet summa est doctrinæ, quam exponit Hardingus. Verùm isti homines ne tantilli quidem æstimant, quinam, aut quot pereant, modò eorum inuenta constare possint. Nos verò sacrosancto Dei verbo nixi docemus, Christum quàm verè suum in cruce corpus obtulit, tam certò nunc fidelibus illud ipsum corpus præbere: idque non solùm in sacramenti administratione, quemadmodum falsò imaginatur Hardingus, verùm omni etiam tempore, in quo possumus cum Paulo profiteri, *Non iudicaui me scire aliquid, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Proinde Ambrosius sic scribit: *Quid petis ô Iudæe: vt tribuat tibi panem, quem dat omnibus, dat quotidie, dat semper?* Si verè dixit Ambrosius Christum illum panem, qui est ipsius corpus, semper dare, falsum sit necesse est, quod Hardingus ait, Christum præstare suum promissum, & corpus dare non alibi, quàm in sacramento. Iccirco dicit Augustinus, *Non tantum in Sacramento, sed etiam reipsa comedunt corpus Christi.* Hîc Augustinus contra Hardingum confirmat nos corpus Christi manducare, non in sacramento tantùm, verumetiam aliter: atque adeò differentiam hanc eò viget, vt Christi corpore vesci in sacramento, aliud: verè autem & genuinè illud comedere, aliud esse: statuat atque diuersum: tum quod ad patres veteris legis attinet, Abrahamum, Mosen, Aaronem, aliósque multò ante Christi corpus verè atque efficaciter percepisse docet, quàm Christus vel carnem ex beata Virgine accepisset, vel sacramentum instituisset: ipsum illud nempe corpus, quod nunc à fidelibus sumitur. Denique, de Christianis infantibus, aliísque fidelibus, qui ante perceptum sacramentum ex hac vita migrarunt, sic scribit, *Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc vnumquemque fidelium corporis, sanguinisque Domini participem fieri, quando in baptismate efficitur membrum Christi: nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc seculo in vnitate corporis constitutus abscedat. Sacramẽti quippe illius participatione ac beneficio non priuatur, quando ille hoc, quod illud sacramentum significat, inuenit.* Hactenus Augustinus. Ex his colligere licet non prorsus verum esse, quod Hardingus tam confidenter confirmat. Si Bedam, Augustinum, Ambrosium, & alios sanctos patres consuluisset, posse pios alio modo Christi corpus verè comedere, quam in sacramento tantùm, facilè inuenisset.

1. Corin. 2. Ambros in Psal. 118. Sermo. 18.

August. de Ciuitat. lib. 21. cap. 20. *Non solùm.*

August. de vtilitate pœnitẽtiæ. cap. 1. *Manducauerunt eundem cibum quem nos.*

August. in sermone ad infantes. Citaturà Beda. 1. Cor. 10 *Quando ipse hoc quod illud sacramentum significat inuenit.*

Hardingus. 3. Sectio.

SI verba, quæ Christus loquutus est apud Diuum Ioannem de promisso, quod in sacrosancta cœna exoluit, panis quem ego dabo mea caro est, *non perinde, vt videntur sonare, disertè ac verè, sed metaphoricè, tropicè, symbolicè, & figuratiuè intelligenda essent, vt eo pacto veritas, corporis excluderetur, quemadmodum* [a] *aduersarij nostri interpretantur, tum profectò Capernaitæ nullam prorsus habuissent erroris sui occasionem, nullam Christo obstrependi causam inuenissent, quod ab illis factum Euangelista declarat:* Pugnabant *(inquit D. Ioannes)* Iudæi alij aduersus alios, dicentes, Quomodo potest hic nobis carnem suam dare, qua vescamur? *Multò verò minus chari ipsius discipuli, quibus tot ac tanta miracula ostenderat, quibus tot antea parabolas, & res reconditissimas aperuerat, vllam offendiculi ansam arripuissent. Equidem si Christus cogitasset signum solummodo, ac figuram sui corporis comedi ab illis oportere, nunquam dixissent,* durus est hic sermo, quis potest eum audire? *Tum enim nihil aliud egissent, quàm quod antè sæpe fecerant in edendo agno paschali. Quomodo autem durus sermo videri potuit, si Christus nihil aliud intellexisset, quàm hoc,* Panis quem ego dabo, figura est mei corporis, quæ vos faciet mei memores?

a Falsum: simul & contumeliosum. Nos enim hæc verba de Christi vera carne, & sanguine interpretamur.

Cap. 6.

Episcopus Sarisburiensis.

HÆc ratio Capernaitarum ignorantia nititur, & hoc modo contexitur: *Capernaitæ Christi verba in alienum sensum acceperunt, nec assequuti sunt illius sententiam: Ergo, corpus Christi realiter est & carnaliter in sacramento:* Atque sic Hardingus, vt eius est mos, vnum errorem altero confirmat.

Ista vt possint à nobis intelligi, necessarium videtur sensum ac sententiam verborum Christi primùm aperire: deinde, quàm peruersus & absurdus fuerit Capernaitarum error ostendere: postremò, argumentationem Hardingi excutere.

Primùm ergo, petebant à Christo Iudæi, vt panem illis in solitudine daret, quemadmodum Moses patribus ipsorum dederat. Christus verò, quò crassam istam ac terrestrem de ventre cogitationẽ ex mentibus illorum euelleret, aliud quoddam panis genus illis se daturum promisit, qui spiritualis esset, ac immortalis. Sic enim ait ad eos, *Pater meus dat vobis panẽ verè cœlestem. Si quis ederit ex hoc pane, viuet in æternum.* Atque ne possent ignorare, quid vellet, porrò addidit, *Ego sum panis, qui è cœlo descendi. Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi vita.* Sic est loquutus de spirituali esu ac digestione carnis suæ, in cordibus fidelium: ac statim pòst etiam ita suam ipse mentem aperuit. Cum enim videret Iudæos, quòd eum nequaquam intelligerent, offensos, eos affatur vltro, *Spiritus est, qui dat vitam: caro nihil prodest: verba, quæ ego loquor, sunt spiritus & vita.* Hæc verba Augustinus apertiùs interpretatur in hunc modum, *Spiritualiter intelligite, quod loquutus sum. Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendaui, spiritualiter intellectum viuificat vos.* Sic Basilius, *Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus.* Tum-

Ioan. 6.

August. in Psal. 98.

Basil. in Psa. 33.

Tum ait: *Sæpe (in scripturis) animaduertimus, internas animæ facultates, externorum membrorum appellationem sortitas. Cum itaque Dominus noster verus sit panis & caro eius verus cibus, necesse est voluptatem, quam ex panis delectatione percipimus per spiritualem quendam gustum nobis ingenerari.* Iterum ait: *Est etiam quoddam spirituale interni hominis os, quo pascitur recipiens verbum vitæ, qui est panis descendens de cœlo.* Idem ait Augustinus, *Fides habet oculos suos.* Præterea: *Intus bibendo fœlix sum.* Et iterum: *Panis iste interioris hominis quærit esuriem.* Sic etiam inquit Leo: *Circa hoc corpus aquilæ sunt, quæ alis circumuolant spiritualibus.* Sic quoque Origenes: *idcirco & verum lumen dicitur, vt habeant oculi animæ, quo illuminentur: idcirco & verbum, vt habeant aures, quod audiant: & idcirco panis vitæ, vt habeat gustus animæ, quod degustet.*

ἀνάγκη τὴν ἡδονὴν τοῦ ἄρτου διὰ γεύσεως ἡμῖν νοητῆς ἐγγίνεσθαι. ἐστι μάν τι καὶ νοητὸν στόμα τοῦ ἔνδον ἀνθρώπου.
August. epi. 95.
August. in Ioã. tract. 26. Ibidẽ.
De consecrat. Dist. 2. In quibus.
Orig. in canticãtico. hom. 2.

Sic Tertullianus, *Auditu deuorandus est, intellectu ruminandus, & fide digerendus.* Eodem modo Chrysostomus: *Magnus iste panis, qui replet mentem, non ventrem.* Proinde Augustinus ait: *Christus dixit se esse panem, qui de cœlo descendit, hortans vt credamus in ipsum. Credere enim in eum hoc est manducare panem viuum.*

Tertul. de resurrect. carnis
Chrysost. ex variis locis in Matth. hom. 9.
August. in Ioã. tractat. 26.

Ex his luculenter constat, Christi sensum, quemadmodum tum Christus ipse, tum omnes antiqui patres ac doctores Ecclesiæ eum explicarunt, esse spiritualem: non realem, non carnalem, non crassum, sicuti noster Hardingus comminiscitur. Respondebit Hardingus, ore comedere, & dentibus conficere spirituale munus esse. Ita non ineptus erit Capernaitarum aduocatus, eosque spiritualem habuisse intellectum dicat necesse est. Verumenimuero Chrysostomus ita hominem non patietur elabi. Eius perspicua sunt verba: *Quid est carnaliter intelligere? Simpliciter, vt res dicuntur, neque aliud quippiam cogitare.* Iccirco Augustinus ait, *Figura est, præcipiens passioni Domini communicandum esse, & suauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quòd Christus pro nobis mortuus sit.* Itaque hoc illud est, quod Christus voluit, atque hoc est, Christi carnem comedere.

Chryso. in Ioã. hom. 47.
August. de doctrina Christi. lib. 3. cap. 16.

Consequens est, vt quid ex verbis Christi elicerent Capernaitæ videamus. Origenes inquit, *Accidit vt simpliciores nescientes distinguere, quæ sint, quæ in scripturis diuinis interiori homini, quæ exteriori deputanda sint, vocabulorũ similitudinibus falsi ad ineptas quasdam fabulas, & figmenta inania se contulerint.* Sic Hieronymus ait, *Cùm Seniores putentur in Ecclesia, & Principes sacerdotum, simplicem sequendo literam, occidunt filium Dei.* Hoc ipsum nempe Capernaitis vsu venit, vt quod Christus spiritualiter de ea, manducatione quæ fide continetur, loquutus est, id illi carnaliter intelligerent, de eo esus genere, quod dentium munere fit: veluti deglutienda illis esset eius caro, & in corpus transmittenda, aliorum ciborum more: haud secus atque nunc populum Hardingus docere cupit, quemadmodum Christi corpus comedat.

Orig. in Prologo in canti. Canticorum.
Hieron. lib. 3. in Matt. ca. 17.
August. in Ioã. tracta. 11.

Tertullianus horum hominum peruersum errorem sic perstringit? *Durum & intolerabilem existimarunt sermonem eius, quasi verè carnem suam illis edendam determinasset.* In hoc, inquit Tertullianus, versatus est eorum error. Nunc vt Hardingi coniecturas excutiamus, primùm ait: *Capernaitæ Christi sermone offensi sunt: Ergo, verisimile est Christum professum esse se suum corpus realiter, & carnaliter in sacramento daturum.* Primùm, Nicolaus Lyra, quem doctorum Hardingus suum agnoscit, ait, *Hæc Christi verba in sexto Ioan. ad sacramentum nihil pertinere:* Deinde, tenuis est coniectura religionem errore stabilire. Sic potius videtur dicere potuisse, Capernaitæ Christi carnem realiter, & carnaliter ore se putabant esuros: verùm iste nequaquam fuit Christi sensus, vt abunde constat, siquidem decepti sunt: ergo, non hoc Christus voluit, ipsius carnem realiter & carnaliter ore esse manducandam.

Tertulli. de resurrect. carnis.
Nico. Lyra in Psal. 110.

Præterea obiicit, *si Christus hoc dixisset, se figuram tantùm sui corporis illis daturum in sui commemorationem, nulla causa fuisset vel Capernaitis vel cuipiam offensionis.* Neque nos dicimus Christum in sexto Ioannis capite de spirituali edendi modo per fidem loquutum, vllius figuræ mentionem fecisse: sed suæ tantùm ipsius carnis reuera comedendæ, & sanguinis reuera bibendi. Veruntamen affirmamus, Christum postea in postrema cœna sua ad hũc spiritualem esum externum sacramentum addidisse, quod quidem à veteribus patribus trito & vsitato nomine figura appellatur. Verùm in eo fallitur Hardingus, quòd, vt Origenes ait: *Nullum discrimen facit inter corpus, ac spiritum: & res separatim ad vtrumque pertinentes.* Panis figura est: Christi corpus res ipsa est, non figura. Panis in terra est, Christi corpus in cœlo est. Panis corrumpitur: Christi corpus immortale est, gloriosum est, ab omni corruptione immune est. Proinde Rabanus Maurus ait: *Sacramentum ore percipitur: virtute sacramenti interior homo satiatur. Sacramentum in alimentum corporis redigitur: virtute sacramenti æternam vitam adipiscimur.* Augustinus quoque dicit: *Sacramentum de mensa Dominica sumitur, quibusdam ad vitam: quibusdam ad exitium: res verò ipsa, cuius sacramentum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicunque eius particeps fuerit.*

Origen. In Prologo in cantic. Canticorum.
Raban. Maurus li. 1. ca. 31.
August. in Ioã. tractat. 26.

Hardingus. 4. Sectio.

Exilis confirmatio. Perinde enim Christus omnipotentiã in aqua Baptismi suam ostendit.

VT rem omnem paucis comprehendam: si Christus in eam se intelligi sententiam voluisset, quasi figuram tantùm corporis sui daturus esset: non ille opus habuisset, de omnipotentia ac infinita sua potestate apud discipulos verba facere, quò faciliùs ad veri sui corporis fidem, quod esset ab illis accipiendum & comedendum, eos perduceret. Hoc vos scandalizat, inquit? Qui si videritis filium hominis ascendentem, vbi priùs fuit? Spiritus est qui viuificat, &c. *Ac si dixisset, vos humanam meam tantummodo*

naturam intuemini, quæ imbecilla atq; infirma videtur, diuinam verò potestatem meam ex summis illis miraculis, quæ sunt à me edita, non æstimatis. Vbi autem me diuinitatis meæ virtute sublatum in cœlum conspicietis, vnde ad vos descendi, nunquid verò tunc incredibile vobis videbitur, me verum meum corpus vobis comedendum præbere? Atque sic facta diuinæ suæ potestatis mentione Christus eorum incredulitatem redarguit, quod ad veritatem & substantiam corporis attinet, quod manducandum illis se daturum promisit.

Episcopus Sarisburiensis.

PErgit Hardingus figuras suas consectari, atque ex immensa Dei potestate argumentum prorsus infirmum fabricatur: Sic enim concludit:

Christus suæ in cœlos ascensionis mentionem fecit:
Ergo, corpus illius est in sacramento realiter.

Neque est cur iniuriam à me sibi factam iure conqueratur, quòd Dialecticam eius sic omnium oculis subiiciam. Etenim Lectoris magnopere interest, nosse quibus quodque momentis confirmetur. Nisi verò hoc modo concludat, vagatur & errat incerto pede, nec quicquam sanè concludit. Quod ad Christi in cœlos ascensum attinet, Augustinus, aliíque veteres patres, ex eo crassam hanc, quam isti ponunt, sacramentalem præsentiam improbare videntur. De eo sic scribit Augustinus: *Si ergo videritis filium hominis ascendentem, vbi erat priùs, quid est hoc? Hinc aperuit, vnde fuerant scandalizati. Illi enim putabant eum erogaturum corpus suum, ille autem dixit se ascensurum in cœlum, vtique integrum. Cum videritis filium hominis ascendentem, vbi erat priùs: certè vel tunc videbitis, quia non eo modo, quo putatis erogat corpus suum: certè vel tunc intelligetis, quia gratia eius non consumitur morsibus.* Chrysostomus ait, quod suprà est à nobis citatum: *Ad alta oportet eum contendere, qui ad hoc corpus accedit. Aquilarum, non graculorum est hæc mensa.* Sic Hieronymus ait: *Ascendamus cum Domino in cœnaculum magnum, stratum, & mundatum, & accipiamus ab eo sursum calicem noui Testamenti.* Idem licet ex aliis catholicis & antiquis patribus ostendere. Cyrillus enim disertis verbis habet: *Sacramentum nostrum hominis manducationem non asserit, mentes credentium ad crassas cogitationes irreligiosè inducens.*

August. in Ioã. tractat. 27. *Illi enim putabant eum erogaturum corpus suum. Certè vel tunc intelligetis quia gratia eius non consumitur morsibus.* Chrysost. in 1. Cor. 10. ho. 24. Hyeron. ad Hedibiam. quæ. 2. Cyril. ad obiectio. Theodor. Anathema. 11. ἀνθρωποφαγία.

Parum profectò causam Hardingianam hæc argumentatio concludit: *Christi corpus in cœlum ascendit: Ergo, idem Christi corpus est realiter, & carnaliter in sacramento.* Verùm, inquiet Hardingus, Christus apud Capernaitas omnipotentiæ suæ meminit, proinde in sacramento carnalem esse præsentiam necesse est. Primùm iam antea ex Lyrani sententia diximus, quæ Christus ad Capernaitas verba habuit, ea nihil ad sacramentum, sed ad spiritualem tantùm corporis Christi manducationem pertinere, quæ profectò omnipotenti diuini spiritus virtute perficitur.

Nico. Lyran. in Psal. 100.

Deinde, num cunctis persuasum esse cupit Hardingus, nisi Christi corpus carnaliter fuerit in sacramento, ita vti ipse fingit, non fore Deum omnipotentem? Sanè veteres catholici patres hanc Dei omnipotentiam in aqua Baptismi agnoscunt, cum tamen Christus nõ iccirco realiter in aqua insit. Chrysostomus inquit: *Cum baptizaris, sacerdos te non baptizat: sed Deus est, qui caput tuum inuisibili potentia continet: & nec Angelus, nec Archangelus, nec vllus alius audet accedere, & tangere.* Augustinus ait: *Paulus baptizauit tanquam minister: Dominus baptizauit tanquam potestas.* Iterum: *Nec ita baptizare cessauit Dominus: sed adhuc id agit: non ministerio corporis, sed inuisibili opere maiestatis.* Sic quoque ait Leo episcopus Romanus: *Christus dedit aquæ, quod dedit Matri. Virtus enim altissimi & obumbratio spiritus sancti, quæ fecit vt Maria pareret saluatorem, eadem facit, vt regeneret vnda credentem.* Ex his testimoniis Christum in aqua baptismi arcanam suam & infinitam virtutem exercere constat, neque tamen proinde dixerit Hardingus, Christum esse carnaliter & realiter in aqua baptismi præsentem.

Chrysosto. in Matth. homil. 51. Augustinus in Ioan. tract. 5: August contra literas Petiliani. lib. 3. ca. 49. Leo de natiuitate. sermo. 4.

Quapropter quod ad carnalem hanc præsentiam in sacramento confirmandam, Christi omnipotentiam intulit Hardingus, in eo operam lusit.

Hardingus. 5. Sectio.

EX his atque aliis compluribus scripturæ locis disertè confirmantibus Christum in cœna sua corpus suum discipulis suis dedisse, videlicet, illud ipsum corpus, quod postero die crucifixum est, [a] *sancti ac docti ecclesiæ patres non sine ratione adducti sunt, vt Christi corpus in sacramento realiter, substantialiter, corporaliter, carnaliter, & naturaliter præsens adesse dicerent. His autem aduerbiis veritatem tantùm existendi non viam aut modum existendi significarunt. Quanquam verò ista loquendi forma non sit hoc modo expressa in scriptura, ex illa tamen est deducta. Nam si Christus loquutus est apertè,* [b] *nullo tropo, figura, aut metaphora vsus, quod ipsa scriptura humiliter credenti cumulatè declarat, ac se à discipulis suis voluit intelligi, ita vt ipse est manifestè loquutus, cum diceret:* Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, *tum nobis licet affirmare, esse verum ipsius corpus in sacramento, idque* realiter, *hoc est,* reuera, substantialiter, *hoc est, in substantia,* corporaliter, carnaliter, ac naturaliter. *Per quæ vocabula intelligimus verum illius corpus, veram illius carnem, ac veram humanam illius naturam ibi adesse, non corporali, carnali, aut naturali modo, sed inuisibiliter, inenarrabiliter, miraculosè, supernaturaliter, spiritualiter, diuinè, denique secundùm modum, non nisi ipsi soli cognitum.*

a Falsum: nullus enim ex antiquis patribus hisce vnquam vocabulis vsus est ad hanc causam.
b Falsum: ipse enim Hardingus fateri cogitur permultas in iisdem verbis inesse figuras.

Episcopus

Episcopus Sarisburiensis.

EX his verbis, *quæ Christus in vltima cœna ad discipulos loquutus est*, *Hoc est corpus meum*, *manifestum est* (inquit Hardingus) *illum dedisse eis ipsissimum illud corpus*, *quod sequente die crucifixum est*: *Patrésque iustissima ratione adductos fuisse, vt corpus Christi realiter esse & carnaliter in sacramento dicerent.* Hoc argumenti genus dialectici *petitionem principij* appellant, cum quod dubium est, & in quæstionem vocatur, ipsúmque probatione eget, ad fidem faciendam adducitur. Pueros fortassis in fraudem impellere possit hæc fallacia: verùm eruditis ineptissima semper visa est argumentandi ratio. Ordo atque forma in ea vitiosa est: antecedens nullam habet probationem: consequens falsum est, vt patebit.

Hardingus inquit: *Hæc verba*, *Hoc est corpus meum*, *sine omni metaphora*, *tropo*, *aut figura esse accipienda*, ita prorsus vt ipsa verba sonant. Sic Hardingus sua tantùm vnius fide subnixus statuit. Veteres autem catholici ecclesiæ doctores, quorum tantam se copiam habere iactat, nunquam ita docuerunt. Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Basilius, Tertullianus, & alij sacramentum vocant figuram, tesseram, signum, exemplum, imaginem, similitudinem, commemorationem: quemadmodum pòst loco magis opportuno luculentiùs à nobis dicetur, vbi ad articulum huius quæstionis proprium peruenerimus. Ipse adeò Scotus, cum nonnullis aliis scholæ Papisticæ magistris, non ignorauit, quin si nudam literam sequeremur, necessariò nobis dicendum esset, *Panem ipsum esse Christi corpus.* Sic enim verba habent: Hic (panis) est meum corpus. Quod imprimis absurdum ac naturæ repugnans esset. Huic vt malo medeantur, Christum, quando accepto pane dixit, *Hoc*, non de hoc pane loquutum docent, sed de *Indiuiduo vago*, quod vocant, quod certum quiddam est *in genere*, sed quale quid sit ignorant: certi modò sunt panem non esse. *Est* interpretantur pro *Erit.* Tum *Erit.* hoc est, *transsubstantiabitur*: id est substantia huius indiuidui vagi omnibus ignoti, in mei corporis substantiam mutabitur. *Traditur* interpretantur pro *Tradetur*: *Frangitur*, pro *Frangetur*: *Facite hoc*, pro *Sacrificate hoc*: *Hic panis*, pro *Hoc quod fuit panis.* Cúmque hæc verba, *Accepit*, *Benedixit*, *Fregit*, *Dedit* apto ordine se inuicem consequantur, & eundem casum omnia regant, illi huiusmodi construendi formulas coguntur excogitare: *Accepit panem*, *cúmque benedicendo*, *prorsus aboleuit*, *ac in illius locum substituit aliam quandam substantiam.* *panis accidentia*, *seu species fregit*: *corpus suum dedit.* Ex his ita paucis Christi verbis has tam multas nobis figuras, aliásque plures confinxerunt, vt pòst loco aptiore ostendemus. Hæc cum ita sint, tamẽ Hardingus dicit, hæc Christi verba necessariò scilicet accipiẽda esse, vti omnino τὸ ῥητὸν prę se fert. *Atque hoc*, ait, *humiliter credenti satis est.* Quanquam Christiana humilitas non errore, sed veritate nititur. Et Augustinus ait, quem locum suprà allegauimus: *Ea demum est miserabilis animæ seruitus, signa pro rebus accipere.* Origenes etiam antiquus ille, ac eruditus pater inquit. *Si secundùm literam sequaris id, quod dictum est* (*nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*) *litera illa occidit.*

Hoc. Est. Erit. Traditur. Frangitur. Facite. Panis. Accepit. Benedixit. Fregit. Dedit.

Augu. de doct. Christiana. lib. 3. cap. 5.
Orig. homil. 7. in Leuitic.

His ab ipso iactis fundamentis suam Hardingus conclusionem superstruit. *Ergo* (inquit) *licet nobis dicere Christum esse in sacramento Realiter &c.* Multa profectò dicere licet ei, qui quid à se dicatur, susque deque habet. Quòd si verò veterum sanctorum patrum dicta dicendo imitari velit, tum ei dicendum est: *Hoc est corpus meum*, *hoc est*, *Figura corporis mei.* Sic enim vetus atque eruditus pater Tertullianus dicit. Tum ei porrò dicendum est: *Christus corporis sui figuram discipulis suis commendauit.* Nam ita Augustinus dicit. Tum præterea dicere oportet: *Sacramentum corporis Christi secundùm quendam modum corpus Christi est.* Sic enim iterum Augustinus habet.

Tertul. contra Marcio. lib. 4.
Aug. in Psal. 3.
Aug. ad Bonif. epist. 23.

Hîc Hardingus cum huius doctrinæ incommoda atque absurda reputaret, illis omnibus medicinam atque emplastrum adhibere conatus est. Per hæc verba: *Realiter*, *carnaliter &c.* *Patres* (*inquit ille*) *intellexerunt verum Christi corpus atque carnem ibi esse*, *non naturali*, *sed carnali modo.* Sic nempe quos citatis doctores, aliud intellexerunt, aliud scripserunt. Etenim non potest ignorare Hardingus, aduerbia omnia à nominibus deducta, qualitatem semper significare, nunquam substantiam: quod pueri statim edocentur, cum primùm erunt Grammaticalem ludum ingressi: atque illa sic possunt resolui: *Viriliter*, *virili modo*: *muliebriter*, *muliebri modo.* Et proinde ipsi canonistæ proprio quodam & suo dicendi genere scribunt, *Deus non est remunerator nominum*, *sed Aduerbiorum.* Hoc nempe sentiunt, Deum non factum ipsum, sed modum agendi spectare. Sed Hardingus tantum sibi se vendicare posse putat, vt ei licitum sit leges Grammaticas iure quodam suo contemnere. Nisi enim ex nominibus aduerbia, rursum ex aduerbiis nomina faciamus, horum hominum theologia non potest salua consistere. Quapropter vt illi nouam excogitarunt theologiam: ita nostris pueris noua nunc est discenda grammatica, vt in illorum gratiam aliquid conferatur.

Quinam verò tandem isti sunt veteres eruditi patres, qui Christi corpus *realiter & carnaliter* asserunt in sacramento esse? Vbi sunt illorum verba? Quæ nomina sunt? Si neque nomina, neque verba habent, quî possunt testium locupletum numero censeri? Optimè nouit Hardingus nunquam ita loquutos esse veteres patres, & tamen non causas modò fingit, quibus commoti sunt, vt ita loquerentur, sed etiam horum dictorum interpretationes adfert. Sic olim Montanus ille captus oculis senator, cum Tiberio Cæsari in cœna adesset, vehementer laudauit mugilem illum, quem in mensa appositum audiuerat, & studiosè quàm rotundus, quàm pulcher, quàm pinguis

esset, quàm patenam oneraret, vt iaceret ostendebat: conuersa semper facie & intento digito ad superiorem mensæ partem, cùm non in ea tamen esset mugil, sed infrà in vltima mensa. Est omnino rationi consentaneum, vt antea Hardingo de re ipsa constet, quàm rei causam quærat.

Hardingus. 6. Sectio.

a Falsum: hisce enim vocabulis nunquã vsi sunt patres.

b Falsum: Præter.n. Augustinum, Hieronymũ, Ambrosiũ, atque alios Ioã. Scotus, & Bertramus de ista scripserunt, ducentis ante Berengarium annis.

c Falsum: Veteres enim nũquã hac in causa vsi sunt.

a *Patres quidem impulsi fuerunt, vt his vterentur vocabulis, non solùm quò magis perspicuam ac dilucidam veritatis expositionem haberemus, verùm etiam, quò hæreticorum obiectionibus occurri posset. Quandoquidem autem catholica fides de corporis Christi in sacramẽto veritate per mille annos post Christum in cœlos sublatum à nemine fuit oppugnata, circa annum verò millesimum Berengarius* b *primus nefarium Sacramentariæ hæreseos semen apertè spargere cœpit, quæ statim ab eruditis hominibus refutata, & ab ipso etiam authore abiurata, nunc denuo non minùs flagitiosè, magis etiam studiosè quàm antè diuulgatur: Doctores, qui post illa tempora in veritatis fideique catholicæ hac in parte defensionem scripserunt, vocabulis illis suprà commemoratis* c *sæpius fateor vsi sunt, quàm illi antiqui patres, qui intra sexcentos post Christum annos à Iuello positos viguerunt. Neque tamen dubium est, quin illi quoque eadem vsurpassent, si hæc controuersia in illorum ætates incidisset. Quanquam vt verum sit, inusitata ac noua esse hæc vocabula, vtpote ante quingentos hosce annos nunquam audita, & populum post Christum annos sexcentos nunquam fuisse sic edoctum, quemadmodum Iuellus confidentiùs quàm veriùs affirmat, in quo temerarius magis quàm consideratus videatur: tamen fides, quam illi aperuerunt, ac illustrarunt, vniuersalis est, & vetusta ipsam videlicet Dominicam cœnam vetustate æquans, in qua sacramentum hoc primùm fuit institutum.*

Episcopus Sarisburiensis.

IMperitum simplicémque lectorem Hardingus in fraudem inducere, causámque nudis eruditorum patrum titulis ac nominibus subnixam facilè se posse obtinere confidit. Quid autem istuc est inauditi mysterij? Nominibúsne, vt dixi, carent Hardingiani doctores? An suos ipse patres nominibus suis appellare nequit? Quin eos suis vniuersis, vt solet, circunstantiis ornatos eduxit? Quin & qui essent, & quando, vbique viuerent, & quæ scriberent, & quid de iis semper eruditi senserint exposuit? Nimirum satis intellexit omnes istos optimos patres intra ducentorum aut trecentorum annorum ambitum vixisse: quales sunt, Thomas, Scotus, Ockamus, Henricus de Gandauo, Robertus de collo torto, & alij istis consimiles. Hi sunt, quos dicit Hardingus, præclari patres, à quibus recentem hanc disciplinam hausit, indigni profectò, qui cum Augustino, Hieronymo, Chrysostomo, Ambrosio comparati, vel filiorum nominibus appellẽtur. *Verùm catholica de sacramento fides* (inquit Hardingus) *per mille annos inuiolata permansit. Berengarius primus cœpit sacramentariæ hæreseos semẽ spargere.* Verisimile est Hardingum non admodum curare, quàm sibi conuenientia & consentientia loquatur. Etenim antè in primo Articulo, vt causæ suæ inseruiret, Messalianos vocauit primos huius hæreseos parentes. Nunc videtur aliter sentire, nec natam istam hæresin dicere ante sexcentos annos post extinctos Messalianos, primúmque eius authorem extitisse Berengarium. Verùm Hardingus facilè potuit intelligere quendam nomine Ioan. Scotum, hominem doctrina excellentem, Bedæ auditorem, & Bertramum quendam, quemadmodum ex illius scriptis constat, eandem tenuisse ac propugnasse sententiam imperante Lothario, ducentis ante Berengarium annis. Quapropter non perinde videtur esse exploratè verum atque Hardingus statuit Berengarium fuisse primum huius disciplinæ magistrum: Quò lucis nonnihil ad hanc causam adiiciamus, necessarium erit omnem de hac re Berengarij sententiam exponere: tum deinceps eiusdem sententiæ refutationem contemplari: Sic itaque scripsit Berengarius, quemadmodum capitalis illius aduersarius Lanfrancus de eo memorat: *Per consecrationem altaris panis & vinum fiunt sacramentum religionis, non vt desinant esse, quæ erant, sed vt in aliud mutentur, & fiant quæ non erant, quemadmodum beatus Ambrosius scribit. Et sacrificium ecclesiæ ex duabus rebus constat, altera visibili, altera inuisibili: hoc est, sacramento, & re, seu substantia sacramenti. Quæ tamen substantia, hoc est, corpus Christi, si sub oculis esset, visibile esset. Cum verò in cœlos sublatũ sit, atque ad Dei patris dextrã sedeat, donec omnia restituantur, secũdum Apostoli Petri verba, nõ potest inde deuocari. Quapropter Augustinus ait: Quãdo Christus mãducatur, vita manducatur, nec quãdo manducamus, partes de illo facimus. Rursus etiam Augustinus habet: Sacramentum est sacrum signum. Quid autem vocabulum hoc (signum) velit, exponit in libro de doctrina Christiana: Signum est res, præter speciem, quàm ingerit sensibus, aliud quiddam faciens in cogitationem venire. Iterum ad Bonifacium: Nisi sacramenta similitudinem quandam haberent earum rerum, quarum sunt sacramenta, omnino sacramenta non essent. Iterum: Sacramenta sunt visibilia rerum diuinarum signacula, sed res ipsæ inuisibiles in eis honorantur. Nec sic habenda illa species sacerdotis benedictione consecrata, quemadmodum habetur in vsu quolibet.* Hæc est Berengarij sententia, & verbis & menti sanctorum patrum consentiens, atque ex iisdem confirmata, ac stabilita. Nunc quemadmodum ea refutata fuerit videamus. In Concilio Romæ celebrato sub Papa Nicolao secundo Berengarius ad hunc modum canere palinodiam coactus est: *Credo corpus Domini nostri Iesu Christi sensualiter, & in veritate manibus sacerdotum tractari & frangi, & fidelium dentibus atteri.* Hic consensus fuit, hoc iudicium illius concilij. Et quid de eo sentit Hardin-

Sectio 33.

Ioan. Scotus. Bertramus.

Lanf. de sacramen. Eucharist. Ambr. de sacr. lib. 4. cap. 4. Sacramentum, & res sacramenti.

Acta Aposto. cap. 3. Augu de consf. Distin. 2. Qui manducas. Aug. de doctr. Christiana. Aug. ad Bonif. epist. 23. Aug. de catechizand. rudi.

De consec. dist. 2. Ego Bereng. Hæc horrenda blasphemia est.

Hardingus? Ipsa profectò barbara glossa, & reprehendit, & de eo lectorem admonuit: *Nisi sanè intelligas verba Berengarij, in grauiorem incides hæresin, quàm ille tenuit.* Atque hoc modo isti patres suorum confessione grauius erratum inducunt, vt leuius corrigant: ac disertis verbis, in Concilio generali, per solennem παλινωδίας formam, maiorem hæresin profitentur, quàm, vel ipsis testibus, est vlla à Berengario defensa. Glosa ibidem.

Prætereà si verè sit hæc catholica fides, quàm esse catholicam Hardingus cupit omnibus persuasum, sique Bertramus & Ioannes Scotus, clari & docti viri palam contra ipsam scripserint, in quo omnibus suum iudicium probauerunt, nec fuerunt à quoquam apertè reprehensi, idque ducentis annis ac ampliùs ante natum Berengarium: ipse secum cogitet, cum dixit, hanc fidem nunquam à quoquam ante Berengarij tempora oppugnatam, veréne an fidenter, temerè an consideratè dixerit.

Verùm quàm Hardingus catholicam appellat fidem reuera nihil aliud est quàm catholicus error, quódque ei contrarium est, semper fuit ab omnibus antiquis & eruditis patribus propositum ac defensum, id quod facilè ex illorũ scriptis, quorũ aliqua sunt à nobis iam antè citata, & pòst alia proferentur licet intelligere. Quis verò dubitet, quin qui iam Berengarium, quòd manifestis veterum patrum verbis ac interpretationibus vsus esset, condemnarunt, iidem etiam Augustinum, Hieronymum, Ambrosium, & cæteros æquè condemnassent, nisi horum nomina fidei, atque authoritatis plena eos deterruissent.

Doctores, qui post Berengarium vixerunt (ait Hardingus) *crebriùs vsi sunt his vocabulis realiter, carnaliter, &c. quàm veteres illi, qui intra sexcentos pòst Christum annos floruerunt.* His tam paucis verbis Hardingus magnum mendacium artificiosè complexus est. Illud enim comparatiui gradus nomen *(crebriùs)* positiuum suum infert. Hic igitur sensus erit, antiqui Doctores crebrò vsi sunt his nominibus, *realiter, carnaliter, &c.* quanquam non perinde crebrò ac alij recentiores. Sed istud esse falsum Hardingus nouit: nam neque adhuc commonstrauit, neque omnino commonstrare valet, quenquam ex omnium veterum scriptorum numero, vnquam aliquod horum vocabulorum vsurpasse in hac de sacramento quæstione. Vnde sic rectè licet argumentari: veteres catholici patres de sacramenti substantia disserentes, nullo vnquam vsi sunt horum vocabulorum, realiter, carnaliter, &c. Ergo verisimile est eos populum nunquam docuisse, vt Christi corpus realiter, & carnaliter in sacramento præsens adesse crederent. Contrà, in suis homiliis, sacramentum appellarunt signum, figuram, commemorationem corporis Christi: Ergo, probabile est eos voluisse populum catholicum ita sentire, ac credere de sacramento.

Hardingus. 7. Sectio.

PRiusquam ad veterum patrum locos recitandos accedam, quibus eadem doctrina continetur iisdem vocabulis explicata, quam tenet ecclesia catholica, quod ad hunc articulum attinet: ne nostra forsan opinio cuiquam nimiùm carnalis & crassa videatur necessarium censeo paucis exponere, quale verum corpus ac sanguis insit in sacramento. Christus in seipso vnicam tantùm habet carnem & sanguinem in substantia, quæ ex virgine Maria semel accepit ipsius Deitas, neque pòst vnquam deposuit. Hæc tamen vnica caro & sanguis duplicis qualitatis respectu, duplicem quoque rationem habet. Cùm enim Christus in terra degeret inter homines humana figura præditus, fuit eius caro humani generis fragilitati subiecta, peccatum & ignorantiam excipio. Hanc carnem morti obnoxiam milites à Iudæis concitati in crucem egerunt. Talis etiam sanguis è corpore morientis effluxit, sub eorum qui tunc præsentes aderant conspectu. Postquam autem Christus est è mortuis excitatus, manet eius corpus semper immortale, ac viuidum nulli infirmitati, nulli passioni, ne dum morti obnoxium: sed diuinis donis ornatum, spirituale ac diuinum corpus euasit, vtpote cui Deitas proprietates diuinas ac prærogatiuas, quæ captum humanum longè superant, impartiuit. Hæc caro atque hoc corpus, quod nonnulli doctores spirituale & Deificatum corpus *vocant, nobis in sacramento donatur. Hæc est ecclesiæ doctrina ab Hieronymo in suis in Epistolam ad Ephesios commentariis exposita, cuius hæc sunt in eo loco verba:* Dupliciter verò sanguis & caro intelligitur, vel spiritualis illa atque diuina, de qua ipse dixit, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: Et, nisi manducaueritis carnem meam, & sanguinem biberitis, non habebitis vitam æternam: vel caro, quæ crucifixa est, & sanguis, qui militis effusus est lancea. *Atque ne quis existimet hanc differentiam ad substantiam carnis ac sanguinis referendam esse, non tantùm ad qualitatem, Hieronymus à nostra carne similitudinem accipit, vtpote de qua duplici respectu, dictum fuit:* Iuxta hanc diuisionem & in sanctis etiam diuersitas sanguinis, & carnis accipitur: vt alia sit caro, quæ visura est salutare Dei, alia caro, & sanguis, quæ regnum Dei non queant possidere. *Quæ sanè duplex carnis, & sanguinis conditio indoctis atque illiteratis inter se prorsus contraria videatur. Sed hunc nodum Paulus in 15. capite prioris ad Corinthios epistolæ incidit, inquiens, Eiusmodi caro, qualem nos in hac vita circumferimus, terrestrem, mortalem, fragilem, ac animæ molestam, non potest regnum Dei possidere, quia corruptio non possidet incorruptionem. Post resurrectionem verò carnem recipiemus spiritualem, gloriosam, incorruptibilem, ac immortalem glorioso Christi corpori figura similem, quemadmodum Paulus ait:* Oportet hoc corruptibile corpus induere incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem. *Tunc talis caro, siue caro nostra istis qualitatibus prædita, regnum Dei possidebit, ipsúmque Deum intuebitur. Tamen caro nostra, quæ nunc corruptibilis, tunc incorruptibilis futura est, vnam habet eandémque carnis substantiam, qualitate & pro-*

Lib. 1. ca. 1.

Luc. 3.
1. Cor. 15.

prietate diuersam. Ita quoque nobis de Dominica carne censendum est, vt diximus. Accurata huius differentiæ contemplatio, non parum lucis huic quæstioni adfert, multásque teterrimas blasphemias in hoc sanctissimum sacramentum iactatas compescere debet.

Episcopus Sarisburiensis.

HIc cerebrum Hardingus suum in labore minimè necessario vehementer exercuit, ac tandem sibi ipsi aduersa conclusit. Nam quod Dei filius factus sit homo, nobis similis, infirmitatibus ac miseriis huius caducæ vitæ subditus, quódque vt ipse in Psalmo quodam conquestus est, *vermis fuit, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis:* quódque Deus pater illum pòst ad summam gloriam extulit, & supra omnes potestates ac principatus euectum ad dextram suam collocauit, dedítque illi nomen, quod est supra omne nomen, ac eum spirituali & glorioso corpore donauit, illúdque Deitati vniuit, atque illum honore & gloria affecit: Hæc, inquam, omnia infantibus & pueris, qui modò piè fuerunt educati, & prima didicerunt fidei rudimenta, sunt cognita: apud nos autem pro tam exploratè veris habentur, vt Christum credamus mortalia nostra corpora immutaturum, & similia suo glorioso corpori facturum. Ac proinde Augustinus ait: *Corpus Domini pro ipsa cœlesti habitatione cœlestem accepit mutationem, & hoc nos in die vltimo sperare iussi sumus. Ideò dicit Apostolus: Qualis cœlestis, tales & cœlestes, id est immortales, non solùm animis, sed etiam corporibus.* Hic longè suauissimus est fidei nostræ articulus atque ideò apud nos, aliósque omnes fideles, nullam prorsus dubitationem scrupulúmue habet.

Psal. 21. Ephes. 1. Phil. 2.

Philip. 3. Augu contra Adim acap. 13. 1. Cor. 15.

Stephanus Gardinerus vnus, qui propter suam in suscepta religionis opinione constantiam ac perseuerantiam, Constantij sibi ipsi nomen imposuit, palàm edito libro confirmauit Christum nondum plenam ac perfectam gloriæ possessionem adiisse. Hæc sunt illius verba: *Tempus humilitatis Christi in conuersatione visibili, & terrena præstandæ planè præteriit: sed humilis dispensationis tempus eò vsque manet, donec tradiderit regnum Deo & patri.* Atque ita eorum alij dicunt, *Christi corpus esse Deificatum:* Alij asserunt, adhuc esse in dispensatione ac humilitatis conditione, proindéque nondum esse *Deificatum.* Videtur ergo nondum inter eos conuenire, quàm magnam, quámue exiguam corpori Christi gloriam tribuant.

Mar. Antonius Constantius ad obiectū 144.

Neque sanè certam aliquam habent, qua dirigantur, quámque sequi possint regulam: sed tantùm: vt occasio fert, ad amouendas vtcunque obiectiones quiduis coguntur accipere, seu verum, seu falsum, modò illorum proposito inseruiat. Non ineptè in illos licet vsurpare, quod olim Augustinus in Faustum Manichæum hæreticum dixit: *Dices, hoc pro me facit: illud contra me. Tu es ergo regula veritatis. Quicquid contra te fuerit, verum non est.*

Augu. contra Faust. Manich. lib. 11. cap. 2.

Sed quorsum Hardingus de spirituali corporis Christi conditione mentionem facit? An est oblitus veterem illum hæreticum Eutychem Abbatem, sua eodem modo somnia stabilisse, ac in eo turpiter errasse? *Christi corpus* (aiebat ille) *gloriosum est: iccirco in ipsam substantiam, ac Dei naturam mutatur, nec vllam ampliùs figuram, aut proportionē corporis habet.* Vetusta hæc hæresis est, à Leone, Gelasio, aliísque antiquis patribus iam olim refutata, & à Concilio Calchedonensi damnata, éstque non multùm dissimilis huic, quam Hardingus tuetur, nisi fortè planè sit eadem. Nos credimus, corpus Christi immortalitate, splendore, luce, gloria donatum esse: nihilominus idem corpus manere, quod antè fuit. Ideò Augustinus dicit: *Corpus Domini secundum substantiam etiam post resurrectionem caro appellata est.* Et rursus: *Dominus corpori suo immortalitatem dedit: Naturam non abstulit.*

Eutyches in Cōcil. Calch.

Aug. retract lib. 1. cap. 22. Augu. epist. 57. ad Dardanum.

Quanquam autem quidam veterum patrum Christi corpus *Deificatum* vocant, quemadmodum est ab Hardingo explicatum, non tamen intelligunt ipsum illud corpus mutatum esse, ac in diuinam naturam transiisse, Deúmque factum esse, vt iam naturale corpus esse desinat, sicuti genuina ac propria illius vocabuli significatio præ se fert. Nam vt est verum, Deum factum esse hominem, similiter eodem planè sensu, verum etiam est, hominem factum esse Deum salua & incolumi vtriúsque naturæ substantia. Patres igitur Christi corpus *Deificatum* seu Deum factum esse dicunt, quia persona & gloria diuinæ naturæ coniungitur. In hunc modum Augustinus, etsi non in eundem omnino sensum, dicere videtur, homines quoque *Deificatos* esse. Sic enim scribit: *Homines dixit Deos, & gratia sua Deificatos, non de substantia sua natos.* Sic inquit Dionysius: *Pontifex ille mutatur in Deum.* Itidem Cyprianus scripturas nuncupat *Deificas.* Clemens quoque Alexandrinus ait: *Sacræ literæ nos Deificant.* Hæc atque alia huiusmodi verba non ita sunt accipienda, quasi homines naturalem suam substantiam amitterent, & in Deorum naturam verè abirent perinde vt habent verborum momenta: sed tantùm homines diuinis esse virtutibus ac qualitatibus imbutos, & sic esse Dei filios constitutos designant. Quod ipse quoque Dionysius testatur: *Hæc mutatio nostri in Deum, est Dei in nobis similitudo, quantam capere natura potest.*

Aug. in Psal. 49.

Diony. de eccl. Hierar. cap. 1. ἔχει θεωθῆναι. Cypri. de zelo & liuore. Et lib. 2. epist. 8 Clem. in protreptico. Diony. de eccl. Hierar. cap. 1.

Verùm Hieronymus inquit: *Christi corpus dupliciter intelligi & accipi potest, vel pro spirituali ac diuina eius carne, vel pro mortali carne, quæ crucifixa fuit:* in quo existimatur multum ad Hardingi causam conferre. Antequam ad hoc respondeo, peto à te, benigne lector, hoc vt vnum expendas, Hieronymum in toto illo loco nullum omnino verbum de sacramento, nec de reali vlla aut carnali præsentia facere: proinde parum ille locus ad defensionem Hardingianam facit. Horum modò Pauli verborum sensum explicat: *Per sanguinem illius redemptionem habemus:*

Ephes. 1.

atque

atque illius sententia, quemadmodum ex ipso verborum instituto animaduerti potest, hæc est, videlicet salutem, quam sumus in Christo adepti, non in eo positam esse, quòd Christus homo verè naturalis fuerit, quales extiterunt Codrus, Decius, Curtius, aut huiusmodi alij, qui pro incolumitate atque libertate patriæ mortem oppetierunt: sed in eo sitam esse, quòd illius humana natura in vnam cum diuina naturam coaluerit. Illius hæc sunt verba: *Quis iste, aiunt, tãtus ac talis, qui possit pretio suo totum orbem redimere? Iesus Christus, filius Dei proprium sanguinem dedit, & nos de seruitute eripiens libertate donauit. Et reuera, si historiis Gentilium credimus, quòd Codrus, Curtius, & Decij Mures pestilentias vrbium, & fames & bella, suis mortibus represserint: quanto magis hoc in filio Dei possibile iudicandum est, quòd cruore suo non vrbem vnam purgauerit sed totum orbem?* Mox deinde sequuntur, quæ recitauit Hardingus verba: *Dupliciter verò sanguis, & caro Christi intelligitur.* Ex verbis illis eo ordine præcurrentibus, non est difficile, quid Hieronymus spectarit ac voluerit, cognoscere: nempe nos nostram in Christo salutem habere nos Christum edere & bibere, & per illum viuere, non quòd mortalis tantùm extiterit eius caro, & crucis mortem subierit, sed quòd spiritualis fuerit, & diuina, id est, caro filij Dei. In hoc fuit illa non mediocris contentio posita, quæ Cyrillo, & aliis sanctis patribus cum Nestorio intercesit: quemadmodũ docti non ignorant. Iccirco dixit Paulus, *Quod iam viuo in carne, in fide viuo filij Dei.*

Hiero. ad Eph. cap. 1.

Galta. 2.

Quapropter licet Augustinus dicat, *Christus crucifixus est, lac sugentibus, & cibus proficientibus:* Et Angelomus, *Christi corpus fœnum est, quo Gentiles pascuntur:* Hi tamen, atque alij omnes huiusmodi loci non de mortali tantùm carne sunt accipiendi, sed de carne filij Dei, quam Hieronymus diuinam, & spiritualem vocat quòd ὑποστατικῶς & inseparabiliter diuinitati coniuncta sit.

Augu. in Ioan. tract. 88. Angelomus in 1. Reg. cap. 1.

Præterea Hieronymi sententia est eandem hanc Christi carnem, quæ diuina est, & spiritualis, spiritualiter quoque sumi oportere, non carnali aliquo modo quemadmodum hîc Hardingus somniat. Quantumuis enim Christi corpus spirituale sit, non tamen ex eo potest Hardingus euincere opinionem suam non esse *nimiùm crassam, & carnalem*, vt ipse loquitur,. Nam Manichæi, & Messaliani hæretici crassas & carnales de Deo ipso cogitationes habuerunt, etsi Deus spiritus tantùm sit, maximéque spiritualis. Iccirco Augustinus de illis ait: *Ecce ego derideo carnales homines, qui nondum possunt spiritualia cogitare.*

August. contra Epist. Fundam. cap. 23.

Huic Hieronymus ipse fidem facit, vbi ait: *De hac quidem hostia, quæ in Christi commemoratione mirabiliter fit edere licet: De illa verò, quàm Christus in ara crucis obtulit, secundùm se* (hoc est, crassè & carnaliter) *nulli edere licet.* His verbis Hieronymus magnum esse discrimen ostendit inter sacrificium, quod in Christi cõmemorationem peragitur, & verum ipsum sacrificium, quod Christus in cruce perfecit. Sic Chrysostomus inquit: *Si carnaliter quis accipiat, nihil lucratur.* Sic etiam ait Augustinus, in loco antè à nobis citato: *Figura est, præcipiens passioni Domini communicandum esse, & suauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quòd Christus pro nobis mortuus sit.* Hoc est quod Hieronymus appellat, *Diuinam ac spiritualem Christi carnem manducare.* Proinde Clemens Alexandrinus non tantùm eodem sensu, sed verbis prope iisdem dixit: *Duplex est sanguis Domini: alter carnalis, quo redempti sumus: alter spiritualis, quo vncti sumus. Et hoc est bibere Iesu sanguinem, participem esse incorruptionis Domini.* Similiter Augustinus ait: *Iudas Christum carnalem tradidit, tu spiritualẽ: Furens Euãgelium sanctum flammis sacrilegis tradidisti.* Hîc Augustinus Christum appellat spiritualem, quia proditionis modus spiritualis fuit. Sic antiquus ille pater Clemens Alexandrinus, Christi sanguinem spiritualem vocat, non propter ipsius in se discrimen, sed tantùm quia spiritualiter percipitur. Opinor autem Hardingum non inficiaturum, quin ista clementis & Augustini verba, quæ tam prope & ad sententiam, & ad phrasin verborum Hieronymi accedunt, luculentam suppeditent nobis illorum expositionem. Equidem, vt Christi sanguis non adest *realiter*, aut sanguinolentè ad nos vngendos præsens, ita nec ad nutriendos. Ista enim nutritio, & ista vnctio vtraque spiritualis est. Ideo vetus ille, & eruditus pater Athanasius sic scribit: *Quomodo vnum vnius hominis corpus, vniuerso mundo sufficeret? Quod, tanquam in illorum cogitationibus versatum Christus commemorat. A quibus cogitationibus vt eos auocaret, quemadmodum paulò antè sui descensus è cœlis, ita nunc reditus sui in cœlum mentionem facit.*

De cõse. Dist. 2. De hac.

Chryso. in Ioa. hom. 47.

Aug. de doct. Christian. li. 3. cap 16.

Clem. Alexan. in pædagogo. lib. 2. cap. 2.

August. contra literas Petiliani.

Athan. de peccato in spiritũ sanctum.

Denique semel iterum admonendus mihi es, lector, Hieronymum in omni hoc loco nullum prorsus verbum fecisse neque de reali aut carnali præsentia, neque de sacramẽto Hardingus tamen veluti Hieronymus esset de vtroque disertè ac perspicuè loquutus, hoc inde argumentum colligit: *Hieronymus dicit, nos non comedere Christi carnem, quæ crucifixa est: Ergo Christi caro est realiter & carnaliter in sacramento.* Hoc argumentum primo statim aspectu discernitur, nec eget responsione.

Sic illud argumentum commodiùs fabricatur. Hieronymus nos carne Christi crucifixa vesci non posse confirmat: Ergo non possumus realiter & carnaliter carnem Christi comedere. Ex quo consequatur necesse est, ex ipso adeo testimonio, quo hîc Hardingus est vsus, corpus Christi nequaquam esse in sacramento *realiter & carnaliter.* Tantum scilicet causæ suæ patronum nactus est Hieronymum Hardingus.

Hardingus. 8. Sectio.

QVòd autem Iuellus negat Christianum populum antiquitus fuisse edoctum, vt Christi corpus realiter, substantialiter, corporaliter, carnaliter vel naturaliter in sacramento esse crederet, ego quidem

contra statuo. Fateor tamen doctos illos patres, qui ita * tradiderunt, non propterea voluisse videri eiusmodi ponere corpus Christi, quod externis sensibus hic percipi posset. Omnes enim cum Chrisostomo dicunt, rem quæ nobis hic datur, non esse sensibilem, sed sub signis aspectabilibus res nobis arcanas præberi. * Vocabulis tamen istis vti consultissimum iudicarunt, quò dubitationem omnem tollerent, de veri illius corporis præsentia in his sacris mysteriis & solam imaginationem, phantasiam, figuram, signum, tesseram, virtutem, vel significationem illius excluderent. Ita enim Sacramētarij suam hac de re disciplinam exposuerunt, vt ex sua loquendi ac scribendi forma Dominicum corpus verè absens repræsentare tantùm videantur, sicuti regum in tragœdiis, & mediocrium hominum fictæ personæ in comœdiis nonnunquam solent introduci. Modus quidem, per quem hic præsens adest, ac nobis datur atque à nobis percipitur, arcanus est, non humanus, non naturalis: verus tamen. Sumus autem eius participes non sensu, vel ratione, vel natura: sed fide. Proinde non abiecti sumus & demissi visibilium elementorum spectatores, sed vt sumus à Concilio Niceno edocti, mentem spiritúmque efferentes, in illa sacra mensa positum ac collocatum (ita enim vox sonat, κεῖσθαι. quo plus efficacitatis habeat realis præsentiæ significatio) agnum Dei, qui mundi peccata tollit, fide contemplamur. Atque hic (inquiunt illi patres,) nos pretiosum illius corpus ac sanguinem ἀληθῶς, id est, verè percipimus, quod nihil sanè aliud est, quàm realiter.

*Falsum antiqui enim patres nunquam ita tradiderūt.
* Falsum: vt priùs.
Homil. 83. in Matth. & 60. ad populum Antioch.
Mentem efferre.
Fide contemplari.

Episcopus Sarisburiensis.

ITerum nos Hardingus (vt antè fecit) hic docere conatur, quid antiqui patres per ea verba intellexerint, quibus ij nunquam vsi sunt. Arcana quadam diuinandi facultate præditum illum suspicor, qui tantùm sibi ipsi sumit, vt sensa hominum intelligat, priusquam erunt aliquid proloquuti. *Peritum esse necesse est eum* (inquit Cicero) *qui, silentium quid sit, intelligat. Patres* (ait) *vocabulis istis vsi sunt, quò dubitationem omnem de præsentia veri corporis Christi in sacris hisce mysteriis prorsus remouerent.* Quænam verò hæc tam proiecta audacia, tam sæpe, támque confidenter affirmare patres antiquos hæc vocabula vsurpasse, nec tamen vllum ex tanto numero in medium producere, qui semel illis vsus esse deprehendatur. Videri possit vel nimium sibiipsi confidere, vel omnem abiecisse lectoris sui curam. Nam inania illa Chrysostomi, Hilarij, Gregorij Nisseni, & Cyrilli nomina, ad terrorem duntaxat comparata, nullum profectò adiumentum illi subministrant, quemadmodum statim facilè apparebit. *Sacramentarij* (inquit Hardingus) *ad suam doctrinam exponendam, Figuræ, Signi, Tesseræ, significationis & virtutis vocabula adhibent.* Meum non est huic orationis acerbitati parem asperitatem referre. Tantùm de istis hominibus vsurpabo, quod olim Augustinus de Arianis habuit: *Cum se tanta voragine impietatis immergant, nos tanquam opprobrio noui nominis, Homousianos vocant: quia contra illorum errorem Homousion defendimus.* Quòd si verò *sacramentarios* omnes eos esse necesse est, qui hæc vocabula vsurparunt, tum Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, Ambrosius, aliique omnes sancti patres, apud quos eadem reperiuntur, pro sacramentariis damnandi erunt. Sin autem ij sacramentarij dicendi sint, qui sanctissimis sacramentis turpiter abutuntur, eáque corrumpunt, tum hoc nomen Hardingo, illiúsque collegis aptissimè congruit. Adiungit Hardingus è Chrysostomo: *In signis aspectabilibus res arcanæ præbentur: Ergo, corpus Christi realiter & carnaliter est in sacramento.* Primùm si Hardingus totam illam homiliam expendisset, fortassis ipsum Chrysostomum huius sacramentarij erroris reum egisset, æquè ac nunc alios facit. Nam de sacramento in eadem ipsa homilia sic scribit Chrysostomus: *Quando dicunt, vnde patet Christum fuisse immolatum, hæc afferentes mysteria, ora ipsorum consuimus. Si enim mortuus Iesus non est, cuius symbolum, ac signum hoc sacrificium est?* Sed vt redeamus ad rem: quàm verò leues quasque occasiones arripiunt isti homines imperitos decipiendi? Non potest Hardingus ignorare, Chrysostomum hæc verba non de sacramento tantùm corporis Christi, sed de omnibus aliis mysteriis communiter esse loquutum. Mox enim addit: *Sic & in baptismo per aquam, quæ res sensibilis est donum illud conceditur. Quod autem in ea conficitur, regeneratio scilicet, & renouatio, intelligibile quiddam est.* Quamobrem si Hardingus ex his verbis realem & carnalem præsentiam in altero sacramento concluserit, idipsum in altero fecerit est necesse.

Cic. de Diuin. 2
August. cōtra serm. Ariano. cap. 36.
Chrys. in Mat. hom. 83.

Quandoquidem autem horum sacramentorum, quæ æqualem omnino vim obtinent, alterum aduersarij nostri suis commentis freti, adeo amplificant, alterum verò ita deprimunt, vt cum illo ne conferendum quidem esse statuant, operæpretium esse censeo, paucis & obiter exponere, quid veteres catholici patres de abscondita Dei virtute in sacramento Baptismi scripserint, quod imprimis ad aperiendam Chrysostomi sentētiam plurimum faciet. Dionysius generaliter de omnibus mysteriis ita scribit: *Angeli Deum, diuinámque vim vt mentes, sicut eis fas est intelligunt: nos autem exemplis, imaginibúsque sensum mouentibus, ad diuinas contemplationes, vt possumus transferimur.* Patres Concilij Niceni sic aiunt: *Baptisma nostrum non sensibilibus oculis, sed mentalibus considerandum est. Aquam vides? Considera diuinam vim, quæ in aquis latet. Plenas sanctificatione, & diuini ignis cogita aquas.* Chrysostomus de baptismo similiter verba faciens, ad hunc modum loquitur: *Ergo non aspectu iudico ea, quæ videntur, sed mentis oculis. Dum baptismatis lauacrum audit, simplicem aquam sibi esse persuadet. Ego verò non simpliciter video, sed animæ per spiritum, purgationem.* Sic inquit etiam Nazianzenus: *Mysterium (Baptismi) maius est, quàm ea quæ videntur.* Sic Ambrosius: *Aliud est, quod visibiliter agitur: aliud quod inuisibiliter celebratur.* Itidem etiam alibi: *Ne solis corporis tui oculis credas: magis videtur quod non videtur, quia istud temporale, illud æternum est.* Denique hos inuisibiles

Dionys. Eccle. Hierat. cap. 1.
Concil. Nicen. πλήρη τοῦ θείου πυρὸς νόει τὰ ὕδατα.
Chry. in 1. Cor. cap. 2. hom. 7.
Ego non simpliciter video, quod video.
Nazia. de sancto baptism. μεῖζον τῶν ὁρωμένων ἐστὶ τὸ μυστήριον.

inuisibiles effectus spectauit Tertullianus, cum diceret: *Sanctus spiritus descendit, & aquam sanctificat.* Basilius, *Regnum cœlorum illic aperitur.* Chrysostomus, *Deus ipse in baptismo caput tuum inuisibili potentia continet.* Ambrosius, *Aqua habet gratiam Dei: in ea est præsentia Trinitatis.* Bernardus, *Lauemur in sanguine eius.*

Ex his tot veterum patrum testimoniis perspicuum est, in sacramento baptismi, per aspectabile signum aquæ inuisibilem Dei gratiam ad nos deriuari. Quapropter si ea Chrysostomi verba satis magnum habere pondus Hardingo videantur, ad carnalem stabiliendam in altero sacramento præsentiam, ex iisdem etiam æquè licebit ei confirmare virtutem, Dei, cœlestem ignem, gratiam & sanguinem Christi realiter & carnaliter in altero inesse. Hæc cum ita sint, tamen duas voculas in Niceno, vt ipse ait, Concilio editas nonnihil sibi allaturas præsidij confidit, nempe κεῖσθαι & ἀληθῶς: quarum quidem alteram, vel quòd non satis attenderet, vel ex consulto ipse excogitauit, & affinxit. Nam cùm vniuersum istud græcum testimonium hîc ab Hardingo citatum, in vetere illo probato Niceno Concilio nunquam fuit inuentum, sed paucis antè annis inuestigatum & editum: tum hoc vocabulum κεῖσθαι nunquam fuit in græco exemplari positum, neque vulgato illo, neque eo, quo Cubertus Tunstallus est vsus.

Ambr. de spiritu sancto. lib. 3. cap. 11. Ambros. de his qui initiantur Mysteriis. c. 3. Tertullian. de baptismate Basil. de sãcto baptismo. Chry in Matt. homil. 51. Ambros. de sacrament. lib. 7. cap. 5. Bernard. supra Missus est Gabriel. Serm. 3. κεῖσθαι ἀληθῶς. De Eucharistie lib. 1.

Sed tribuamus hoc nunc Hardingo, vt liberum ei sit aliqua fraude vti, & hic perinde facere, atque aliis in locis facere consueuit, quò causam suam meliùs exornet. Illud verò κεῖσθαι, quod *positum*, vel *situm esse* significat, nunquid tandem realem præsentiam necessariò demonstrat? Aut quando Paulus dicit: *Christus habitat in cordibus nostris per fidem*, hoccine intelligit, Christum realiter ac carnaliter in cordibus nostris collocari? Equidem, Hieronymus scribens ad Marcellam de sancto sepulchro, in quo Christi corpus conditum erat, hæc habet, *Quoties ingredimur in sepulchrum Domini, toties iacere in Sindone cernimus saluatorem.* In Calchedonensi etiam Concilio ita scribitur: *In qua scriptura duæ naturæ iacent?* Quibus in locis eadem illa vox vsurpatur, quam Hardingus ad Nicenum Concilium de suo adiecit. Opinor autem non proinde dicturum, vel duas Christi naturas realiter in scriptura contineri, vel verum Christi corpus carnaliter, & realiter in sepulchro conditum iacere. Deinde hoc vocabulum κεῖσθαι in propria significatione, & loci situm, & corporis descriptionem, & partium ordinem postulat: cùm tamen Hardingus ipse in Articulo sequente affirmet, corpus Christi *non aliqua locali præsentia hîc adesse, vel complendo, vel mutando locum.* Ex quo conficitur, Christi corpus non naturali quadam aut carnali præsentia in mensa poni.

Ephe. 3. Hieronym. ad Marcellam Conc. Calche. acti. 1. κεῖνται.

Illa Niceni Concilij verba nos à naturalibus tantùm & aspectabilibus panis & vini elementis reuocant, internum verò & spiritualem aspectum, mentísque contemplationem excitant. Verba perspicua sunt: *Ne proposito pani & poculo humiliter intenti simus.* Proinde Augustinus inquit: *In sacramentis fidelium dicitur, Sursum corda.* Quibus verbis admonemur in illa muneris functione nihil aliud, quàm Christum agnum Dei, qui peccata mundi sustulit, spectandum esse. Atque ideo Chrysostomus ait: *Aquilas in hac vita fieri nos oportet, & ad alta contendere, si ad hoc corpus accedere volumus.* Sic spiritualibus mentium nostrarum oculis agnum Dei contemplamur. Et vt Ambrosius ait: *Magis videtur, quod non videtur.* Quamobrem Augustinus ait, *In sacramentis videndum est, non quid sint, sed, quid ostendant. Signa enim rerum sunt, aliud existentia, & aliud significantia.* De Christi autem nostra in sacramento contemplatione sic non obscurè scribit: *Sic nos facit moueri, tanquam videamus præsentem Dominum in cruce.* Atque hoc est, quod Eusebius Emissenus scribit quem Gratianus citauit: *Vt coleretur iugiter per Mysterium: & perennis illa victima viueret in memoria, & semper præsens esset in gratia.* Hoc spirituali modo Christus in mensa præsens statuitur, non crasso illo & Carnali Hardingo. Iccirco Augustinus ad eos, qui cum fide communicant, in eandem sententiam dicit: *Vos estis in mensa, vos estis in calice.* Quapropter quo sensu Augustinus populum in mensa positum esse dicit, eodem prorsus Nicenum Concilium, agnum Dei in mensa iacere docet, non alio.

τῷ προκειμένῳ τῷ ἄρτῳ καὶ ποτηρίῳ. Augu. de bono perseuerantiæ. Chrysosto. in 1. Corinth. omil. 24. Ambro. de his qui initiantur mysteriis. Augu. contr. Maxim. lib. 3. cap. 22. De conse. dist. 2. semel Christus. Et in Psal 20. De conse. dist. 2. Quia corpus. Aug. in sermo. ad infantes. Citatur à Beda in. Cor. 10.

Alterum illum vocabulum Græcum, quod Hardingus arripit, est ἀληθῶς quod significat *verè*, atque hoc illius iudicio tantundem valet, ac *realiter*, seu *carnaliter*. Ita quanquam instar lasciui cuiusdam canis venatur, ac fusè latéque expatiatur, nec quicquam proficit, ad extremum tamen aliquid se nactum opinatur. In quo sanè miror, quod ipse suum non animaduerterit errorem. Non potuit enim tam ignarus esse, quin ista duo vocabula, *verè*, ac *carnaliter*, res diuersas admodum significare intelligeret, adeo quidem vt eo sensu, quo Christus est ad Iudæos loquutus, alterum eorum ab altero prorsus tollatur. Nam neque qui crassè, & sensibiliter dentibus & ore comedit, verè comedit, vt Christus intellexit: nec qui per fidem spiritualiter comedit, crassè & carnaliter comedit, quemadmodum Capernaitæ senserunt. Est itaque non mediocris stuporis, *verè* idem dicere, quod *carnaliter*. Quanquam Christi corpus spiritualiter per fidem comedere, est verè illud comedere: & quanto quisque spiritualiùs illud manducat, eo profectò veriùs manducat. Cæteroqui Christus ait: *Ego sum vitis vera.* Hieronymus populum fidelem vocat *vitam veram.* Cyrillus Christum appellat, *Verum Manna.* Hieronymus inquit: *Nos verè sumus vnus panis.* Origenes inquit: *Apostoli veri erant cœli.* Atque vt summatim dicam, ipsi consueuerunt ad paschalis cerei benedictionem accinere, *Hæc sunt festa Paschalia, in quibus verè agnus occiditur.* Ex his non ita multis exemplis & discrimen harum vocum, *verè* ac *carnaliter*, facilè cognoscitur, & complexionis Hardingianæ remissa ratio perspicitur. Vt enim Christum

ἀληθῶς. Ioan. 15. Hiero. in 2. ca. Hieremi. lib. 1. Cyril. lib. 3 cap. 24 in Ioan. Hiero. ad Gal. cap. 4. Orig. in Gene. cap. 1 hom 1. In Manuali.

verè comedamus, non tamen proinde nos crasse & naturaliter illum ore corporeo comedere consequitur: & vt Christus verè cibus sit, non ex eo tamē efficitur, vt realiter & carnaliter in sacramēto insit. Huius rei gratia Augustinus externum corporis officium prorsus abiicit. Illius sunt diserta verba: *Quid paras dentem, aut ventrem? Credere, & manducasti.* Rursus: *Credere in eum, hoc est manducare panem viuum.*

Augustinus in Ioan. tract. 26.

Hardingus. 9. Sectio.

DE vocabulis autem istis, & primùm de hoc, verè, siue [a] *quod idē est,* Realiter, *&* Substantialiter, *dignosci nobis à Iuello debere existimo, quòd illa vsurpemus, quandoquidem ipse Bucerus, vir in doctissimis illius religionis hominibus numeratus, eadem probauit, idque post varia contra Lutherum pro Zuinglio, & Oecolampadio edita ob eo scripta: postquam etiam instinctu diuino, de istius articuli veritate certior factus esset, quemadmodum ipse constanter affirmat:* Hæc non dubitamus (*inquit*) diuinitus nobis, & per scripturam reuelata de hoc sacramento: *Si quæras, vbi hoc inueniri possit, dico in gestis concilij cuiusdam inter Lutheranos, & Zuinglianos huius ipsius rei gratia VVittembergiæ habiti in ædibus Martini Lutheri, anno Domini 1536. in quo hæc verba reperies.* Audiuimus dominum Bucerum explicantem suam sententiam de sacramento corporis & sanguinis Domini, hoc modo: Cum pane & vino verè & substantialiter adest, exhibetur, & sumitur corpus Christi & sanguis. Et sacramentali vnione panis est corpus Christi: & porrecto pane verè adest, & verè exhibetur corpus Christi.

a Falsum; hæc enim vocabula noc sunt eadem.

In responsione ad Lutherum.

Quanquam autem hæc Buceri sententia, qua Zuinglianam hæresin, quam priùs tenebat, improbare se palam professus est, multis modis falsa sit, & hæretica, in hoc tamen catholicæ ecclesiæ suffragatur Bucerus aduersus negatiuam Iuelli assertionem, quòd corpus & sanguinem Christi in sacramento adesse dicat verè, hoc est, realiter, seu reuera, & substantialiter: [b] *in quo non aliter loquutus est, ac veteres patres ante mille olim annos loqui consueuerunt.*

b Falsum: veteres enim patres in hac causa de sacramēto nunquam sunt hoc modo loquuti.

Episcopus Sarisburiensis.

HActenus Hardingus nullum antiquum patrem, nullum vetus Concilium allegauit. Primùm omnium nunc tandem inuenit doctorem Bucerum, qui Cantabrigiæ mortuus est, anno Edouardi sexti quarto, anno verò Domini 1551. De eius autem hac in re iudicio, nihil dicam. Quibus ille rationibus permotus alteri parti conciliandæ concordiæ causa assensus sit, totum hoc Deo relinquo. Hoc tantùm rectè, veréque possum affirmare, si quidem Hardingus alium quenquam nancisci potuisset doctorem, nunquam eum fuisse à Bucero auspicaturum.

De illo autem fraterno & moderato colloquio, quod inter Lutherum, & Bucerum, & Melancthonem, & alios pios ac eruditos homines Germanos, in Academia Wittenbergensi institutum fuit, causam video nullam: quamobrem illud ita luderet, & cauillaretur Hardingus, eíque Concilij nomen ioco tribueret. Multò verò rectiùs iustiúsque suas in illud ineptum octo selectorum Cardinalium concilium iocationes conferre potuit, quod Romæ Paulo tertio Papa habitum fuit, anno Domini 1538. duobus post colloquium illud wittenbergense annis.

Concilium selectorum Cardinalium Romæ anno 1538.

Sic enim suffragia spectes, erant wittenbergenses numero plures: si eruditionem, superiores: si voluntates, illi pacem in veritate, & Dei gloriam quærebant: si exitum, Deus illorum incepta fortunauit, virésque & incrementum verbo suo addidit, quemadmodum hodie manifestè apparet: ob quod proinde perpetuis efferatur laudibus sanctissimum illius nomen. Isti autem octo lectissimi Cardinales post diuturnas consultationes & deliberationes susceptas, ea tamen errata ac vitia perquirendo inuestigarunt, quæ vel pueris erant nota, nec tamen eorum quicquam emendarunt. Si Hardingus Apostolorum ætate vixisset, illorum etiam fortassis concilium irrisione lusisset. Vbi enim, aut quibus in ædibus conuenerunt? Quis illis episcopus, aut Pharisæus ad fuit? Augustinus quidem colloquium & sermonem cum Pascentio Ariano contulit in priuata domo cuiusdam Anitij Hippone: in quo tamen fuit à nemine vnquam irrisus. Adeo nunquam desunt, qui Hierosolymarum instaurationem atque reædificationem cauillentur. Origenes inquit: *Inimici veritatis videntes sine Philosophia consurgere muros Euangelij cum irrisione dicunt, Hoc facilè posse destrui calliditate sermonum, & per astutas fallacias.* Veruntamen qui sedet in cœlo, illos vicissim ludet.

Aug. epist. 178. in domo Aniana.

Orig. in Cantica cantic. hom. 4.

Hardingus. 10. Sectio.

HVius rei testis sit Chrysostomus vnus instar multorum, quos liceret adducere. Illius hæc sunt verba: Nos secum in vnam (vt ita dicam) massam reducit, neque id fide solùm, sed reipsa corpus suum efficit. *Hoc* reipsa, *quid aliud est, quàm* realiter: *Reliqua autem illa* [c] *aduerbia corporaliter, carnaliter, naturaliter, apud patres non rarò occurrunt, potissimùm in illorum aduersus Arianos scriptis. Fuisset itaque cum Iuelli officio coniunctius, modestam eorum interpretationem adhibuisse, quàm prorsus repulisse ac reiecisse. Veteres Græcæ & Latinæ ecclesiæ patres, populum fidelem tantùm habitudinem, aut dispositionem, aut vnionem, aut coniunctionem cum Christo per fidem & charitatem habere negant, aut nos spiritualiter illi coniungi, atque vniri solùm per spē amorem, religionem, obedientiam, voluntatem: quin porro confirmant, virtute & efficacitate istius sacramenti rectè dignéque percepti Christum realiter, & reipsa communicari, per veram communicationem & paticipationem naturæ ac substantiæ corporis, & sanguinis ipsius, eúmque existere, & habitare in nobis verè, propter nostram*

Christus facit seipsum vnum nobiscum non cum sacramento.

c Falsum, vt suprà.

Idipsum enim confirmant ex sacramēto baptismatis ex fide & natiuitate Christi, &c.

In 1. 6. cap. Mat. hom. 81.

nostram illius perceptionem in hoc sacramento. Ex qua hoc consequitur, vt nos in Christo simus, & ille vicissim in nobis, sicut ipse dicit: Qui manducat meam carnem, manet in me, & ego in illo. *Quæ mansio, vel vnio, vel coniunctio illius nobiscum, & nostrûm cum illo, quò commodiùs explicari, & nobis tradi possit, consentaneum iudicarunt patres aduerbijs illis vti in libris suis.*

Ioan. 6.

Hilarius contra Arianos scribens, hæc verba Christi in 17. Ioannis citantes, vt omnes vnum sint sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint: *atque ex his non natura, & substantia, sed concensu ac voluntatis vnitate patrem ac filium vnum esse demonstrare conantes: inter alias frequentes sententias ad confirmandam substantiæ vnitatem, non solum inter Christum ac patrem, sed inter Christum etiam & nos, hæc habet verba:* Si enim verè verbum caro factum est, & nos verè verbum carnem Cibo Dominico sumimus, quo modo non naturaliter in nobis manere existimandus est, qui & naturam carnis nostræ iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? *Post etiam hæc vox,* Naturaliter, *in isto sensu, vt per sacramentum dignè acceptum Christus in nobis sit, & nos in Christo naturaliter, id est, in naturæ veritate, crebrò vsurpatur. Si quis porrò octauum hunc.* De Trinitate *librum perlegere volet, videbit illum agnoscere* [a] Manentem in nobis *per Sacramentum* carnaliter filium, *id est, in carnis veritate, nósque per idem sacramentum, cum illo, & illum pariter nobiscum vnitos & conglutinatos corporaliter, & inseparabiliter: hæc enim genuina sunt ipsius verba. Gregorius Nyssenus in eandem sententiam habet:* Panis qui de cœlo descendit non incorporea quædam res est. Quo enim pacto res incorporea corpori cibus fiet? Res verò quæ incorporea non est, corpus omnino est. Huius corporis panem non aratio, non satio, non agricolarum opus efficit, sed terra intacta permansit: & tamen pane plena fuit, quo famescentes, mysterium virginis perdocti, facilè saturantur. [b] *Hæc verba adeò disertè veritatem corporis Christi in sacramento astruunt, vt omnes figuras & significationes excludi necesse sit. Ex illis autem facilè concludi potest esse in sacramento Christum, & nos illum in eo accipere corporaliter, id est in veritate & substantia corporis: quandoquidem illud ipsum, quod è virgine Maria partum, natúmque fuit in eo est, ac à nobis accipitur.*

De Trinitate Lib. 8.

Hilarius Christum in nobis naturaliter habitare, non in sacramento asfirmat.

a Non in sacrameto, sed in nobis.

In lib. de vita. Mosis.

b Falsum: Gregorius enim Nyssenus in hoc loco nullā omnino de sacramento verbum facit.

Cyrillus antiquus ille pater, & clarus Alexandriæ episcopus ad corroborandam hac in re catholicam fidem inquit: Non negamus rectâ nos fide, charitatéque syncera Christo spiritualiter coniungi: Sed nullam nobis coniunctionis rationem secundùm carnem cum illo esse, id profectò pernegamus, idque diuinis scripturis omnino alienum dicimus.

Deinde ne quis arbitretur hanc Christi, nostrûmque coniunctionem [c] *aliis modis fieri, quàm participando eius corpore in Sacramento, eodem in loco pòst adiungit:* An fortassis putat ignotam nobis Mysticæ benedictionis virtutem esse? Quæ cum in nobis fiat, nónne corporaliter quoque facit communicatione Christi, Christum in nobis habitare? *Post hæc etiam haud obscurè dicit Christum in nobis esse,* Non habitudine solùm, quæ per charitatem intelligitur verumetiam & participatione naturali.

In Ioan. li. 10. cap. 13.

c Falsum: Christus enim in nobis habitat & nos in illum incorporamur, per baptismum, &c. vt planum faciam.

In nobis.

Hic idem Cyrillus alibi affirmat nos per sacram communionem corporis Christi naturali, vnione illi esse coniunctos. Quis enim eos (*inquit*) qui vnius sancti corporis vnione in vno Christo vniti sunt, ab hac naturali vnione alienos putabit? *Hanc etiam appellat corporalem vnionem in eodem libro: atque ad extremum postquam prolixè disseruisset, quo pacto essemus cum Christo vniti, non charitate tātùm, & religionis obedientia, verùm etiam substantia, ita tandem concludit:* Sed de vnione corporali satis. *Postea tamen in plurimis locis, ad* [d] *vindicandam corporis Christo veritatem in sacramento, illis aduerbiis* naturaliter substantialiter, secundum carnem *seu* carnaliter, corporaliter, *vtitur: exempli causâ, apertissimè in vigesimo septimo capite eiusdem libri.* Corporaliter filius per benedictionem mysticam nobis, vt homo vnitur, spiritualiter autem vt Deus.

Lib in Ioā. 11. cap. 26.

d Falsum: Nullum enim hic verbum de præsentia in sacramento habetur.

Rursus, cum ait ibidem: Filium Dei natura patri vnitum corporaliter, substantialitérque accipientes, clarificamur glorificamúrque. *Similem sententiam habes libro 12. cap. 58. Ista autem præsentia atque mansio Christi in nobis, & nostra in Christo, quæ naturaliter ac carnaliter fit, & hæc nostrûm cum Christo coniunctio corporaliter facta, veri ipsius corporis perceptam priùs communicationem arguit, cuius nullo* [e] *modo participes esse possumus, nisi in sancto hoc mysterio. Christus itaque in sacramento naturaliter, carnaliter, corporaliter est, hoc est, secundùm naturæ, carnis, & corporis veritatem.* [f] *Quòd si enim ita in sacramento non esset, nos cum illo non potuissemus coniungi, neque ille nobiscum copulari, atque vniri corporaliter potuisset.*

Plurimi præthereà è vetustis patribus similem vsurpant loquendi formam præcipuè verò Hilarius, & Cyrillus: [g] *in qua docere volunt Christum in sacramento præsentem adesse, vt diximus, seruata substantiæ, naturæ, carnis, corporis, ac sanguinis illius veritate.*

e Falsum: simul & exitialis doctrinæ plenum.

f Falsum: perinde enim Christus nobiscum corporaliter in sacramento baptismatis coniungitur.

g Falsum: neque hoc modo vel sentiūt, vel scribunt.

Episcopus Sarisburiensis.

TAndem aliquando Hardingus ad rem propiùs accedit, & veteres patres, his ipsis vocabulis, *Realiter, Substantialiter, Corporaliter, Carnaliter, &c.* instructos in aciem producit, paucis his vice multorum, vt ait, contentus, cum reuera plures non haberet, quos adferret. Quanquam autem hi patres nullam vocem mittant, vel improbatam à nobis, vel eius causam quoquo modo iuuantem, tamen obiecta veterum nominum specie captos imperitorum oculos tenet ac instar præstigiatoris cuiusdam, natiuas rerum formas mutat, iísque pro libito quamuis figuram inducit falsam ac fucatam, & quouis colore imbuit.

Cùm enim probandum susceperit, Christi corpus realiter & carnaliter in sacramento inesse, & huic præstando se imparem esse perspiceret, causam totam inuertit, docereque instituit, corpus Christi realiter, carnaliter, & naturaliter in nobis existere. Quod quandoquidem nemini vnquam dubiũ fuit, nulla probatione eguit. In hoc tota fraus inest, sicq; lectori ignaro fucus? In hunc finem Hardingus & verbis & testimoniis horum sanctorum patrum perinde vtitur, ac olim Cacus ille auersas boues Herculis tractasse dicitur: cum eas non potuisset commodè rectas compellere, caudis latro traxit in speluncam.

Sed quandoquidem ex his patrum dictis sic concludit Hardingus: *Si Christi corpus interueniente Sacramento Realiter & Carnaliter sit in nobis, verisimile est illud ipsum corpus realiter & carnaliter esse in sacramento.* Quò hoc à nobis expediri possit, necessarium videtur, primùm intelligere quot modis corpus Christi in nostris corporibus habitet: deinde Hardingi rationem excutere. Quatuor sunt modi præcipui, quibus Christus in nobis habitat, & nos in illo: natiuitas eius, qua ille nos suscepit: nostra fides, qua nos illum complectimur: sacramentum baptismi, & sacramentum corporis sui. His omnibus modis, Christi corpus in nostris corporibus habitat: idque non tantùm imaginatione, figura, aut cogitatione: sed Realiter, naturaliter, substantialiter, carnaliter, & re ipsa.

Bernard. De Epipha. sermo. 1.
Basilius in Apologia ad Cæsareenses.
σάρκα γὰρ καὶ αἷμα πᾶσαν τὴν μυστικὴν ἐπιδημίαν ὠνόμασε.
a In dictum Apostoli, Tunc etiam ipse filius subiicietur ei.
Ephes. 5.
Ioan. 1.
Ioan. 15.
Ephes. 4.
Coloss. 2.
Ephes. 3.
2. Petri. 1.
Ignatius ad Tralian.

De Christi primùm natiuitate Bernardus inquit: *Corpus Christi de meo est, & meum est: Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis.* Sic ait Basilius: *Participes facti sumus verbi, & sapientiæ, per incarnationem, & sensibilem vitam. Carnem enim & Sanguinem appellauit omnem illam mysticam conuersationem.*[a] Sic quoque Gregorius Nyssenus: *Corpus Christi est omnis humana natura, cui admixtus est.* Hoc modo, Christus cum in vtero beatæ virginis esset, caro de nostra carne, & os de ossibus nostris factus est: Atque in hunc sensum Ioannes inquit, *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Hanc ob causam Christus seipsum vitem appellat, & nos palmites: D. Paulus Christum caput, nos corpus vocat: quæ sunt arctissimæ & naturalis coniunctionis nomina.

De fide verò, D. Paulus ait: *Christus habitat in cordibus nostris per fidem.* Et D. Petrus: *Hinc facti sumus consortes diuinæ naturæ.* Sic ait Ignatius: *Per passionem eius, & resurrectionem* (id est per nostram in illa fidem) *facti sumus membra corporis illius.*

Ephes. 4.
Rom. 6.
Galat. 3.
1. Corinth. 12.
De Cõsec. Dist. 4.
Ad hoc.
De Ecclesiast. Hierar. cap. 1.
Pachymeres in Dionysium c. 4.
σύμφυτοι γεγονότες αὐτῷ διὰ τοῦ θείου βαπτίσματος.
Bonauen. in 4. senten. distin. 1. quæst. 3.

Quamuis autem his modis Christus in nobis insit, & nos vicissim in illo, cum tamen imperfecta sit, & vita & fides nostra: quemadmodum Deum assiduè precamur, vitam nostram emendare, & fidem augere, ita quoque continuis precibus efflagitamus, vt hæc Christi nobiscum coniunctio in dies magis magísque amplificetur, vt Christus propiùs indies ad nos accedat, & vt nos in perfectum in illo hominem accrescamus. In hunc autem vsum potissimum Deus sacrosancta sua mysteria instituit, ac nobis commendauit. Ideo Paulus de sacramento baptismi, ait: *Qui baptizantur, inseruntur in Christum: induerunt Christum: per vnum spiritum, baptizati sunt in vnum corpus:* Augustinus inquit: *Ad hoc baptismus valet vt baptizati Christo incorporentur.* Atque hoc vocabulum *Incorporari*, in aliis etiam plurimis locis vsurpauit, cum de baptismo loqueretur. Hoc illud est quod Dionysius dicit: *Baptizati transimus in Deum.* Pachymeres autem ait: *Inserimur in Christum, & eandem cum eo naturam accipimus per sacrum baptismum.*

Hæc nobis abundè declarant, quàm parum Hardingi valeat argumentatio. Etsi enim Christus per Baptismi sacramentum in nobis insit naturaliter, non tamen ex eo efficere potest, Christum itidem esse naturaliter in sacramento Baptismi. Rectè inquit Bonauentura: *Non est aliquo modo dicendum, quòd gratia continetur in sacramentis essentialiter, tanquam aqua in vase, hoc enim dicere est erroneum: sed dicuntur continere gratiam quia eam significant.*

At Chrysostomus ait: *Christus suum corpus admiscet cum nostris corporibus, & nos reducit quasi in vnam cum seipso massam.* Hic locus ad causam Hardingi confirmãdam multò fuisset aptior, si Chrysostomus dixisset, Christus admiscet suum corpus cum sacramento, & illud in vnam secum massam reducit: in hoc enim summa causæ sita est. Neque tamen affirmauerit Hardingus, vel Christum nobiscum commisceri, vel nos in vnam cum eo massam redigi simpliciter, & vt literarum momenta sonant, & sine figura. Ex quo necessariò confici videt, Christi corpus multò quidem minùs esse in sacramento, eo sensu, quem ex ipsis verbis elicit, Disertè, Simpliciter, vel, vt ipse ait, Realiter, & Carnaliter, & absque figura. Vehemens hoc & ardens loquendi genus est, quo in primis Chrysostomus delectari consueuit, communem sensum ac rationem veritatis longè superans: atque iccircò ipse necessarium existimauit, de illius acrimonia aliquid imminuere, cum diceret, *vt ita dicam*:

Anaclet. epi. 2. Inter decret.
Alexandri. 1.
Gregor. Nyssen. De sancto Stephano.
1. Corinth. 10.

Eadem loquendi consuetudine Anacletus inquit: *In oleo virtus spiritus sancti inuisibilis permista est.* Et Alexander: *In sacramentorum oblationibus Passio Domini miscenda est.* Sic Gregorius Nyssenus de sancto Stephano: *Gratia Sancti spiritus permixtus Stephanus, & contemperatus, per illum sublatus & euectus est ad contemplationem Dei.* Hæc & alia huiusmodi dicta sanctorum patrum non sunt pressè ad literarum pondus exigenda, sed leni quadam interpretatione mitiganda, atque ad scriptoris sensum & mentem reuocanda.

Voluit Chrysostomus per hanc vocem, *Massa*, quandam istorum Pauli verborum speciem referre: *Nos sumus vnus panis, & vnum corpus*: & per hanc orationis magnificentiam mentes nostras magis excitare atque erigere, vt inde ad accuratiorem mirificæ illius coniunctionis ἕνωσιν impelleremur, quæ inter Christum & nos intercedit, per quam alteri in alteris sumus, ille in nobis, & nos in illo, idque in vna persona: qua quidem ratione neque in Angelis est, neque in

Archan-

Archangelis, neque in alia vlla cœlesti potestate. Proinde Paulus inquit: *Angelos non assumpsit, sed semen Abrahæ assumpsit.* Hæc autem mirabilis coniunctio, seu, vt eam Chrysostomus vocat, *mistio*, non tantùm in sancto cœnæ mysterio, verumetiam in sacramento Baptismi perficitur. Atque hoc est, quod Leo dicit: *Susceptus à Christo, Christúmque suscipiens, non est idem post Lauacrum: qui ante baptismum fuit. Sed corpus regenerati fit caro crucifixi.*

Ad Hebræos 2.
Leo Serm. 14. De passione.

Similiter Augustinus inquit: *Ergo gratulemur, & agamus gratias, non solùm nos Christianos factos esse, sed etiam Christum. Intelligitis fratres gratiam Dei super nos: Capitis: Admiramini: gaudete: Christus facti sumus. Si enim illic caput est, & nos membra, totus ille homo, & nos.*

Augu. in Ioan. tractat. 21.

Quapropter Lector, ita vt Leo, corpora nostra Christi carnem per baptismum fieri, & Augustinus Christum ipsum nos factos esse dicit: & Gregorius Nyssenus, *Stephanum gratia sancti spiritus contemperatum, & permixtum affirmat:* eodem etiam modo ac sensu Chrysostomus ait, *nos in vnam cum Christo massam redigi, Christúmque nobis seipsum permiscuisse.* Quibus rebus perpensis Hardingiani argumenti pondus infringi ac debilitati necesse est. Equidem Primasius ait: *vt fractio huius panis est participatio corporis Dominici, ita panis idolorum est participatio Dæmonum:* additque porro: *Si de eodem pane manducamus, quo idololatræ, vnum cum illis corpus efficimur.*

Primasius in 1. Corinth. 11.

Tria, quæ sequuntur illa, Hilarij, Gregorij Nisseni, Cyrilli testimonia, vnum possunt omnia non incommodè auferre responsum. Tantùm Gregorius Nyssenus, perantiquus author, nuper editus, idque non sine multiplici deprauationum varietate, ad scenam solùm ornandam introducitur, nullúmque neque de naturali Christi in nobis habitatione, neque, de sacramento verbum facit. Propositum illi fuit de Christi tantùm natiuitate, déque eo corpore, quod à beata virgine accepit, dicere: quod quidem non adumbratum modò, atque imaginarium, sed naturale, & carnale, & verum fuit. Non dissimili loquendi forma vsus quoque Hieronymus est: *Triticum, de quo Panis cœlestis efficitur, illud est, de quo loquitur Dominus, Caro mea verè est cibus.* Eodem referri debet, quod Amphilochius dicit, cuius meminit Cyrillus, *Nisi Christus natus fuisset carnaliter, tu natus non fuisses spiritualiter* Quod ad Gregorium Nyssenum attinet, quemadmodum ait: *Christus factus est noster panis:* Ita quoque ibidem dicit: *Quicquid assumenti conueniens sit, in id mutatur. Fit perfectioribus solidus cibus, inferioribus, olus, infantibus lac.* Quod igitur modo Christus olus est, aut lac eo solo panis & caro est.

Gergor. Nyssenus.
Hieron. in Esai. cap 62.
Cyrillus in apologetico.
Grego. Nyssenus in vita Mosis.

Neque profectò vetustus hic pater Hardingo suffragabitur, vbi ille falsò affirmat, non nisi in sacramento corpus Christi percipi à nobis posse. In eodem enim ipso loco, contrà statuit: sic etenim inquit, *Qui abundanter ex Apostolicis fontibus biberit, is iam totum recepit Christum.* Argumentum quod ex illis Gregorij verbis Hardingus colligit, ita confici necesse est: *Christus natus est è Virgine: Ergo, illius corpus est in sacramento realiter & carnaliter.* Hæc quidem conclusio puerilis est, & ridicula, tamen aut hæc est, aut nulla eius conclusio.

Ibidem.

Maximum huius rei pondus duobus antiquis patribus, Cyrillo, & Hilario nititur. Nam Hilarius inquit: *Christum recipimus verè sub mysterio.* Et vterque eorum istis vocabulis. *Carnaliter, Corporaliter, Naturaliter*, non semel aut iterum, sed frequentiùs vsus est. Testimonia sanè grauia: verba diserta. Verùm gratias Deo suppliciter agimus: hi loci & triti sunt, & nobis non ignoti. Iam verò iterum memoria repete tecum, Lector, quòd quanquam Hardingus ex his duobus patribus acceperit, Christi corpus naturaliter & corporaliter in nobis esse, non tamen adhuc, id quod ille summo studio quæsiuit, neque in his patribus, neque in alio quoquam inuenerit: hoc est, Corpus Christi naturaliter aut carnaliter esse in sacramēto. Quod cum ita sit, magnopere miror cur hoc vel tam confidenter affirmaret, cùm suæ ipsius imbecillitatis conscius esset, vel tam inaniter luderet, vt alterum pro altero ostentaret, & lectori imponeret.

Hilarius. de Trinita. lib. 8.

Quod verè ac certissimè Christi corpus in sacramento accipimus, nos neque negamus, neque in dubium vocamus. Augustinus inquit: *Panis est cordis: intus esuri: intus siti.* Quod autem intus fide ac spiritu accipitur, id demum verè, & reipsa accipitur. Bernardus ingenuè dixit: *Lauemur in sanguine illius:* quanquam non intellexit corpora nostra realiter ac reuera Christi sanguine ablui oportere. Quod etiam Augustinus ait, *Quid paras dentem & ventrem? crede & manducasti:* non ita accipiendum est, quasi imaginariam quandam ac minimè veram manducationem intelligeret: etiamsi hac in parte & dentem, & ventrem, & aliud quodcunque corporis munus prorsus repudiet. Proinde Cyrillus inquit: *Sacramentum nostrum hominis manducationem non asserit, mentes credentium ad crassas cogitationes irreligiosè introducens.* Mysterium sanctum est, & actio cœlestis, quæ mentes nostras sursum in cœlum impellunt, ibique corpus Christi comedere & sanguinem bibere nos docent: non externo corporum beneficio, sed interna fide, idque verè & reipsa. Cuius rei veritas non ex reali aliqua, aut corporali præsentia pendet, sed vt Hilarius dicit, in mysterio sita est, hoc est, in sacramento: in quo quidem extrinsecus, & sensibus exprimimus id in corporibus nostris, quod intrinsecus in animis præstandum est. Propterea Dionysius inquit: *Regeneratio naturali illa purgatione, quæ fit per aquam, corporali quodam modo denuntiat animæ purgationem.* Sic verè Christi sanguine in sacro baptismi mysterio abluimur: sic verè & reipsa Christi corpore nutrimur in sacrosancto cœnæ suæ mysterio, Et quanquam Christus in neutro horum mysteriorum insit secundùm corporalem, & carnalem præsentiam, hoc tamen nullo modo vel substantiam sancti mysterij, vel nostræ communicationis veritatem impedit. Ob eam verò causam Augustinus dicit: *Non fallit nos Apostolus, qui dicit, Christum habitare in cordibus nostris*

Augu. in Psal. 103.
Bernardus super Missus est Gabriel. Serm. 3.
Augu. in Ioan. ca. 6. tract. 26.
Cyrill. ad obiectiones Theodoreti.
Dionysius Ecclesiast. Hiera. cap. 2.
σωματικώτερον αὐτῷ διαγγέλλει.
Augu. de verbis Apostoli. Sermo 16.

per fidem. In te est, quia ipsa fides in te est. Respondet Hardingus hoc non posse sufficere. Etenim Cyrillus & Hilarius dicunt. *Christum non fide tantùm, verumetiam corporaliter carnaliter, & naturaliter in nobis esse.* Hæc verba strictè & rigidè accepta, omníque remota interpretationis inflexione, dura admodum videntur & aspera. Ad eundem modum Hilarius in illo ipso de Trinitate libro ait, nos cum Deo patre, & filio vnum esse, non adoptione solùm & animorum consensu, verùm etiam natura. Quod quidem si ad τὸ ῥητὸν reuocetur, verum esse nullo modo potest. Iccirco patres necessariò adducti sunt, vt coactas istas, & supra modum elatas sententias remissiore quadam interpretatione extenuarent.

Hilarius lib. 8. De Trinitate *Non tantùm adoptione, aut cõsensu, sed etiam natura.*

Chrysostomus vbi dicit, *In vnam cum Christo massam coniungimur*, adiungit, vt est antea dictum, correctionis notam, *vt ita dicam.* Similiter Augustinus inquit: *Qui in Christum credit, credendo in Christum venit, & in eum Christus, & quodammodo vnitur in eum, & membrum in corpore eius efficitur.* Quodammodo, ait, non sic, vt ipsa verborũ ratio dictare visa est. Præterea hoc vocabulum, *Corporaliter*, ad hunc modum interpretatur, *non vmbraliter, sed verè, & solidè.* Sic Cyrillus quid voluit ipse explanat: *Naturalis vnio non aliud est, quàm vera. Natura sumus filij iræ, id est, verè.* Ita dicit Paulus: *Gentes factæ sunt cohæredes, & concorporales, & comparticipes promissionis in Iesu Christo:* Atque hactenus de vocibus *Corporaliter, Naturaliter &c.* dictum esto, quibus nihil aliud significatur, quàm plena & perfecta, & spiritualis coniunctio, exclusa imaginatione omni & inani cogitatione, non crassa quædam & carnalis corporis Christi in corporibus nostris præsentia, qualem ipsa verba videntur innuere. Nam alioquin illud absurdi consequatur necesse est, vt nostra quoque corpora, corporaliter, carnaliter, & naturaliter, in Christi corpore insint. Hilarius enim dicit: *Nos quoque in eo sumus naturaliter.* Et Cyrillus non tantùm ait, *Christum esse corporaliter in nobis*, sed etiam, *nos esse corporaliter in Christo.*

Chrysostom. in Matth. hom. 83.
Aug. de verbis Domini secũd. Ioan. Serm. 60.
August. in Psal. 67.
Cyrill. in Apologetico ad Anathem. 3.
Ephes. 2.
συσσώματοι.
Hilarius de Trinit. lib. 8.
Cyrill. in Ioan. lib. 10. cap. 13.

Huc accedit, quòd quò nos in Christo, atque in nobis vicissim Christus existat, non corporalis vllus, aut localis situs requiritur, qualis est in rebus naturalibus necessarius. Nos sumus in Christo sedente in cœlo: & Christus in cœlo sedens hîc in nobis est: non naturali quodam, sed spirituali modo. Augustinus ait: *Postquam ex mortuis resurrexit, & ascendit ad patrem, est in nobis per spiritum.* Quod quidem Augustini, optimè congruit cum his Basilij verbis: *Paulus ait, Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Deinde addit, Si tamen Christus sit in vobis, ac si diceret, Si spiritus Christi sit in vobis.* Sic Augustinus fingit Christum alloquentem Mariam Magdalenam: *Ascendam ad patrem meum: tum tange me.* Intellexit nempe, nullo loci interuallo spiritualem tactum impediri posse. Rursum Augustinus facit Christum hoc modo cum populo colloquentem: *Qui venit ad me, incorporatur mihi:* de suo statim addit: *Veniamus ad eum: intremus ad eum: incorporemur ei.* Sic Christus etsi in cœlo esset, & loco disiunctissimus, tamen in Paulo præsens adfuit. Sic enim ipse Paulus dicit: *Experimentum quæritis loquentis in me Christi?* Hæc coniunctio spiritualis est, & proinde nulla vel loci circunstantia, vel corporis præsentia indiget. Simile est illud Cypriani: *Nostra, & Christi coniunctio nec miscet personas, nec vnit substantias: sed affectus consociat & cõfœderat voluntates.* Veruntamen hæc eadem coniunctio, quia spiritualis, vera, plena, & perfecta est, ab his sanctis patribus corporalis dicitur: quo verbo leuis omnis & accidentalis coniunctio tollitur. Naturalis quoque appellatur, vnde imaginatio, aut fictio, aut voluntatum coniunctio atque consensio remouetur: non quòd Christi corpus in nostris corporibus insit corporaliter, aut naturaliter, vt antè diximus: nihilo quidem magis, quàm nostra corpora carnaliter, aut corporaliter in Christi corpore insunt: sed quod vitam in nobis habemus, & immortales efficimur, quandoquidem fide ac spiritu naturalis Christi corporis sumus participes. Hardingus ait, nos hoc modo cum Christo coniungi, eumque corporaliter in nobis manentem habere, ex sacramenti tantùm perceptione, non alia quapiam ratione. Hoc omnino esse falsum iam antè comprobauimus ex Augustini, Basilij, Gregorij Nazienzeni, Leonis, Ignatij, Bernardi, & aliorum patrum sanctissimoniæ gloria præcellentium testimoniis: neque sic affirmatum est vel à Cyrillo, vel ab Hilario. Certè, nec habitantem in se Christum habent, quicunque sacramentum accipiunt: nec qui sacramentum nunquam perceperunt, omnes Christi expertes sunt, & illo destituuntur. Ad huius sententiæ indignitatem accedit, quòd ea multis etiam modis magno nos solatio priuet. Quid enim pius pater de puero suo sentire possit, qui baptizatus exierit priùs ex hac vita, quàm ad percipiendum corporis Christi sacramentum accesserit? Si Hardingum sequatur magistrum, non potest non damnatum credere: vtpote qui Christi carnem nondum perceperit, sine qua nulla salus sperari potest: Christi verò carnem percipere non nisi in sacramento possumus. Chrysostomus tamen affirmat: *In sacramento baptismi nos carnem de Christi carne, & ossa de illius ossibus fieri.*

Aug. de Trinit. lib. 6.
Basilius de sancto Baptismo. εἰ δὲ χριστὸς ἐν ὑμῖν, ἀντὶ τοῦ λέγειν, εἰ δὲ τὸ πνεῦμα ἐν ὑμῖν.
August. Serm. de Tempore. 153.
Augu. in Ioan. tract. 25.
2. Chorinth. 13.
Cyp. de Cœna Domini.
Chrysost. in epist. ad Ephes. Hom. 20.

Hoc quò nobis luculentiùs constet, nosse debes, Lector, & Cyrillum, & Hilarium in illis locis cum Arianis rem habere, quorum ea fuit hæresis, vt Deum patrem ac filium vnum voluntate & consensu, non natura dicerent. Aduersus hos sic Hilarius est argumentatus:

Christus æquè realiter coniunctus est Deo, ac nobis:
At Christus nobis est natura coniunctus:
Ergo, Christus Deo patri coniunctus est natura.

Quod autem assumpsit, Christum nobis esse natura coniunctum, id ita probat. *Nos cum Christo coniungimur fide, id est, natura vnius fidei:* hoc autem est, *naturaliter.* Preterea ait: *Nos cum Christo per vnius*

Hilar. de Trini. lib. 8.
Per naturam vnius fidei, id est, naturaliter.
Eiusdem regeneratione naturæ.
Per naturam eiusdem Baptismi.

vnius naturæ regenerationem coniungimur: & iterum, *coniungimur cum Christo per naturam vnius baptismi*. Ex his concludit: *Ergo naturaliter sumus cum Christo coniuncti.* Ex Hilario nunc itaque manifestum est, quòd Christum in nobis naturaliter manentem tribus aliis aduersis modis habere possumus: & proinde hoc non tantùm per sacramenti perceptionem effici: iuxta Hardingi sententiam. Qua autem ratione Christus naturaliter, corporaliter, & carnaliter, per fidem, per regenerationem, per baptismum in nobis esse dicitur: eadem duntaxat in nobis est per sacramentum corporis sui. In quo sacro mysterio Christus nobiscum naturaliter coniunctus est, vt homo, quia verè, non fictè, illius carne sustentamur: spiritualiter autem, vt Deus.

Atque hæc de Cyrillo & Hilario hactenus: è quibus Hardingus nondum potest euincere, Christi corpus vel sumi corporaliter in nostra corpora, vel in sacramento corporaliter inesse: quod vnum hîc probandum suscepit, quódque probari ab eo iam debuit. Hoc quandoquidem non effecit, oleum & operam omnem perdidit. At inquit, *consentaneum magis fuisset, hæc verba modesta quadam interpretatione adhibita exposuisse, quàm prorsus ea repudiasse.* Ei fuisset scilicet, qui aliquid potest ex nihilo efficere, & commentarium absque textu comminisci, & verborum, quæ minimè extant, interpretationes confingere, quemadmodum facit Hardingus.

Ex his Hardingus hanc inducit coniecturam: *Hi patres Christum in nobis esse corporaliter & naturaliter affirmant: Ergo credibile est eos intellexisse Christum naturaliter & corporaliter inesse in sacramento.* Hæc eneruata est consequutio. Nam vt Christum esse naturaliter in nostris corporibus demus, non tamen eodem modo in sacramento esse efficitur. Hoc argumentum contrà concludi potest: & sic rectiùs tenebit:

Christi corpus non est naturaliter, aut corporaliter in nobis:
Ergo, multo minùs in sacramento corporaliter inest.

Hardingus. 2. Sectio.

Patres autem Catholici, qui post Berengarij ætatem veritatis hac in parte defensionem scriptis illustrarunt, apud quos hæ voces nonnunquam reperiuntur, ad excludendas metaphoras, Allegorias, figuras, & solas significationes, per quas sacramentarii fidelem populum veritate corporis Christi in sacramento priuare conantur: per eas voces non intelligunt, modum, rationem, atque viam præsentiæ, habitationis, vnionis, & coniunctionis Christi nobiscum, & nostrum rursus cum illo, esse proinde naturalem, substantialem, corporalem, aut carnalē. Nam & illi, & omnes alii homines catholici confitentur, & prædicāt, longè sublimiorem eam esse, & excellentiorem, supernaturalē, supersubstātialem, inuisibilem inenarrabilem, huius sacramenti propriam, veram nihilosecius & realem: non tantùm tropicam, symbolicam, metaphoricam, allegoricam: non tantùm spiritualem, & tamen spiritualem, non figuratiuam duntaxat, non significatiuam. Similiter modum præsentiæ, & existentiæ illi simul, & nos agnoscimus, & confitemur non localem, non circumscriptiuum, non diffinitiuum, non subiectiuum aut naturalem esse, sed talem, qualem Deus vnus nouit.

Isti omnes admodum recentes patres fuerant.

Episcopus Sarisburiensis.

Isti Doctores intra ducentos hosce aut trecentos annos vixerunt, & tales sunt, vt Hardingum pudeat eos vel nominare. Eorum est hac in parte insulsa & expers solatij sententia. Maxima illorum pars Christi corpus è nostris mox corporibus migrare statuit, cùm primum panis ac vini formæ mutari cœperint. Alij dicunt, simulátque dentes nostri panem tetigerint, statim Christi corpus in cœlum auferri. Eorum hæc sunt verba, *Certum est, quòd quàm citò species dentibus teruntur, tam citò in cœlum rapitur corpus Christi.* Nihilominus Christum in nobis naturaliter & corporaliter esse contendunt. Hîc licet in Hardingum idem vsurpare, quòd ille antè Ariano hæretico respondit: *Nunquid Hardingus, aut noui sui Doctores existimant, Christum ad nos de cœlo descendere, & statim nos deserere? vel nos Christum manducare, sed non accipere? vel accipere illum quidem, sed non habere, vel corporaliter in nobis esse Christum, nec tamen in nos intrare?* Hæccine est naturalis Christi in nobis præsentia? hæccine est mystica benedictionis vis? hæccine est horum sanctissimorum patrum sententia? An verò Hardingus, cùm istiusmodi tuetur & propugnat absurda, ea se Lectori quantumuis simplici probaturum confidit?

De Conse. dist. 2. Tribus gradibus in Glosa.

Postremò, vt Christi in sacramento præsentiæ modum ostendat, aut localem, aut circunscriptiuum, aut definitiuum, aut subiectiuum esse negat. Quæ cùm dicit, Lector inauditam eius Theologiam, & eloquentiam admirari faciliùs possit, quàm quid velit, coniectura assequi. Sic enim ait: *Hæc præsentia nulli est, nisi Deo nota.* Vnde Hardingo, eam esse ignotam consequitur. Ita ad extremum iste Articulus ignorationis confessione concluditur. Quanquam antiqui patres nunquam nos huiusmodi scrupulis impeditos tenuerunt. Emissenum ante audiuimus dicentem: *Præsens est in gratia:* & Augustinum, *Est in nobis per spiritum:* Iterū, *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis: sacramentum aliquod vobis trado.* Denique patrum hæc sententia est, Christum non Corporaliter, Carnaliter, Naturaliter præsentem adesse: sed tanquam in sacramento, & per spiritum suum, & per gratiam suam.

De conse. dist. 2. Quia corpus. Augustin. de Trinitat. Augustin. in Psal. 98.

FINIS.

DE CHRISTI CORPORE IN MVLTIS LOCIS DIFFVSO.

ARTICVLVS SEXTVS.

Episcopus Sarisburiensis.

VEl Christi corpus esse in infinitis locis eodem tempore diffusum.

Hardingus. 1. Sectio.

a Falsum: nullus enim ex antiquis patribus Istud miraculum agnouit.
b Falsum: doctrinæ genus hactenus inauditum
c Falsum: etsi enim Christi corpus cum Deitate coniungitur, non tamen esse creatura desinit.

[a] *EX omnibus beati huius sacramenti miraculis non minimum illud est, quod, vnum idémque corpus in pluribus simul locis videlicet, in omnibus consecratis hostiis esse possit. Deo quidem conuenit sua diuinitate vbique præsentem adesse,* simpliciter & propriè: *creaturæ verò, non nisi vno duntaxat loco: cæterum Christi corpus [b] mediæ quodammodo naturæ censendum est: quatenus enim creatura est, nullo modo debet creatori hac in parte exæquari, vt vbique esse queat: quatenus autem cum Deitate vnitum est, in hoc quidem aliis corporibus antecellere debet, adeo vt vno temporis momento [c] in pluribus locis esse possit sub hoc sacramento. Etenim consideratio contemplatióque naturalis corporis Christi cum diuina natura, cuius est immensa potentia, vniti ac coniuncti, hominem verè Christianum facit rationem repudiare, ac fide niti, omnésque dubitationes ac disquisitiones humani ingenij repellere, & in veneranda quadam fidei simplicitate acquiescere.*

Tunc homo diuini spiritus instinctu persuasus, non ignorat, Christi corpus, licet naturale & verè humanum sit, ex hac tamen vnione ac coniunctione multa iam posse, quæ multis aliis corporibus sunt prorsus ἀδύνατα *qualia sunt in aquis ambulare, è conspectu subitò se auferre, transformari, & instar solis splendescere, in cœlum per nubes ascendere: & postquam deuicta morte immortale factum est, è sepulchro exurgere, & in ædes occlusis foribus intrare. Eadem quoque fide permotus credit & agnoscit, illud in sancto altaris sacramento per eius virtutem secundùm ipsius [d] verbum adesse, sub panis ac vini forma, vbicunque legitimè rectéque consecrantur, seruata eius in sacra cæna institutione: ídque non crasso aliquo, aut carnali modo, sed spiritualiter & supernaturaliter, & tamen substantialiter: non per localem, sed substantialem præsentiam: non ratione quantitatis, aut locum implendo, vel mutando, aut ad dextram patris sedere desinendo: sed ea ratione, quam solus Deus nouit, qui tamen nobis illius præsentiæ veritatem per fidem ostendit, quam humani ingenii captus nullo modo concipere & comprehendere potest.*

Matth. 14. Luc. 24. Matth. 17. Luc. 24. Acto. 1. Matth. 28. Ioan. 10.

d Falsum: Christus nullũ huiusmodi verbum edidit: & fides sine verbo Dei non est fides.

Quòd nonnulli contra hanc fidei partem adducunt articulum illum de Christi in cœlum ascensione, & de illius in cœlo ad Dei patris dextram sessione, certáque scripturæ testimonia eodem pertinentia allegant, & veterum patrum dicta citant, quibus Christum è terra sublatum declarant: certè veréque dicere licet, eum verè & in cœlo ad dextram patris esse, in aspectabili sua & corporea specie, verum Deum ac hominem, qua quidem ratione illic est, & non apud nos: & in sacramento inuisibiliter ac spiritualiter, & Deum & hominem in mysterio: ita vt & in sacramento, & in cœlo simul esse possit, cum hæc duo genera, quibus aliquid esse dicitur, non contraria, sed modo tantùm & ratione distincta sint.

Episcopus Sarisburiensis.

POSTQVAM ad quinque priores articulos, in quibus maximum defensionis huius momentum videbatur esse positum, aliquantò prolixiùs iam est à nobis fusiúsque responsum, reliquorum meritò leuiorem exiliorémque fore tractationem confidimus. Atque hîc Hardingus verbis quidem videtur nobis, nulla omnino adiuncta cautione, planè concedere. Cum enim iam quæratur inter nos, an Christi corpus in innumera loca dissipari possit, respondet Hardingus Christi corpus in vno duntaxat locale esse loco, & proinde non posse in mille simul locis esse, sed vno tantùm loco contineri. In quo tamen profectò multum ab antiquis patribus aberrat, quorum verba ab huius oratione vehementer discrepant, vt patebit.

Insuper quò magis hoc dilucidè explicetur, id tua scire interest, lector, de corporis Christi ratione plurimos, eósque grauissimos errores esse antiquitus in ecclesia natos & propugnatos, quos

quos non hæretici tantùm, verùm sancti quoque ac docti patres tenuerunt. Manichæi Christum corpus, habere duntaxat imaginariũ dixerũt, sine vera carne sine sanguine, sine ossibus, quod specie quidem & forma aliquid esset, rem verò substantiámque nullam haberet. Eutyches corpus Christi semel iam nati diuinitati factum æquale censuit: quod sanè vix quicquam differt ab hac opinione, quam nunc Hardingus tuetur. Hilarius Christum negauit de beata virgine carnem accepisse, sed eam de cœlo detulisse: eiúsque corpus nihil pati potuisse, nec cum cæderetur dolorem vllum sensisse, non quidem magis quam aquam, aut ignem, aut aërem cultro diuisum. Theodoretus ait hæreticos eos quos Helcesæos vocant, plures Christos statuisse, duos ad minimum: quorum alter suprà in cœlo habitaret, alter in mũdo infrà degeret. Hos atque huiusmodi alios errores ac hæreses admiratio quædam, & reuerentia diuinæ Christi naturæ peperit: quorum magistri ac patroni repudiata ratione, vt præcipit hîc nunc Hardingus, ad suam tantùm φαντασίαν, quam illi fidem vocabant, affixi turpiter hallucinati sunt.

Augustin. ad Quod vult-deũ. Leo Epist. 95. Epistola Flauiani ad Leonem. Hilarius de Trinitate lib. 10. Theodoret. de fabu. Hæreticorum. lib. 2.

Sed Hardingus huius defensionis fundamentum in miraculo ponit: cui tamen, quod ad crassam hanc & carnalem præsentiam attinet, nullam fidem, neque ex scripturis, neque ex sanctorum patrum libris facere potest. Quod autem è Chrysostomo & Basilio adducitur, totum illud alienum est (vt manifestum erit) estque facilis ac prompta responsio.

Augustinus tres omnino integros libros disertè de veteris, ac noui testamenti miraculis scripsit: idem quoque similiter fecit Gregorius Nazianzenus: huius autem miraculi neuter eorum vel meminit. Et quanquam hoc argumenti genus, quod fit ab *authoritate negatiuè*, in huiusmodi rebus non ita necessariam consequutionem habeat: tamen cum de miraculis nominatim scribant, silentio miraculum præterire longè maximum, intolerabilis cuiusdam esset vel negligentiæ, vel obliuionis. Augustinus verò de sacramento corporis Christi sic scribit: *Quia hæc hominibus nota sunt, quia per homines fiunt: horum tanquam religiosa habere possunt: stuporem tanquam mira non possunt.* Sic iam Augustinus totum illud iactum ab Hardingo fundamentum euertit, negátque in magno illo miraculo Hardingiano quicquam omnino stupendi aut miri subesse.

August. de mirabilibus sacræ Scripturæ tom. 3. Nazianzenus. August. de Trinit. lib. 3. ca. 10.

Adiungit Hardingus: *Diuinitatis est esse vbique simpliciter & propriè, creaturæ verò, in vno duntaxat loco: at corpus Christi intermediæ cuiusdam est naturæ.* Hic totus est huius causæ apparatus, & hunc integrum locum Hardingus totidem verbis à Gersone mutuatus est. Quod autem adiungit, Christi corpus quatenus est cum Deitate vnitum, in pluribus simul locis diffundi posse, meminisse debuit, peruetustum hunc esse errorem, iam olim improbatum, atque ab Augustino aliísque doctrina præcellentibus patribus damnatum Augustinus sic inquit: *Cauendum est ne ita Diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, vt quod in Deo est, ita sit vbique vt Deus.* Augustinus disertè affirmat, qui corpus Christi vel vbique vel in infinitis simul esse locis dicit, (quod quidem aliud non est, cum ratio ac miraculum paria sint) ab eo veram corporis Christi rationem prorsus tolli.

Gerson contra Floretum. August. ad Dardanum epistola 57.

Sed hoc quid monstri est, *quòd Christi corpus neque creatorem esse, neque creaturam dicit, sed, vt asserit, quodammodo inter vtrumque medium?* quis vnquam nisi veteranus ille hæreticus Abbas Eutyches hoc verũ esse diceret & orthodoxũ? Certè Augustinus inquit: *Omnis substantia, quæ Deus non est, creatura est: & quæ creatura nõ est, Deus est: & quod Deo minus est, Deus nõ est.* Hîc Augustinus creatorem pariter & creaturam agnoscit, illud autẽ Hardingi mediũ non agnoscit. Leo scribens aduersus Eutychem, à quo videtur Hardingus ista didicisse, sic habet: *Emergunt alij qui carnem Domini, & diuinitatem dicunt vnius esse naturæ. Quæ tantum sacrilegium inferna vomuere? Tolerabiliores sunt Ariani: &c.* Et Augustinus: *quod ad hominem attinet creatura est Christus.* Rursus, *duas substantias, id est, naturas esse fatemur. Diuinitatis scilicet, & humanitatis: Creatricis & creatæ, quæ tamen substantiæ non confusæ, sed vnitæ atque in vna, eademq́; persona inseparabiles, & in sua semper proprietate manentes.* Huic assentiuntur Leo, Cyrillus, Gelasius, totáque veterum patrum cohors. Quapropter vehementer errauit Hardingus, cum vel populum doceret, Christi corpus neque creatorem esse, neque creaturam, sed cuiusdam naturæ, quæ vtriusque particeps esset: vel idem illud corpus cum Deitate copulatum, in pluribus proinde locis eodem tempore contineri posse diceret. In hoc versata est illa vetus Eutychiana hæresis. Nam sic de eo scribit Flauianus: *Corpus Domini humanum quidem vocat: tamen negat nobis esse consubstantiale.*

In lib. sententiar. prosperi. Leo epist. 95. ad Leonem. August. August. epi. 57. De verbis Domini in Euangelio secundùm Ioan. cap. 58. Flauius ad Leonem.

Sed obiicit Hardingus: *Christi corpus factum iam est immortale, & gloriosum:* hoc sine omni controuersia verissimum est. Sed enim meminisse eum oportuit, cum Christus sacram communionem cum discipulis suis celebraret mortale tunc, & morti aliísque iniuriis obnoxium illius fuisse corpus, non gloriosum. Quamobrem si Christi corpus in sacramento immortale sit & gloriosum, sequitur eo tempore Christum duo habuisse corpora: hoc mortale, illud immortale: hoc gloriosum, illud contrà. Adeo non conueniunt leges, atque exempla Hardingiana.

Addit Hardingus: *Christi corpus in aquis ambulauit, ex hominum conspectu euanuit, diuisis nubibus in cœlum ascendit, & obseratis ostiis in ædes intrauit &c.* His etiam rationibus decepti sunt olim Manichæi. Non possum equidem non mirari quòd cum Hardingus nuper, vt ait, catholicam fidem profiteri cœperit, vniuersum doctrinæ suæ corpus in hæreticorum inuentis constituere voluerit. Quantum Manichæi huic argumento tribuerent, ostendit Hieronymus: *Cum dicit Manichæus, & similis Manichæorũ, dominus non resurrexit in corporis veritate, & vt scias nõ fuisse verũ corpus, clausis ingressus est ostijs, nos quid dicemus? Domine libera animã meã à labiis iniquis, & à lingua dolosa.*

Hieronymus in psalm. 119.

Hîc Hardingum eò redactum videmus, vt ei necesse sit condemnatos olim hæreticos ab inferis reuocare, & eorum tela mutari: quocirca non alienum erit, vt quemadmodum Hieronymus monet, dicamus, *Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.*

Ambros. in Lucam lib. 10. cap. 24.

Ambrosius quoque Apostolos Christi eodem planè modo in fraudem fuisse inductos scribit. Quòd enim Christus clausis foribus in ædes ingressus est, ita habet: *Denique conturbati discipuli æstimabant se spiritum videre. Et ideo Dominus vt speciem nobis resurrectionis ostenderet, Palpate, inquit, & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me habere videtis.* Quòd si hæ rationes tantum valuerunt, vt Apostolos Christi in errorem impellerent, non est profectò mirum Hardingo idem posse accidere. Chrysostomus ait. *Clausa erant ostia, & ingressus est Iesus: non erat phantasma: non erat spiritus: verè corpus erat: habebat carnes & ossa.* Quapropter quanquam hæc mirifica fuerunt, tamen antiqui & sancti patres, Christi corpus nihilo secus esse & manere creaturam, non intermedium quiddam existere dixerunt: quemadmodum hîc Hardingus noua ratione imaginatur.

Chrysostom. in homil. de Ioan. Baptista.

Nunc argumentorum, quibus vsus est Hardingus, momenta videamus.

Christi corpus in aquis ambulauit:
In domum obstructis foribus intrauit:
In cœlum circunfusis nubibus ascendit:
Ergo in pluribus locis eodem tempore esse potest.

Etsi harum argumentationum dissoluta atque inepta ratio facilè coarguitur, eam tamen nobis ex similibus formis meliùs cognoscere licebit.

Matth. 14.
2. Reg. 2.

Diuus Petrus in aquis ambulauit:
Elias in nubes subuectus est:
D. Bartholomæus per clausas ianuas ingressus est.
Ergo D. Petrus, Elias, & D. Bartholomæus simul in pluribus locis esse possunt.

Quòd autem D. Bartholomæum obseratis ianuis in ædes penetrasse dico, etsi commentitium sit, non tamen ab Hardingo temere respui debet. Est enim literarum monumentis consignatum ab Abdia episcopo Babyloniæ, quem Hardingus Christum vidisse in carne, & Apostolorum familiarem fuisse existimat.

Abdias in Bartholomæo.

Istis omnibus Hardingus, vt simplicem lectorem tenebris inuoluat, suauem quandam circunfundit caliginem: *Christi corpus* (inquit) *est in sacramento, non locali, sed substantiali præsentia: Carnaliter, sed non carnali modo: in pyxide, in manu, in ore collocatur, & tamen nullo omnino loco comprehenditur: naturale quidem corpus est æquè ac fuit in cruce, omni tamen quantitate, & dimensione, & proportione corporea caret, hoc est, neque crassum est, neque latum est, neque breue est, neque longum est: illic iam est, vbi antè non fuit, & nullum tamen locum mutauit.* Hic homo nisi arcto summo sopitus esset, nunquam potuisset tam altè somniare. In quibus ille cum vetustis hæreticis Eutychete, & Manichæo prorsus sentire videtur. Illi enim istiusmodi corpus accepisse Christum à beata virgine finxerunt: atque ij nihilominus in hæreticorum numero habiti sunt. Quis enim omnium veterum sanctorum patrum inauditum hoc dogma nobis prodidit? quis vnquam tam fuit audax, vt Christum loco, quantitate, & naturalibus corporis sui dimensionibus spoliaret? Si quidem hæc sunt doctorum Catholicorum dicta, cur non in medium adducuntur? Sin autem nunquam fuerint à quoquam in oratione posita, cur tantam habet hæc causa antiquitatis ac vetustatis speciem? Cur Hardingus insulsam hanc & insipidam doctrinam sua tantùm vnius fide subnixus, sine cuiusquam doctoris testimonio proponit? Manichæi olim, quò suos errores commodiùs tuerentur, & absurda atque incommoda vitarent, coacti sunt, vt duos esse Deos affirmarent, hunc bonum, illum malum: Ita nunc Hardingus, vt sua defendat, & falsis infinitis occurrat, eò compulsus est, *vt duos esse Christos statuat, vnum loco conclusum, alterum omni loco carentem: vnum supra, alterum infrà: vnum corporea proportione præditum, alterum proportionis expertem.* Quanquam hoc principium ignarus videtur posuisse in suam ipsius perniciem. Si enim locale non sit in sacramẽto Christi corpus, vt ait, tum non naturale, non reale est. Hanc enim Augustinus regulam, vt ratam, firmam, & constantem tradit: *Tolle loca corporibus, & nusquam erunt: & quia nusquam erunt, nec erunt:* & sic esse corpora desinent. Neque hoc tantùm de aliis corporibus, quæ natura continentur, loquitur, sed propriè & peculiariter de corpore Christi.

Epiphanius. Augustinus ad Quod vult. deũ.

Augustin. epist. 57.

Quanto quidem quodque magis spirituale est, tanto quoque est ab omni loci circunscriptione, ac necessitate liberius. Quod itaque dicit Hardingus *Corpus Christi in cœlo esse tanquam in loco, in sacramento verò sine loco*, in eo videtur occultè confiteri sacramentarium illud Christi corpus magis gloriosum, & spirituale, & diuinum esse, quàm verum & genuinum Christi corpus, quod in cœlis est, in gloria Dei patris. Hoc autem quàm aptè vel cæteris doctrinæ Hardingianæ partibus, vel Christianæ religionis rationi congruat, lectori iudicandum atque cogitandum relinquo.

Christi corpus magis est gloriosum in sacramento, quàm in cœlo.

Quorsum verò spectat hæc nuper excogitata differentia inter *locale* & *non locale* Christi corpus? quid hos homines impulit, vt nudam corporis Christi substantiam in sacramento esse dicerent, longitudine, latitudine, & omni quantitatis ratione carentem? nunquid Hardingus nunc tandem venerandam fidei simplicitatem funditus repudiabit, & ducem sequetur rationem? aut in arcanis & reconditis Dei mysteriis oculos sensúsque consulet, & quid natura dictat, attendet?

Potest certè Deus efficere immensa sua potestate, non solùm vt Christi corpus præsens adsit sine

adsit sine loco & quantitate: verùm etiam vt sit in loco, cum quantitate, & reliquis naturæ conditionibus. Sin hoc Hardingo non videtur, Scotus famliaris suus illum facilè refutabit. perspicua sunt illius verba. *Idem corpus localiter & dimensiuè potest esse in diuersis locis. Et Deus potest quodcunque corpus vniuersi conuertere in Christi corpus, sicut panem, & facere corpus Christi vbique esse, non solùm sacramentaliter, sed etiam localiter & dimensionaliter.* Quod etiam Durandus videtur vehementer approbare.

Scotus 4. sent. dist. 10. q. 2.

Lib. 4 de 6. parte Canonis

Quapropter non debuit Hardingus tam cautè refugere, & obscuro tectóque sermone sententiam ita inuoluere: sed audacter & disertè affirmare Christi corpus in sacramento esse non tantùm *substantialiter*, sed etiam *localiter*, & vt in loco. Horum enim similis omnino est & par ratio. Catholici siquidem hominis est infinitam Dei potestatem venditare, & quicquid Deus per omnipotentiam suam facere valet, factum non dubitare, nec quicquam vel de voluntate, vel promisso illius cogitare. Si Hardingus licere sibi putat hunc præsentiæ Christi modum nulla causa negare, non debet ei videri iniquum, quod nos iusto rationis momento adducti alterum negemns. Equidem Alexander de Hales, quem papistæ pro summo doctore colunt, Hardingum magni cuiusdam erroris reum facit. Hæc eius est sententia: *Quidam ponebant corpus Christi esse sub sacramento, non secundum quantitatem, &c. sed hæc positio est erronea.* Hæc hactenus volui dunctaxat attingere, non quòd tantùm apud me valeret huius viri authoritas, sed vt manifestum esse posset, quòd quanquam isti homines Christum realiter & carnaliter præsentem esse cõtendunt, alij tamen alios erroris & inscitiæ insimulent, nec de præsentię modo consentiant. Cæterùm prisci ecclesiæ patres, longè secus de hac re scripserunt. Nam vt Athanasius ait: *Aequalis patri secundùm diuinitatem, minor patre secundùm humanitatẽ*: ita quoque Gregorius Nazianzenus: *Christus quoad corpus circunscribitur, quoad spiritum non circunscribitur.* Quod autem quisquam omnium veterum patrum dixerit, *Christi corpus esse interdum in vno loco: interdum in pluribus locis, nunc circunscriptum, nunc non circunscriptum*, equidem non facilè posse ab Hardingo demonstrari censeo.

Alexander de Hales 4. q. 40. m. 3.

Greg. Nazianzenus contra Apolinarium περιγραπτος σωματι, ἀπερίγραπτος πνεύματι. χαρητος, καὶ ἀχώρητος.

Quod autem ad discrimen illud attinet inter *visibile*, & *inuisibile*, *locale*, & *non locale*, quo tanquã vallo quodam & aggere hanc arcẽ muniuit, nihil nisi meras nugas pueris decipiẽdis aptas habet. Nam neque ex scripturis, aut sanctis patribus ostenditur, neque satis efficit, quod vult. Non enim de respectibus aut qualitatibus agimus, sed vt Augustinus, vt Cyrillus, vt alij quoque Orthodoxi patres solent, de ipsa corporis Christi natura & substantia differimus. Neque profectò potest Hardingus facilè confirmare quidquid inuisibile est, esse quoque infinitum, & posse in mille locis diffundi. Modus autem, quo Christus in mysterio esse dicitur, quemadmodum non localem aliquam præsentiam, vel ipso Hardingo authore, postulat, ita sine naturali aliquo aut reali corpore fieri potest: vt pòst à nobis dicetur luculentiùs, approbante Deo.

Hardingus. 2. Sectio.

QVòd autem veteres ecclesiæ patres confessi sunt & docuerunt Christum in cœlo pariter, & in sacramento esse eodem tempore, quod Iuello non videtur, ipsa illorum verba locupletissimè testari possunt. Basilius in sua liturgia, hoc est, Missa, ad hunc modũ precatur: Respice domine Iesu Christe Deus noster è sãcto tuo habitaculo, & è throno glorię regni tui, ac veni ad sanctificandũ nos, qui sursum patri consides, & hîc nobis inuisibiliter [a] coes, & dignare nobis impartiri sacrosanctum tuum corpus, & pretiosum sanguinem, & per nos peccatores tuo populo.

[a] Non corporaliter, sed per spiritum & gratiam.

Episcopus Sarisburiensis.

QVod ad antiquos hos patres hic ab Hardingo citatos attinet, etsi nonnullorum suspecta nobis fides esse posset (veluti quod Chrysostomus ille, in sua Liturgia pro imperatore Alexio, non ante quingentos post Chrysostomum mortuum annos nato præcatur) tamen neque hanc neque aliam huius generis defensionem consectabor, sed hæc omnia testimonia tanquam firma & integræ fidei sine vlla exceptione amplectar.

Priùs autem quò nostrum ad hæc responsum magis illucescat, & animo faciliùs concipiatur, scias velim, lector Christiane, ex veterũ patrum iudiciis Christum nobis præsentem adesse multis modis. Nam & spiritu suo adest, vt ait Cyrillus: & gratia sua, vt Eusebius Emissenus: & diuinitate ac maiestate sua, vt Augustinus: & fide habitat in cordibus nostris, vt D. Paulus Ita Christus cum summo nostro solatio adest in sacrosancto suo verbo: in mysterio baptismi, & in sacramento corporis sui. Nos crassam duntaxat illam, & carnalem præsentiam, quam hîc Hardingus tuetur, repudiamus, in quo antiquos doctrina præstantes patres authores habemus, & nobis conscientes. Nam vt vnum pro multis proferam, sic inquit Augustinus: *Corpus in quo resurrexit, in vno loco esse oportet.*

Cyrillus in Ioan lib. 8 c. 7. Emissenus de Conf. distin. 2. Quia corpus. August. tractatu in Ioan. 50. Ephes. 3. August. de cõsecra. dist. 2. Prima.

Hic Hardingus pro more suo aliud quidem probandum suscepit, aliud verò magno conatu probat. Nam Christum in sacramento realiter, & carnaliter præsentem adesse demonstrare cupiens, antiquos patres nominat, qui de hac reali seu carnali præsentia ne verbum quidẽ fecerunt vllum. Quare cùm tantam defensioni suæ authoritatẽ obiectis sanctorum patrum nominibus conciliare studet, ipsam verò quæstionem orbã ac desertam relinquit, qui aliud facit, quàm ineptè ludit & populi inscientia turpiter abutitur? Etenim vt ad Chrysostomũ & Basiliũ veniamus, fatemur nos Christũ in cœlo humanitate sua, & corporis substantia collocatũ, esse tamen

in sacramento occultè spiritu suo & gratia. Atque hæc responsio licet ad omnia, quæ hic adducta sunt testimonia accommodari posset, ea tamen volui seorsum ac separatim, vt quodque occurrit, excutere.

Hardingus. 3. Sectio.

Chrysostomus quoque eadem precandi forma ac verbis vtitur, in sua Liturgia, siue Missa, in qua etiam legimus quòd sacerdos & Diaconus adorant & colunt, ter dicentes secretò, Deus misereatur mei peccatoris, *& quòd populus similiter cum pietate adorat. Itaque quòd adorare iubet, Christum præsentem non obscurè agnoscit, quem quoque eodem tempore in cœlo esse fatetur.*

Et populus similiter omnis cum pietate adorant.

Episcopus Sarisburiensis.

PRobabile est, inquit Hardingus, Christum in sacramentis carnaliter inesse, quandoquidem sacerdos & populus illum adorant. Hęc cõiectura infirmo nititur fundamento. Nunquid enim censet Christum à populo non aliâs adorandum esse, quàm cùm illum habent ante oculos positum? Equidem Hieronymus ita scribit de nobili quadam fœmina, nomine Melania, *Ad Christi pedes prouoluta est*: etiamsi Christum haud quaquam præsentem haberet. Chrysostomus similiter Christum in sacramento baptismi nos adorare docet. Ita enim populum affatur, *Et vos, qui accepturi estis baptisma, tenete pedes saluatoris: leuate lachrymis: crine tergite*: non tamẽ proinde dicturus est Hardingus, Christum corporaliter & carnaliter in aqua baptismi contineri. Sic olim edocti sunt fideles, Christum licet corpore, & reipsa absentem colere & venerari. Idololatræ solem atque lunam adorabãt: neque tamen ea, vt cultum illis tribuerunt, cœlo detraxerunt. Hoc itaque sumptum ab adorandi consuetudine argumentum nihil Hardingum iuuat. Etenim Christum in cœlo sedentem, non corpore ad oculos præsentẽ, colendum esse didicimus.

Hieronym. ad Paulã de obitu Blesillæ. Chrysosto. in Marcum hom. 14.

Hardingus. 4. Sectio.

Hoc etiam apertiùs his verbis explicat: O miraculum, O Dei benignitatem, qui sedet sursum cum patre, & eodem temporis momento omnium manibus pertractatur, & seipsum tradit iis, qui eum recipere & amplecti velint: fit autem id sine dolo, sine præstigiis, in omnium circunstantium oculis. Quid ais? hæccine tibi digna videntur, quæ contemnantur? *Ex his Chrysostomi verbis manifestum est quòd quanquam sit in cœlo Christus, tamen ex eo non euincitur, quinetiam in terra sit, cum hæc duo vera simul esse possint.*

Chrysost. de Sacerdotio. lib. 3.

Episcopus Sarisburiensis.

HOc argumentum aliquid efficeret, si modò nullum, nisi carnalis præsentiæ, miraculum esset. Quòd si autem Hardingus veteres catholicos patres cõsuluisset: in sacramento baptismi æquè ac in hoc corporis Christi mysterio miracula inuenire facilè potuisset. Leo inquit: *Deus mirabile nobis sacramentum regenerationis indulsit.* Sic Eusebius Emissenus: *veniant nunc, qui futuræ resurrectionis gloriam sitiunt: iam nunc de remissione peccatorum digno miraculo reficiant fidem suam. Homo in fonte tingitur, &c.* De eodem similiter scribit Chrysostomus: *Nullo pacto de intellectuali per Baptismum regeneratione, & admirabili partu rationem reddemus. Nam & Angeli qui adfuerunt, tam inenarrabilis operis modum minimè possunt enarrare: adfuerunt, tantùm, & viderunt: nihil autem operati sunt: sed pater tantùm, & filius, & spiritus sanctus.* Hîc in baptismo miraculum videmus, & tantùm profectò miraculum, quantum ne Angeli quidem Dei possunt enarrare, neque tamen proinde dixerit Hardingus Corpus Christi realiter inesse in sacramento baptismi: adeo sunt hæc argumenta infirmis connexa nodis.

Leo epist. 13. Homilia 6. feriæ de baptis. Chrysostom. in Ioan. hom. 24.

At Chrysostomi acris est oratio: ait enim, *Christum in sacra Liturgia præsentem adesse: omnes homines & manibus illum pertractare, & oculis cernere, idque perspicuè, & apertè, sine fuco, & fraude.* Sunt ista verba fateor, elata & ardore quodam incitata, multúmque superant communem sensum. Sed hîc velim Hardingum mihi ingenuè dicere, vtrùm restrictum, & nudum horum verborum sensum consectandum, an potiùs mitem aliquam eorum & lenem interpretationem adhibendam esse existimet. Si enim ipsis verbis rigidè insistat, manifesta ostenditur contradictio: ipséque Chrysostomus in vnius sententiæ ambitu pugnantia sibi loquutus conuincitur. Primùm enim dicit, *Christus in eo est inuisibiliter, vt sub aspectum minimè cadat*: & tamen postea statim vno fere spiritu affirmat. *Omnes illum oculis suis apertè cernere sine fraude, & præstigiis.* Ad hæc si strictè sumantur ea verba, fatendum nobis necessariò erit, populum verè ac reipsa, & cernere ipsissimum. Christi corpus, & manibus suis contrectare: quod non solùm manifestum mendacium habet, verumetiam hæresin tetriorem, quàm est vlla vnquam à Berengario defensa, quemadmodum ab ipsis Hardingi collegis confirmatur. Miros quidem illos effectus, quos Deus in fidelibus in illo formidoloso sacrę communionis tempore gignit, in quo vniuersum redemptionis nostræ mysterium, quam sumus in Christi sanguine consequuti, exprimitur & adumbratur, Chrysostomus miraculi nomine appellat: atque ideo vt ad accuratiorem de ea cogitationem mẽtes, animósque hominum erigat, rhetoricis amplificationibus, & verbis inflammatis orationem facit quodammodo exardescere. Sic enim ait: *Christus ante oculos nostros crucifigitur, sanguis eius ex latere profluit, & per totam mensam dimanat, & populus eodem tingitur & rubescit.* Hanc animi elationem

De consecrat. Distinct. 2. Ego Berengarius. In Glosa.

elationem atque ἔκϛασιν vocat miraculum :de corporali verò aut carnali vlla præsentia, nullam facit mentionem. Hoc autem tropico & flagrante dicendi genere vsus est, non quò nos ad ipsum verborum sensum reuocaret, sed quò mentes auditorum incitaret, & quasi subditis ignibus inflammaret. Sic Paulus Galatis dicit: *Christus crucifixus est ante oculos vestros.* Sic Hieronymus: *vultus nostri signantur in baptismo sanguine Christi.* Sic Tertullianus: *In passione Domini lauamur.* Sic etiam Gregorius: *Eundem agnum Ioannes ostendendo. Esaias prauidendo, Abel offerendo loquutus est: & quem Ioannes in ostensione, quem Esaias in loquutione, hunc Abel significando in manibus tenuit.* Hæc atque alia huiusmodi dicta stimulos quosdam acriores habent, sicuti & illud Chrysostomi: neque sunt ad verborum momenta exigenda, quod Hardingus non ignorat, sed mansueta quadam interpretatione mollienda.

Galat. 3. Hieronymus in psal. 85. Tertull. de baptismo. Grego. in Iob. lib. 29. cap. 16.

Hardingus. 5. Sectio.

Homilia. 2.

HIc idem pater corpus Christi in pluribus locis esse, in suis quoque ad populum Antiochenum homiliis, confitetur, comparatione ad Eliam disertè facta. Elias (*inquit*) melotem quidem discipulo reliquid: Filius autem Dei ascendens suam nobis carnem dimisit: Sed Elias quidem exutus: Christus autem & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit. *Nihil potest luculentius dici, quò ostendatur nos eandem habere carnem in terris, quam in cœlum sustulit: quam tamen Christus, vt nobis daret, non exuit. Ex his Chrysostomi verbis* [a] *edocti sumus vt Christi carnem, siue corpus & in cœlo & in terris esse credamus, in quibuscunque locis hoc sanctum mysterium rite celebratur.*

Chrysostomi verba parum integre relata.

a Falsum: ipsa enim comparationis ratio cõtrarium euincit.

Episcopus Sarisburiensis.

HIc locus diligenter à nobis perpensus, non solùm se ipse explanat, verumetiam lucem aliis huiusmodi locis non mediocrem adfert. Chrysostomus modum ostendit, quo Christus carnem suam & in cœlum sustulit, & fidelibus etiam in terra reliquit: atque in eum finem Christum cum Elia comparat. Nota historia est, quòd cum Elias in igneo curru sublatus esset in cœlum pallium suum demisit Elizæo, qui deorsum astitit, quo ille accepto, aquas Iordanis diuisit. Hinc arrepta occasione Chrysostomus ait: *Tanquam maximam hæreditatem Elizæus melotem suscepit. Etenim verè maxima fuit hæreditas, omni auro pretiosior, & erat postea duplex Elias. Et erat sursum Elias, & deorsum Elias.* Sursum verus Elias fuit naturali substantia, & corporis præsentia: Deorsum fuit Eliæ duntaxat pallium: quod tamen, propter edita ab eo miracula, Eliam vocat. Sic Chrysostomus Eliam Christo, Eliæ verò pallium sacramento comparat: & eo modo Christum esse sursum simul, & deorsum dicit, quo Eliam. Quemadmodum enim Eliæ pallium nomen accepit Eliæ, ita sacramentum corporis Christi, ipsum Christi corpus appellatur. Atque hoc cùm illo Augustini dicto optimè congruit. Sacramentum corporis Christi secundùm quendam modum corpus Christi est: non substantialiter, vel realiter, vel reuera, sed sicut Eliæ pallium ipse est Elias.

4. Reg. 2.

Chrysost. ad populum Antioche. hom. 2.

August. epist. 23. ad Bonifacium.

Ex his Hardingus argumentum rectè fabricasset hoc modo:

Elias cùm sursum esset, verè & reipsa deorsum in pallio suo non fuit:

Ergo ex hac Chrysostomi contentione sequitur Christi corpus nequaquam esse quidem Realiter, & carnaliter in sacramento.

Hardingus. 6. Sectio.

[b] *QVod autem nonnulli naturæ lege atque ordine cuncta metientes, nihil, quod naturæ repugnet, euenire posse putent, ideóque corpus Christi, cùm sit natura finitum, diuina potestate in pluribus locis diffundi non posse arbitrentur: quam opinionem ipse Iuellus videtur approbare: non erit ab instituto alienum, quanquam ex locis iam citatis contrarium euicimus, testimonium vnius aut alterius antiqui doctoris adducere, in quo disertis verbis confirmatur id, quod iste articulus falsissimè negat.*

b Falsum: pariter & contumeliosum.

Episcopus Sarisburiensis.

HArdingus falsis rumoribus pugnando victoriam se consequuturum sperat. Nam qua veritatis specie, quáue fronte dicere potuit, nos omnia ex naturæ legibus existimare, neque quicquam credere, quod à sensuum iudicio abhorreat? Optimè profectò nouit, nos ex Cypriani, Augustini, aliorúmque veterum patrum sententia statuere, Christi corpus mentium esse, non corporum cibum: illúdque non ore, non dentibus, non naturali vllo ac materiali modo, sed fide tantùm, quæ est interni hominis os, spiritualiter comedi posse. Non potest ignorare, nos populum docere corda sua sursum erigere, & (vt ait Chrysostomus) *aquilas in hac vita fieri, & sursum ferri ad portas cœlorum, adireq́ cœlum cœlorum, & ita corpori Christi appropinquare.* Nec eum latet, nos docere, Christũ Diuinitate sua, spiritu suo, & gratia sua nobis adesse præsentem, & in corporis sui sacramento mirificè operari, vt & in sacramento baptismi. Hoc totum tamen voluit Hardingus naturæ legem, & sensuum nostrorum iudicium appellare. Nos quidem naturæ non plus tribuimus, quàm est necesse, neque immensam Dei potestatem imminuimus. Verùm, nõ oportet quælibet inania humani cerebri somnia Dei potestate metiri. Hoc olim argumento vsus est Praxeas Hæreticus contra Tertullianum. Sic enim dixit: Deus est omnipotens, & potest illud facere, ergo & fecisse credendum. Tertullianus autẽ ad ea respondet: *Si tam abruptè in præsumptionibus nostris hac sentẽtia vtamur, quidnis de Deo confingere poterimus: quasi fecerit, quia facere potuerit. Non autem quia omnia potest facere,*

Cyprian. de cœna Domini. Cibus mentis, non ventris.

Chrysostom. 1. Corin. hom. 24.

Tertull. aduersus praxeam.

ideo credendum est illum fecisse: sed an fecerit requirendum. Ita iam hæc noua Catholica Hardingi fides à Tertulliano inanis quædam *præsumptio* dicitur.

Hardingus. 7. Sectio.

Ambrosius de spirituali duntaxat aspectione mentis loquitur, non crassam præsentiæ rationem requirit.

In Psal. 38.

Ambrosius hæc verba habet: Etsi Christus nunc non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur, imò ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium, quod offertur. *Iam si verum sit, Christi corpus in terris offerri, quod Ambrosius his verbis affirmauit, idq́ à Christo ipso, quatenus sacrificium, quod offertur, eius verbo sanctificatur: ex eo consequitur Christi corpus in tot esse locis, in quot quidem offertur. Atque hinc obiter colligi potest, ecclesiæ sacrificium non esse* [a] *gratiarum actionem (sicuti noui nostri magistri docent) sed ipsum Christi corpus quod à patribus, incruentum, & viuificum sacrificium vocatur.*

a Falsum: Augustinus enim vocat sacrificium laudis & gratiarum actionis.

Sacramentum incruentum & viuificum.

Episcopus Sarisburiensis.

HÆc verba nullam omnino faciunt carnalis præsentiæ mentionem, atque iccirco parum firmo auxilio causam Hardingianam adiuuant. Verùm, vt omnem tibi (Christiane lector) dubitationem de Ambrosij hac in re sententia tollã, peto à te vt hæc illius verba in Euangelium Lucæ expendas: *Quæ sursum sunt sapite: non quæ supra terram: ergo non supra terram, nec in terra, nec secundùm carnem te quærere debemus, si volumus inuenire.* Hoc Ambrosij perpetuum fuit, & minimè dubium iudicium: à quo nos nulla vel amplificatione, vel apparatu verborũ abduci debemus. Si nudas literas Hardingus durè premere & consectari voluerit, vt antè Chrysostomum, ita nũc Ambrosium in vna sententia sibi ipsi dissidẽtem & repugnãtem faciet. Primùm enim ait: *Vidimus principem sacerdotum ad nos venientem: vidimus & audiuimus eum sanguinẽ offerentem.* Mox addit: *Etsi Christus nunc non videtur offerre, tamen offertur in terra.* Si ad pondus ipsum sonúmque verborum attendamus, ista videndi, & non videndi contradictio nullo modo excusari potest. Quapropter vt hoc vitemus incommodum, nobis dicendũ est Ambrosium de spiritualibus fidei nostræ oculis loquutum esse, quibus verè Christum semetipsum in cruce offerentem, videmus: quo modo, vt ait Ambrosius, *magis videtur, quod non videtur.* Id fide videtur maximè, quòd corpore videtur minimè. Est enim fides, quàm oculus acutior. Ad eundẽ quoque modum Augustinus inquit: *Non vides quomodo rubeat pars Christi? interroga oculos fidei. Si crucem vides, attende & cruorem. Si vides quod pendet, attende quod fudit.* De his oculis, & de hoc videndi modo loquutus est Ambrosius, ad quem efficiendum non loci circunstantia, nec corporalis vlla aut carnalis præsentia requiritur. In eandem etiam sententiam Ambrosius ad sanctas quasdam virgines scribit: *Vestras mentes confidenter altaria dixerim, in quibus quotidie pro redemptione corporis offertur Christus.*

Coloss. 3. Ambrosi. in Lucam lib. 10. cap. 24.

De iis qui initiãtur mysteriis cap. 3. August. serm. 119. De tẽpore.

Ambrosi. de virgin. lib 2.

Ex his ita argumentatur Hardingus: *Christus in terris offertur:*
Ergo Christi corpus est in multis locis eodem tempore.

Si hoc argumentum sequeretur, & istud similiter valeret:
Agnus, hoc est, Christus ab origine mundi oblatus fuit:
Ergo Christi corpus in pluribus locis realiter fuit, priusquam in mundo natus esset Christus.

Apocaly. cap. 13.

Sic potiùs argumentum contexuisset Hardingus, & contrà conclusisset:
Christus non nunc realiter aut carnaliter offertur in terris:
Ergo, Christi corpus non est realiter, aut carnaliter in multis locis.

Sed ait Hardingus, *Ecclesiæ sacrificium non gratiarum actione continetur, quemadmodum à nouis nostris magistris docemur.* Equidem sacrificium nostrum est verum Christi corpus, idque æternum, secundùm ordinem Melchisedech, quod semper in Dei conspectu constituitur, sempérque nobis veniam impetrat, non oblatum à nobis, sed nos Deo patri offerens, pro quo nostrum officium atque munus est, hoc laudis & gratiarum actionis sacrificium Deo offerre. Atque hæc non eorum modò doctrina est, quos Hardingus nouos magistros appellat, verumetiam vetustissimorum, maximéque Catholicorum Ecclesiæ doctorum. Cuius rei vt vnus testis, instar multorum, à nobis citetur, Augustinus de ea sic scribit: *In illis carnalibus victimis figuratio fuit carnis, quam Christus fuerat oblaturus. In isto autem sacrificio est gratiarum actio, & commemoratio carnis, quam pro nobis obtulit.* Quod si fortè Hardingus Augustinum, vt nouum magistrum repudiauerit, tamen Missæ suæ canonem non debet contemnere. In ea celebranda sic ipse dicere docetur: *Qui tibi offerimus hoc sacrificium laudis:* quocirca nisi suam Missam Hardingus valere iusserit, ipse in nouis his magistris necessariò censendus erit.

Hebræ. 6. 7. 10. Rom. 8.

Augustin. ad Petrum Diaconum cap. 19.

Denique, quem tãdem Ambrosij interpretem meliorem & locupletiorem postulabimus, quàm Augustinum, qui eius aliquando fuit auditor? ille nos quot modis Christum apud nos præsentem habere possimus docet, his verbis: *Habes Christum & in præsenti, & in futuro. In præsenti per fidem: in præsenti per signum: in præsenti per baptismatis sacramentum: in præsenti per altaris cibum & potum.* Ita ab Origene quoque scribitur, iisdẽ prope verbis: tantùm addit, *per Apostolorum prædicationẽ:* quódque Augustinus *per signum,* hoc ille *per gloriosum crucis signaculum* dixit. Hic ipse Origenes etiam ait: *Si virtus Iesu vnà sit cum eis, qui congregantur in nomine eius, non peregrinatur à suis, sed semper præstò est eis.* Et iterum: *Nihil est contrarium, ipsum Iesum secundùm quendam intellectum esse vbique secundùm alium intellectum peregrinari.* Tot iam modis Augustinus & Origenes Christum nobis adesse præsentem dicunt: & eodem planè modò dixit Ambrosius *Christum in terris*

Augustin. in Ioan. Tract. 50. Origen. in Diuersos homil. 1. Origen. in Matth. tract. 33. Origen. eodem tract.

*in terris offerri.*Ex his sic concludi potest: Christum habemus per fidem, per signum, per baptismatis sacramentum, sine reali aliqua vel carnali præsentia: ergo ipsum similiter habemus in corporis sui sacramento, absque hac reali præsentia.

Hardingus. 8. Sectio.

In epistola ad Hebræ. hom.17.

Chrysostomus locum habet longè clarissimum de corporis Christi in pluribus simul locis præsentia, vt quanquam in multis locis offeratur, tamen non nisi vnus Christus sit. Eius hæc sunt verba: Vnum est hoc sacrificium: alioquin hac ratione, quoniam multis in locis offertur, multi Christi sunt? Nequaquam, sed vnus vbique est Christus, & hîc plenus existens, & illic plenus. Vnum corpus. Sicut enim qui vbique offertur, vnum corpus est, & non multa corpora, ita etiam & vnum sacrificium. *Ex hoc Chrysostomi loco animaduertere possumus, quid antiqui patres de hoc Articulo senserint: idem nempe, quod Catholica Ecclesia hodie profitetur, vnum Christum in pluribus locis offerri, adeo vt & hîc simul & illic plenè sit atque perfectè. Perspicimus ergo, quantum apud eruditos patres valeant eorum argumenta, quibus Christum omni potestate suum in plura loca corpus transferendi spoliant. Bernardus, quæ fuerit ætate sua ecclesiæ fides, narrat:* Sed vnde hoc nobis, piissime Domine, vt nos vermiculi reptantes super faciē terræ, nos, inquā, qui puluis, & cinis sumus, te præsentem habere mereamur præ manibus, præ oculis, qui totus & integer sedes ad dextram patris? Qui etiam vnius horæ momento ab ortu solis vsque ad occasum, ab aquilone vsque ad austrum præstò es omnibus, vnus in multis, idē in diuersis locis. Vnde hoc inquam? Certè nō ex debito, vel ex merito nostro, sed ex voluntate tua, & dulcedinis tuæ beneplacito. Parasti enim in dulcedine tua pauperi Deus. *In eadem quoque homilia, ecclesiam ad Christi præsentiā cū summa lætitia perfruendā cohortans, inquit:* In terra sponsum habes in sacramēto, in cœlis habitura es sine velamēto: & hîc, & ibi veritas: sed hîc palliata: ibi manifesta.

Chrysostomus se ipse interpretatur, vocat enim commemorationem, Exemplar, Recordationem, quæ corporalem præsentiam minimè requirūt.

Serm. in cœna Domini.

Bernardus vixit à Christo annis 1120.

Episcopus Sarisburiensis.

HIc locus est ab Ambrosio, Primasio, Remigio, Haimone, Sedulio, simili & eodem prope dicendi genere expositus: fuítque à multis sæpe obiectus, & sæpe à multis explanatus. Si Chrysostomo per Hardingum licuisset suam ipsius aperuisse mētem, hic locus nihil obscuri aut ambigui habuisset. Sic enim ait: *Offerimus quidem, sed recordationem facientes mortis eius. Hoc sacrificiū exēplar illius est. Hoc, quod nos facimus, in commemorationem fit eius, quod factū est: Christus enim ait, hoc facite in meam commemorationem. Id ipsum semper offerimus: magis autem sacrificij recordationē operamur.* Hac loquendi varietate Chrysostomus animi sui sensum explicauit. Hardingus tamen consultissimum iudicauit hæc omnia occultare, & silentio præterire. Sanè commemoratio, seu figura, seu recordatio mortis, quam Christus appetiit, ad corporalem aut carnalem præsentiam probandam parum facit. Certum est integrum plenúmque Christum in omni communione præsentem adesse, vt Chrysostomus ait, non tamen corporali aliqua, aut carnali præsentia: Non enim ita dicit Chrysostomus: sed quia gratia sua, & sancto spiritu plenè atque perfectè in fidelium cordibus operatur. Augustinus, aliíque nonnulli eruditi patres eodem loquendi genere vsi sunt, & Chrysostomi mentem cumulatè videntur explicasse. Augustinus sic scribit: *Veritas vna est, qua illustrantur animæ sanctæ. Sed quoniam multæ sunt animæ, in ipsis multæ veritates dici possunt. Sicut ab vna facie multæ in speculis imagines apparent.*

Chrysostom. in epist. ad Hebræ. hom.17.

Augustin. in psalm. 11.

Iterum Augustinus ait: *Sapientia Dei, verbum Dei, Dominus Iesus Christus vbique præsens est: quia vbique est veritas, vbique est sapientia. Intelligit quis in Oriente iustitiam: Intelligit quis in Occidente iustitiam: nunquid alia iustitia est, quam ille intelligit, alia, quam iste?* Similiter dixit Origenes, neque multùm à Chrysostomi dictione aberrauit: *Et hodie in hac congregatione Dominus loquitur: & non solum in hac, sed etiam in alio cœtu, & in toto orbe docet Iesus, quærens organa, per quæ doceat.* Hoc modo Christus in sacra liturgia præsens adest, quia veritas eius, sapiētia, iustitia, verbum in ea est, quēadmodū in speculo facies, non corporali, aut carnali præsentia. Ad hunc modū scribit Ambrosius: *Cœlum aspice, Iesus illic est: Terram intuere, Iesus adest: Si ascenderis in cœlum, Iesus illic est: Si descenderis ad infernum, Iesus adest: hodie cum loquor, mecum est: intra hunc punctum, intra hoc momentum. Et, si in Armenia nunc loquatur Christianus, Iesus adest. Nemo enim dicit Dominum Iesum, nisi in spiritu sancto.* Hoc præsentiæ genere, Chrysostomus non modò Christi corpus, quod immortale est, & gloriosum in diuersis locis eodem tempore esse confirmat, sed etiam alium quemlibet hominem pium, quamuis mortalem, ita esse ostendit. Sic enim scribit: *Vidistis charitatis excellentiam, quemadmodum vnum hominem inexpugnabilem reddat, & multiplicet: & quemadmodum vnus in multis locis esse possit: idem & in Perside, & Romæ. Nam quod natura non potest, potest charitas. Nam eius hoc quidem hîc erit, hoc autem illic: quin potiùs integer hîc, & integer illic. Itaque si mille habeas amicos, vel duo millia, perpende, quorsum possit potentia peruenire. Vides quemadmodum Charitas res sit augmentatiua. Hoc enim est mirabile, quòd vnum facit millecuplum.*

Augustin. in Ioan. Tract.35.

Orig. in Luc. Hom.32.

Ambr. in Luc. lib.2. cap.1.

Chryso. ad populum Antioch. homil.51.

Idem licet Bernardo quoque responsum dare: quanquam huius hominis in hac causa testimonium minùs valet, vtpote qui in ipso deprauatissimo seculo vixerit, annis à Christo plùs minùs mille suprà centum, quingentis minimùm extra primorum sexcentorum ambitum.

Hardingus. 9. Sectio.

OMnes ergo hi patres, & cæteri similiter, quos prætermisimus, vna quasi voce confitentur & prædicant, Christum patri ad dextram assidere, & tamen esse eodem tempore præsentem in sacramento,

in cœlo simul & in terra, ac in multis variisque locis existere eodem temporis momento vnum eundémque vbique offerri, vnicum ac verum ecclesiæ sacrificium. Estque hic articulus tam perspicuè támque dilucidè ab illis expositus, vt [a] *Figuræ, significationes, Tropi, ac Metaphoræ nullam possint vel imaginem veritatis retinere. Quare recentium Magistrorum argumenta nimis videntur illa quidem peruersa: Christus ascendit: ergo, non est in sacramento: Christus in cœlo sedet ad dextram patris: ergo, non est in & terris: Christi corpus est natura finitum: ergo loco continetur circunscriptiuè: ergo in multis locis non est.*

[a] Falsum: hæc enim ipsa Ambrosii & Chrysostomi verba figurarum plena sunt, vt ostendã.

Episcopus Sarisburiensis.

NOn opus habet Hardingus magnam in diluendis nostris argumentis operam consumere. Ei satis est suo quodam iure sententiam dixisse, omnia recentium horum Magistrorum argumenta præpostera esse, atque peruersa. Sanè, ipsa materia, filúmque libri Hardingiani, eum præposterè argumentandi egregiè peritum esse ostendit: alioqui nunquam huiuscemodi argumentationibus ita abundare, atque affluere potuisset. Cæterùm, veteres eruditi patres istiusmodi argumentis ab humanitate Christi desumptis, frequenter ac liberè vsi sunt, neque tamen à quoquam proinde nisi, ab hæreticis, de peruersitate sunt vnquam postulati. Augustinus inquit: *Donec seculum finiatur sursum est Dominus: sed tamen etiam hic nobiscum est veritas Domini. Corpus enim in quo resurrexit, in vno loco esse oportet.* Et Cyrillus: *Christus nō poterat in carne versari cū Apostolis, postquam ascendisset ad patrem.* Sic quoque Augustinus ad Manichæum hæreticum, qui Hardingianum hunc errorē non parum olere videbatur, scribens, ait: *Christus secundum præsentiam corporalē, simul & in Sole & in luna, & in cruce esse non potuit.* Iterū ait: *Christus venturus est illa Angelica voce testante, quemadmodum ire visus est in cœlum id est, in eadem carnis forma atque substantia: cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit.* Hæc Augustinus: & his addit: *Qui dicit Christi corpus in cœlo pariter & in terra eodem tempore esse, naturam corporis Christi funditus dissoluit ac destruit.*

De Con. dist. 2. Prima. Cyril. in Ioan. lib. 11. cap. 3.

August. contrà Faustum Manichæum lib. 20. cap. 11.

Augu. epist. 57.

In summa, ne testimoniorū multitudine lectorē videar obruere, Augustinus, quasi præsagitione aliqua, insigne quiddam de hac re habet: *His dictis, mox ascendit in cœlum: præmunire voluit aures nostras aduersus eos, quos procedentibus temporibus exurrecturos esse prædixerat, & dicturos: Ecce hîc Christus, ecce illic: quibus ne crederemus admonuit: nec vlla nobis excusatio est, si crediderimus aduersus vocem pastoris nostri tam claram, tam apertam, tam manifestam, vt nemo vel obtusus & tardus corde possit dicere, Non intellexi.* Sic quidem antiqui & Catholici patres multum firmamenti & virium habere ea argumenta iudicauerunt, quæ à Christi humanitate, & naturali corporis ipsius substantia petierunt: sed fortasse in nouorum Magistrorum numero omnes hi habendi sunt, & eorum argumenta peruersitatis damnanda.

August. de vnitate ecclesiæ. ca 10. Matth. 24. Luc. 17.

Videamus ergo, quænam Hardingus, eiúsque collegæ argumenta excogitarunt. Sic igitur concludunt: *Christus humanitate sua in cœlum ascendit: cœlis oportet eius corpus comprehendi, vt ait, Petrus, Donec omnia restaurentur: D. Paulus ait, Nostra conuersatio est in cœlis, vnde expectamus seruatorem nostrum Iesum Christum: Christus inquit, relinquo mundum, & abeo ad partem: pauperes semper vobiscum habetis, me autem non semper habebitis. Ergo (inquit) Christus adhuc in mundo est corporali sua & carnali præsentia: Christi corpus est natura ac substantia finitum: Ergo est in infinitis locis: Christus habet duo corporum genera, vnum locale tantùm, omnia alterius generis non localia: est in loco, & tamen nullum occupat aut complet locum: Est verum naturalis hominis corpus: neque tamen rotundum est, neque latum, neque crassum, neque breue, neque longum. Nullam habet in se vel distantiam, vel differentiam partium, veluti inter hunc & illum oculum, inter oculum & aurem, aut caput & pedem: sed oculus, auris, brachiū, manus, calx, digitus, caput & pes, omnia simul sunt, & singula aliud, & vniuersa vnū. Christi corpus plenū est & integrū in decies mille locis diuersis: & tamen ista omnia vnum tantùm corpus faciunt.* Ita apud hos homines, vnum est multa, & multa vnū sunt: sursum est deorsum, & deorsum est sursum: Locale est non locale, & non locale, est locale: atque hæc omnia nulla vel diuini verbi, vel cuiusquam veteris Catholici patris authoritate dicuntur. Hæc sunt Catholicæ Hardingi conclusiones, non aliæ profectò, quàm quas Eutyches, Apollinarius, Manichæus, aliíque non dissimiles hæretici antiquitus defenderunt: itaq; nūc non debent peruersæ existimari. Atque vt meliùs possis (humane lector) horū hominū dogmata ac pręcepta degustare, quámque ea sint vera & solida experiri, expende (quæso) hæc Roberti Holcoti primarij apud eos viri verba: *Si fuissent mille hostiæ in mille locis, eo tempore, quo Christus pependit in cruce, Christus fuisset crucifixus in mille locis.* Iterum: *Pono, quod tempore illo anima Christi discedens à corpore in cruce, venerit & requieuerit in aliqua hostia. Si sic, tum Christi corpus & mortuuum, & viuum simul fuisset.* Hæc Holcotus.

Act. 1. Act. 3. Philippens. 3. Ioan 16. Matth. 26.

Thom. in 3. q. 75. ar. 30.

Holcot. in 4. Sent. q 3.

Hîc, Lector, habes Hardigianæ disciplinæ specimen, præ qua aliæ omnes, vt peruersæ & conturbatæ, damnandæ scilicet sunt atque abiiciendæ. Equidem miseret me istorum, qui inanissimis opinionum fluctibus huc atque illuc impelluntur, quíque, vt Paulus ait, *Doctores legis esse cupiunt, non intelligentes quid vel dicant, vel affirment.* Augustinus quidem inquit: *Quando de forma serui cogitas in Christo, humanam effigiem cogita, si est in te fides.* Hæc res (inquit Hardingus) adeo luculenter est à patribus explicata, vt Figuris, Significationibus, Tropis, ac Metaphoris nullus omnino locus relinquatur. Non ita diceret Hardingus, si lectoris sui rationem vllam haberet. Ex ipso adeo, filo quo hi patres in scribendo vtuntur, Christus venit, & tamen non venit: Christus non videtur, & tamen videtur: Christus manibus pertractatur, & tamen nemo potest illum tangere: Omnes illum sine dolo & fuco vident, & tamen nemo illum videt: Elias est sursum, eodémq; tempore

1. Timoth. 1. August. in Ioan. Tract. 40.

tempore Elias est deorsum. Eliæ tunica vocatur Elias. Chrysostomus & Ambrosius orationis suæ intentum nimis filum remittere & relaxare coguntur, atque his Memoriæ, Exempli, commemorationis ac recordationis vocabulis vti. Quid autem ista aliud innuunt, quàm figuras? Hardingus tamē Significationes & figuras exterminatas omni loco ait. Dei populum tam fœdè ludificari immanis est cuiusdam importunitatis.

Hardingus. 10. Sectio.

IN quibus exilibus conficiendis argumentis, ne volunt quidem videri agnoscere, cuiusnam corpus sit, illud nempe, quod Dei proprium est, cuius potestas res omnes complectitur, cuique omnia obsequuntur & parent.

Episcopus Sarisburiensis.

IMo verò ingenuè fatemur & agnoscimus, Christi corpus esse filij Dei corpus, & proinde veri Dei corpus: tamen nos nouimus, neque Hardingum oportuit ignorare, idem illud Christi corpus esse creaturam, atque iccirco non esse Deum. Et sanè, si Hardingus diligenter suæ disciplinæ principia secum reputasset, facilè huius rationis futilitatem agnoscere potuisset. Ei enim aduersatur Albertus Magnus, Doctor in suis primarius. Ita scribit: *Corpus Christi non est in pluribus locis ratione vnionis, sed ratione cōsecrationis, quia consecratur in pluribus locis.* Sic Albertus de Christi corpore pugnantia cum Hardingo scripsit, quanquam cuius corpus esset non nesciret.

Alber. Magnus in Dionys. Ecclesiast. Hierarch.

Eutychianus quidem ait: *Hæc fallendi simplices, atque ignorantes hæreticis occasio fuit, vt quæ ab eo secundùm hominem dicta sunt, dicta esse secundùm diuinæ naturæ infirmitatem mentiantur: & quia vnus atque idem est, loquens omnia, quæ loquitur de semetipso, omnia eum de diuinitate loquutum esse contendant.* Eutychianus hæreticos olim esse isto Hardingi argumento abusos ait ad populum eo tempore fallendum, quemadmodum nunc facit Hardingus. Sic priscis seculis Saturninus, Manichæus, Marcion hæretici carnis Christi veritatem sustulerunt, quia fuit ea cum Diuinitate vnita & coniuncta. Athanasius autem & Epiphanius Apollinarium hæretici cùm affirmasse atque populum docuisse scribunt, Christi corpus vnius esse cum Deitate substantiæ.

Eutychian. p. p. epist. 1.

Athanas. de incar. Christi. Epiphan. de Ebionæis. τὸ σῶμα χριστοῦ ὁμοούσιον εἶναι τῇ θεότητι

Huius vnionis consideratio Iustinianum Cæsarem induxit in eorum hominum hæresin, qui nominati sunt ἀφθαρτοδοκῖται, quorum hic error fuit, vt Christi corpus semper gloriosum fuisse, omnique corruptione caruisse dicerent. Eadem quoque Eutychetem & pium illum doctúmque patrem Hilarium fefellit, vt suprà dixi. Istas omnes hæreses, & hos errores vna Hardingi ratio peperit, cùm ipsi authores & magistri, propter summum eúmque debitum corpori Christi honorem, nimis illi quidem reputarent, cuius corpus esset.

Euagr. lib. 4. cap. 36. Niceph. lib. 17. cap. 29. Hilar. de Trini. lib. 10.

Est verò, vt antè dixi, Dei corpus. At Augustinus ait: *Non quod in Deo est, est vbique vt Deus:* Et rursus: *Cauendum est ne ita Diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus.* Atque ob eam causam Epiphanius immortalis Christi corporis, quale est nunc in cœlo, conditionem exponens, ad hunc modum scribit: *Sedet ad dextram patris in gloria non deponens corpus, sed spirituali quadam conditione in vnius Deitatis perfectione coniungens: quemadmodum corpora nostra, quæ nunc secundùm carnem seruntur, resuscitabuntur secundùm spiritum.* Sic pius ille Martyr Vigilius ait: *Caro Christi quando in terra fuit, non erat in cœlo: & nunc quia in cœlo, non est vtique in terris.* Hic pietate insignis pater, pro certissimo affirmare nō dubitat, *in terris vbique non esse:* idque hac sola ratione cōfirmat, *Quia est in cœlo.* Ad extremū autē ita cōcludit: *Hæc est fides & professio Catholica, quam Apostoli tradiderunt, Martyres roborauerunt, & fideles hucusque custodiunt.* Sic veteres Catholici patres antiquitus de corpore Christi senserunt, atque scripserunt: cum interim, cuiusnam hoc corpus esset, satis illi memoria tenerent.

August. epist. 57. ad Dardanum. Epiph. lib. 3. In breui declaratione de Fide Catholica. ὡς καὶ τὰ ἡμῶν σώματα μέλλει. &c. Vigilius contra Eutychem. lib. 1. *Quia est in cœlo.*

Hardingus. 11. Sectio.

SEd quandoquidem Iuellus, cæterique sectarij, hosce patres, licèt antiquos (Bernardum excipio) atque ab ecclesia pro diuis habitos parui videntur facere, testimonium adducam Martini Buceri, noui è sua schola doctoris, licet nondum quod sciam, in sanctorum canonicorum album inscripti. Iste nouus pater, quem illi tanti æstimant quique Eduardo sexto rege Theologiam Cantabrigiæ professus est, audacter vereque Realem corporis Christi in sacramento præsentiam asserit. Ait enim, Christus non dixit, Hoc est spiritus meus, hoc est virtus mea: sed hoc est corpus meum. Credendum igitur est (inquit) Christi corpus ibi esse, illud ipsum corpus, quod in cruce pependit, Dominum ipsum. Atque vt hoc aliqua ex parte commodius explicare possit solis similitudine vtitur, vt contra negatiuam *Iuelli defensionem Christi corpus præsens adesse confirmet, idq; realiter, & substantialiter, in quibuscunque locis sacramentum rite administratur. Hæc illius verba sunt:* Vt sol verè vno in loco cœli visibilis circunscriptus est, radijs tamen suis præsens verè & substantialiter exhibetur, vbilibet orbis: Ita Dominus etiamsi circunscribatur vno loco cœli arcani, & diuini, id est, gloriæ patris, verbo tamen suo, & sacris symbolis, verè & totus ipse Deus, & homo præsens exhibetur in sacra cœna, eóque substantialiter, quam præsentiam non minùs certò agnoscit mens credens verbis his Domini, & symbolis, quàm oculi vident, & habent solem præsentem demonstratum, & exhibitum sua corporali luce. Res ista arcana est, & noui testamenti, res fidei: non sunt igitur huc admittendæ cogitationes de præsentatione corporis, quæ constat ratione huius vitæ etiam patibilis & fluxæ. Verbo Domini simpliciter

In Comentar. in 16. c. Matth.

Hæc solis similitudo rem omnem illustrat. Substantia enim corpúsque solis in vno tantùm loco præsens adest.

est inhærendum, & debet fides sensuum defectui præbere supplementum. *Hic iam videmus, vt Bucerus, quanquam in multis alijs fidei momentis & ipse deceptus fuerit, & alios deceperit, huius tamen articuli veritatem solidè liquidóque confirmet. Tantas profectò veritas vires habet, vt nonnunquam ipsis adeo veritatis hostibus confessionem exprimat atque eliciat.*

Noli cum ecclesia pugnare, Iuelle, sed cum ecclesiæ inimico: cum illo pugna, quem in desciscendo ab ecclesia imitatus es, qui tamen veritatis viribus non potuit obniti, quin coactus esset contra te veritatem agnoscere, & confiteri, his disertis verbis: verè, & totus ipse Deus & homo præsens exhibetur in sacra cœna, eóque substantialiter.

Episcopus Sarisburiensis.

DEi nomen omnibus laudibus afficiatur: neque nos in istis controuersiis antiquorum patrum iudicia repudiamus, neque hactenus Hardingus iustam, quod quidem appareat, nactus est eo nomine exultandi causam. Hic nunc Doctoris Buceri authoritatem adducit, non secus profectò ac olim Eutyches hæreticus, suæ hæreseos patronum citauit Cyprianum, & Nectoriani hæretici Niceni Concilij authoritatem iactarunt. Quanquam & Bucerus, homo pacis studiosus, vt dissensiones & discordias tolleret, voces quasdam ἀδιαφόρως non grauatè approbauit: vt olim eruditus ille pater Osius in Concilio Ariminensi nonnihil Arianis concessit, tamen quid de hac re perpetuò senserit atque statuerit, compertum semper fuit & exploratum. Ipsáque adeò similitudo solis qua vtitur, eius sententiam non sinit esse ambiguam. Quemadmodum enim corpus, orbísque solis vnum certum cœli locum occupans, radios suos longè latéque diffundit, & mundum arcanis quibusdam viribus imbuit, ita quoque Christus, sol ille iustitiæ vno loco circunscriptus, & ad dextram Dei sedens, radios similiter suos iacit, atque in fideles influit, eósque sustentat, non nuda quadam imaginatione seu inani opinione, sed verè, substantialiter, & reipsa. Et sicut sol mundum radiis suis absens magis fouet & recreat, quàm si ipsa eius substātia ac globus hîc in terra statueretur: sic etiam corpus Christi in ipsa carnis nostræ substantia ac natura ad patris sui gloriā subuecti, ibique veniam peccatorum nostrorum perpetuò implorantis, multò est nobis iucundius, multóque magis & corpora nostra & animas cœlesti sua & spirituali virtute exhilarat, quàm si aspectui nostro præsens carnaliter adesset. Atq; vt sol non cœlo delapsus, non locū mutans, nobis tamen intra domos, præ oculis, præ manibus, in sinu præsens adest: ita sanè Christus in cœlo remanens, non è loco superiore veniens, nec suum illic locum relinquens, nobis nihilominus præsens adest in cœtibus, in cordibus, in precibus, in baptismi mysterio, & in corporis sanguinísque sui sacramento. Iccircò Ambrosius ait: *Maria, quia quærebat in terra, tangere non potuit: Stephanus tetigit, quia quærebat in cœlo.* Iterum Ambrosius: *non enim corporali tactu, sed fide tangimus,* & proinde rursum ait Ambrosius: *Stephanus intra cœlos Dominum cernit absentem.* Sic Origenes: *Per Euangelistarum & Apostolorum prædicationem: per sui sancti corporis & sanguinis sacramentum: per gloriosum crucis signaculum nobiscum Deus.* Sic Augustinus: *O stulta infidelitas persequentis. Si quæris exilium, quo Christianus iubeatur ire, priùs, si potes, inueni, quo Christus cogatur exire.* Iterum, sic ad piam viduam Italicam scribit: *Non debes te desolatam arbitrari, cum in interiore homine habeas Christum præsentem per fidem in corde tuo.* Sic iterum: *Non est Iudæus, non est Græcus, &c. Sed omnia & in omnibus Christus.* In eundem sensum Hieronymus dicit: *Tangat digitulo, & vltro eximus: Domini est terra, & plenitudo eius: Christus loco non tenetur inclusus.*

In Concil. Calchedon. acti. 1. Concil. tomo 1. in Apologetico Cyrilli. In præfatione Concil. Sardicen. Hilarius.

Ambr. in Luc. lib. 10. cap. 24. Ibidem. Ambr. Sermo. 58. de Maria Magdal. Origen. in diuersos euangelii locos. hom. 1. Augúst. de natali 8. Cypr. Serm. 12. Idem epist 6. Augu. de Sermone Domini in monte lib. 1. Hieronym. aduersus errores Ioan. Hieroso. Augúst. in Ioan. tract. 121. Bernardus in Cant. Canticorum Serm. 26.

Hoc modo Christus nobis præsens adest: hoc modo Christum tangimus: hoc modo Christum cernimus: istud verò quicquid est, fide perficitur, nec eget locali, aut carnali præsentia. Ob eam causam Augustinus ait: *non rectè tangitur, id est, non rectè in illum creditur.* Sic Bernardus: *Tangitur, sed affectu, non manu: voto, non oculo: fide, non sensibus:* Nos itaque didicimus Christum nobis adesse, non modò, vt Hardingus ait, ad breuissimum & minutum tempus, in quo neque suauitas vlla, neque solatium inest: sed etiam verè, efficaciter, atque adeo, si eo vocabulo delectatur, Substantialiter, & in perpetuum, quoad mundi fabrica dissoluetur. Neque sanè Christi præsentiā labefactare existimandus est, quisquis istud crassæ ac carnalis præsentiæ figmentum respuit. Origenes dicit: *Si virtus Iesu congregatur cum his, qui congregantur in nomine eius, non peregrinatur à suis, sed semper præstò est eis.*

Orig. in Matth. tractatu 33.

Hæc pauca, vti spero, perspicuè declarant, nos ab ecclesia Dei neque desciuisse, neque contra ecclesiam dimicare. At tu Hardinge, splendido hoc ecclesiæ titulo amictus hominum aspectum latere te posse confidis. Cæterùm, vt duo sunt fidei genera, ita quoque ecclesiarum genera sunt duo: hæc vera, illa falsa: vestra ecclesia, Dei verbo nunc prorsus destituta, instar est laternæ lumine carentis. Leo scribens contra quosdam homines vestri simillimos, sic ait: *Ecclesiæ nomine armamini, & contra ecclesiam dimicatis.* Ita Ioannes in Apocalypsi inquit: *Qui se dicunt Iudæos* (id est, Dei populum) *sed sunt synagoga Satanæ.* Desine tandem Hardinge sic contra Deum dimicare: desine cum tua ipsius conscientia bellum gerere: Durum est tibi sic in stimulum impingere. Quantò quidem magis pugnas, tantò magis, magísque inopiam tuam prodis: hæc pigmenta, atque has vmbras euanescere necesse est: Deus eiúsque veritas victoria potientur, Amen.

Leo ad Palæstinos. Apocalyp. 2.

Act. 9.

Hardingus. 12. Sectio.

CVm autem (vt paucis complectar) præcipua illorum argumenta, qui corpus Christi non posse in multis locis simul esse contendunt, à natura desumpta sunt, quam quidem existimant hoc Articulo violari

violari & pene aboleri: cogitare debent Deum naturæ parentem, posse in corpore agere id quod est supra corporis naturam salua interim atque incolumi natura. Quod profectò Platoni Ethnico philosopho si reuiuisceret, facilè persuaderetur. Is enim interrogatus quid esset natura, respondit: Quod Deus vult. *Atque iccircò credimus Enoch & Eliam, natura adhuc mortales, Diuina virtute in corpore viuere: idque supra naturam. Abacuck fuit eadem virtute subleuatus, & temporis momento è Iudæa in Babylonem perlatus, integra eius natura. D. Petrus diuino munere secundùm naturam in terra ingressus est: idem diuino etiam munere supra naturam in aquis ambulauit. Christus iuxta assumptæ naturæ conditionem morte affectus est in corpore: idem Christus diuina sua potestate cum corpore suo intrauit ad discipulos per occlusas fores.*

Hardingus non satis attendisse videtur, quid Plato senserit.

Episcopus Sarisburiensis.

NOstra argumenta non naturæ duntaxat ratione, sed certa etiam explorataque Dei voluntate nituntur: huiusmodi autem argumentis, patres olim orthodoxi de humanitate Christi differentes, contra Apollinarium, Manichæum, Eutychem, aliósque consimiles hæreticos, vti consueuerunt: idque sine cuiusquam reprehensione factitarunt. Etenim naturalis ratio suis conclusa finibus veritatis diuinæ non inimica, sed filia existimāda est. Quapropter rationis expertem necesse est esse eum, qui sic sine causa succenseat rationi. Verùm Hardingus non modò scripturarum doctorúmque in ista causa, verùm etiam rationis authoritate caret. Quod ad Platonem attinet, fuit quidem Hardingus in aliquas angustias coniectus, cum Physicum philosophum coactus esset in medium producere, ad probanda Christi mysteria. Hæc res intra hosce paucos centenarios annos multis modis tentata fuit: Dialecticis: Philosophicis: Metaphysicis: veterum patrum nominibus. Cùm autem ista omnia nihil adiumenti adferrent, excogitarunt tandem & in lucem protulerunt *Animosam fidem*, id est, fidem nullo Dei verbo stabilitam, ad incerta quæque credenda pronam ac facilem. Postremò cùm hæc quoque eos deficeret, vtpote nullo constituta fundamento, miraculorum satis & portentorum finxerunt, eáque illi adiunxerunt: tunc demum nihil defuit ad rem egregiè strenuéque confirmandam.

At Plato inquit: *Natura est, quod Deus vult.* Primùm, quid si Hardingus Platonis mentem non intelligat? tum quid si Plato nunquam assequutus fuerit, quid hîc Hardingus velit? Nunquid oportet Platonis nomen singulis Hardingi somniis confirmandis inseruire? Plato ait, naturam esse quicquid Deus voluerit. An ergo nobis dicendum erit, frigidum esse calidum: album esse nigrum: accidens esse sine subiecto: subiectum sine accidentibus: corpus non esse corpus: naturam finitam esse infinitam? Quam verò nouam & inauditam Philosophiam excogitauit nobis Hardingus? Isti homines nullum respuunt telum quantumuis inutile, si modò aliquid omnino illorum causam iuuare posse videatur.

Epicuræi Philosophi Deum fingebāt in cœlo otiosum & quietum sedere, nullámque gubernandi mundi curam aut molestiam suscipere: & proinde naturam fortuitò tantùm à seipsa regi, nulli certo Dei imperio aut moderationi subiectam, & quicquid in tota rerum natura fieret, ab alia quauis causa, non à Deo proficisci. Contrà Stoici Deum nihil aliud esse, quàm naturam commenti sunt, atque ideò omnia necessitate fatóque euenire, Deúmque nullum posse miraculū, nec omnino quicquam contra communem naturæ legem efficere. Hæc ambo commenta Plato breui isto responso refutauit, *Natura est, quod Deus vult.* Hoc autem nihil aliud est, quàm naturam Deo subiectam, & obsequentem esse, nihil naturæ vel fortuitum, vel necessarium accidere: sed Deum omnia nutu suo administrare, causásque, quas vocant, naturales diuinæ tantùm volūtatis esse instrumēta. Quam ob causam naturam aliqui equo comparant, Deum equiti, qui naturam quasi fræno quodam moderetur, eámque, vt volet, regat. Propterea Origenes inquit: *Anima mundi est virtus Dei.* Et Basilius: *Mundus est schola animarum, quæ nobis Dei cognitionem tradat.* Iccircò fuit quidem Deus ea potestate vt posset mare diuidere: solem retrahere & inhibere: terrā aperire: efficere vt fluuius Iordanis instar muri consisteret: Ignem ne exureret, aquam ne fluctu obrueret, reprimere. Si harum rerum causam quisquam velit indagare, nullam nisi Dei voluntatem reperiet. Huius rei gratia Simonides philosophus dicere solitus est. *Solus Deus est Metaphysicus*, & Pindarus non aliam ob causam Deum appellauit ἀριστότεχνον, id est, optimum & peritissimum artificem. Similiter Augustinus ait: *Quomodo est contra naturam, quod Dei fit voluntate, cùm voluntas tanti conditoris sit cuiuscunque rei natura.* Hæc fuit sine dubio Platonis sententia: nunc argumenta Hardingi inspiciamus.

Origen. περὶ ἀρχῶν lib. 2. cap. 1. Basil. Hexameron Hom. 1. ψυχῶν διδασκαλεῖον, καὶ θεογνωσίας παιδευτήριον.

August. de ciuitate Dei lib. 21. cap. 8.

Natura est quod Deus vult: Elias & Enoch adhuc suis corporibus viuunt: Abacuck correptus est: & ad Babylonem perlatus: D. Petrus in mari ambulauit: Ergo Christi corpus eodem tempore est in mille locis. Hæc argumenta tenent *à posse* ad *esse*, súntque Manichæo & Eutycheti hæreticis multò quidem aptiora: in scholis verò Catholicis nullum locum habent.

Sed vnde Hardingus tam cognitam habet & exploratam Dei voluntatem: vnde nouit Deum velle vt corpus Christi in mille simul locis sit: vt vbique sit: vt infinitum sit: vt nullum denique corpus sit? Hoc certè antiqui patres, quantum quidem ex illorum scriptis colligi possit, nunquam intellexerunt. Contrà dixisset rectiùs, ita Deo visum esse, vt Christus naturalē humani corporis substantiam susciperet, vtque per omnia fratribus esset suis similis, & vt illius corpus creatura esset, atque sicuti ait Augustinus, *in vno loco esset.* Hęc est Dei nota certáq; voluntas, & hæc proinde si Platonem sequimur, natura est. Augustinus ait, quemadmodum est à nobis antè citatus: *Christus corpori suo immortalitatē dedit naturam non abstulit.* Tantùm scilicet ex Platone nactus est Hardingus.

Hebr. 2. August. de consecra. dis. 2. prima. Aug. epist. 57.

Hardingus. 13. Sectio.

Christus in vltima sua cœna secundùm naturam cum duodecim discipulis assedit & locum inter eos visibiliter occupauit ad secundùm diuinam potestatem corpus ipse suum manibus suis ibi tennit inuisibiliter. Nam vt ait [a] *Augustinus* Ferebatur manibus suis, *vbi natura quidem cessit, atque illius corpus in pluribus locis fuit. Certè non est abbreuiata manus Domini, eius potestas æquè non est magna ac olim fuit. Non sit itaque nobis dubium, quin possit natura finita perinde vt infinita vti: præsertim cũ corporis eius natura sit post resurrectionem à mortuis glorificata. Et vt viui non sunt in mortuis quærendi, ita quæ Dei potestate supra naturam fiunt ad naturæ normam exigi non debent.*

[a] Falsum in ementiendis & perperam interpretandis Augustini verbis.

In expositione Psal. 33.

Episcopus Sarisburiensis.

AVgustinus inquit, *Christus ferebatur in manibus suis*, Hæc verba sæpe obiecta sunt: videntúrque primo aspectu ad rem Hardingianam accommodata: sed penitus excussa & examinata facilem præbent promptámque responsionem. Primùm, omnes norunt ac confitentur Augustinum in hisce repetendis verbis, vel translationis vitio, vel alio quopiam errore deceptum fuisse admodum, illúdque pro scriptura vsurpasse, quod quidem neque pars vlla est scripturæ, neque omnino alicubi reperitur. Quod enim ait, *Dauid ferebatur in manibus suis*: ipse textus ita sonat: *Collabebatur in manibus eorum.* Atq; Basilius quidem ita recitat & interpretatur illum locũ: παραφερόμενος ἐν ταῖς χερσὶ τῶν οἰκείων, Augustinus igitur in textu lapsus, vim verbis afferre coactus est.

1. Samuel. 21.

Basil. in Psal. 33.

At Hardingus ait, Augustini diserta verba sunt, *Christus ferebatur in manibus suis.* Iniquum profectò est & ininrium, Doctorum sententias ita circuncidere atque amputare: paucísque verbis illatis cætera prætermittere, eáque præsertim, quæ rem attingunt multúmque lucis possunt toti sententiæ afferre. Non enim dicit Augustinus, Christum realiter, substantialiter, & reuera se manibus suis tulisse, vt hîc falsò positum est: neque vt de suo adiecit Hardingus, *Diuina sua potestate & inuisibiliter*: verùm contrà, sic se ipse his verbis interpretatur: *Ipse se quodammodo portabat,* Vocabulum istud *quodammodo* in scholis vocatur *terminus diminuens* ac sæpe in disputando errorem gignit. Hæc enim *Quodammodo*, & *verè*, semper contraria sunt. Sic Augustinus ait: *Sacramentum corporis Christi secundùm quendam modum corpus Christi est.* Modũ autem istũ ita explicat: *Nisi enim sacramenta similitudinem quãdam earum rerum quarũ sacramenta sunt, haberent, omnino sacramenta non essent.* Similiter Bertramus: *Secundùm quẽdam modum corpus Christi est: modus hic in figura est, & in imagine.* Ipsa quoque indocta glossa super decretis hunc modum similiter interpretatur: *Cœleste sacramentum, quòd verè repræsentat corpus Christi, dicitur corpus Christi, sed impropriè: vnde dicitur, suo modo, sed non rei veritate, sed significante mysterio: vt sit sensus: vocatur corpus Christi, id est significat corpus Christi.* De eo autem, quod Christus manibus suis tenuit, Augustinus panem fuisse confitetur: sic enim ait: *quamuis panem quem Dominus gestauit in manibus, oculis suis non aspexerint:* Iste panis tamen, quia est corporis Christi sacramentum, *quodammodo*, vt dicit Augustinus, Christi quoque corpus appellatur. Sic sæpe Augustinus vtitur hac voce *quodammodo*: exempli causa, sic scribit: *Ecclesia quos lucrata fuerit aliquo modo, eos manducat quodammodo.* Iterum in eundem Psalmum: *Quid est hærere cornibus, nisi quodammodo crucifigi? Figura est ista de Christo.* Hoc modo dicit Augustinus Christum *quodammodo*, non verè, non reipsa, sed in sacramento, aut figura suis se manibus gestasse.

August. epi. 23. ad Bonifacium

Ibidem.

Bertramus de Sacramento Euchar.

De consecra. Dist. 2. hoc est in Glosa.

August. de verbis Domini in Euangelio Matth. serm 33.

August. in Psal. 30.

Sed instabit Hardingus, & illud Augustini vrgebit, *Hoc quomodo intelligatur in ipso Dauid secundùm leteram non inuenimus: In Christo autem inuenimus.* Ideò inquit, *hoc in Christo verum esse necesse est secundùm literam.* Iste error ex eo nascitur, quod Augustinus dixit, *secundùm literam*: hoc autem aliquando pro literali sensu, vel ipso vocabulorum sono capitur, aliquando pro historico sensu, id est, pro ordine seriéque historiæ. Augustinus ergo ait, secundùm literam, id est, historiam de Dauide scriptam, nobis non constare, illum manibus seipsum suis portasse: Christum autem *quodammodo*, hoc est in sacramento ad hunc modum se gestasse, ex ipsa Euangelij historia: seu *secundùm literam* perspicuum est. Quod autẽ ista vocabula secundùm literam ita vsurpata crebrò fuerint, cuius manifestum esse potest, qui antiquorum patrum scripta diligenter euoluerit & obseruauerit. Primùm, Augustinus in eo ipso loco de hac re ita scribit: *In regnorũ libris, vbi omnia nobis scripta sunt, quæ pertinẽt ad res gestas Dauid, non inuenimus hoc.* Rursus in codẽ loco: *Christus cum cõmendaret corpus & sanguinem suum, humilitatem suam commendauit, in eo, quod in ipsa historia scriptum est in illo quasi furore Dauidis.* Hoc illud est quod Augustinus his verbis significare voluit, *secundùm literam.* Quod verò hæc vox *litera*, sæpe idem valeat, quod historia, multis modis apparet. Augustinus sic dicit: *Ambrosius cum tractaret hunc locum ait: nec historia, nec litera docet, Mariam gladio finiuisse vitam.* Sic Hieronymus: *Escam dedit timentibus se:* In tempore famis pauit Eliam: in solitudine pluit Manna Iudæis. Addit, *Et hoc secundùm literam*, id est, secundùm historiam. Similiter Gregorius: *Subditur quod de eo minimè scriptum legitur: effudit in terram viscera mea, ex qua re necesse est vt dum ista iuxta literam inuenire non possumus, ea, quæ in verbis eius secundùm historiã sonãt iuxta spiritum inquiramus.* Augustinus itaque his verbis, *secundùm literam*, vtitur, non pro literali sensu, vt isti homines contendunt, sed pro memoria atque intelligentia historiæ de Dauide scriptæ. Debuit Hardingus meminisse ementitas Doctorum sententias, non habere satis firmitatis ad efficiendum, quod vult: quanquam vehemẽter credibile est Hardingum non propter inscientiam, sed de industria hoc vocabulum *quodammodo* omisisse, & scientem volentémque Augustini sententiam deprauasse, atque corrupisse. Augustinus sanè nihil horum verborum habet, neque *diuina potestate*: neque *inuisibiliter*: neque *natu-*

August. in Psal. 33.

Secundùm literam.

August. in Psal. 33.

Ibidem. Concion. 2.

August. de sanctis sermo. 35.

Hiero. in Psal. 110. & 111.

Gregor. in Iob. libr. 13. capit. 6.

*natura locum dedit:*neque *Christus fuit in pluribus locis,quàm vno.*

Hardingus. 14. Sectio.

Atque vt omnes absurdæ & carnales cogitationes remoueantur, vbi verè Christiani homines credunt, corpus Christi in pluribus locis simul esse, illud ita esse in mysterio intelligunt. In mysterio autem esse, non est loco concludi, sed per diuinam potestatem præsens fieri ea ratione ac modo, quo ipse Deus nouit, ita profectò vt humanam rationem longè superet, neque quicquam habeat in natura rerum simile. [a] Quò illud insigne Augustini dictũ aptè referri potest: O homo si rationem hîc à me poscis, non erit mirabile:exemplum quæritur, non erit singulare. *Si diuina operatio(inquit Gregorius)ratione comprehendatur,non est mirabilis:neque fides meretur aliquid,cui ratio humana fidem facit.*

Quòd in mysterio fit nullam requirit corporalem localemue præsentiam. a Falsum. Hæc .n. Augustini, Gregoriique verba nihil ad sacramenti rationem pertinent.

August. epist. ad Volusianum. Item sermone 159. de tempore.

Episcopus Sarisburiensis.

Esse in mysterio cum circunstantiam locique necessitatem nullam postulat, vt suprà respondimus, tum corporalem aut realem præsentiam minimè requirit: quin contrà, Si Christi corpus reipsa præsens adesset,idque crassè & carnaliter,sicuti Hardingus imaginatur,tum certè mysterium non esset omnino. Namque adesse in mysterio, & corporaliter seu carnaliter adesse, sibi inuicem sunt contraria. Atque ideo Glosa, quam suprà citauimus, ait:*Sacramẽtum dicitur corpus Christi,non rei veritate,sed significante mysterio.*

De consecr. di. 2. hoc est. in Glosa.

Quòd autem ampliùs dicit, hanc mysticam præsentiam Deo soli cognitam esse,opinor etiam nostro Hardingo, & nemini præterea: hoc profectò totum nihil aliud est, quàm religiosa quædam insipientia,ad perstringendos simplicium & imperitorum animos inuenta. Scripturæ enim sanctique patres nullum agnoscunt huiusmodi mysterium. Sacramentum baptismi mysterium est,non minùs quàm sacramentum corporis Christi: & quemadmodum Christus est in hoc præsens,ita quoque in illo præsens similiter adest,id est,verè,reipsa,efficaciter: non tamen crasso isto carnalis præsentiæ modo, quem Hardingus statuit. Illæ Augustini atque Gregorij sententiæ ad Christi Incarnationem,ad diuinæ humanæque naturæ coniunctionem, & ad alios consimiles articulos,ac fundamenta religionis Christianæ solummodo spectant, in quibus natura atque ratio locum habere nullum possunt:& proinde ab Hardingo trahuntur ad causam alienam. Neque potest Hardingus verè dicere,in illis locis mentionẽ aliquam, vel verbum adeò vllum esse factum de sacramento.Quapropter videri posset Hardingus dedita opera voluisse Lectorem è recta via deducere,eúmque docere sic argumentari:

Christus miraculosè carnem accepit de beata Virgine:
Ergo,Christi corpus est realiter & carnaliter in sacramento.

Est sine controuersia verissimum religionis nostræ fidem rationis disquisitione non posse probari.Verùm quodque ingenij humani commentum non est pro fide Christiana habendum. Paulus ait: *Fides ex auditu: auditus ex verbo Dei.*Equidem nouum hoc Hardingianæ fidei figmentum veterum Catholicorum patrum ætate nec natum fuit,nec hominibus notum: quemadmodum ex ipsis adeo patrum monumentis intelligi potest.Nam vt alios mittam, quos in hac causa obiter, vt occasio tulit,recensui,Augustinus de hac re ex professo scribit ad Dardanum in hunc modum:*Noli dubitare ibi nũc esse hominẽ Iesum Christum,vnde venturus est,memoritérque recole, & fideliter tene Christianam confessionem,quoniam resurrexit à mortuis,ascendit in cœlum, sedet ad dextram patris,nec aliunde quàm inde venturus est,ad viuos mortuósque iudicandos. Et sic venturus est illa Angelica voce testante, quemadmodum ire visus est in cœlum,id est, in eadem carnis substãtia atque forma,cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundùm hanc formam (*humanam*) non est putandus vbique diffusus. Cauendum est enim ne ita diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus.* Iterum,*vnus Christus Iesus, vbique per id quod Deus est: in cœlo autem per id quod homo.*Rursus, *Semper quidem diuinitate nobiscum est: sed nisi corporaliter abiret à nobis, semper eius corpus carnaliter videremus.* Hæc verba diligenter notanda & obseruanda sunt. Si Christus hîc corporaliter adesset, carnaliter videretur:Ergo ex Augustini iudicio, Si Christus in sacramento adesset corporaliter nos illum in sacramento carnaliter cerneremus.Iterum Augustinus:*Et abiit,& hîc est:& rediit,& nos non deseruit.Corpus enim suum intulit cœlo: maiestatẽ autẽ,non abstulit mundo.*Iterũ: *Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis. Accipiant & hoc boni, sed non sint soliciti: loquebatur enim de præsentia corporis sui. Nam secundùm maiestatem suam, secundùm prouidentiam, secundùm ineffabilem & inuisibilem gratiam impletur, quod ab eodem dictum est, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Secundùm carnem autem, quam verbum assumpsit, secundum id quòd de Virgine natus est, secundum id quòd à Iudæis prehensus est, quòd ligno confixus, quòd de cruce depositus, quòd linteis inuolutus, quòd in sepulchro conditus, quòd in resurrectione manifestatus, non semper habebitis vobiscum.* Et iterum *: Dominus consolatur nos, qui ipsum iam in cœlo sedentem manu contrectare non possumus,sed fide contingere.* Rursus: *Si illi propterea crediderunt, quia tenuerunt, & palpauerunt, nos quid facimus? Iam Christus ascendit in cœlum, & non est venturus, nisi in fine,vt iudicet de viuis & mortuis.* Sic Origenes dicit: *Christus secundùm diuinitatis suæ naturam*

Rom.10.

August.Epi. 57.

Cui profectò immortalitatem dedit: Naturã non abstulit. Cauendum est ne ita diuinitatem hominis astruamus,vt veritatem corporis auferamus.

August. de verbis Domini in Euang. secundum Ioan.ser. 60.

Augu. in Ioan. tractat.50. ibidem.

August. in Epi. Ioan. tract. 1.

August. in Epi. Ioan.tract.2.

Origen.in Matth.33.

non peregrinatur à nobis, sed peregrinatur secundùm dispensationem corporis, quod suscepit. Rursus: *Nec est homo, qui est, vbicunque duo, vel tres in eius nomine fuerint congregati, neque Christus, vt homo nobiscum semper est vsque ad consummationem seculi.* Sic etiam Hieronymus habet: *Christus non est corporaliter in Ecclesia: surgens enim à mortuis ascendit in cœlum.*

Idem in eadem hom. Hieronym. in prouerb. libr. 1. cap. 8.

Ambrosium, Gregorium, Cyrillum, Basilium, Vigilium, Fulgentium, Didymum, Bedam, alióſque priscos patres prætermitto. Sic tum illi de corpore Christi senserunt: hanc catholicam esse fidem iudicarunt. Quanquam neque erant eo nomine pro nouis magistris condemnati: neque solius naturæ iudicio nitebantur: neque homines peruersis rationibus captabant: neque erant obliti Christi corpus cuiusnam corpus esset: neque immensæ Dei potestatis inimici habiti sunt: neque Ecclesiæ bellum intulerunt. Hardingus autem contrà nouis suis editis commentis Manichæos, Apollinaristas, Eutychianos, alióſque nonnullos teterrimos, & iam olim damnatos hæreticos tuetur, & patrociniis suis defendit.

FINIS.

DE ELEVATIONE,

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Episcopus Sarisburiensis.

VEl sacerdotem tum sacramentum supra caput sustulisse.

Hardingus.

QVANTI hæc ceremonia æstimāda, & quo numero habenda sit, Catholici Christiani homines, quos aduersarios vestros appellare soletis, Iuelle, æquè ac vos intelligant. Quod autem ad iocationes tuas attinet in quibus alterius instar Luciani, in Ecclesiæ sacramenta & religiosum eorundem vsum ludis, istos vniuersos articulos primaria nostræ religionis mysteria, & præcipuas claues vocans, sine quibus doctrinam nostram debilitari & corruere necesse sit: Tu velim scias & hunc, & alios nonnullos articulos à te negatos, & quos tibi probari desideras, huiusmodi nec esse, nec vnquam habitos fuisse. [a] *Hæc sacramenti eleuatio seu ostentatio inter summa mysteria ac claues religionis nostræ non numeratur: & sine illa Catholicæ Ecclesiæ doctrina optimè defendi potest, & salua consistere. Sed sanè videris non tam curare quid dicas, quàm vt aliquid dicas, quò macula aliqua Ecclesiam aspergere videaris: in quo tamen tibi ipsi labem, quàm opinaris, maiorem inuris: & reuera facis vt in Christianorum hominum cœtum, præsertim qui eruditione valent, prodire posthac præ pudore erubescere debeas. Etenim vt alios complures articulos nimiùm tu quidem temerè, & vt verius dicam, impiè negasti, & de certissimis tuis rationibus te magnificè iactasti atque ostentasti, ita etiam hîc fecisti. Euoluentes enim antiquorum patrum scripta istam ceremoniam ab* [b] *Apostolorum temporibus ad hunc vsque diem vsurpatam inuenimus. Sanctus Dionysius qui fuit Pauli discipulus, ostendit sacerdoti solenne fuisse sua ætate post consecrationem tremenda mysteria* [c] *eleuare, vt à populo conspici possent. Hæc sunt illius iuxta Græcum exemplar verba:* Pontifex diuina munera laude prosequutus, sacrosancta & augustissima mysteria conficit & collaudata in cōspectum agit, per symbola sacrè proposita. *In hunc locum peruetustus ille Græcus Scholiastes sic scribit:* Τὸν κηφισμὸν καὶ τὴν ὕψωσιν τῆς μιᾶς εὐλογίας τοῦ θείου ἄρτου φησὶν, ὃν ὑψοῖ ἱερεὺς λέγων, τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις. *hoc est,* loquitur de vnius benedictionis, nimirum panis diuini eleuatione, quem pontifex in [d] sublime attollit, dicens sancta sanctis: *In* [e] *Basilij ac Chrysostomi Missis hæc verba inueniuntur:* Sacerdos eleuans sacrum panem dicit sancta sanctis. *In Chysostomi Missa legimus quòd populo ad exemplum sacerdotis & diaconi genua flectente, cum diaconus sacerdotem videt manum porrigentem, & sacrum panem accipientem* πρὸς τὸ ποιῆσαι τὴν ἁγίαν ὕψωσιν, ἐκφωνεῖ πρόσχωμεν. *i.* ad sacram eleuationem peragendam, palàm edicit, Attendamus: & tum sacerdos eleuatum tenens dicit sancta sanctis.

Ecclesiast. Hierar. c. 3.

a Hæc eleuatio sacramenti nunc non est articulus religionis, tamen superioris papisticæ tyrannidis tempestate diligentiùs obseruata fuit, quàm quiuis de Trinitate articulus.
b Falsum: Vt planum faciam.
c Falsum: nihil enim Dionysius eiusmodi habet.
d Falsum: in vitiosa translatione positum: modicam nimirum à mensa eleuationem, nō supra caput intelligit. Chrysost. habet modicum
e Nulla hic eleuationis supra caput mentio habetur. Hardingus alterum pro altero ponit. Fabula.

Amphilochius, cuius suprà fecimus mentionem, in vita Basilij de mirifica illa Missæ celebratione ab eo facta loquens, inter alia sic dicit: Et post finem orationum exaltauit panem sine intermissione orans & dicens, Respice Domine Iesu Christe, &c. *Idem quoque Basilius de sacramenti eleuatione intellexit iuxta Occidentalis Ecclesiæ consuetudinem, quod in libro de spiritu sancto scripsit in hunc modum:* Inuocationis verba dum ostenditur panis eucharistiæ *(hoc est* [f] *sacramenti sub forma panis)* & calix benedictionis, quis sanctorum nobis scripto reliquit? *multa illic commemorat quæ sunt magni momenti atque ponderis in Ecclesia, quæ nos ex traditione tantùm accepimus, nec possunt è sacra scriptura confirmari. Quod autem mos esset sacra mysteria, ijs qui adsunt in sacrificio ostendere, prisci Doctores pluribus in locis declarant.*

Cap. 17.

f Falsum: in praua interpretatione situm.

rant. Chryſoſtomus illius modum explicat, dicens eos qui indigni iudicati ſunt, & atroces peccatores fuerũt, templo excluſos fuiſſe, dum ſacrificium offerretur, dúmque Chriſtus, & ille Domini agnus immolaretur. Quibus hoc modo exire iuſſis è tẽplo, tum altaris vela ſublata ſunt, quò ſacroſancta myſteria cerni poſſent ab hominibus, atque eo pacto eorum mentes maiore religione profunderentur, & ad reuerentiam ac [a] *adorationem corporis Chriſti, quod in illis præſens adeſt, excitarentur. Atque hæc à nobis de eleuatione, ſeu ſubleuatione ſacramenti hactenus dicta ſufficiant.*

In epiſt. ad Epheſ. ſer. 3. in Moral.

[a] Falſum: Græci enim neque iſtud adorationis genus, neque realem præſentiam agnouerunt.

Epiſcopus Sariſburienſis.

HVnc articulum Hardingus, vt rem parui momenti, nec inter præcipuas religionis ſuæ claues numeratum quadam ex parte reprobare videtur, in quo nihil video, quò minùs tutò poſſim ac facilè ei concedere: illud modò ſimul adiungo, quòd quanto quidem leuior eſt, tanto quoque minùs in ſe mali habet. Atqui ante paucos annos longè aliam exiſtimationem habuit, & ſumma ſeueritate vindicatus fuit, vtpote qui adorationẽ illam ipſorum contineret, in qua integrum Miſſæ ſuæ decus atque ornamentum ineſſet. Sacerdos, qui ea non vteretur, impius habebatur: populus qui eam improbaret, ſceleratus: primarij illorum doctores in exquirenda huius myſterij cauſa & ſignificatione vehementer ſeſe torſerunt, nec dum eam potuerunt inueſtigare. Hæc quanquam ita ſint, nunc tamen res hæc leuiſſima, ac nullius pene momenti habetur, vt ea vel ſublata, nullum ſit Eccleſiæ damnum acceſſurum. Verùm vt hîc Hardingus ſuam doctrinam abſque hac eleuationis ceremonia defendi & integram conſiſtere poſſe contendit: ita quoque nobis licet verè rectéque dicere cœleſtem atque certiſſimam Euangelij Chriſti diſciplinam poſſe ſimiliter vires ſuas conſeruare, non ſolùm ſine noua hac ceremonia, ſed etiam ſine priuata illorum miſſa, ſine dimidiata communione, ſine ignotis & peregrinis precibus, ſine Romano primatu, ſine trãſſubſtantiatione, aliiſque excogitatis ab illis commentis.

Neque tamen inter omnes illius ordinis homines adhuc conuenit, quid de hac ſua eleuatione cenſendum ſit, vel quando, vel vbi, vel quamobrem primùm vſurpari cœperit, vel quid denique ſibi velit. Alij dicunt hanc ſacramentalis panis eleuationem Chriſti incarnationem ſignificare: alij Chriſtum in cruce pendentem oſtendere: alij modum deſumpti corporis Chriſti de cruce indicare: alij reſurrectionem, alij aſcenſionem in cœlos adumbrare: alij ſpeciale quoddam ſacrificium, quod aliis omnibus præſtaret, deſignare: alij autem dicunt ſacerdotem eò calicem eleuare, quò Chriſtum ſignificet alta voce clamantem expiraſſe. Hardingus ait, *panem procul dubio in ſublimè eleuari, vt eum populus adoret.* Hæc & alia plura in vna re myſteria finxerunt, quæ nihilo ſecius in religionis ſuæ clauibus non habentur, vt ipſi confitentur. Diſſenſio ſemper arguit ignorantiam. Auguſtinus inquit: *Si vix aut omnino nunquam inueniri poſſint cauſæ, quas in iſtis rebus inſtituendis homines ſequuti ſunt, vbi facultas tribuitur, ſine vlla dubitatione reſecanda exiſtimo.*

Gerard. Lorichius lib. 3. Durandus lib. 4. De ſexta parte Canonis Titilmannus de officio Miſſæ.

Auguſt. ad Ianua. epi. 119.

Conati ſunt iſti ceremoniam hanc diuini verbi authoritate confirmare, veluti à Deo ipſo diſertè conſtitutam. Gerardus Lorichius ait: *Hunc ritum Dauid videtur prauidiſſe in ſpiritu:* & in hãc ſententiam Rabbi Ioai teſtimonium recitat, quem ab Hardingo fuiſſe prætermiſſum miror. Durandus Chriſti verba huc etiam refert: *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Deinde Linvvoodus, vt rem fœliciùs expediret, inquit: *Papa remiſſiones luculẽter dedit.* Alexander autem Haleſius, quò maiorem ignaro populo ſtuporem incuteret, *Ipſi*, inquit, *de ſeipſis multa noua miracula inuenerunt, & excogitarunt.* Acriter & vehementer ab illis diſputatum eſt, vtrùm poculum apertum an tectum eleuari debeat. Dicunt rem eſſe ſingularis meriti, & præſtantium ad improbandas hæreſes virium. Scripturas huius rei ergò detorſerunt, ac corruperunt, & Rabinos deprauarunt. Voluit etiam Hardingus videri veterum doctorum multitudinem & conſuetudinem diuturnam afferre, ab ipſis adeò Apoſtolorum temporibus ductam. Denique tanquam hæreticos flammis atque incendio perſequuti ſunt eos, qui vel vocem auſi ſunt aduerſus illam mittere. Nunc tamen Hardingus ad extremum, rem exilem eſſe, & reliquas religionis ſuæ partes illa ſublata ſaluas remanere poſſe confirmat. Miror quid ſit quod minùs ad hanc cauſam, quàm ad cæteras Hardingus animorum & alacritatis attulerit.

Gerard. Lorichius lib. 3. Rabbi Iohai. Durandus lib. 4. de ſexta parte Canonis Ioã. 12. Linvvood. de Celebra. Miſſarum. Altiſſimus. Alexãder de Hales. 4. q. 53. m. 4. art. 3.

Durand. lib. 4. Gerard. Loric. lib. 3.

Neque ego in eam ludebam, inſtar cuiuſdam Luciani, vt Hardingus nimis intemperanter ſcribit, ſed tanquam in Dei oculis poſitus loquebar, vt hominem religioſum & ſobrium decuit. Miſerebat me populi Dei, quem ita deceptum videbam, ab iis præſertim, qui in ſe receperunt, vt patres ducéſque populi eſſent. Sed proh Deus: qualem religionem neceſſe eſt eſſe eam, quam nemo poteſt vel nominare, & veram eius mentionem facere ſine irriſionis ſuſpicione? Quòd autem Hardingus, vt homo ſuis perturbationibus nimiùm indulgens: inſuper ait, *me feciſſe vt doctorum hominum ora erubeſcerem*, ſi ſuos doctos intelligit, equidem nullo pacto mihi decori eſſe poteſt, ea intueri ora, quæ tam ſæpe fuerunt in vtramque partem conuerſa. Nihil eſt, mi Hardinge, quod nos Chriſti Euangelij pudeat. Dei ſiquidem poteſtas eſt ad ſalutem. Deum precor, vt tu pariter, atque ego mundanas iſtas rationes, & hominum ora mittamus, & donis à Deo acceptis ſic vtamur, noſtríſque conſcientiis ita cumulatè in hac vita ſatiſfaciamus, vt Chriſtum noſtri non pudeat apud patrem ſuum: ſed nos Deum, coram intueri poſſimus. Quod ad ipſam rem attinet, conſultiſſimum putat Hardingus, ad Apoſtolorum tempora eleuationem hanc ſuam referre. Sic olim Romani cùm Ancilium ſuorum originem ignorarent, non exiſtimabant alienum ad authoritatem illis conciliandam, vt cœlo ſibi demiſſa dicerent.

Rom. 1.

Luc. 9.

Tit. Liuius lib. 1.

Sic Romulus & Theſeus quia obſcuro genere orti ignotos parentes habuerunt, à diis geniti ac

Plutarch. in Numa.

procreati existimabantur. Dionysius, Chrysostomus, Basilius cùm viri sunt propter vetustatem fide pleni, tum in hac causa nihil dicunt, quod à nobis est improbatum. In eo nimirum omnis controuersia est, vtrùm sacerdos tum sacramentum supra caput eleuaret, necne. Istud Hardingus prorsus dissimulat, & tacitus dimittit: ac se ad illud comprobandum confert, quod neque in dubium vocatur, neque negatur. Primùm, quòd Dionysius ait, *In conspectum agit*, parum habet in se firmamenti ad causam Hardingi probandam, nisi voluerit forsan dicere, nihil posse à quoquam in conspectum adduci nisi supra caput efferatur in sublime. Sed vt plenè ac cumulatè possis & fundamentum sensúmque horum Dionysij verborum, & peruersam ac nouam Hardingi interpretationem perspicere, admonendus mihi es, beneuolè Lector, illius ætatis consuetudinem fuisse, vt sacramentum in vno pane integrum in sacra mensa poneretur, mundo linteo opertum, donec populo distribueretur. De hac ceremonia Pachymeres Scholiastes Græcus ita scribit: ἀποκαλυπτομένων τῶν παναγίων δώρων μετὰ τὰς εὐχὰς, μενόντων δὲ κεκαλυμμένων, ἕως καιροῦ μεταλήψεως. hoc est, *retectis post preces sacris donis, opertis tamen remanentibus vsque ad tempus participationis*. Ita quoque Maximus in suis in eundem locum scholiis inquit: & insuper addit non solùm sanctum panem opertum fuisse cùm produceretur, sed sacrum etiam poculum: quàm consuetudinem nunc ait exoleuisse.

Dionys. Eccles. Hierarch. cap. 3.

Pachymer. in 3. cap. Eccles. Hierarch. ὅτι κεκαλυμμένον ἔμενε τὸ θεῖον δῶρον ἕως καιροῦ μεταλήψεως.

Hanc igitur Ecclesiæ consuetudinem ac ceremoniam si ritè consideremus, ipsa Dionysij verba satis per se sunt absq; interprete perspicua. Ita enim se habent: *Profert ea, quæ laudauit in conspectum per symbola reuerenter posita: & dona sacrificiorum commonstrans, ad sacram illorum communionem, &, ipse accedit & hortatur alios.* Commonstrare autem hoc modo, & in conspectum proferre, nihil aliud erat, quàm subducto linteo aperire, & oculis subiicere mysteria.

Dionysius Eccle. Hierar. cap. 3. εἰς ὄψιν ἄγει.

Si Hardingus istam interpretationem coactam ac violentam esse dixerit, ipsum audiat Dionysium locupletissimum sui ipsius interpretem: sic postea in contemplatione scribit: *In conspectum profert quod laudauit, &c.* Tum sequitur: *Nam opertum & indiuisum panem aperiens, & in multas partes diuidens, & vnitatem poculi omnibus impartiens, symbolicè implet vnitatem.* Si hæc omnia non sufficiant Hardingo, at Dionysius verbis adhuc magis dilucidis suam sententiam aperit: τὰ μὴν ἐγκεκαλυμμένα δῶρα εἰς τὸ ἐμφανὲς ἄγει, id est, *Munera, quæ tecta fuerāt in apertum profert.* Hic sine dubio verborum sensus est, nisi Dionysio fortasse suam ignotam fuisse mentem putet Hardingus. Sanè Pachymeres paraphrastes in hunc modum interpretatur: *Profert in conspectum, ostendens hæc esse Christi symbola.* Hactenus nullam accepimus eleuationis supra caput mentionem.

τὸ γὰρ ἐγκεκαλυμμένον, καὶ ἀδιαίρετον ἄρτον ἀνακαλύψας, καὶ εἰς πολλὰ διελών. εἰς τὸ ἐμφανὲς ἄγει.

Pachymer. σαφηνίζων ὡς χριστοῦ εἰσὶ τὰ τοιαῦτα σύμβολα.

Sed obiicit Hardingus *Maximum dicere, Dionysium de eleuatione alterius partis sacramenti loquutum esse*, Hoc facilè concedi potest. Verùm iste Maximus, quisquis tandem fuerit, aut quocunque tempore vixerit, non ait hanc alteram partem supra caput sacerdotis eleuatam fuisse. Et proinde illius testimonio non multùm adiuuatur Hardingus. Quinetiam ipse Maximus, ac si non satis intelligeret, quid dicendum esset, alias prętèrea duas verborum Dionysij interpretationes fingit. Sed esto, vt hæc Maximi interpretatio genuina sit. Sacerdos sacramentum à mensa extulit, & commonstrauit, vt paratam sacram communionem indicaret, & vt populus se ad percipiendum compararet, atque ad mensam accederet, atque iccircò alta voce dixit *sancta sanctis*: quæ verba Chrysostomus sic exponit, *Quando sacerdos dicit sancta sanctis, hoc dicit, si quis non est sanctus, non accedat.* Sic quoque Nicolaus Cabasilas Græcus scriptor, sed recens: *Sacerdos clamat sancta sanctis propemodum dicens: ecce panis vitæ: accurrite participes futuri: sed non omnes, verùm si quis est sanctus.* Et ne quenquam videretur de indignitate sua cogitantem, segniorem & minùs alacrem efficere, addit: *sanctos autem vocat, non virtute perfectos, sed quicunque tendunt ad illam perfectionem.* In hunc ergo finem sacerdos panem ostentabat, vt populus se ad distributionem pararet. Et proinde sic in Chrysostomi Liturgia scribitur: *Sacerdos ostendit calicem populo dicens, cum timore Dei & fide, & dilectione accedite.* Eadem quoque fuit Basilij sententia in libro de spiritu sancto. Verba inuocationis, quorum illic fit mentio, tantæ authoritatis tantíque ponderis fuerunt in Ecclesia, vt nec Hardingus, nec quisquam, credo, alius Hardingi collega, explicare iam possit, quænam essent. In Liturgia quæ Basilio ascribitur, sic tantummodo annotatur: *Quando sacerdos dicit, sancta sanctis, Populus respondet: vnus sanctus, vnus pater, vnus filius.* Fuit etiam eadem Chrysostomi sententia in commentariis in Epistolam ad Ephesios. Vela quibus communionis mensa obduci consueuit, diducebantur, vt mysteria populo præparata in mensa cerni possent, non vt ea sacerdos supra caput eleuaret. Inanissima autem illa Hardingiani Amphilochij fabula, toties repetita, indigna est, cui aliquid omnino respondeatur.

Sancta sanctis. Chrysost. in epist. ad Hebræ. homil. 17.

Nicolaus Cabasilas.

Basil. de spiritu sancto ca. 27.

Liturgia Basilii.

Chrysost. in epist. ad Ephesios homil. 3.

Quæ cùm ita sint, tamen non dubitat Hardingus, quin nobis persuadere possit omnes istos patres perspicuè loquutos esse de sacramenti eleuatione supra caput sacerdotis: ídque quemadmodum ait, *iuxta Occidentalis Ecclesiæ consuetudinem*: atque in eum finem verba Maximi callidè adulterauit. Nam cùm maximus in græco codice sic scribat, ὃν ἄρτον ὑψοῖ ὁ ἱερεύς: Hardingus ista verba ad hunc modum transtulit. *Quem panem Pontifex in sublime attollit.* Atque hoc pacto non difficile esset imperitis hominibus imponere, nisi patres suam ipsi sententiam exposuissent longè aliam. Pachymeres illud vocabulum ita interpretatur, ὑποδείκνυσιν ἤγουν ἀνυψοῖ: hoc est, *ostendit, seu extollit.* Non dicit Sacerdos sacramentum supra caput leuauit, vel in altum euexit, vt Hardingus reddidit, sed ostendit sacramentum à mensa sublatum, quò à populo aspici posset. Atque sic Chrysostomus de hac re ait: *Sacerdos modicam tollens portionem, quæ est in sancta patena, dicit, sancta sanctis.* Sic quoque Claudius Sainctesius legit. In Basilij autem Liturgia sic notatur in margine: *Hic sacerdos*

Pachymeres.

Chrysost. in liturgia. Modicū.

Claudius du Sainctes.

Cassander.

dos hostiam fractam in patena iacentem, vnà cum patena subleuat, & ostendit populo. Et tamen scilicet istos omnes produci necesse est ad probandam nouam hanc eleuationis formam, in Ecclesia Romana vsurpatam. Vsque adeò sibi multa Hardingus populi ignorantia fretus assumit. Vnum autem istud mihi in Hardingi responso mirum profectò videbatur, quod de hac nuper inuenta ceremonia in Ecclesia Romana interrogatus, totum responsum suum ab Orientali Græcorum Ecclesia ducit, neque exemplum vllum Ecclesiæ Romanæ profert, nec verbum denique de ea vllum facit: cùm tamen non ignoret hanc eleuandi consuetudinem à principio ad hodiernum vsque diem in Græca Ecclesia nunquam inualuisse.

Cùm hæc autem, tum aliæ nonnullæ vestium, Olei, consimiléſque ceremoniæ à Iudæis imitatione quadam deriuatę esse videntur: apud quos pontifex sacrificia facturus, oblationem ante pectus præferebat. Sic in Ecclesia primitiua quicquid esset à quoquam oblatum in pauperum subsidium illud sacerdos accepit, & in altum extulit, atque in Ecclesia tanquam Deo gratum sacrificium sistere consueuit. Ita Chrysostomus ait pontificem, dum sacra Liturgia perageretur, Euangelium extulisse: hæc illius verba sunt: *Sacerdos in altum tollit Euangelium.* Nicolaus Cabasilas quoque ait: *His peractis, sacerdos stans super altare, & in altum tollit Euangelium, & ostendit.*

Thruma.

Liturgia.

Nicolaus Cabasilas in expositione Liturgiæ.

Quod autem Hardingus fingit hac sacramenti eleuatione eiusdem adorationem indicari, hoc neque ab omnibus Hardingi sociis verum esse iudicatur, neque habet vllam omnino veritatis speciem. Multæ equidem indulgentiæ, magnæque immunitates intra paucos annos in illius gratiam munificè collatæ sunt. Et Durandus eleuationem ideo factam dicit, *vt populus intelligat, Christum venisse super altare.* Cæterùm antiqui patres Græci simul, & Latini cùm sacramentum modicè eleuarent, atque ostenderent, populum perpetuò iusserunt accedere, percipere, sacris mysteriis participare, & corda sursum attollere: at in ea peragenda ceremonia, de Adoratione nullum vnquam verbum fecerunt. Pachymeres inquit: *Sacerdos ostendit hæc esse Christi Symbola.* Non dicit sacramenta ipsum esse Christum, sed symbola, & signa Christi. Maximus inquit: ὅτι σύμβολα ταῦτα καὶ ὀυκ ἀλήθεια: *Symbola ista sunt, non autem veritas.* Atque hac forsan de causa *Beguinæ*, & *Beguardi* neminem oportere assurgere, aut signo aliquo reuerentiæ sacramenti eleuationem prosequi docuerunt.

Durãdus lib. 4.

Pachym. in Ecclesias. Hierar. cap. 3.

Maximus in scholiis.

Clemen. lib. 5. ad nostrum.

Denique Gerardus Lorichius in eo libro, quem in priuatæ Missæ defensionem scribit, hæc verba habet: *ex hoc ritu eleuationis inferimus, Missam neutiquam ritè celebrari, nisi in vsum publicũ Ecclesiæ, hoc est, propter populum, vel sacramẽtum Eucharistiæ sumentẽ, vel sacrificium laudis votis, & encomiis celebrantem. Siquidem propter eum vsum hostia eleuatur. Missæ igitur priuatæ, quæ absente populo Catholico fiunt, abhominatio veriùs, quàm oblatio dicendæ sunt.* Hactenus Gerardus Lorichius inter Hardingi partium doctores numeratus.

Gerard. Lorichius lib. 3.

FINIS.

DE ADORATIONE,

ARTICVLVS OCTAVVS.

Episcopus Sarisburiensis.

VEl plebem prouolutam diuinum sacremento honorem detulisse.

Hardingus. 1. Sectio.

SI beatum altaris sacramentum nihil aliud esset, quàm quod Iuellus cæterique sacramentarij esse indicant, tum quidem nullo modo debuit à populo adorari, aut diuino honore affici. Neque enim aliud esset, [a] *quàm nudus panis, nudúmque vinum, quantumuis illi honorificè de eo loquantur, symbolicum ac sacramentalem panem & vinum appellantes.*

a Falsum: atque maledicum.

Episcopus Sarisburiensis.

HARDINGVS, vtpote perturbationibus plùs æquo suis obsequens nos in ipso statim causæ introitu Sacramentarios appellat: quo quidem verbo schismaticos, hæreticos, & Dei inimicos complectitur: in quo aditum sibi ad disputationem insipida & acerba oratione patefecit, atque instar galli cuiusdam gallinacei ante pugnam allio affatim pasti, spiritus potiùs fœtore, quàm corporis robore aduersarium vincere conatur.

Ioan. 1. Actor. 4. Esai. 9. 2. Timoth. 3. Philippen. 2.

Quandoquidē verò hominibus persuadere cōtendit, nostrā doctrinā cum summa Deitatis ac gloriæ Christi iniuria esse coniunctā, primùm profitemur & prædicamus, quòd quemadmodum *Christum esse agnum Dei, qui sustulit peccata mundi credimus, nec esse aliud nomen sub cœlo, per quod seruari possimus*, & vt Propheta Esaias inquit *illum esse Deum fortem & parentem seculi futuri*, atque vt Paulus ait, *Deum esse in carne reuelatum*: ita etiam honorem, vero Deo debitum, illi deferimus: idque non diuinæ solùm modo eius, sed & humanæ quoque naturæ, quæ est diuinitati ἀδιαιρέτως & ὑποστατικῶς vnita, & nunc ad dexteras Dei sedet. Nos sic plebem docemus, *quòd Deus illum ad omnem sublimitatem extulit, quòd Deus illi nomen dedit supra omne nomen, vt ad nomen Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernarum rerum: quódque omnis lingua confitebitur Iesum Christum Dominum esse in gloria Dei patris.*

Aug. Epist. 146. De Conse. Dist. 1. Apostolica.

Ambros. in Lucam. lib. 2. c. 2.

Neque Christum duntaxat adoramus vt verum Deum, sed etiam sacramentum, sanctúmque corporis Christi mysterium cultu quodam & veneratione prosequimur, & vt Augustinus docet, *Baptismum Christi vbicunque est, veneramur.* Nos verbum Dei colimus, quemadmodū Anastasius monet: *Dominica verba attentè audiant, & fideliter adorent.* Denique res alias omnes veneramur, quæ consimili ratione ad Christi religionem pertinent. Verùm his rebus vtimur easque ita colimus, vt sacras, & à Deo institutas ac præceptas: diuinum autem illis, tanquam ipsi Christo, honorem non exhibemus. Ambrosius de Magis habet: *Cognouerunt hanc stellam esse, quæ hominem, Deúmque signabat: sed adorauerunt paruulum.* Quòd autem Hardingus cùm hîc, tum alibi, per falsam iniustámque calumniam nobis obiicit, quòd Christi sacramenta nihil aliud, quàm nuda symbola facimus, sciat nos de Christi sacramentis sobriè atque honorificè & cogitare, & prædicare, quippe quæ Dei promissorum testimonia esse, & sancti spiritus instrumenta intelligamus. Atque quemadmodum Baptismi sacramentum non nudam aquam facimus, licet natura & substantia aquæ maneat: ita neque sacramentum corporis & sanguinis Christi nudum panem ac vinum statuimus. Nos & verbis, & definitionibus iisdem vtimur, quibus Augustinus, aliíque antiqui patres, atque adeo Petrus Lombardus & Gratianus, Hardingiani Doctores vsi sunt, *Sacramentū est signum rei sacræ: Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma*: neque nudum ex eo symbolum facimus, sicut Hardingus fingit: sed cum Paulo dicimus, *Perfectum esse signaculum & locupletissimum diuinorum promissorum pignus, quibus Deus seipsum nobis deuincit, & nos vicissim cum Deo copulamur, vt Deus sit noster Deus, & nos illius simus populus.* Atque hoc aliud quiddam, quàm inane aut nudum signum arbitror. Signum autem quid sibi velit, Augustinus ad hunc modum ostendit: *Signum est quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud quiddam facit ex se in cognitionem venire*: & ob hanc causam mysterium, siue sacrum quoddam arcanum appellatur: quandoquidem oculus aliud, fides verò aliud intuetur. Exempli gratia, in baptismo oculus quidem corporeus aquam videt: fides autem, quæ est mentis oculus, Christi sanguinem contemplatur, qui, vt Ioannes ait, *nos à peccatis abluit.* Iccirco Chrysostomus inquit: *Incredulus cùm baptismatis lauacrum audit, persuadet sibi simpliciter esse aquam. Ego verò non simpliciter video, quod video, sed animæ per spiritum purgationem: & sepulturam, resurrectionem, sanctificationem, iustitiam, redemptionem, adoptionem, hæreditatem, regnum cœlorum, spiritus satietatem considero. Non enim aspectu iudico ea, quæ videntur, sed mentis oculis.* An hîc Hardingus respondebit, Chrysomum tantùm verbo tenus, ita honorificè de baptismi sacramento loquutum esse, cùm reuera nihil nisi meram aquam esse iudicaret? Equidem Augustinus ait, *In sacramentis videndum est, non quid sint, sed quid significent.* Si nudum ex Hardingi sententia, illud omne iudicandum sit, in quo Christi corpus non insit realiter, tum baptismi sacramentum nudum esse sacramentum necesse est: & hic conscriptus ab Hardingo libellus admodum profectò nudus necessariò erit, nisi velit forsitan affirmare Christi corpus in eo realiter inclusum esse. Plato maximum sapientiæ munus in eo ponit, vt possis inter *aliud*, & *Idem* distinguere: huius enim ignoratio summam rerum perturbationem inducit. Augustinus autem ait, *Aliud est sacramentum, aliud res sacramenti.* Et ne posset Hardingus hoc totum eludere, & suo more dicere, sacramentum nihil aliud esse, quàm externam formam, & speciem panis & vini, Rabanus Maurus hanc illius responsionem anteuertit in hunc modum: *Sacramentum in alimentum corporis redigitur.* Cùm igitur duo hæc sint inter se diuersa, signum nempe, & res signo declarata, Christi corpus, & sacramentum corporis Christi, cúmque hoc, corpus naturaliter pascat, illud animam supernaturaliter sustentet: magna perturbatio esset, vel ea ambo confundere atque commiscere, vel per errorem alterum pro altero accipere. Et proinde Augustinus, vt suprà diximus, inquit, *Ea demum est miserabilis animæ seruitus, signa pro rebus accipere.*

De consecratione. Distin. 2. Sacrif. Petrus Lombard. lib. 4. dist. 1. Samaritanus.

Roman. 4. Signaculum Iustitiæ Fidei.

August. de doct. Christiana li. 2. cap. 1. De consecrat. dist. 2. Signum.

1. Ioan. 1. Chrysost. in 1. Epist. ad Corin. Hom. 7.

August. contra Maximinum li. 3. cap. 22.

Plato.

August. in Ioan. tract. 26.

Rabanus Maurus lib. 1. ca. 31.

August. de doctrina Christiana lib 3. cap. 5.

Quod autem ad sacramenti adorationem attinet, Hardingus neque vllum Christi de ea præceptum, neque exemplum Apostolorum, neque veterum patrum sententias proferre potest. Fuit nimirum paucis antè seculis inuecta ab Honorio Papa circiter annum Domini 1226. pòst verò Vrbano Papa noua quadā noui festi, quòd *corporis Christi* appellatum est, accessione auctior euasit, anno Domini 1264. postremò in perpetuum confirmata est infinita indulgentiarum multitudine in Viennensi Concilio à Papa Clemente quinto, Anno 1310. Eam Asianæ & Græcæ Ecclesiæ ad hodiernum vsque diem non receperunt. Res non parua est, neque potest sine graui periculo suscipi. Dei proprium cultum creaturæ tribuere, quæ non est Deus, idololatriæ manifestæ est. Omnes autem idololatræ, vt Ioannes ait, *partem habebunt in stagno ardenti igne & sulphure, quæ est mors secunda.*

Extra. de celebra. Missarum. Clem. lib. 3. tit. 16. Ca. Si Dominū.

Apocalyp. 21.

Hardingus. 2. sectio.

Ioan.6.

IAm verò cùm hic ille panis existat, quem Deus pater nobis de cœlo dedit: cùm panis iste Christi caro sit, quam pro mundi vita tradidit.

Episcopus Sarisburiensis.

CVpit Hardingus videri omnes antiquos doctores ad suas partes traduxisse: atque ea de causa in vnum quasi exercitum vniuersos contraxit. Veruntamen ex omni hoc Doctorum numero nullus est, qui nos aliquid de sacramenti adoratione doceat. Quare si eos ostentationis tantùm causa adducat, nimis quidem multi sunt: sin tanquam testes adferat, nimis pauci videri possunt: de re enim nihil dicunt. Hardingus tamen, veluti de lectoris memoria dubitaret, quicquid hoc in loco paucis complexus est, & summatim perstrinxit, id alibi duplicauit atque iterauit: ex quo fit, vt si sigillatim ad singula responderem, nimiùm longus essem. Quocirca ad vitandam molestiam satis erit digitum ad ea loca intendisse, in quibus hæc testimonia seorsum & cumulatè à me diluuntur.

Primùm, vt antè dixi, nemo est ex vniuerso hoc patrum choro, qui nos sacramento diuinum honorem exhibere præcipit, quod tamen illi facilè scriptis prodere potuissent, si tum vel vsu confirmatum, vel consentaneum visum fuisset: & Hardingus statim inuenisset, si fuisset vnquam huiusmodi quicquam literatum monumentis mandatum. Panis sacramenti non idem ille panis est, de quo Christus in sexto Ioannis loquitur, sed panis veram materiam & naturam habet: atque vt ait Cyprianus, *Ex multorum granorum adunatione coniectus est*, & sacramentum continet illius panis, qui de cœlo descendit. Sed hæc in prima, secunda & tertia sectione quinti articuli fusè explicata sunt.

Cyprian. lib. 1. epist. 6.

Hardingus. 3. Sectio.

CVm hic sit ille panis, & hoc illud poculum, de quo quisquis ederit, vel biberit indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini.

Episcopus Sarisburiensis.

HIeronymus inquit, *Dum sacramenta violantur, ipse cuius sacramenta sunt, violatur.* Nullus autem sacramenti maior abusus, nulla contumelia grauior esse potest, quàm & Christi institutione, & sacramenti natura repugnante, illud tanquam Deum colere. Et Augustinus ait, *Qui indignè accipit baptisma, iudicium accipit non salutem.* Quapropter, si istud Hardingus ad probandam adorationem satis in se virium habere putet, tunc aquam etiam baptismi adoret necesse est.

Hieron. in Malach. cap. 1. August. contra Fulgetium cap. 6.

Hardingus. 4. Sectio.

[a] *CVm in hoc sacramento verè reale & substantiale corpus, ac sanguis Christi contineatur, vt ipse in tribus Euangelistis, & in D. Paulo disertè pronuntiat.*

a Quinque falsa simul.

Episcopus Sarisburiensis.

FAcinus est audaciæ plenum, in istis quatuor perspicuis Christi verbis recitandis, *hoc est corpus meum*, quinque manifestò falsa vno spiritu voluere & pronuntiare. Equidem Hardingus rectè nouit, neq; Christũ, neque Paulum, neque Euangelistarum quenquam, hic etiam addo, neque Catholicorum Doctorum vllum, cùm de sacramento agerent, his vnquam vocabulis vsos esse, vt Christi corpus vel *carnaliter*, vel *expresse*, vel *reipsa*, vel *realiter*, vel *substantialiter*, contineri in sacramento dicerent. Tantùm dicunt, hoc est corpus meum: quæ verba peruetustus ille pater Tertullianus sic exponit, *Hæc est figura corporis mei.*

Tertul. contra Marcion. lib. 4.

Hardingus. 5. Sectio.

In Epistola quadam ad Smyrnẽses: vt citatur à Theodoreto in Polymorph. li. 4. contra hæreses cap. 34.

CVm hæc sacra sit illa Eucharistia, quam Ignatius Seruatoris nostri Iesu Christi carnem vocat, quæ mortem pro peccatis nostris perpessa est, quam pater sua bonitate ad vitam denuo excitauit: cum hic non vulgaris panis sit, sed Eucharistia, post consecrationem è duabus naturis constans, terrestri ac cœlesti, vt ait Irenæus, quarum illa [b] externam formam significat, hæc verum corpus & sanguinem Christi, quæ quidem partim propter diuinitatem inseparabiliter illis vnitam, partim quia ex spiritu sancto erant in sanctissimæ virginis Mariæ vtero concepta, meritò vocantur cœlestia.

b Falsum. Irenæus non formas, speciésue panis, sed ipsam veri panis substantiam intelligit.

Episcopus Sarisburiensis.

QVid Theodoretus de hac re senserit, ex ipsius verbis percipi potest. Sic enim scribit: *Signa post sanctificationem non recedunt à natura sua*: id est, substantiam, naturámque eandem retinent, quam priùs habuerunt. Ex istis verbis, quæ fuerit Theodoreti sententia, facilè possumus existimare.

Theod. dialo. 2.

Cæterùm in omni sacramento duo spectanda sunt, è quibus, vt inquit Irenæus, constant. Alterum terrestre est, alterum cœleste: alterum corporis oculis cernimus, alterum mentis aspectu videmus: alterum in terra est, alterum in cœlo. Atque hæ duæ partes quandoquidem in vno mysterio coniunguntur, nomina inter se sæpe permutant. Nam vt verum Christi corpus appellatur panis etiamsi reuera non sit panis: ita quoq; sacramentalis panis vocatur Christi corpus, etsi non sit re ipsa Christi corpus. Quapropter quemadmodũ sacramentũ corpus Christi dicitur, ita iuxta Ignatij, sententiam, Christi caro existit, eadem scilicet quæ pro peccatis nostris passa est, quámque pater suscitatam vitæ restituit, id est, illius carnis sacramentum. Chrysostomus de baptismi sacramento ad eundem modum scripsit: *Ostendit hoc loco idem esse sanguinem & aquam: baptisma enim eius, etiam passio eius est.* Aquam, & sanguinem Christi, idem esse dicit, atque hanc fuisse Pauli mentem affirmat. Interim nec aqua verè Christi sanguis est, nec sanguis Christi verè est aqua, sed alia sic aliorum nomina mutuantur, quia sunt in vno mysterio copulata Eodem modo Christi sanguis appellatur aqua, quia sordes abluit. Similiter aqua, Christi sanguis dicitur, quia est illius sanguinis sacramentum. Atque quo sensu dixit Chrysostomus, aquam baptismi esse Christi sanguinem: eodem prorsus Ignatius panem esse carnem, non alio. Hæc perspicua sunt miniméque ambigua.

Theod. in Polymorph.

Chrys. in epist. ad Hebr. ho. 16.

Propterea Augustinus habet: *Sacramenta ex similitudine plerunque etiam rerum ipsarum nomina accipiunt. Ergo secundùm quendam modum sacramentum corporis Christi, corpus Christi est. & sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est.*

Aug. epist. 23. *Secundùm quendam modum.*

Sed hîc Hardingus multum operæ posuit in detorquendo & deprauando dilucida sancti illius patris Irenæi verba. Eam enim sacramenti partem, quam Irenæus rem terrenam vocat, id est, panem, Hardingus formas, & accidentia, & species panis Irenæo reclamante appellat. Nam ineptum hoc & prophanum loquendi genus in ecclesia fuit illo sancto patre superstite inauditum: post annos autem ferè mille introductum est, vt transsubstantiationem affectaretur. Irenæus verò disertè creaturam dicit: sic enim ait, *Sanctificamus creaturam: offerimus ei ex creatura eius.* Neque prodigiosam quandam creaturam intelligit: qualis est *Accidens sine subiecto*, cuiusmodi nulla vnquam est à quoquam aspecta, sed apertè dicit, *Creaturam quæ est secundùm nos*, qualem nimirum cernimus, qualem tangimus, qualem edimus, qualem bibimus: atque vt omnem Hardingo latebram præcludat, ait, *Ex illa augetur, & consistit carnis nostræ substantia.* Ex Irenæo igitur clarè perspicimus, quod quemadmodum Christi corpus est altera pars sacramenti, ita panis quoque materialis altera est. Similiter in sacramento baptismi, sicut altera sacrosancti illius mysterij pars Christi sanguis est, ita altera pars est aqua naturalis. Neque loco quidem, sed mysterio iunguntur hæ partes, & proinde non rarò separatur, atque altera sine altera percipitur. Quam ob causam Augustinus ait: *Qui discordat à Christo, nec panem eius manducat, nec sanguinem bibit: etiamsi tantæ rei sacramentum ad iudicium suæ præsumptionis quotidie indifferenter accipiat.*

Irenæus lib. 4. cap. 34.

Irenæ. eodem loco.

Ibidem. *Secundùm nos.* καθ' ἡμᾶς. Irenæus lib. 5.

Augu. in libro sententiarum, senten. 338. Et in Ioannem tract. 26.

Si cui nouum videatur, vt sacramentum corpus ac caro Christi appelletur, cùm ita reuera non sit, is scriptum Dei verbum similiter dici corpus & carnem Christi meminerit, eadem illa scilicet, quæ ex virgine nata sunt, quæque pater ad vitam resuscitauit, quanquam re ipsa ita haudquaquam existat. Sic Hironymus ait: *Quando dicit, qui non comederit carnem meam, & biberit sanguinem meum &c. licet in mysterio possit intelligi, tamen veriùs corpus Christi, & sanguis eius sermo scripturarum est.* Hic lector ex Hieronymi verbis obseruato, Dei verbum corpus & sanguinem Christi dici, & veriùs etiam, quàm sacramentum.

Hiero. in Psal. 147. Veriùs.

Hardingus. 6. Sectio.

CVm hic ille panis sit, qui discipulis à Domino porrectus, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro, vt Cyprianus dicit.

Episcopus Sarisburiensis.

AD hanc authoritatem luculenter responsum est in decimo articulo, & secunda sectione.

Hardingus. 7. Sectio.

CVm hoc illud sit sacrũ mysterium, in quo inuisibilis sacerdos visibiles creaturas (panis & vini) in substantiam corporis & sanguinis sui verbo suo, secreta potestate conuertit, vt Eusebius Emissenus testatur.

Episcopus Sarisburiensis.

AD hanc authoritatem in Articulo decimo, & sexta sectione respondimus.

Hardingus. 8. Sectio.

CVm hic sanctus ille cibus sit, cuius digna perceptione Christus in nobis habitat naturaliter, id est, in nobis iuxta veritatem naturæ, non voluntatis tantùm consensum, vt Hilarius affirmat:

Similiter Hilarius Christum in nobis naturaliter per a

Episcopus

quam baptisma habitare scribit. De Trinit.lib.8.

Episcopus Sarisburiensis.

HAnc obiectionem diluimus in quinto Articulo,& decima sectione.

Hardingus. 9. Sectio.

P*Orro cum hæc illa mensa sit, in qua in Dominico cibo verbum verè carnem factum ex sanctissima virgine Maria accipimus,vt idem Hilarius ait.*

Episcopus Sarisburiensis.

HÆc verba cùm nostram causam non lædunt,tum Hardingianam nihil subleuāt. Nos dicimus in illa mensa fidem nostram non ad inane quoddam figmentum dirigi, sed in verum corpus & sanguinem Christi defigi, & illa gustare, & illis vesci: idque non minùs verè atque efficaciter, quàm corpora nostra vero cibo pascuntur.Insuper etiam addimus neminem vitam sempiternam esse adepturum,qui non ediderit Christi carnem, eiúsque sanguinem biberit. Sed illud, quod ore accipimus, non idem est quod fide comprehendimus. Augustinum enim ante dicentem audiuimus: *Aliud est sacramentum, aliud res sacramenti.* Verùm demus Hardingo Christi corpus verè & realiter in sacramento inesse:non tamen ex eo potest efficere quod vult.Eius ita se habet argumentum:

Ioan.6.

August. in Ioan. tract.26.

Christi corpus diuino honore coli debet.
Christi corpus est in sacramento:
Ergo,sacramentum debet diuino honore coli.

Hoc argumentum ex quatuor terminis constat,& proinde in scholis puerile iudicatur: illius vitia ex simili argumento faciliùs innotescent:

Christi corpus diuino honore adorandum est:
Christi corpus est in cœlo:
Ergo,cœlum est diuino honore adorandum.

Hardingus. 10. Sectio.

C*Vm hic ille panis sit, quem non aratio,non satio, non agricolarum opus effecit, sed terra, quæ intacta permansit,& eodem plena fuit,nimirum beata virgo Maria, vt Gregorius Nyssenus ait:*

Episcopus Sarisburiensis.

GRegorius Nyssenus in omni hoc loco nullum verbum facit, neque de adoratione, neque de sacramento:tantùm de beatæ virginis partu disserit.Hæc verba suprà & allegata sunt,& à me explicata in quinto articulo,& decima sectione. Breuiter tamen & quasi prætereuntibus nobis vnam contra Hardingum rationem suppeditant. Cùm enim Gregorius Nyssenus panem corporis Christi non agricolarum opere,id est,è naturali grano confici dicat: Cyprianus tamen atque Augustinus ex multorum granorum adunatione congeri asserant: ex his horum patrum verbis inter se collatis concludere possumusChristi corpus & sacramentum res esse diuersas. Argumentum quod ex his Hardingus conficere posse videtur, huiusmodi est.

Cyprian.lib.1. epist.6.Augu.in Ioan.tract.26.

Christus de beata virgine natus est:
Ergo nos adorare sacramentum debemus. Aliam enim nullam habent hæc verba consequutionis necessitatem.

Hardingus. 11. Sectio.

C*Vm hæc illa cœna sit,in qua Christus se ipsum immolauit,quemadmodum Clemens Romanus,& Hesychius ostendit: qui etiam in alio loco scribit apertissimè,hæc mysteria, videlicet, sanctum altaris sacramentum esse* sancta sanctorum, *quia sunt ipsius corpus, de quo Gabriel ad virginem dixit,* Spiritus sanctus superueniet in te,& virtus altissimi inumbrabit te: propterea id quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei:*de quo etiam Esaias loquutus est,*sanctus est Dominus noster,& habitat in sublimi in ipso patris sinu.

Constit. Apostolic.li.8. cap. vltim. In Leuit. lib.1. ca.4.

Hæc verba Hesychius non de sacramento, sed de Christo ipso loquitur.

Episcopus Sarisburiensis.

CHristus sicuti suis antè discipulis commonstrauerat, Hierosolymas sibi proficiscendum,mortémque sibi subeundam esse, ita cùm suam illam postremam & planè lugubrem cœnam obiret,mortis suæ sacramentum instituit,& acceptum panem fregit,ac supplicij,quo erat afficiendus, omnem modum atque rationem illorum oculis subiicit,& adumbrauit: ac si dixisset, *Sic corpus frangi,sic sanguinem effundi meum oportet.* Hanc ita perspicuam & ad viuum expressam mortis Christi descriptionem atque ὑποτύπωσιν Hesychius sacrificium appellauit,hoc est,exemplar,ac effigiem illius sacrificij, quod postero die Christus esset in cruce facturus. Atque sicut panis fuit Christi corpus,ita quoque fractio panis fuit Christi passio.Eodem dicendi genere antiqui patres baptisma videntur sacrificium appellare.Chrysostomus inquit, *Baptisma Christi passio est.*Sic Tertullianus, *Tingimur in passione Domini.*Sic iterum Chrysostomus,*Quod crux & sepulchrum fuit Christo,in nobis baptismus factus est.*Hoc sensu Hesychius Christum ait semetipsum in vltima sua cœna obtulisse,id est,sacramento tenus & in mysterio,non autem reipsa,vt mundi peccata tolleret.Simili sensu idem Hesychius partum virginis vocat sacrificium:hæc eius verba sunt,*Sacrificium coctum Christi appellat incarnationem.*

Chry.in epist.ad Heb.ho. 16.Tertu.de baptismo. Chry.in epist.ad Rom.ho. 10.Hesy.in Leuit. lib 1.cap.2.

Quod ad hæc verba attinet, *Sancta sanctorum*, non externum sacramentum eo nomine, sed verum Christi corpus appellat Hesychius, quod quidem est, *res sacramenti*, teste Augustino. Sic Origenes scribit in Leuiticum: *Quæ est hostia, quæ pro peccatis offertur, & est sancta sanctorum: nisi vnigenitus filius, Dei Dominus meus, Iesus Christus? Ipse solus est hostia pro peccatis, & ipse est hostia, sancta sanctorum.* Hæc autem Origenes loquutus est, de eo sacrificio, quod Christus in cruce fecit, & propterea addit: *Quod vno verbo Apostolus explicauit, cùm dicit, Qui seipsum obtulit Deo.*

August. in Ioan. tracta. 26. Orig. in Leuit. hom. 7.

Cæterùm non modò sacramentum, sed res etiam alias ad sacrum vsum destinatas *sancta sanctorum* appellare possumus. Ita scriptum & definitum est à Bonifacio primo Papa: *Omne, quod Domino consecratur, siue fuerit homo, siue animal, siue ager, siue quicquid fuerit semel consecratum, sanctum sanctorum erit Domino.* Origenes autem sacra mysteria non eo sensu, quo Hardingus intelligit, sancta sanctorum vocat, quòd nimirum essent omnium sanctorum sanctissima, sed quia erant sanctis hominibus præparata. Sic enim ipse, quid vellet, exponit: *Panis iste, & calix sancta sanctorum sunt, vides quo modo non dixerit, sancta tantummodo, sed sancta sanctorum. Ac si diceret, panis ille non est communis omnium, nec cuiúsque indigni, sed sanctorum est. Quanto magis hoc, & de verbo Dei dicemus, Hic sermo non est omnium, nec cuiuscunque, sed sanctorum est?* Proinde Chrysostomus sacerdotem solitum fuisse panem inter celebranda sacra mysteria ostendere ait, & pronuntiare *sancta sanctis.* Hactenus quis esset horum verborum sensus, *Sancta sanctorum*, docuimus.

Inter decret. Bonifac. 1. decre. 3. 12 Quæst. 2. Nulli liceat. Leuit. 27. Orig. in Leuit. homil. 13.

Quod attinet ad Clementem Romanum, quem Hardingus Apostolis familiarem fuisse vbique prædicat, iste nequaquam profectò dicit, Christum obtulisse semetipsum in vltima cœna sua, sed aliud potiùs longè diuersum. Sic enim ait: *Propter nos homo factus, & spirituale sacrificium offerens Deo.* Magis etiam adhuc perspicuè hanc ad Deum precationem facit de hoc ipso: *Offerimus tibi regi, & Deo iuxta Christi institutionem hunc panem & hoc poculum.* Non dicit, Nos filij tui corpus realiter offerimus, sed hunc panem & hoc poculum: atque hæc quoque *antitypa* vocat, id est, Signa corporis, & sanguinis Christi. Sic itidem Theodoretus de hac re scribit: *Ecclesia offert corporis & sanguinis eius symbola.*

Lib. 8. cap. 13. Theodo. in Psa. 110.

Hardingus. 12. Sectio.

CVm in sacra mensa, in qua hæc mysteria celebrantur, agnus Dei iaceat, & immoletur à Sacerdotibus incruentè, vt vetustissimum & nobilissimum Concilium Nicenum habet.

Episcopus Sarisburiensis.

QVemadmodum Concilium Nicenum facta quadam cum veteris legis sacrificiis collatione, *agnum Dei in altari iacere affirmat*, sic Augustinus ad plebem dicit *Vos estis in mensa, vos estis in calice.* Itaque vt populus in mensa iacet, sic quoque Christus in ea iacere dicitur. Sed ad hunc locum fusiùs respondimus in quinto articulo, & octaua sectione.

August. in serm. ad infan. citatur à Beda. 1. Cor. 19.

Hardingus. 13. Sectio.

DEnique cùm in hoc diuino sacramento sub aspectabili figura res arcanæ contineantur, ipsum nempe verum, reale, viuum, naturale, & substantiale corpus & sanguis seruatoris Christi, sicut [a] scripturæ, doctores, concilia, insuper doctissimi de Martini Lutheri schola, planissimè & constantissimè confirmant.

a Falsum: In quo scri turas simul, & Concilia, & antiquos patres ementitur.

Episcopus Sarisburiensis.

SIquidem Hardingus vllum ex istis vocabulis, Reale, Viuum, Naturale, Substantiale, vel in Scripturis, vel in Doctoribus, vel in Concilio vllo reperire potuisset, suo in citandis locis labori nequaquam pepercisset. Iam autem cum ita asseueranter, & affirmatè hæc nobis vocabula, ex istis authoritatibus obtrudere non vereatur, neque tamen possit ea alicubi inuenire, eum & scripturas, & doctores, & concilia ementitum, & simplice populi ad credendum facilitate valde abusum esse meritò iudicemus.

Hardingus. 14. sectio.

CVm hæc (inquam) haud dubiè ita sint: nos qui Catholicæ ecclesiæ adhæremus, neque possumus vlla persequutione à Catholica fide remoueri, quos Iuello, eiúsque socijs Papistas nominare libet, sine dubitatione credimus nostrum esse officium adorare Sacramentum, & diuinum ei cultum exhibere. Hoc autem verbo non iam externas formas significamus, [b] quæ propriè vocantur sacramentum, sed rem sacramenti, & inuisibilem gratiam, & in illis inclusam virtutem, ipsum videlicet verum corpus, & sanguinem Christi.

Cum autem adoramus & veneramur beatum hoc sacramentum, ipsam panis & vini substantiam non adoramus neque colimus, quia post [c] consecrationem nulla vtique remanet: neque profectò externas panis ac vini figuras & formas, quæ remanent, adoramus: sunt enim creaturæ, neque debent adorari: sed ipsum corpus & sanguinem Christi, quæ sub illis [d] formis verè & realiter cõtinentur, humiliter & religiosè veneramur. Et proinde vt magis propriè & secundùm intelligentiam loquamur, ne quid aduersarius, quod in nos reyci commodè possit, ex vocabulis arripiat, cũ sensus duntaxat rectus quæratur, nos testificamur & dicimus, quòd adoremus & veremur corpus & sanguinẽ Christi in sacramento, quódque ita facere omnino debeamus.

b Falsum: Hæc enim loquendi genera nunquã fuerunt in vllo priscorum patrum seculo audita.

c Falsum: remanet enim panis & vinũ, quemadmodũ in decimo articulo docebitur.

d Falsum: id quod luculentiùs ex quinto Articulo, & sexto constat.

Episcopus Sarisburiensis.

SI quam Hardingus persequutionem subeat, mollem eam & delicatam esse necesse est: at illi alio quodam vsi sunt persequutionis genere. Solomon ait, *Aliqui fugiunt, nemine sequente.*

Prou. 28. Epipha. li. 2. de Ariomanitis.

Sic

Sic olim de ſuis perſequutoribus conqueſtus eſt Arius hæreticus: *ἄρειος ὁ διωκόμενος ἀδίκως διὰ τὴν πάντα νικῶσαν ἀλήθειαν*: Hoc eſt, *Arius iniuſta perſequutione vexatus propter vincentem omnia veritatem.* De ſua autem conſtantia, cuius hîc mentionem facit, & pro argumento nonnullo introducit, nihil iam dicam. Quanquam ſui putant, tam crebras, tam leues, tam repentinas mutationes cum conſtantiæ laude non facilè poſſe congruere. Sanè manifeſti notíque erroris defenſio alio potiùs nomine appellanda ſit. Zacharias Propheta ait: *Poſuerunt vt adamantem cor ſuum.* Iobus dicit: *Stetit cor eius ſicut incus.* Neque tamen hi propterea conſtantes dici potuerunt. Hilarius inquit: *Grauis & periculoſus lapſus eſt in multis. Etſi enim ſe intelligant, tamen pudor exurgendi authoritatem ſibi præſumit, vt, quòd errant, prudentiam velint exiſtimari: quòd cum multis errant, intelligentiam eſſe aſſerant veritatis.* Quod ad rem ipſam ſpectat, ea quidem videtur ſine natiui verborum ordinis & ſoni perturbatione nullo modo poſſe conſiſtere. Nunc accidentia ſpecieſque panis, nunc ipſum Chriſti corpus, ſacramentum eſſe oportet: quanquam Hardingus fatetur corpus Chriſti reuera non eſſe ſacramentum, tamen ad nouam iſtam adorationem tenendam ſacramentum neceſſariò dicendum eſt, atque ita nunc duo ſacramenta in vno habemus. In fine tamen prohibemur ipſum ſacramentum venerari, ſed tantùm corpus Chriſti in ſacramento. Atque hæc vt ait Hardingus, propria eſt, & perſpicua, & vſitata loquendi forma, & ſcientiæ conſentanea. Sic ille nos corda noſtra excitare docet, & Deum in ſpiritu ac veritate colere. Niſi voluerint imperiti homines Academias adire, vt hanc nouam ſcientiam addiſcant, quid ſit *Accidens abſque ſubiecto: Corpus ſine loco: locus ſine corpore: quantitas ſine modo quanti*, non poſſunt Chriſti corpus ſcitè venerari: ſin autem abſque hac intelligentia venerantur, aliud pro alio venerantur, & in idololatriam prolabuntur.

Zach. 7.
Iob. 41.
Hila. de Trinit. lib. 6. ca. 84.

Hardingus. 15. Sectio.

Illud porro adiiciendum eſt, in ſacramento altaris adorari corpus Chriſti, non cogitatione mentis ſeparatum à verbo, ſed ita cum eo coniunctum, vt diſtrahi non poſſit. Hoc enim eſt in primis conſiderandum, corpus, & ſanguinem Chriſti in ſacroſancto myſterio adeſſe non per ſe ſola, tanquam ab anima, atque à diuinitate eius diuulſa: ſed viuam illius carnem & ſanguinem [a] *hîc adeſſe, arctiſſimo quodam vinculo cum diuinitate illius coniuncta, eáque eſſe perfecta, integra, inſeparabilia, ſicut & ipſe eſt. Quod quidem abundè confirmatur ex variis ipſius Chriſti ſententiis in D. Ioanne:* Ego ſum, inquit, panis vitæ. *Iterum*: Hic eſt panis de cœlo deſcendens, vt ſi quis ex eo ederit, non moriatur. Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendit: Si quis ex hoc pane ederit, viuet in æternum. *Atque vt liquidò conſtaret, quem ille panem intelligeret, in extrema parte dicit:* Et panis quem ego dabo, mea caro eſt, quam dabo pro mundi vita. *His verbis clariſſimè demonſtrat carnem ſuam, quam nobis comedendam præbet, vitæ plenam eſſe, & cum eius diuinitate coniungi, illiſque qui eam* [b] *dignè percipiunt, corporis pariter & animæ immortalitatem adferre: quod profectò caro ac ſanguis ex ſe præſtare non potuit, quemadmodum ipſe Dominus haud obſcurè teſtatur in ſequentibus, vbi dicit:* Spiritus eſt, qui viuificat, caro nihil prodeſt: verba quæ ego ſum vobis loquutus, ſpiritus ſunt, & vita. *Hoc autem perinde eſt ac ſi dixiſſet: Ipſa ex ſe caro, nihil omnino prodeſt, ſed mea caro quæ diuinitatis & ſpiritus plena eſt, immortalitatem vitámque ſempiternam efficit, iiſque omnibus adfert, qui eam dignè accipiunt. Sic ergo in hoc beatiſſimo ſacramento, non corpus tantùm & ſanguinem Chriſti, ſed totum plenúmque Chriſtum, Deum & hominem adeſſe in ſubſtantia intelligimus: idque propter perſonæ Chriſti vnitatem, quæ nullo modo diſſolui poteſt: atque ob hanc cauſam agnoſcimus noſtrum omnino officium eſſe ipſum adorare, vt verum Deū atque hominem. Sed vt his quæ dixi maiorem adhuc lucem afferam, inſignem ex Auguſtino ſententiam recitabo, hæc Chriſti verba interpretante,* Si videris filium hominis aſcendentem vbi antè fuit. Nulla eſſet quæſtio ſi ita dixiſſet, Si videris filium Dei aſcendentem vbi erat priùs. Cum verò filium hominis dixit aſcendentem vbi erat priùs, nunquid filius hominis in cœlo erat priùs, quando in terra eſſe cœpit? Hîc quidem dixit, vbi erat priùs, quaſi tunc non ibi eſſet, quando hæc loquebatur. Alio autem loco ait: Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de cœlo deſcendit, filius hominis qui eſt in cœlo: non dixit erat, ſed filius inquit hominis, qui eſt in cœlo. In terra loquebatur, & in cœlo ſe eſſe dicebat. Quo pertinet, niſi vt intelligamus, vnam perſonam eſſe Chriſtum, Deum, & hominem, non duas: ne fides noſtra non ſit trinitas, ſed quaternitas? Chriſtus ergo vnus eſt verbum, anima, & caro, vnus Chriſtus: Filius Dei, & filius hominis vnus Chriſtus. Filius Dei ſemper, & filius hominis ex tempore: tamen vnus Chriſtus ſecundum vnitatem perſonæ in cœlo erat, quando in terra loquebatur. Sic erat filius in cœlo, quemadmodum filius Dei erat in terra: filius Dei in terra in ſuſcepta carne, filius hominis in cœlo in vnitate perſonæ. *Hactenus Auguſtinus.*

a Falſum: ſæpe affirmatū, nunquam cōfirmatum. Hæc enim verba ad ipſum duntaxat Chriſtum, non ad ſacramentum pertinent.

b Inanis acceſſio. Auguſtinus enim ait: *corpus Chriſti accipitur ab omnibus ad vitā, à nemine ad iudicium.*

In Ioan. tract. 27.

Epiſcopus Sariſburienſis.

Verè dixit Hardingus, corpus Chriſti cum eius deitate arctiſſimo quodam nodo copulari, & proinde vnà adorari debere: neq; enim diuinitatem oportet ab humanitate diuellere, & duos ita diuerſos inter ſe Chriſtos comminiſci, quorū alter colendus ſit alter omni cultu priuandus, vt Neſtorius hæreticus fecit. Sed quemadmodum corpus & anima in vnū hominem coniuncta ſimul in honore habentur: ſic etiam humana pariter & diuina Chriſti natura in vno connexa pariter honore afficienda eſt. Nā cum Neſtorio dicere: *Thomas tetigit eum qui reſurrexit: honorauit autem illum, à quo reſuſcitatus eſt,* vehementer blaſphemū eſſet. Veruntamen tametſi corpus atq; diuinitas Chriſti cōiuncta ſit in vna pſona, ſunt tamē ſeparatæ ac diuerſæ naturæ: altera finita, altera infinita

Cyril. in Apologetico.
In edicto Imperatoris Iuſtin. inter decreta. Ioan. 2.

Concil. Calch. actio. 2.

altera loco comprehensa, altera extra omnem locum diffusa: altera creatura, altera creator. Neque est vllus honos diuinus corpori Christi debitus, quatenus corpus est: sed tantùm propter diuinitatem, quæ in vnam cùm eo personam coaluit. Ista omnia certa sunt, & sine dubitatione vera.

Auguſt. de doct. Christian. li. 3. cap. 16. Orig. in Leuit. hom. 7. Augustinus in Psal. 98. Chrys. in Ioan. hom. 47.

Illa quoque Christi verba, quæ in sexto Ioannis habuit, & hîc ab Hardingo vsurpantur, sunt proculdubio verissima: non tamen si ad ipsum momentum, sonúmque literarum exigantur. Hoc enim, vt Augustinus ait, *Facinus esset, & flagitium*: Et vt Origenes inquit, *Animam occideret*. Ac proinde Christus ipse, quid vellet, exposuit his verbis: *Spiritus est qui dat vitam, caro nequicquam prodest. Verba quæ ego loquutus sum, sunt spiritus & vita*. Hæc verba Augustinus sic interpretatur: *Spiritualiter intelligite quæ loquutus sum. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis*. Similiter Chrysostomus: *Secundùm spiritum verba mea audienda sunt. Qui secundum carnem audit, nihil lucratur, nihil vtilitatis accipit*. His etiam addit, facta quasi obiectione quadam: *Quid ergo est carnaliter intelligere?* Respôdet ipse, *Simpliciter vt res dicuntur, neque aliud quicquã cogitare*. Sic itaque dixit Christus, vt carnales eorũ cogitationes radicitus extraheret: *Verba quæ ego sum loquutus, spiritus & vita sunt*. Quasi dixisset: *Nec caro mea cibus, neque sanguis meus potus est, vt ore vestro capiantur, & pascãt corpora: sed si animæ vestræ esuriant, ego sum spiritualis cibus, vos alã: si sitiant animæ vestræ, ego sum potus spiritualis, ego vos exhilarabo*. Huic accommodatum est, quod Chrysostomus ait: *Omnia tibi Christus factus est, mensa, vestimentum, domus, caput, & radix, Quotquot in Christo (inquit Paulus) baptizati estis, Christum induistis. Ecce quomodo vestimentum tibi est. Vis discere quomodo & mensa tibi sit? Qui me comedit, inquit, viuet ille propter me. Quòd autẽ domus est tibi: Qui comedit carnem meam, in me manet, & ego in eo. Et quòd radix, rursum inquit, Ego vitis, vos palmites*. Sic Gregorius Nyssenus: *Christus fit perfectioribus solidus cibus, inferioribus olus, infantibus lac*. Sic Origenes: *Ne mireris, quia verbum Dei & caro dicitur, & panis, & lac, & olera: & pro mensura credentium, vel possibilitate sumentium diuerse nominatur*. Similiter Gregorius Nazianzenus: *Quemadmodum Dominus noster Iesus Christus appellatur vita, via, panis, vitis, lux vera, & mille alia, sic etiam appellatur gladius*. Itaque sicut Christus est panis, eodem etiam modo gladius dicitur, non alio. Sic Christus nobis, est spiritualis mensa, spirituale vestimentum, spiritualis domus, spirituale caput, spiritualis radix, spiritualis cibus, spiritualia olera, spirituale lac, spiritualis caro, vita, via, panis, vitis, & lux: atque in hunc finem Christus dixit: *Verba mea sunt spiritus & vita*. Hactenus sanè Christi verba, parũ adferunt ad causam Hardingianam momenti.

Chrys. ad popul Antioch. hom. 21. Gala. 3. Ioan. 6. Ioan. 15.

Greg. Nyssen. in vita Mosis. Orig. in Exod. cap. 17. hom. 7. Nazianzen. in Psal. 44.

Hardingus insuper ait: *Totum Christum, Deum ac hominem, realiter, substantialiter, & carnaliter esse in sacramento*. Hoc cùm nullo modo possit euincere, suo quodam iure concedi sibi postulat, ac si nihil ad fidem ei faciendam desideraretur. Non erit alienum vt tempus ei largiamur ad deliberandum, & rem firmiùs probandam. Interim argumenti eius vis huiusmodi est;

Humanitas ac diuinitas Christi in vna persona coniungitur:
Ergo Sacramentum est diuino honore colendum.

Hardingus. 16. Sectio.

Hinc nimirum hæc Christi verba, Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquã, *ad hunc modum interpretatur*: Caro non prodest quicquam, sed sola caro, accedat spiritus ad carnem, & prodest plurimũ. Nam si caro nihil prodesset, verbũ caro non fieret, vt inhabitaret in nobis. *Ad hãc personæ vnitatẽ in vtraque natura intelligendã (inquit eruditissimus pater ille Leo) legimus & filiũ hominis è cœlo descẽdisse, cùm filius Dei carnem sumeret ex ea virgine, è qua natus esset. Iterum etiam, dicitur filius Dei crucifixus & sepultus, cùm ista pateretur non in Deitate ipsa, in qua vnigenitus filius coæternus, & consubstantialis est patri, sed in naturæ humanæ infirmitate. Quare omnes etiam in symbolo confitemur vnigenitum Dei filium crucifixum & sepultum, secundum illud Apostoli*: Si enim sciuissent, non crucifixissent Dominum gloriæ.

Epis. ad Flauianum Cõstãtinopolit. episcopo. c. 5.

1. Cor. 2.

Huic doctrinæ conuenienter Cyrillus scribens in Ioannem habet: Qui carnem Christi manducat, vitam habet æternam. Habet enim hæc caro Dei verbum, quod naturaliter vita est: propterea dicit, Quia ego resuscitabo eum in nouissimo die. Ego enim, dixit, *(id est corpus meum quod comedetur)* resuscitabo eum. Non enim alius est ipse, quàm caro sua: non id dico, quia natura non sit alius, sed quia post incarnationẽ in duos se diuidi filios minimè patitur. *Quibus verbis improbi Nestorij hæresin redarguit, qui Christum diuisit, & è Christo duos filios constituit, alterum filium Dei, alterum filium Mariæ, atque ita duas personas innexit. De quo damnatus Nestorius in primo Concilio Ephesino fuit, tum etiã vel maximè, quòd nos in* [a] *hoc sacramento Christi modò carnem in pane, & sanguinem tantùm in poculo accipere defenderet, sine deitate, quia Christus dixit*: qui comedit carnem meam, *non autem dixit, qui comedit, vel bibit meam deitatem, quia non deitas, sed tantum humanitas comedi potest. Quam quidem hæreticam captionem ita Cyrillus diluit*: Quanquam *(inquit)* Deitatis natura non comeditur, corpus tamẽ Christi comedimus, quod vtique comedi potest. Corpus autẽ hoc verbi ipsius corpus est, quod viuificat omnia, & quandoquidẽ vitæ corpus est, viuificum est: viuificat autem quatenus Deus est, vnicus vitẽ fôs. Quapropter huiusmodi loquutiones de Christo in scripturis editæ, quibus alteri naturæ tributũ videtur, quod ad alteram pertinet, & contrà, iuxta illã incõprehensibilem, & inenarrabilem diuinæ humaneque naturæ in vnam personam cõiunctionem atque vnionem, de eo accipiẽdæ sunt inseparabiliter, quandoquidem & Deus & homo est, non huius aut illius duntaxat naturæ, tanquam ab altera separatæ. Propter enim hanc inseparabilem vnionem, quicquid alterutri naturæ peculiare est, rectè & potest & debet etiam toti personæ ascribi. *Atque hoc fit, quẽadmodum eruditi*

In Ioan. lib. 4. cap. 15.

a Falsum: neque enim hunc errorem defendit Nestorius, neque huiusmodi canon in eo Concilio propositus fuit.

Vide Anathematismum 11. Item ad Theodosi. de recta fide, & ad Reginas de recta fide.

Theologi loquuntur per communicationem idiomatū. *Ita docet Cyrillus, quemadmodum Christus manducetur, non iuxta diuinam, sed humanam naturam, quam è nobis accipit: atque hoc modo à Christianis hominibus in sacramento adoratur secundùm diuinam suam naturam. Non tamen secundùm diuinam tantū naturā, quasi nimirum ea esset ab humana separata, sed integram simul personā, Deum atque hominē. Pretiosa etiā eius caro & sanguis adorantur propter inseparabilē vtriusq; naturæ in vna persona coniunctionē, quæ est Iesus Christus, Deus & homo,* Quē Deus(*vt Paulus ait*)extulit, eiq; nomē dedit, quod est supra omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flecteretur, cœlestium, & terrestrium, & subterraneorum: omnísque lingua confiteretur Dominum Iesum Christum esse in gloria Dei patris, *hoc est, esse, æquali gloria cum patre.* Cùm Deus(*inquit Paulus*)inducit primogenitum in mundum, dicit, Adorent eum omnes angeli Dei. *B. Ioannes scripsit in Apocalypsi se audiuisse omnes creaturas dicentes:* Benedictio, honor, gloria, & robur cessori throni & agno in secula seculorum. Et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, & adorarunt eum, qui viuit in secula seculorum.

Philip. 2. *Heb. 1. Psal. 96. Apocal. 5.*

Episcopus Sarisburiensis.

DEmiror quid Hardingo venerit in mentem, vt tantam inanium verborum frustra effunderet copiam. Omnia hæc testimonia & vera sunt, & rectè ab eo adhibentur, excepto eo solo, quod è Concilio Calchedonensi allatum est de Nestorio. Cæterùm non illud omne de cuius veritate constat, mox ad quamlibet causam stabiliendam aptum censeri debet. Plinius secundus prudenter admonet, vt qui librū aliquem conscripturi sunt, ad titulum atque argumentum de quo scribere instituerunt, identidem respiciant, ne fortè ab eo, quod proposuerunt, longiùs aberret eorum oratio: vt nunc noster Hardingus pulchrè quidem iaculatur, sed procul à scopo. Hæc enim verba nullam faciunt vel sacramenti, vel eiusdem adorationis mentionem, neque omnino aliquid continent, quod quoquo modo ad sacramentum spectet. Nisi fortè velit Hardingus ex hisce verbis argumentum istiusmodi concludere:

Plin. sæpe respiciendum est ad Titulum.

Filius hominis de cœlo descendit:
Ergo, oportet sacramentum adorare.

Cyrilli etiam vera sententia est: *Christi caro coniuncta est cum diuinitate, itaque naturaliter vitam dat.* Cumque Christus diceret, *Ego illum suscitabo in die nouissimo,* id sensit, quemadmodum Cyrillus scribit, carnem suam, quam nos comedimus, resuscitaturam esse nos in extremo die. Nam quācunque gratiam seu misericordiam à Deo consequuti sumus, ea ad nos omnis per Christi carnem deriuatur. Augustinus ait: *Mortalis factus est immortalis, vt peracta sua morte nos faceret immortales.* Rursus: *Nos non efficeremur participes diuinitatis eius, nisi ipse fuisset factus particeps mortalitatis nostræ.* Ista omnia vera sunt, vt quæ nihil aliud in se habeant, quàm illustrem horum Christi verborum explanationem: *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, viuet in æternū.* Hardingus autem, vt hæc Cyrilli verba in suum sensum pertraheret, duos confinxit permagnos errores, vnum, Christi corpus non nisi in sacramento comedi posse: alterum nos nisi illud ore percipiamus, & in ventrem ingeramus, comedere nullo modo posse: ac si vel Christus, vel hi pietate præstantes patres carnalem aliquem comedendi modum intellexissent. Hæc doctrina facilè possit horrore atque desperatione hominum mentes perfundere. Nam si vera sit Hardingi defensio, neminem fore beatæ illius resurrectionis participem, nisi qui Christi corpus comederit in sacramento, quid tum Christianis infantibus fiet, qui ex hac vita, nunquam accepto sacramento, decesserunt? quis eos in die summo exuscitabit? Num verò censet Hardingus paruulos illos semel baptizatos, & per baptismum Christi membra factos, nunquam resurrecturos, sed perpetua damnatione perituros, ea tantùm de causa, quòd sacramentum non perceperint? Christus in his verbis non de sacramento loquutus est, sed de spirituali manducatione per fidem, sicuti omnes sancti patres testantur, ad eámque præstandā omne corporis munus penitus remouet. Propterea Augustinus inquit, *Crede & manducasti:* Et iterum: *Illud manducare refici est: Illud bibere, quid est nisi viuere?* Similiter Basilius: *Est spirituale os interni hominis, quo recipitur verbum vitæ, quod est panis, qui de cœlo descendit.* De nostra autē à mortuis resurrectione, ait: Τὸ βάπτισμα δύναμίς ἐστι πρὸς ἀνάστασιν, *Baptismus vis est ad resurrectionem.* Sic Augustinus: *Nemini dubitandum est, tum vnum quemque fieri participem corporis & sanguinis Christi, quando in baptismo factus est membrum corporis Christi.* Sic Chrysostomus: *In baptismo incorporamur in Christum, & facti sumus caro de eius carne & os de ossibus eius.* Sic fide Christi corpus comedimus, non tantùm cogitatione quadam inani ac suspensa, sed efficaciter, verè & re ipsa: quare nos Christus in die vltimo resuscitabit.

Ioan. 6. *Augustinus in Psal. 109. Augustin. in Psal. 118.* *August. in 6. Ioan. Aug. de verbis Apostol. ser. 2. Basil. in Psa. 33. Basil. in exhortatione ad sanctum baptis. Aug. citatur à Beda in 1. Cor. 10. Chrys. in epist. ad Eph. ho. 20.*

Fraus autem Hardingiana in hoc, vt dixi, versatur, quòd is corpus Christi comedi nō posse fingit, nisi tantùm in sacramento, etiam interueniente externi oris munere. Quanquam vt antè è Rabano Mauro ostendimus: *Sacramentum extrinsecus recipitur ore corporis: corpus autem Christi in interiorem hominem recipitur, spirituali fidei ore.* Ex his iam apparet, & sacramentum accipi posse sine Christi corpore, & Christi corpus posse sine sacramento sumi. Hactenus Hardingus nullum omnino de adoratione verbum fecit.

Rabanus Maurus. li. 1. ca. 31.

In iis autem, quæ de Nestorio meminit Hardingus, magnam falsitatem callidè infersit. Nam quòd dicit Nestorium eam habuisse opinionem, nos in sacramento panis corpus tantùm Christi sine sanguine accipere, in poculo verò sanguinem solùm seorsum à corpore, neque Nestorius, etsi hæreticus, in hoc tam prauo errore fuit, neque tale aliquid memoratur, vel in Ephesino concilio,

Hardingus falsò citat concilium Ephesinum.

quod hîc falsò ponitur, vel omnino in alio quoquam Cócilio, aut antiquo patre. Sed Hardingianæ causæ summa iis literarum monumentis nititur, quæ nunquã extiterunt. Si quis sit in toto illo Cócilio istiusmodi canon, vel vlla in aliquo veterũ doctorũ facta de eo mẽtio, proferat Hardingus, vt nos verũ esse cognoscamus: quòd si autẽ hunc canonẽ tam sæpe, támque confidenter vsurpatum, nusquam possit ostendere, ignoscat nobis, si illum omnes mortales inanibus titulis ludere, & dolo malo agere suspicemur. Etsi fas esset, & contra Nestorium, vt hæreticum quiduis confingere, tamẽ non debuit isto modo Concilium generale ementiri. At Cyrillus amphùs dicit: *Non posse nos Christi diuinitatẽ comedere, humanitatem eius tantum comedi.* Ex his Hardingus erbitratur, se posse quicquid nos de spirituali mãducatione, quæ fide cõtinetur tradimus, euertere. Sic enim argumẽtabitur.

Vos docetis, edere Christi corpus non aliud esse, quàm credere:
Sed Cyrillus ait, nos non posse Deum comedere:
Ergo, ex vestra doctrina non possumus credere in Deum.

Sic nos ei videmur in eas angustias redacti, vt rem longè absurdissimam fateri cogamur. Hæc quidem ratio speciem in se videtur nonnullam habere: à te igitur peto, Lector, vt & partes eius inspicias, & quid à me respondeatur cognoscas. Edere in sermone communi, est cibum vel alimentũ capere, & in corporum nostrorum substantiam conuertere: metaphoricè autem atque extraordinariè sæpe significat spiritualiter comedere, & cibum cœlestem ad animas recreandas & nutriendas sumere. At neutro modo verè dici potest, nos deitatẽ comedere. Nam summã diuinæ naturæ maiestatẽ neque capere possumus, neque eam in nostræ naturæ substantiam redigere. Humanitatem autẽ ac corpus Christi & accipere, & edere, & depascere possumus, & ossa ex eius ossibus, & caro ex illius carne fieri, vt & ille in nobis habitet, & nos vicissim in illo. Quanquam ergo Christus & Deus & homo sit, tamen nos non tam diuinitate Christi, quàm humanitate primò ac præcipuè pascimur & viuimus, quatenus homo factus est, & carnis atque sanguinis particeps fuit, & crucifixus est, & sanguinẽ effudit, & animam in cruce exhalauit. Hic noster est spiritualis pastus, in hoc omnis nostra consistit vita. Ob hanc causam Paulus dicit: *Quod nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui dedit semetipsum pro me.* Et iterum: *A me absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Et Petrus: *Non aliud est nomen sub cœlo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos seruari, nisi tantum nomen Iesu Christi.* Sic etiam Cyrillus ait: *Vitam & nutrimentum habemus, non ex diuinitate Christi, sed ex humanitate.* Rectè itaque annotatur in Decretis: *Christus per hoc est factus noster panis, & substentatio, & vita: quia assumpsit carnem nostram.* Sed cum Cyrillo Hardingus dicet: *Non possumus comedere diuinitatem, tamen in Deum credimus: Ergo, contrà ac vos docetis, credere non est idem, quod manducare.* Sanè ex Cyrillo atque ex summa quadam aliorum veterum patrum consensione constat, nos non posse Deum vel cognoscere, vel in eum credere, vel eum inuocare, vt ipse in se est in diuina sua maiestate, sed eatenus duntaxat, quò ille nobis similis esse, nostrámque fragilem induere naturam voluit. Chrysostomus ait: *Illum si in nuda deitate venisset, non cœlum, non terra, non maria, non vlla creatura sustinere potuisset.* Sic Hilarius, *Cognitus fieri Deus homini, nisi assumpto homine non potuit quia incognoscibilem cognoscere, nisi per naturam nostram, natura non potuit.* Similiter Cyrillus: *Christus non aliter erit adorabilis nisi credamus, quòd ipsum verbum caro factum est.* Si quoque Augustinus: *Respice altitudinem ipsius, in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Ecce cibus sempiternus, sed manducant Angeli, manducant supernæ virtutes, manducant cœlestes spiritus. Quis autem homo posset ad illum cibum? Vnde, cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo vt mensa illa lactesceret, & ad paruulos perueniret.* Sequitur, *Quomodo ergo de ipso pane pauit nos sapientia Dei?* Respondet, *Quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Iterum: *Ita verbum incarnatum factum est nobis receptibile, quod recipere non valeremus, si filius æqualis Deo non se exinaniret, formam serui accipiens.* Alias prætermitto similes Doctorum sententias. Hic itaque Cyrilli verborum sensus est. Nos diuinam Dei maiestatem neque percipere, neque cognoscere, neque in eam credere, neque eam adorare, neque edere, neque vesci possumus, cum pura sit, & in se simplex: sed cognitio, fides, nutrimentum, & vita nostra in eo versantur, quod Christus mortalem nostram naturam acceperit, eámque diuinitati suæ in vnam personam ἀχωρίστως coniunxerit.

Ephe. 5.
Hebr. 2.
Gala. 2.
Gala 6.
Acto. 4.
De conse. dist. 2. Christus. in Margine.
Chrys. citatur à Cassiodor. in Psal. 17.
Hila. in Psal. 143.
Cyril. ad Regi.
Augustin. in Psal. 33.
Ioan. 1.
Augustin. in Psal.

Hardingus. 17. Sectio.

SEd molestum magis quàm necessarium esset, scripturæ locos percensere, quæ ad probandam Christi adorationem adduci possent, cum tantus sit eorũ numerus. Quoniam tamen Lutherus vel ita cœcus, vel potiùs ita perditè impius fuit, vt adorationẽ negaret, cum interim præsentiam veri & naturalis corporis Christi in sacramento concederet: hîc ea memorabo, quæ Tigurini sacramentarij contra illum hac in re scripserunt. Quid (inquiunt) an panis verum & naturale Christi corpus est, an Christus præsens adest in sacramento (vt Papa & Lutherus asserunt?) Cur ergo non adoratur Dominus illic, vbi eum præsentem esse dicitis? Cur nos id prohibemur adorare, quod non modò sacramentaliter, sed etiam corporaliter sit corpus Christi? Thomas tangit verum corpus Christi è mortuis excitati, & mox in genua procidens adorat, inquiens, Deus meus, & Dominus meus. *Discipuli Dominum & ante, & post resurrectionẽ adorant, Matth. 28. Act. 1. & Dominus in Ioanne ait ad cœcum,* Credis in filium Dei? Ipse autem respondit, dicens: Domine quis est, vt credã in eum? Iesus dixit ei, tu vidisti eum, & qui tecum loquitur is est. Tum dixit, Domine credo, & adorauit illum. *Quòd si autem nos accepissemus panem Dominicum esse naturale Christi corpus, illud*

Ioan.

religiose

religiosè adoraremus cum Papistis. Hæc Zuingliani contra Lutherum, in quibus abundè confirmant adorationem corporis Christi in sacramento, & sic consequenter ipsius Christi Dei & hominis, propter inseparatam diuinæ ac humanæ naturæ in personæ vnitate coniunctionem, vt vbicunque corpus sit, ibi diuinitati eius vniatur: ac coniungatur: ac Christus plenè & substantialiter adsit, verè Deus & homo. Atque vt clariorem harum rerum expositionem haberemus, Scholastici Theologi illud verbum, concominantia, *vtiliter excogitarunt, perspicue ac verè docentes, in hoc sacramento post consecrationem, sub panis specie adesse Christi corpus, sub specie vini sanguinem,* ex vi sacramenti: *vna etiam cùm corpore sub specie panis adesse sanguinem, animam, & diuinitatem Christi: cùm sanguine quoque sub specie vini, corpus, & animã, & diuinitatem adesse,* ex concomitantia, *vt vocant, breuiùs, & clariùs eandem fidei doctrinam exponentes, quam sancti patres in* [a] *Ephesino Concilio cõtra Nestorium proposuerunt. Intelligunt autem, vbi Christi corpus præsens adest, ibi per necessariam consequentiam adesse eius sanguinem, animam, diuinitatem, & sic totum plenúmque Christum, Deum & hominem propter indiuisibilem, vtriúsque naturæ in vna persona connexum, quandoquidem verbum caro factum, humanam naturam nunquam deposuit. In hoc autem sensu vocabulũ illud non est à quoquam pio & docto homine improbandum, quantumuis noui quidam magistri irrideant, Maiorum suorum mensuram implentes, qui similiter vocabula quædam ferre non potuerunt à sanctis doctísque patribus in concilijs generalibus vtiliter inuenta, vt magis commodam haberemus quorundam necessariorum fidei articulorum explicationem. Qualia sunt,* Homousion, Humanatio, Incarnatio, Transsubstantiatio. *Hic autem obseruandum est, quòd Zuingliani, quos Iuellus sequitur, in adorationis articulo Lutheranos improbant: & vicissim Lutherani in articulo præsentiæ Zuinglianos redarguunt, ac si singulari Dei prouidentia effectum esset ad conseruandam ecclesiæ tranquillitatem, vt inimici veritatis & verum faterentur, & alteri ab alteris falsitatis arguerentur, vt & hæreticorum bellis pax ecclesiæ constitueretur, & dissidiis concordia catholicorum confirmaretur. Iam postquam luculenter è scripturis confirmauimus, annuentibus etiam Zuinglianis adorationem & cultum diuinum corpori Christi deberi, vbicunque diuina eius maiestas illud præsens exhibere voluerit, videamus nunc, vtrum eandem hanc apud sanctos & antiquos patres doctrinam inuenire possimus.*

[a] Falsum: nullum enim in concilio Ephesino propositũ fuit huiusmodi dogma.

Transsubstantiatio nuper est inuenta in concilio Lateranensi Romæ, Anno Domini 1215.

Episcopus Sarisburiensis.

QVòd nobis Hardingus leues quasdam Lutheri & Zuinglij de hac sacramentaria adoratione dissensiones exprobrat atque obiicit, possum ei respondere, quod quidam olim Philippo Macedoniæ regi, pacem inter Peloponnesios & reliquos Græciæ populos conciliare conanti, respondisse dicitur: *Tu priùs abi* (inquit) *& domi pacem compone.* Eo enim ipso tempore summa exarsit inter coniugem Olympiadem, & Alexandrum filium discordia: ex quo ipse minùs aptus ad pacem inter alios constituendam visus est. Meminisse debuit Hardingus eos, qui maxima sui euangelij firmamenta ac columnæ habentur, post primum nouæ suæ disciplinæ ortum, in dissidiis perpetuò fuisse, neque vnquam in concordiam reduci potuisse: Oportuit illum in mentem reuocasse, suç farinæ doctores, & eos etiam præcipuos doctores Papam Innocentiũ & Scotum contraria atque repugnantia docere: Scotum cum Thoma dissidere: Occamum à Scoto dissentire: Petrum de Alliaco cum Occamo digladiari: Nominales cum Realibus decertare: atque insuper etiam Scotistas cum Scotistis, & Thomistas cum Thomistis ciuilibus inter se bellis sub vno vexillo contendere: adeo etiam de ipsis consecrationis verbis, aliísque similibus rebus, & multis illis quidem & magnis, quas sigillatim persequi molestũ esset. Res adhuc in capitali odio constitutæ sunt, nec spes est vnquã reconciliari posse. Itaq; cum domi tam crudelia bella habeant, non debuit Hardingus tenues quasdã de re vna aut altera cõtentiones nobis exprobrare. Esset sanè vehemẽter optandũ, & faxit (precor) Deus tandẽ aliquando, vt Christi euangelium nullis impedimentis implicatũ per omnes orbis partes liberè maneet & fundatur: cęterũ ab initio aliter fuit. Nã cumprimũ euangeliũ dissemi nari cœpisset, & martyrũ sanguis adhuc calesceret, erant nonnulli qui dicerent, *Ego sum Pauli*, alij autẽ, *Ego sum Petri*: & sic inter se diuulsi sunt. Paulus restitit, & in os contradixit Petro: Hieronymus Augustinum hæreseos accusat: Augustinus Hieronymum iubet palinodiam canere: Hieronymus Ambrosium contemnit, & Basiliũ reprehendit: Cyprianus à Cornelio dissentit: Sabinianus Papa omnes Gregorij prædecessoris sui libros crematos voluit. Ex his apparet sanctos à sanctis & Martyres à Martyribus in iis etiam causis, quæ ad religionem spectabant, dissensisse.

Demaratus.

1. Cor. 1. Galat. 2. Aug. epist. 9.

Hinc autem hæretici aliíque à pietate auersi homines calumniandi semper euangelij ansam arripuerunt. Marcion hæreticus existimauit se inter nouum & vetus Testamentum repugnantiam deprehendisse, atque ideo audacter affirmauit, se scripturam falsitatis conuincere potuisse. Hieronymus ait: *Hunc locum nobis obiecit Iulianus Augustus, de dissonantia euangelistarum.* Rursus: *Sceleratus Porphyrius in primo libro, quem scripsit aduersus nos, obiecit Petrum à Paulo esse reprehensum, quòd non recto pede incederet ad euangelium.* Socrates & Sozomenus Christianos propter discordias suas ab infidelibus in publicis conuenticulis, ac foro derisos, & digitis notatos fuisse, scribunt.

Tertul. lib. 4. contra Marci. Hier. in Matth. lib. 1. cap. 1. Hie. in proœ. in epist. ad Gal. Socr. lib. 1 ca. 6. Sozo. li. 1. c. 16.

Ceterùm ista iudiciorum & sententiarum discrepantia, vt imbecillibus offensioni, & improbis malorum occasioni est, qui contra Deum occasiones captant: ita piis multorum est effectrix bonorum. Iis enim, quos Deus secundùm propositum elegit, omnia ad bonum conferunt. Nicolaus Lyranus ait: *Expositorum diuersitas excitat attentionem:* facítque vt meminerint se esse homines, *& ex parte videre tanquam in speculo,* quippe qui fidem pro mensura tantùm ratáque portione sua acceperint: ac proinde ad scrutandas & excutiendas scripturas nos impellit, neque sinit hominibus gloriari, vt qui gloriatur, in Domino glorietur.

2. Cor. 11. Rom. 8. Nicol. Lyra. in prolog. in Gen. 1. Cor. 13. 2. Cor. 10. 1. Cor. 3. 1. Cor. 1.

Hi duo præstantes viri, & eximia ecclesiæ Christi membra, quos Hardingus adeo est oratione insectatus, de nullo vnquam Christianæ fidei fundamento, aut principio, sed de vna tantùm sententia, phraséque scripturarum dissenserunt. Vtrique & cognouerunt, & confessi sunt Christi corpus diuino cultu adorari debere, cùm sit Diuinitati in vna persona coniunctum. Alter autem ait, quanquam Christi corpus in sacramento præsens adsit, ibi tamen in eum finem & vsum non adesse, vt à nobis adoretur: neque omnino præcipimur in verbo Dei hunc illi honorem exhibere. Sic Christi corpus in nobis est, Naturaliter, Realiter, carnaliter, substantialiter & reuera. Neque tamen propterea debemus alij coram aliis prosterni, vt Christum in nobis præsentem diuino cultu veneremur. Omnis ita horum duorum eruditione præcellentium patrum dissentio in hoc vno momento versata est, quis sit præsentiæ Christi modus. In cæteris summa fuit voluntatum & studiorum consensio, ad falsitatem atque hypochrisin retegendam, Deíque gloriam amplificandam penitus intenta.

1. Timoth. 6. profanas verbo rum nouitates. βεβήλους. κενοφωνίας. Epipha. contra Semiari. li. 3. ὁ ς νοῦς πανταχοῦ.

Nos nouum illud suum vocabulum, *Concomitantia*, quod Hardingus tanquam firmissimum quoddam doctrinæ suæ iam ruinosæ fulcimentum introduxit, equidem non miramur, vt ille putat: etsi Paulus præcepit: vt ab inauditis hisce & impiis verbis caueremus: sed illud nomen ad causam tam ineptam ita pueriliter accommodatam esse sanè demiramur. Equidem fateor istas voces, *Homousios, Humanatio, Incarnatio*, disertè in scriptura non inueniri: eorum tamen vis ac sensus, vt ait Epiphanius, vbique facilè reperitur.

Soc. li. 1. cap. 8.

August. contra Maximinum lib. 3. cap. 14. Firmatum est.

Neque illud verbum in Niceno Concilio inuentum fuit primùm. Etiam longo ante hoc Concilium tempore, ab Origene, aliísque veteribus, & eruditis episcopis vsurpatum est, quemadmodum ex Socrate constat, cuius hæc sunt verba: *Doctos quosdam ex veteribus & illustres Episcopos, Homousij dictione vsos esse cognouimus.* Et proinde Augustinus non inuentum hoc nomen, sed *firmatum fuisse* dicit in Niceno Concilio. Quapropter Hardingus cùm alibi, tum hic falsus fuit.

Concil. Floret. Sessione vltima.

Transsubstantiationis autem nomen, hîc ab Hardingo inter hæc verba, *Humousios, Humanatio, Incarnatio*, numeratur, vt Iudas inter Apostolos. Recens profectò vocabulum, & nuper tandem in lucem editum, circiter mille ducentos annos post natum Christum, regnante in Anglia Ioanne: neque vllum prorsus habet, quo nitatur, in scriptura fundamentum: nomen tamen fuit diu antè impositum, quàm iste fœtus omnino editus esset. Etenim cùm ex Florentino Concilio perspici potest, Orietalem Græciæ & Asiæ ecclesiam illud nunquam probasse, tum sanè ad hodiernum vsque diem auersantur, nec ij à quibus primùm excogitatum & confictum est, certi aliquid adhuc de eo statuerunt.

Hoc enim verbum, *Transsubstantiatio*, mutationem & transitum vnius substantiæ in aliam significat: ipsi autem dictu esse intolerabile putant, Substantiam panis in substantiā corporis Christi migrare: atque iccirco ipse Scotus illud repudiat ac fugit: & satius esse censet affirmare, panē euanescere, & subitò auolare, & tum Corpus Christi in illius locum succedere: atque hæc iam est communis ac recepta scholarum sententia. Verùm istud mutationis genus, *Transsubstantiatio* nullo modo dici potest: sed potiùs *Cessio, Annihilatio, Successio, Substitutio.* Eat ergo Hardingus, & nouum nomen quærat: hoc enim non quadrabit. Ita post mille ducentorum annorum disquisitionem aliquid tandem inuestigárunt: quod tamen cuiusmodi sit, nondum ipsi intelligunt. Tamen eorum (si diis placet) de hac re decretum, cum Niceno Concilio scilicet comparatur. Beno Cardinalis, qui illo tempore vixit, Gregorium septimum Papam trium dierum ieiunium, ac processionem solennem sanxisse scribit, quo signum aliquod de cœlo impetraret, ex quo certior fieret quid de eo statuendum esset, ad extremum tamen, rem ipsam sine oraculo transegit.

Beno in vita Hildebrandi.

De nouo autem hoc commento *Concomitantiæ*, erat quidem omnino necessarium, vt postquam religionem excogitassent nouam, vocabula quoque noua fingerent, quæ ei subsidio essent. Quod Christus dicit, *Hoc est corpus meum:* Illi, *Hoc est corpus meum, & sanguis meus.* Quod Christus ait, *Hic est sanguis meus:* Illi, *Hic est sanguis meus, & corpus meum*: atque in vtraque parte totum Christum, Deum atque hominem inesse asserunt. Si ex illis quæratis, vnde ita esse norunt, respondebunt se, non ex verbo Dei cognoscere, sed ex nouo hoc *Concomitantiæ* figmento. Similiter Hardingus hîc iam nullo quidem se posse scripturæ testimonio sacramenti adorationem confirmare, sed sua tantùm, opinor, *Concomitantia* fatetur.

Hardingus. 18. Sectio.

QVid Apostoli sua ætate de hoc articulo censendum docuerunt, ex eo potest æstimari, quod in Dionysio legimus, qui fuit Pauli discipulus, eoq́; nomine fidem meretur. Is sanctum hoc mysterium adorat & veneratur his verbis: Sed ô diuinum penitus sanctúmque mysterium, obducta tibi per signa obscuritatum, quasi vela & integumenta, patefacta perspicuè nobis ostende, mentísque nostræ oculos singulari & clarissima luce obtege.

Ecclesia. Hierarch. c. 3.

Episcopus Sarisburiensis.

HVnc ab Hardingo locum esse ad confirmandam sacramenti adorationem allatum miror. Quid enim? Nam arbitratur Hardingus, quicquid compellatur eo modo, illud omne cultu honoréque diuino affici? An est oblitus ecclesiæ suæ Romanæ in more positum esse, Sacrum Oleum his verbis salutare, *Aue sanctum Oleum*? Aut illi è memoria excidit se in sua ecclesia

crucem

crucem ligneam sic affari, *Aue Rex noster:* aut eandem hanc crucem è lignea materia fabricatã sic orare,& precari: *O Crux aue, spes vnica hoc passionis tempore, auge piis iustitiam, reisq; dona veniam?* Nũ illum propterea existimabimus vel terrenæ creaturæ diuinum honorem impartire, vel Christum præsentem quidem adesse, sed ligni forma, occultari? Hoc quidem satis sit ad hunc Dionysij locum explicandum. Opinor Hardingum memoria tenere, sacramentum ab Epiphanio *rem dici insensibilem*, quæ neque nos videre possit, neque preces nostras exaudire: neque ignorat, Pachymerem Græcum scholiasten, hæc Dionysij verba in hunc sensum interpretari: *O diuinum & sacrum mysterium. Affatur illud tanquam rẽ animatã, & meritò: quemadmodum & Theologus magnus Gregorius ait, O magnum & sanctum Pascha: & eiusmodi sacrum mysterium ipse est Dominus noster Iesus Christus:* ad quem *loquitur sanctus.* Ad eum (inquit) in cœlo versantem, non ad illud, quod in mensa coràm iacet. Atque hanc fuisse Dionysij mentem, ex iis verbis intelligi potest quæ proximè præcesserant: *Ingrediamur (inquit) ab effectis ad causas:* id est oculos nostros ab aspectabilibus sacramentis reuocemus & Christum spiritualiter intueamur, cuius ea sunt sacramenta, quíque in illis repræsentatur. Similiter de Olei consecratione loquutus est Dionysius, *adducamus vela, & spirituale ipsum fulgorem intueamur.* Per hunc autem spiritualem fulgorem Christum procul dubio intellexit. Docet ergo nos corporeis oculis aliud, spiritualibus aliud videre, corporeis quidẽ quæ adsunt, spiritualibus verò quæ absunt. Atque vt harum rerum nobis cumulatior fides constet, D. Andreæ verba, quibus materialem eã, in quã actus est, crucẽ compellat, expendamus, *Salue Crux quæ hîc stas, tandiu me expectans. Lætus accedo, noui enim tuum secretum, noui mysterium. Video in te, quæ mihi à Domino meo promittuntur. Recipe me ô electa Crux qui tam humilis sum propter Deum, & redde miserũ seruulum suo Domino.* Hîc manifestam inuocationem, hîc perspicuã adorationem habemus. An eam ergo nobis opinionem hæc verba iniicient, vt Andream diuinum ligneæ cruci honorem præstitisse existimemus?

Epiphanius in Anchorato.

Paphymeres ὡς ἐμψύχῳ αὐτῷ διαλέγεται.

Abdias in Andrea.

Sed quoniam Hardingus huic Dionysij loco nonnihil confidere videtur, nos vnius mysterij ex alio explicationem petamus. Ambrosius aquam baptismi ad hunc modum affatur: *O aqua, quæ humano aspersum sanguine orbem terrarum lauisti: O aqua, quæ sacramentum esse Christi meruisti. Tu incipis prima, tu comples perfecta mysteria, &c.* Num verò nobis necessariò existimandum erit, quòd Ambrosius aquam hoc modo alloquitur & compellat, eam vel aures habuisse, atque audiuisse: vel Christum ipsum in ea præsentem adfuisse corporaliter? Sunt verò cùm panis, tum aqua elementa materialia vitæque expertia. Quapropter sicut Ambrosius alterum, ita alterum affatus est Dionysius, non aliter. Sed quandoquidem Hardingus Amphilochij sui causa quicquid Verona nouarum rerũ venerit, libenter amplexurus videtur, quanta nos illic pietate virginis Zonam inuocare doceant attendamus. Precationis formula hæc est, *O veneranda Zona fac nos hæredes æternæ & beatæ vitæ: & hanc nostram vitam ab interitu conserua. Tuam hæreditatem, tuum populum ô Intemeratæ Zona intemerata conserua. Habeamus te vires & auxilium, murum, & propugnaculum, portum & salutare refugium.* Hæc precatio ab Euthymio quodam peruetusto & perdocto Græco scriptore facta esse dicitur, quem proximo hoc anno Aloysius Lipomanus episcopus Veronensis in lucem edidit, Venetiis ac Louanij excusum, in duobus ingentibus voluminibus, eiusdem argumenti. Atque ne res parum in se authoritatis haberet, bellus ille catholicus pater & eruditus Veronæ episcopus Lipomanus, hunc locum in margine singulari consilio obseruauit in hunc modum, *O quam magna & mira petit à veneranda Zona?* Hæc quanquam ita sint, non tamen Hardingum opinor dicturum eam fuisse vel Euthymij, vel Lipomani mentem, vt virginis Zonam diuino cultu venerandam esse iudicarent.

Ambro. in Luc. lib. 10. cap. 22.

Hardingus. 19. Sectio.

Holil. 5. in Diuersos Euãgelii locos.

Origenes nos docet, *quomodo Christum in sacramento priusquam illud accipiamus, adorare & venerari oporteat, his verbis:* Quando sanctum cibum, illúdque incorruptum accipis epulum, quãdo vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini: tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temetipsum imitare hunc Centurionem, & dicito: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Vbi enim indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti.

Episcopus Sarisburiensis.

QVàm verò facilè est imperitos & ignaros homines in fraudem inducere? Origenes in omni illo loco nullam facit neque adorandi sacramenti, neq; realis & corporalis Christi in eo præsentiæ neq; carnalis alicuius in corpora nostra introitus mentionem: sed accepta ex historia Centurionis occasione, qui se indignum, qui Christum in ædes exciperet, existimauit, quibus modis Christus in fideles immigret, ostendit. Duas autem vias disertè meminit in eo loco: vnã, quando homo quisquã pius ad nos accedit: alterã, cùm sacram cõmunionẽ percipimus. Hæc illius verba sunt: *Quando Sancti & Deo acceptabiles ecclesiarum antistites sub tectum tuum intrant, tunc ibidem per eos Dominus ingreditur. Et tu sic existimes, tanquam Dominum suscipiens. Et aliud: quando illud incorruptũ sanctumq; accipis epulum.* Ex huius ergo sancti Patris sententia, sicut Christus per episcopum, aut virum sanctum ad nos ingreditur, ita quoque per sacrorum mysteriorum participationem ingreditur. Ita etiam in prima eiusdẽ libri Homilia habet. *Nobiscum Deus per Euangelistarum & Apostolorum prædicationem, per sui sancti corporis & sanguinis sacramentum: per gloriosæ crucis signaculum.*

Matth. 8. Luc. 7.

Origen. in diuersos Euangelii locos. Homil. 1.

Matth. 8. Numeri 10. 1. Regum. 2.

Per hæc omnia Christus ad nos accedit, & in nobis versatur: sicuti ipse ait: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.* Ita in veteri testamento, quando portabatur arca Domini, ipse quoque Dominus eleuari & subuehi quodammodo visus est. Et iccirco Sacerdotes quando eam tollerent, dicebant, *Exurgat Deus*, cúmque ea in exercitum allata esset, dixerunt, *Ipse Dominus venit*: capta autem arca, *Israëlis gloriam captam esse* clamabant.

Orig. in diuersos Euangelii locos. Hom. 5. Absens corpore. Luc. 14.

Augu. in Ioan. tractatu 50.

Neque existimandum nobis est, Origenem de reali aliquo, aut corporali Christi in ædes nostras aduentu loquutum esse. Verba enim, suáque ipsius interpretatio repugnant. Nam sic in eodem loco scribit: *Tantùm dic verbo: tantùm veni verbo: verbum aspectus tuus est, opusq́; est consummatum: Ostende absens Corpore, quod præsens spiritu consummare potes.* Sic Christus ait: *Ego & pater ad illum veniemus, & cum illo manebimus.* Quo in loco carnalem aliquem, aut corporalem aduentum cogitare non oportet. Quocirca quandocunque Christus nostras domos inierit, siue per pium quempiam hominem, siue per corporis sui sacramentum, siue per crucis signum, siue, vt Augustinus ait, per fidem, siue per baptismi sacramentum, Origenes corda nos nostra submittere docet, & Christum sic venientem his verbis excipere: *Domine indignus sum, vt tectum meum subeas.* Si ex his concludat Hardingus Origenem præcipere, vt sacramentum adoremus, Episcopum quoque aliósque homines pios, tanquã Deos diuino honore adorare, ab eodem doceri nos dicat necesse est.

Hardingus. 20. Sectio.

Res inuisibilis sacramenti est corpus sanguisque Christi quæ in cœlo sunt.

In sermone de cœna Domini.

QVis neget Cyprianum rem inuisibilem huius sacramenti adorasse, quæ est corpus & sanguis Christi, cum in eo diuinitatem, non minus quàm in Christi persona esse fateatur? quod quidem his ostendit: Panis, quem Dominus discipulis suis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, Omnipotentia verbi factus est caro. Et sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas, ita sacramento visibili ineffabiliter diuina se infundit essentia.

Episcopus Sarisburiensis.

HVnc Cypriani locum Hardingus, tanquam inuictam causæ suæ defensionem crebrò vsurpauit: singulis autem occasionibus responsum repetere superuacaneum esset. Consentaneũ itaque iudicaui, optime Lector, ad secundam, decimi articuli, & ad quartam 21. sectionem te remittere, vbi luculentam responsionem dabo. Hoc interim obseruare licet Cyprianum hîc nullum facere de sacramento adorando verbum: diuinationes autem illæ, quibus Hardingus vtitur, non satis firmum habent argumenti pondus. Cæterùm vt Cyprianus *diuinam essentiam in visibile sacramentum sese infundere* affirmat, hoc idem Paulinus aquæ baptismi tribuit: *Concipit vnda Deum.* Augustinus similiter de baptismo dicit, *Sacramento suo diuina virtus assistit.*

August. contra Donatist. lib. 3. cap. 10.

Hardingus. 21. Sectio.

In. 10. priorii ad Corinthios.

a Falsum: nullam enim Chrysostomus realem præsentiam statuit sed mentes tantùm nostras in cœlum excitat.
b Hoc corpus, in hoc sacramento repræsentatum.

CHrysostomus insignem locum habet de Adoratione corporis Christi in sacramento, in suis in Paulum commentariis, in quo etiam & [a] realem præsentiam, & sacrificium confirmat. Nolimus obsecro, nolimus (*inquit*) impudentes nos ipsos interimere: & quando id corpus propositum videris, dic tecum, propter hoc corpus non ampliùs terra & cinis ego sum: non ampliùs captiuus, sed liber. Hoc corpus affixum, verberatum, morte victum non est. *Post hæc ad adorandum & venerandum Domini corpus in sacramento omnes hortatur.* [b] Hoc corpus (*inquit*) in præsepe reueriti sunt magi, & viri impij, & barbari longo itinere confecto, cum timore & tremore plurimo adorauerunt. Imitemur igitur saltem barbaros nos, qui cœlorum ciues sumus. Illi enim cùm id præsepe & tugurium tantùm, neque eorum quicquam quæ tu nunc intueris viderent, summa accesserunt reuerentia & honore. Tu verò non in præsepe id sed in altari: non mulierem, quæ in vlnis teneat, sed sacerdotem præsentem & spiritum perabundè super proposito diffusum sacrificio vides. *Hic idem pater in Missa sua precationem facit coram sancto sacramento, iisdem prope verbis, quibus Basilius.* Attende Domine Iesu Christe Deus noster, de sancto habitaculo tuo, & de sede gloriæ regni tui, & veni ad sanctificandum nos, qui sursum cùm patre sedes, & deorsum nobis inuisibiliter assistis: dignare, tua potenti manu tribuere nobis immaculatum corpus tuum & pretiosum sanguinem, & per nos omni populo. *In eadem Chrysostomi Liturgia seu Missa, clarissimum adorationis sacramenti testimonium habetur, his verbis:* Sacerdos adorat, & diaconus in eo quo est loco, ter secretò dicentes: Deus propitius esto mihi peccatori: Sic populus, & similiter omnes adorant deuotè & reuerenter. *Apud eundem patrem, alia quoque precationis forma reperitur, qua Græci Sacerdotes ad hodiernum vsque diem in adorando Christi corpore in sacramento vtuntur: his autem verbis continetur:* Domine non sum dignus, vt intres sub sordidum animæ meæ tectum. Quemadmodum autem non dedignatus es in cauerna, & in stabulo brutorum animaliũ iacere, & domum Simonis leprosi inire, & meretricem etiam, ac peccatorem mei similem ad te venientem recepisti: dignare etiam ingredi in præsepe animæ meæ ratione vacuæ, & in [d] corpus meum sordidum, mortuum, & leprosum. Et sicut non auersatus es os inhonestum meretricis tuum incontaminatum pedem osculantis: ita Domine Deus noli me, licèt peccatorem auersari, sed pro tua bonitate dignare me fieri participem sanctissimi corporis & sanguinis tui.

Coram sacramento, sed non in sacramento.

c Hæc oratio ad ipsum Christũ instituitur, non ad sacramentum nec ad aliquid omnino realiter in sacramento conclusum.
d Mystico quodam loquendi genere Christus intrat in corpora nostra, quando sacramentum corporis Christi in nostra corpora accipimus.

Episcopus

Episcopus Sarisburiensis.

QVod suprà ad Dionysij & Origenis sententias à nobis responsum est, id huic etiam Chrysostomi loco explicando aptè inseruire potest. Tamen vt aliquanto adhuc luculentiùs verborum Chrysostomi sensum animo perspicias, scito Christiane Lector, Chrysostomum in eadem ipsa Homilia, cuius hîc Hardingus meminit, ita scribere: *Quid significat panis? Corpus Christi.* In suis quoque in Matthæum Homiliis sic habet: *In istis vasis non est verum corpus Christi sed mysterium corporis eius continetur.* Et propterea in eadem Homilia in epistolam ad Corinthios animos populi abstrahit ab aspectabilibus panis & vini elementis, & in cœlum vsque cogitationes eorum rapit. Sic populum affatur: *Vbi cadauer, ibi Aquilæ: cadauer est Domini corpus, propter mortem: aquilas autem appellat, vt ostendat ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit.* Postea addit: *Ascende ergo ad cœli portas, & diligenter attende, imo non cœli, sed cœli cœlorum: & tum quod dicimus, intueberis.* Sic igitur Chrysostomus cùm populo agit, acsi iam in cœlo constitutus esset, eúmque hortatur non vt panem & vinum, quæ corrumpuntur, sed vt verum Christi corpus & sanguinem intueatur: non externum sacramentum, sed sacramenti substantiam: non ea, quæ coram adsunt, sed quæ, quoad carnalem præsentiam, absunt. In sacra enim communione nihil aliud oculis nostris subiicitur, nisi crux & mors Christi, agnúsque Dei, qui peccata mundi tollit. *Atque hæc ipsa recordatio* (inquit Augustinus) *sic nos facit commoueri, tanquam videamus præsentem Dominum in cruce.*

Chrysost. in 1. Cor. Hom. 24. Chrysost. in opere imperfecto. Hom. 11.

Chrysost. in 1. Cor. Hom. 24.

De consecr. dist. 2. semel mortuus.

Postquam ergo corda populi in cœlum sustulisset, & in ipso Christi cóspectu collocasset, sic eos deinde alloquitur: *Propter hoc corpus, non amplius terra & cinis es, hoc corpus te liberum fecit, hoc corpus pro te fractum fuit in cruce: hoc corpus cum Magis adorare debemus: hoc inquam, corpus non iam in terra, sed ad dextram Dei in cœlis:* hoc nimirum corpus, quod spiritu vides, quódque fide tágis, cuius illud, quod accipis sacramentum, mysterium est. Sic Emissenus ait: *Sacrum Dei tui corpus fide respice, mente continge, cordis manu suscipe.*

De consecr. dist. 2. Quia corpus.

Sed obiiciet Hardingus Chrysostomum dicere, *vt Christus fuit in præsepi, ita nunc in altari esse, & vt semel fuit in mulieris vlnis, ita iam in sacerdotis manibus esse.* Christum & illic fuisse, & hic esse verum procul dubio est: cæterùm non vno, eodémque modo. In stabulo enim corpore præsens fuit: in sacra mensa adest sacramento tenus: mulier illum manibus tenuit reipsa, sacerdos manibus tenet duntaxat in mysterio. Sic Paulus ait, *Christus habitat in cordibus nostris*: & idem sanè Christus qui in præsepi iacuit, vnus est idémque Christus: discrimen in modo præsentiæ versatur. Etenim in præsepi iacuit corporis præsentia: in cordibus nostris iacet fidei præsentia.

Ephes. 3.

Quòd si hæc interpretatio nimiùm exquisita atque inuoluta Hardingo videatur, hoc adiungam, Christum in mensa poni, vt fideles homines in ea positi esse dicuntur. Augustinus sic populum alloquitur: *vos estis in calice, vos estis in mensa.* At populus in ea non est realiter, crassè, & reuera, sed in mysterio. Ita etiam Christi corpus in mensa est, non crassè, non realiter, non reipsa, sed in mysterio. Atque vt Chrysostomus dixit, *Sacerdos Christum tenet in manibus*: ad eundem quoque modum Gregorius, *Abel tenuit Christum manibus*, idque etiam quater mille annis, antequam Christus natus esset: neque nudum signum aut inane symbolum tenuit, sed eundem ipsum Christum, quem Esaias vidit, quémque Ioannes Baptista digito demonstrauit. Sic enim se habent illius verba: *Quem Ioannes in ostensione, quem Esaias in loquutione, hunc Abel significando in manibus tenuit.* Chrysostomus itaque sacerdotem ita tenere Christum manibus dicit, vt Ioannes Baptista, vt Esaias, vt Abel Christum tenuerunt.

August. citatur à Beda in 1. Corinth. 10.

Grego. in Iobū lib. 29. cap. 38.

Hanc autem fuisse Chrysostomi mentem, ex ipso orationis filo atque tractu manifestum esse potest. Ait enim, *Vides spiritum sanctum: vides ac tangis illud regale corpus*: sic ille de spirituali visione, tactionéque loquutus est, qua nos res quantumuis longissimè disiunctas & remotas, videmus tamé & tangimus. Ná quod ad externam visionem attinet, nouit Hardingus, spiritum sanctum eo modo percipi non posse: ipsique adeo papistæ *corpus Christi inuisibiliter esse in sacramento*, docent.

Verùm ne quid hinc accipiat Hardingus ansæ, quò genus hoc visionis imaginariú esse & inane contendat, illa Hieronymi verba memoria repetat, quæ is ad Paulam & Eustochium scribit de ipsarum Bethleemæ commoratione: *Magos tria deferentes munera in visione beatis oculis vidisti: ipsa eadem munera fide Deo obtulisti: cum iisdem Magis Deum puerum in præsepio adorasti.* Vidit Magos, & tamen non vidit: eorum munera accepit, neque tamen accepit: puerum in præsepi adorauit, tamen puer in eo non fuit. Hæc illa quidem non reipsa, nec reuera, quanquam minimè ficté aut imaginariè, sed verè & efficaciter per fidei præsentiam perfecit. Hoc modo Magi Christum viderunt: hoc nos etiam nunc Christum videmus: hoc modo illum adorarunt, hoc & nos illum adoramus. Ij viderunt, & adorarunt illum in terris versantem: nos illum cœlo videmus & adoramus: illi eum corpore habuerunt præsentem: nos illum habemus corpore quidem absentem, fidei soli præsenté.

Hieronym. ad Paulam, & Eustochium.

Atque hoc illud est, quod Ambrosius dixit, *Magis videtur quod non videtur*: id est, Nos fide certius, quàm oculis corporeis videmus. Corporis enim oculus nos fallere potest: mentis autem oculus, qui est fides, non potest.

Ambros. de his qui initiantur Mysteriis. ca. 3.

Hardingi ratio ex his conclusa, sic habet: *Sacerdos in sacra cœna obeunda dicebat, Deus miserere mei peccatoris, & Respice nos ô Domine Iesu Christe Deus noster de sancto tabernaculo tuo, & de throno gloriæ tuæ: Ergo, precatus est, & adorauit sacramentum.* Ex his præmissis multò aptiùs contrà conclusisset: Sacerdos mentem ab his terrestribus ac corruptibilibus elementis auocauit, & Christum in cœlo adorauit in tabernaculo & throno gloriæ suæ: Ergo, non adorauit sacramentum.

Hardingus. 22. Sectio.

Ambrosius postquam illorum prophetæ verborum sensum diu multúmque indagasset & inuestigasset, Adora & cole scabellum pedum eius, quia sanctum est: *tandem ita concludit, scabellum illud esse terram, quia scriptum est,* cœlum est sedes mea, & terra est scabellum pedum meorum: *& cùm terra, vtpote creatura, non sit adoranda, per terram, eam nempe terram intelligit, quam Dominus Iesus in carnis suæ assumptione de virgine Maria accepit. Hinc ergo clarissima illa verba ad testandam sacramenti adorationem habet:* Itaque per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quóque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu adorarunt.

De spiritu sancto lib. 3. ca. 12. Psal. 96. Esai. 66.

Erudita illa, quam Augustinus habet tractatio, in hunc locum Psalmi, Adorate scabellum pedum illius, quia sanctum est, *adeo perspicuam habet huius rei confirmationem, vt ea ex omnibus authoritatibus, quarum ingentem copiam habemus, minimè silentio præteriri debeat. Ipsum locum paulò fusius describere volui. Sic verba habent.* Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est. Videte fratres quid nos iubeat adorare. Alio loco scriptura dicit. Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Ergo terram nos iubet adorare, quia dixit alio loco, quod sit scabellum Dei? Et quomodo adorabimus terram, cùm dicat apertè scriptura, Dominum Deum tuum adorabis: & hìc dicit, Adorate scabellum pedum eius? Exponens autem mihi, quid sit scabellum pedum eius, dicit: Terra autem scabellum pedum meorum. Anceps factus sum, timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit cœlum & terram. Rursum timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia psalmus mihi dicit, Adorate scabellum pedum eius. Quæro quid sit scabellum pedum eius, & dicit mihi scriptura, Terra scabellum pedum meorum. Fluctuans conuerto me ad Christum, quia ipsum quæro hìc, & inuenio, quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terrã, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hìc ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi priùs adorauerit: inuentum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Nunquid autem caro viuificat? Ipse Dominus dixit, cùm de ipsa condemnatione eiusdem terræ loqueretur, Spiritus est, qui viuificat, caro autem nihil prodest. Ideo & ad terram quamlibet cùm te inclinas, & prosternis, non quasi terram intuearis, sed illum sanctum, cuius pedum scabellum est, quod adoras: propter ipsum enim adoras: ideo & hìc subiecit, Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est. Quis sanctus est? In cuius amore adoras scabellum pedum eius. Et cùm adoras illum, ne cogitatione remaneas in carne, & à spiritu non viuificeris: spiritus enim, inquit, viuificat, caro autem nihil prodest. Tunc autem quando hoc Dominus commendauit, de carne sua loquutus erat, & dixerat, Nisi quis manducauerit carnem meam non habebit in se vitam æternam.

In Psal. 98. Esai. 66. Deu. 6. 10. Matth. 4.

Christum manducamus in cœlo sedendem. Itaque illum nõ sub accidentibus latentem: sed in cœlo sedentem adoramus. Ioan. 6.

Episcopus Sarisburiensis.

Ambrosius, & Augustinus cùm de Psalmi expositione consentiunt, tum quod ad ipsam rem attinet, neque à nobis quoquam modo dissident, neque cum Hardingo sentiunt. Nos quidẽ Christi carnem humiliter adorare docent, sacramentum autem carnis Christi nusquam nos adorare iubent. Sic iam Hardingus inanem laborem suscepit, vt rem priùs probatam identidem probet. Quod autem illius intererat probasse, de eo nullum verbum fecit. Est hoc nimirum simplicitate & inscitia lectoris nimis præsidenter abuti, cùm ei persuadere coneris hos sanctos patres nos vt sacramentum adoremus docere, cùm de adorando sacramento nihil omnino dicant.

Sed instabit Hardingus, oportere nos carnem Christi adorare: fatemur, agnoscimus, credimus, populum docemus, quemadmodum antiqui patres docuerunt, neminem illam carnem comedere, qui eam non priùs adoret: quíque non adorat, eum capitaliter Deum offendere, & corporis Christi reum fieri. Verùm quo pacto eam edimus, sic eam quoque adoramus. Edimus eam in cœlo sedentem ad dextras Dei: illuc nos corda nostra erigimus, ibíque illam adoramus. Ambrosius inquit: *Stephanus in terris positus Christum tangit in cœlo.* Iterum *Non corporali tactu Christum, sed fide tangimus.* Et vt Christum tangimus, ita quoque Christum videmus, nẽpe spiritualibus duntaxat fidei oculis. Sic Ambrosius in loco suprà citato habet, *Stephanus intra cœlos Dominũ cernit,* atq; vt illud gloriosissimum spectaculũ non externis oculis obiectũ, sed planè fuisse spirituale intelligamus, Augustinus scribit, Stephanũ sub tecto in consessu iudicũ tum stetisse, & cœlos apertos vidisse, cùm nõ posset corporeis oculis per tecti culmẽ suspicere, cœlumq; intueri: ibi nos Christi corpus videmus, ibi nos illi appropinquamus: ibi nos illud tangimus: ibi gustamus: ibi edimus: ibi adoramus.

Ambro. in sermone. 58. De Maria Magdalena. Ambro. in Lucam. lib. 10. ca. 24. Ambro. in sermone. 58. De Maria-Magdalena. August. de cognitione veræ vitæ. cap. 42.

Adeóne crassam esse & corpoream Christi religionem existimat Hardingus, vt nullo modo possimus eius corpus, nisi corporaliter præsens ante oculos positum edere aut adorare? Augustinus quidem ait: *Si resurrexistis cum Christo, dicit fidelibus, dicit corpus & sanguinem Domini accipientibus. Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, vbi Christus est in dextra Dei sedens, quæ sursum sunt, quærite, non quæ super terram.* In hoc autem ipso loco, quem hìc Hardingus citat, Augustinus habet: *Spiritualiter intelligite quod loquutus sum. Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis.* Ita in eodem loco Augustinus suam ipse mentem exposuit atque explanauit. Vt impij possunt esse in Christum contumeliosi, ita sine controuersia piis licet Christo honorem deferre. At impij vt

August. in psal. 39. Coloss. 3.

Augustin. in Psalm. 98.

Paulus ait, Christum in cœlo versantem crucifigunt: & Christus cùm in cœlo esset ad Paulum ait in terra agentem, *Saule, Saule cur me persequeris?* Quocirca pij in terra constituti, Christum in cœlo similiter adorare atque venerari possunt.

Hebræ. 6. Act. 9.

Verum obiicient illud, quod Ambrosius habet, *Nos Christi carnem in mysteriis adorare.* Hinc omnis illorum error nascitur. Ambrosius enim non ait hoc modo, nos mysteria aut carnem Christi realiter præsentem & materialiter in mysteriis comprehensam adoramus, sicuti Hardingus fingit: Tantùm ait, *Nos Christi carnem in mysteriis adoramus*, hoc est in celebrandis mysteriis. Est procul dubio officium nostrũ corpus Christi adorare in Dei verbo, in sacramento Baptismi, in mysteriis corporis & sanguinis Christi, vbicunque denique vestigium, aut signum illius vllum appareat: præcipuè verò in sacris mysteriis, in quibus viuam totius Christi in carne peregrinationis imaginẽ expressam habemus. Ista autem adoratio, vt diximus antè, neque ad sacramentum refertur, neque corporalem aliquam, seu carnalem præsentiam postulat. Sic Hieronymus ait: *Paula adorauit Christum in præsepio*: Et se Christum in sepulchro adorasse dicit. Sic Chrysostomus *nos corpus Christi in sacramento baptismi adorare* docet: Neque tamen corpus Christi tum vel in præsepio, vel in sepulchro præsens fuit, vel nunc in aqua Baptismi præsens adest. Hoc scilicet modo nos carnem Christi in mysteriis adorare scribit Ambrosius.

Hieronym. ad Paulam & Eustochi. Chrysostom. in Marcum hom. 14.

Hardingus. 23. Sectio.

Epist. 120. cap. 21.

IDem *Augustinus morem & consuetudinem sui temporis ostendit, quod ad Christi adorationem in sacramento attinet, sic scribens ad Honoratum in versum 21. Psalmi.* Edent pauperes & saturabuntur: *& in alterum illum* Manducauerunt & adorauerunt omnes Diuites terræ. Neque frustra *(inquit)* ita distincti sunt, vt de pauperibus suprà diceretur: Edent pauperes, & saturabuntur, hic verò, Manducauerunt & adorauerunt omnes diuites terræ. Et ipsi quippe adducti sunt ad mensam Domini & accipiunt de corpore, & sanguine eius, sed adorant tantùm, non etiam saturantur quoniam non imitantur. *Similiter in expositione illius Psalmi*, Manducauerunt *(inquit)* corpus humilitatis Domini sui etiam diuites terræ, nec sicut pauperes saturati sunt vsque ad imitationem, sed tamen adorauerunt [a] illud, hoc est per adorationem agnouerunt Christum Dominum suum illic præsentem adesse.

In psal. 21.

a Falsum: in loci deprauatione situm. Hardingus, Illud, de suo addidit.

Episcopus Sarisburiensis.

EAdem huic loco, quæ superiori, responsio potest accommodari. Augustinus hîc de Christo, nõ de sacramento adorando loquitur. Vniuersa autem eius oratio in Allegoria quadam esuriendi, comedendi, implendi, & adorandi sita est. Nos Christum esurimus: nos Christum comedimus: nos Christo in cœlis sedente saturamur: nos etiam Christum in cœlis commorantem adoramus & veneramur.

At Augustinus ait: *Comedunt Pauperem.* Nos Christum non iam ampliùs in paupertatis œconomia esse nouimus. Deus illũ extulit, & nomen ei dedit, quod est supra omne nomen, & illius pedibus omnia subiecit. Augustinus autem Christum iccirco pauperẽ appellat, quia se ipse adeo humilem & abiectum contemptúmque effecit, & quia factus est obediens vsque ad mortem eámque mortem etiam crucis. Huius illum crucis, mortis, paupertatísque ratione amplectimur: Ex eo corpore, quod pro nobis fractum est, viuimus: eo sanguine, qui pro nobis effusus est, reficimur. Sic ergo nos Christum comedimus, & sustentamur, & vitam ex eo nostram haurimus, quatenus sanguinem ipse suum effudit, & pauper factus est.

Philippen. 2. Hebræ 2. Ephes. 1.

Pauperes, qui se ipsi repudiarunt & aspernati sunt Christum in cœlo sedentem manducant, & eo satiantur: Diuites illum manducant quidem, & eum quoque in cœlo sedentem adorant, sed non explentur. Vident quippe Christum illum esse verum Messiam, qui venturus expectabatur: vident omnia completa & peracta esse, quæ de illo prophetæ prædixerunt: noménque illius ad extremos vsque mundi fines propagatum esse intelligunt: credunt nullum esse aliud nomen sub cœlo, per quod seruari possint. Propterea illius nomen profitentur: in illum credunt: illum comedunt, & adorant. Verùm non omnem mundi curam penitus deponunt: non se repudiant: Christum non sequuntur: & proinde Christo non saturantur. Sic Augustinus suam ipse sententiam exponit: *Inde erat piscator ille Petrus, inde erat alius piscator Ioannes & Iacobus frater ipsius, inde erat etiam publicanus Matthæus. De pauperibus ipsi erant qui comederunt & saturati sunt, talia passi, qualia manducauerunt. Cœnam suam dedit, passionem suam: ille saturatur, qui imitatur.* Hactenus Augustinus nullum omnino verbum fecit, vel de adoratione, vel de sacramento, vel de corpore Christi, tanquam realiter præsente in sacramento. Est itaque Hardingus grauiùs culpandus, quòd verba Augustino de suis addere, eiúsque sententiam planè corrumpere & deprauare voluerit. Non est profectò Catholici hominis officium, antiquos & priscos patres ita accipere. Equidem quod Augustinus dicit: *Nec sicut pauperes saturati sunt vsque ad imitationem: Sed tamen adorauerunt:* Huic Hardingus de proprio adiecit *(illud)* quod quidem in Augustino non reperitur, atque ita sententiam concludit ad hunc modum. *Sed tamen adorauerunt & venerati sunt illud.* Ac veluti hæc ipsa Augustini verba essent, hanc suam affinxit interpretationem, *nempe adorando agnouerunt Christum Dominum illic præsentem esse.* Amici ac subscriptores sui non facilè tanta eum esse solertia crediderint. Authoritates ei non facilè deesse possunt, dum integrum illi erit pro arbitrio nouas comminisci atque confingere. Cæterùm Augustinus neque commentarium, neque textum istum agnoscit, neque corpora-

Actor. 13. Roman. 10. Actor. 4.

Augustin. in psalm. 21.

Augustin. in eundem psalm.

lis huius præsentiæ vllam vnquam mentionem fecit. Nos Christum videmus & colimus in cœlo sedentem, vt suprà dictum, & confirmatum est.

August. Domi-ni.quinta post Trini.serm.1.

Augustinus optimus sui interpres sic ait, *Habes aurum, sed non dum tenes Christum præsentem.* Augustinus Christum hîc præsentem esse negat, Hardingi autem commentarius adesse Christum hîc præsentem confirmat. Reputet iam secum lector vter horum potiùs credendus sit.

Hardingus. 24. Sectio.

IN super scribens contra Faustum Manichæum, inter alia ostendit, Ethnicos homines credidisse Christianos propter eum honorē quem beato sacramento, quod ex pane vinoq́; consecrato constat, detulerunt, Bacchum & Cererem coluisse, Deos falsos, ab Ethnicis propter granum, vinúmque ab illis inuentum in honore habitos. Ex quo argumentum possumus meritò colligere, homines fideles illa ætate corpus & sanguinem Christi, in sacramento sub panis ac vini formis adorasse. Nam alioqui infideles existimare eos Bacchum, Cererémque diuino cultu prosequutos esse non potuissent.

Hæc conclusio parum est attentè considerata Ethnici enim nunquam sunt Bacchum, Cererémque sub panis vinique formis venerati.

Episcopus Sarisburiensis.

HÆc coniectura & absurda prorsus, & insulsa est: quo sanè magis miror, Hardingum hominem doctrina excultum & argumentorum copia tanta, quanta prædicat, affluentem, isto vnquam vti voluisse. Ipsi enim pueri qui nondum è scholis grammaticis excesserunt, Ethnicos eos qui Bacchum, Cererémque vt Deos coluerunt, pani tamen & vino diuinum honorem nunquam exhibuisse norunt. Ipseque Cicero homo Ethnicus dicere potuit, *Quis tam stultus est, vt id, quo vescitur, credat esse Deum?* Iuuenalis quoque Ethnicus poëta hanc fatuitatem irridet:

Cicero de natura Deorū.n. Iuuenalis.

O sanctas Gentes quibus hæc nascuntur in agris Numina.

Barbari atque ignari Ethnici Bacchum ac Cererem & inuenisse primos panem vinúmque, & ea hominibus ad vsus vitæ necessarios indicasse crediderunt: cùm antè & glandibus querneis vescerentur, & aquam biberent. Quocirca hoc tam insigne beneficium sempiternis memoriæ monumētis celebrare cupientes, alteram pane, vino alterum coluerunt. Quòd autem panis & vini naturas adorauerint, existimo Hardingum non facilè posse demonstrare. Potuisset itaque argumentum sic instituere. *Christiani sua sacramenta ita colere indicati sunt, vt Ethnici panē ac vinū coluerunt: at Ethnici panem & vinum diuino honore nunquam dignati sunt:*

Ergo Christiani sacramenta sua diuino cultu nunquam adorauerunt.

Hardingus. 25. Sectio.

ALium adhuc longè apertissimum de hoc cultu & adoratione locum in eodem reperimus à Gratiano recitatum: Li. senten. prosperi. [a] Nos autem in specie panis & vini (*inquit*) quam videmus, res inuisibiles carnem & sanguinem honoramus: [b] nec similiter comprehendimus has duas species, quemadmodum ante consecrationem comprehendebamus, cùm fideliter fateamur ante consecrationem panem esse & vinum, quod natura formauit: post consecrationem carnem verò Christi & sanguinem, quod benedictio (sacerdotis) consecrauit.

De cōsecr. distin. 2. Nos autem

a Hoc nomine speciei Augustinus substantiam & naturam panis intelligit.
b Accidētia panis post consecrationem similiter sunt, quēadmodum ante fuerunt.

Episcopus Sarisburiensis.

PRrimùm hæc, quæ repetit Hardingus verba, neque in ipso Augustino reperiuntur, cuius ea nomine ac titulo introducta iam sunt, neque in sententiis Prosperi. Gratianum autem ne Hardingus quidē ignorat, vbique fere Doctores ementitum esse, quo minorem meretur in huiusmodi rebus fidē. Cæterùm, quod ad rem attinet, nos quidem panē, vinū, aquam, ex se nihil profectò aliud esse, quàm caducas tenuésque creaturas cognoscimus: si de illis ita prorsus, vt in se ipsis sunt, nō aliter cogitemus, omnia nostra sacramenta inania erūt. Proinde pij sanctique patres, nos ab externis & aspectabilibus creaturis abducere, & ad sensum atque substantiam sacramentorū reuocare semper contendunt. Atque hoc est quod Augustinus habet, *In sacramentis videndum est, non quid sint, sed quid significet.* Sic in concilio Niceno scribitur: *Vides aquam? cogita diuinam vim, quæ in aqua latet.* Sic Chrysostomus habet: *Antequam sanctificetur panis panē nominamus: diuina autē sanctificante illā gratia, mediante sacerdote, liberatus quidem est ab appellatione panis: dignus autem habitus est Dominici corporis appellatione: etiāsi natura panis in illo remanserit.* Itaque ex Chrysostomi sententia panis non desinit esse panis, sed speciem pariter & substantiam priorem seruat absque hac, quam isti fingunt, transsubstantiatione atque naturæ mutatione. Verba diserta sunt, nec possunt ab Hardingo eludi, tamen non idem est, quod priùs fuit: quandoquidem corporis etiam Dominici appellationem asciuit. Sic Augustinus quoque inquit: *Quicunque in Manna Christum intellexerunt, eundē quem nos, spiritualem cibum manducarunt:* id est, verū Christi ipsius corpus. Illis ergo Manna Christi corpus fuit, non idem quod antè extitit. Hoc autem Bertramus dilucidiùs exponit: *Christus vt nunc panem conuertit in corpus suum, ita tum Manna de cœlo datum suum corpus inuisibiliter operatus est.* Sicut ergo panis est corpus Christi, ita quoq; Māna fuit corpus Christi, idq; arcano quodā modo, & per immensam Dei potentiā. Sic itaq; Mannæ, panis, vini, & aquæ elementa mutātur, neque eadē sunt, quæ priùs extiterunt: ac proinde in singulis his corpus Christi spiritualiter, non quasi realiter seu carnaliter præsens, sed tanquam in cœlo veneramur. Hanc rem vniuersam, eiúsque causas, Augustinus ad hunc modum persequi videtur. *Signacula quidem rerum diuinarum esse visibilia doceatur, sed res ipsas inuisibiles in eis honorari: nec sic habendam esse illam speciē* (nimirum panem, vinum, aut aquā) *benedi-*

August. contra Maximinū li. 3.
Concil. Nicen. χρυσπλομένην
Chrysosto. ad Cæsarium Monachum.
August. de vtilitate pœnitentiæ.
1. Corinth. 10.
Bertramus de sacramen. Eucharistiæ.
Augustin. de catechizandis Rudibus. ca. 26.

benedictione sanctificatam, quemadmodum habetur in vsu quolibet: dicendum etiam quid significet, & sermo ille, quem audiuit, quid in illo condatur, cuius illa res similitudinem gerit. His adiungit, *Deinde monendus est ex hac occasione, vt si quid etiam in scripturis audiat, quod carnaliter sonet, etiamsi non intelligat, credat tamen spirituale aliquid significare.*

Hardingus. 26. Sectio.

Omissis plurimis locis quos ad hanc causam confirmandam, ex antiquis patribus adducere liceret, ne molestus esse videar, in manifestissimo illo Theodoreti loco acquiescam, qui de externis sacramenti signis affirmat, quòd licet ea post mysticam benedictionem in prioris naturæ [a] *proprietate maneant: vtpote quæ & cerni non minus possint, quam antè, intelligantur tamen & credantur ea esse, quæ per consecrationem facta sunt, & diuino honore colãtur. Hæc illius verba sunt,* Intelligũtur ea esse, quæ facta sunt, & credũtur, adorantur, vt quæ illa sint quæ creduntur. *His verbis Theodoretus cùm realem præsentiã, tum Adorationem ponit. Realem quidem præsentiam in eo, quod ait, externa hæc signa siue symbola post consecrationem fieri, ea, quæ non videntur, sed intelliguntur & creduntur, id est rem huius sacramenti inuisibilem, quæ est corpus & sanguis Christi. Adorationem autem disertis verbis statuit, quandoquidem ex mystica benedictione signa existunt, & verè sunt ea, quæ creduntur esse, ipsum nempe corpus & sanguis Christi. Secus enim absit vt homines Christiani instituantur, creaturas insensibiles, panem nimirum & vinum adorare & venerari. Quæ quidem non vt signa, (id enim nefas esset,) adorari dicit, sed vt ea ipsa, quæ esse creduntur. Nunc lectori Christiano æstimandum relinquo, num hæc sacramenti adoratio, per quam sacrum corporis Christi in sacramento cultum significamus, figmentum quoddam nouum sit, nuper in ecclesiam introductum, circiter annos ab hinc trecentos, sicuti Iuellus in concione pro certo ausus est affirmare.*

[a] Falsum: Theodoret. enim ait: *Manent in priori substantia.* Dialog. 2. Si Hardingi valet interpretatio, externa signa sunt corpus Christi & diuino honore sunt afficienda.

Episcopus Sarisburiensis.

Ex his Theodoreti verbis Hardingus & realem præsentiam, & sacramenti quoque adorationem probare se posse confidit: nec sanè dubito, quin prudens lector facilè sit perspecturus alterum ab eo perinde, atque alterum confirmari. De reali præsentia nullum omnino verbum facit Theodoretus. Eius dicendi ratio ad transsubstantiationem potiùs spectare ac propendere videtur: cui tamen Theodoretus vel in primis aduersatur eámque rẽ & absurdã, & ab inscitia profectam esse iudicat, vt mox docebo. Cùm autem duas personas Theodoretus dialogi more disputantes introducit, orthodoxum & hæreticum, Hardingus in dogmatis sui defensione cum hæretico sentire, eiúsque vti argumentis tanquam orthodoxis cogitur. Sic enim hæreticus illic, vt nunc Hardingus, loquitur: *Symbola Dominici corporis & sanguinis, alia quidem sunt ante inuocationem Sacerdotis: sed post inuocationem mutantur, & alia fiunt.* De substantiæ autem mutatione loquitur, quemadmodum Hardingus: orthodoxus ad hæc respondet, *Signa Mystica post sanctificationem non recedunt à natura sua. Manent enim in priori substantia, & figura, & forma.* Deinde ait, *Eadem tamen symbola panis & vini, quæ priorem substantiam retinent, intelliguntur, & creduntur, & adorantur, vt quæ sint illa, quæ creduntur.*

Theodoret. Dialog. 2. inconfus.

Vt quæ sint illa, quæ creduntur.

Hîc iam, quæso, Christiane lector, obiter repete: Hardingus naturam substantiámque panis ac vini omnino tolli, atque ad nihilum intercedere contendit: orthodoxus autem in priori natura atque substantia remanere affirmat. Si orthodoxi hominis orthodoxa sit sententia, tum parum orthodoxam esse Hardingi defensionem est necesse.

At Hardingus obiiciet, signa tamen ista adorantur. Sic quoque Augustinus inquit, *Baptisma, vbicunque est, veneramur.* Sed vt luculentiùs adhuc responsum habeas, scias lector, Theodoretum Græcum fuisse Episcopum: Græcos autem diuinum sacramento honorem nunquam, ne ad hodiernum vsque diem detulisse. Præterea Ambrosius sic de sacramento habet: *Venisti ad altare, vidisti sacramenta posita super altare, & ipsam quidem miratus es creaturam. Tamen creatura solennis, & nota.* Hîc Ambrosius sacramentum, in vno loco bis creaturam appellat. Neque nobis Hardingus Theodoretum ea pietate virum creaturam diuino honore dignari voluisse persuaserit.

Augustin. Epist. 164.

Ambros. de Sacrament. lib. 4. cap. 3.

Atqui Theodoretus *ea adorari affirmat.* Ad hoc supra in postrema obiectione respondimus. Etenim sumus ab Augustino edocti, *in sacramentis videndum esse, non quid sint, sed quid significent.* Hoc autem sensu intelliguntur, & creduntur, & adorantur, vt quæ significent ac repræsentent ea, quæ creduntur. Augustinus ait: *Sacramenta sunt verba visibilia.* Verba nonnunquam pro rebus, quas verba significant, ponuntur. Sic inquit Hilarius: *Verba Dei sunt illa, quæ enunciat.* Sic Christus, *Verba mea sunt spiritus & vita,* quia sunt instrumenta spiritus & vitæ. Sic Origenes habet, *Hoc quod modò loquimur, sunt carnes Christi.* Eodem quoque modo sacramenta sunt Christi caro, & ita intelliguntur, & creduntur, & adorantur. Cæterùm omnis iste non in illis residet honor, sed ad res, quæ significantur, ab illis transfertur. Sed Hardingus instabit, ex hac interpretatione, *Adorãtur* idem esse, quod nõ *Adorantur*, tantùm ad ea nos deducũt, quæ adorari debent: ex hoc verò nihil sequitur incõmodi. Ita enim Theodoretus suã ipsius mentẽ perspicuè explicat. Eius, quæ statim subsequuntur, verba hæc sunt: *Confer ergo imaginem* (id est sacramentum) *cum exemplari* (id est corpore Christi) *& videbis similitudinem, oportet enim figuram esse veritati similem.* Theodoretus sacramentum imaginem, similitudinem, & figuram vocat. Non est Hardingus, opinor, dicturus imagines, similitudines, figuras diuino honore dignas esse. His autem Augustini regula de eadem re aptè congruit: *Qui adorat vtile signum diuinitus institutum, cuius vim significationémque intelligit, nõ hoc veneratur quod videtur, & transit: sed illud potiùs, quo talia cuncta referenda sunt.* Hîc Augustinus

August. contra Maximin. lib. 3.

August. contra Faustum Manichæ. lib. 19. cap. 15.

Hilari. de Trin. lib. 6.

Ioan. 6.

Origen. in Numer. hom. 15.

Augustin. de doctrina Christiana. lib. 3. cap. 9.

minimè absurdum esse putat vt signum nos & venerari, & non venerari dicamus: hoc autem non tantùm de sacramento corporis Christi, sed de baptismi quoque sacramento dixit, sic enim porro ait in eodem loco: *Sicuti est baptismi sacramentū, & celebratio corporis & sanguinis Domini. Quæ vnusquisque cùm percipit, quo referātur, imbutus agnoscit, vt ea non carnali seruitute, sed spirituali potius libertate veneretur.* Possem his insulsissimi illius, & ineptissimi secundi Niceni cōcilij verba adiicere: *Venerādas imagines perfectè adoramus: & eos, qui secus cōfitentur anathematizamus.* Postea tamen dicūt, *Honor imagini exhibitus refertur ad prototypum.* Sic ergo illud conciliū imagines *honorari*, id est, non honorari confirmat. Nunc paucis Hardingianam horum verborum interpretationem excutiamus.

Augustin. in eodem capite.

1. Theodoretus ait: *panis & vinum non mutantur, neque amittunt priorem naturam*: hoc est, iuxta nouam hanc interpretationem, *priorem naturam penitus amittunt.*

2. *Remanent in substantia sua*: id est (inquit Hardingus) *non remanent in substantia sua.*

3. Præterea Hardingus ait: Accidentia panis & vini signa sunt corporis Christi: panis & vinum

4. nulla signa sunt.

Aspectabilia accidentia inuisibile corpus & sanguis Christi fiunt: panis & vinum nihil fiunt.

5. Signa fiunt ea, quæ significantur, idque actu, & reuera. Ita vna res, vno tempore, vnóque modo & substantia est, & accidens: visibilis & inuisibilis: & vt scholastici loquuntur, *Fundamentum pariter, & Terminus*: quod profectò semper monstrum naturæ habitum est: Tot errores vix satis in se præsidij ad vnum errorem tuendum habent.

Nunc lectorem Christianum facilè intellecturum spero, quàm verè Hardingus promissum suum exoluerit, & sacramentū esse adorandum cōfirmauerit. Equidem ex omni hoc doctorum numero, quos hîc meminit, nullus est (Theodoretum vnum excipio, in quo aliquam habere præsidij speciem videri voluit, quémque nos modò clarè & dilucidè sumus interpretati) qui vllam vel de externi ipsius sacramenti adoratione, vel de Christo, quasi in sacramento præsente fecisse mentionem videatur.

Summi illius sectæ magistri nos sacramentum liberè, vt nullam interim idololatriæ occasionem demus, venerari nisi transsubstantiatione posita atque sancita non posse statuunt. Omnes autem transsubstantiationē recēs esse inuentū Laterani concilij Romæ nuper habiti intelligūt. Et D. Tunstallus ante illud tēpus integrum omnibus fuisse contra sentire tradit: quapropter non est à fide alienum, nullā extitisse huiusmodi ante illud tempus adorationē. Fuisset enim cum summo idololatriæ periculo coniuncta. Cæterùm postea quemadmodum diximus, Honorius Papa decreuit & mandauit, vt populus adoraret: Vrbanus Papa nouam feriarum celebritatem ei addidit *corporis Christi*, Clemens autem Papa eam magna quadam indulgentiarum largitione confirmauit. Hæc illa vetustas, atque hæc illa est huiusce adorationis prosapia.

Anno Domini. 1215. Tonst. lib. 1. de sacramento Eucharistiæ fol. 46. Extra. de celebratione Missarum. Clement. lib. 3. tit. 16. si Dominum.

Hardingus. 27. Sectio.

QVòd autem hanc adorationem penitus abolere cupiens, magnum ab idololatria periculum ostendit, si sacerdos minùs verè consecrauerit, ad hoc respondere licet Iacobum in nullo versatum fuisse conscientiæ periculo, quòd is Labani dolo cum Lea concubuerit, quam Rachelam esse crediderat, neque eo nomine fuisse adulterij accusandum, quandoquidem bona fide egit, & se Rachelæ coniugis consortium habere credidit. Sic is idololatriæ non est insimulandus, qui Christum diuino honore in pane non consecrato prosequitur, quem tamen ille bona fide cōsecratum esse arbitratur. Quod ad hanc rē attinet, Augustinus præclare dixit:* Magis opus est diiudicare atque dignoscere, cùm se Satanas transfigurat velut Angelum lucis, ne fallendo in aliqua perniciosa seducat. Nam quando sensus corporis fallit, mentem verò non mouet à vera rectáque sententia, qua quisque vitam fidelem gerit, nullum est in relligione periculum vel cùm se bonum fingens ea facit siue dicit, quæ bonis angelis congruunt, etiamsi credatur bonus, non est error Christianæ fidei periculosus aut morbidus. Cùm verò per hæc aliena ad sua incipit, tunc eum dignoscere, nec ire post eum magna & necessaria vigilantia est. *Hæc Augustinus, atque hæc de adorando sacramento, vel Christo potiùs in sacramento hactenus.*

Exilis admodū manifestæ idololatriæ defensio: ita quidem idololatræ sua idola Deos esse bona fide crediderunt.

Gene. 29.

Enchirid. 6

Episcopus Sarisburiensis.

INgens periculum, summúmque illum, qui hinc ostenditur, idololatriæ metum Hardingus Rachelæ atque Leæ exemplo facilè depelli ac discuti posse putat: atque ita arcanam Dei prouidentiam ad manifestum errorem tuendum introducit, Leámque nos pro Rachela accipere, atque creaturam pro Deo venerari docet. Hîc autem necessarium erit paucis explicare quot modis, ex ipsorum disciplina ignarus populus falli ac decipi possit, honorémque Deo debitum ei rei, quæ vel ipsorum iudicio Deus non est, tribuere. Sic igitur dicunt, Si sacerdos fortè oblitus fuerit vinum in calicem infundere, atque ita consecrationem sine vino perfecerit.

Aut si panis ex alia vlla, quàm triticea farina conficiatur, quod nonnunquam accidere potest.

Aut si tanta fuerit aquæ copia, vt vini naturam vincat ac mutet.

Aut aut si vinum iam acuerit, & proinde consecrationi nequeat inseruire.

Aut si tredecim panes in mensa positi fuerint, sacerdos autem de duodecim tantùm consecrandis cogitauerit: Quod cùm fit, nullum omnino consecratum esse dicunt:

Aut si sacerdos dissimulauerit, vel cōsecrationis verba prætermiserit, aut si oblitus fuerit, nec attenderit: In his singulis, aliísque huiusmodi occasionibus nihil consecratur, ac propterea populus, quando sacramentum adorat, ex ipsorum adeo sententia gloriam Deo debitam creaturæ impartit,

Thom. par. 3. q. 83. Ioan. de Burgo pupilla oculi. cap. 3. Idem. Idem. Gerson. contra Floretum lib. 4. Extra. de celebrat. Missar. de Homine.

quod

quod nihil profectò aliud est,quàm idololatriam admittit.

Atque vt omnes huius rei futilitatem summam perspiciant, quidam ex illis ita scribit: *Quòd si sacerdos plures ante se panes habens in ipso tempore consecrationis, illum vnicè & præcisè panem quem manu tenet,consecrare intendit,quidam dicunt, reliquos non consecrari: tu verò dicito cum Scoto omnes consecrari.* Amplius ait: *Quòd si sacerdos precise statuerit alterum dimidium panis consecrare, non itidem alterum,tum integro pane,altera tantùm pars consecratur,altera minimè.*

Summa Angelica Eucharistia. 26.

Grogorius Papa habet, *Si qui presbyteri in crimine fornicationis iaceant,& in peccato suo perseuerent, benedictio eorum vertetur in maledictionem:qui verò huic saluberrimo præcepto obedire noluerint, idololatriæ peccatum incurrent.*

Distinct. 82. Si qui.

In eo loco imperiti homines versantur: tot modis, támque facilè in fraudem impelli possunt. Etsi enim sacerdotis vitam moresque ex parte aliqua cognitos habere possunt, quomodo tamen de absconditis verbis,de intentione,de mente,aut voluntate certi esse possunt? Sin minùs,qui tum eis sacramentum adorare, sine idololatriæ horrore ac periculo liceat?

Ipsi autem perspiciunt, id nullo modo fieri posse: atque iccirco hoc incommodum futili quodam commento à seipsis excogitato sarcire conati sunt.Dicunt enim non oportere nos sacramentum adorare,nisi conditionaliter,id est, nisi fuerit consecratum, atque ita Thomas Salisburiensis ait: *Nullus quatumcunque sit simplex, vel quantumcunque sit discretus debet præcisè credere hoc esse corpus Domini,sed cum hac conditione,si in consecratione ritè sint acta omnia:aliter enim asseret de creatura, quòd ipsa sit creator, & ita esset idololatria.* Hac disciplinę ratione Hardingus populũ docet in genua prolabi,& sacramentum isto modo adorare:Si sis reuera Deus,tum ego te adoro, si non sis Deus, ego te minimè adorabo. Arnobius scribit priscos Ethnicos solitos olim fuisse Iouẽ sic inuocare: *Siue tu Deus es, siue tu Dea es.* Sic Dei populus inducitur, vt Dei honorem ignotæ rei tribuat,& creaturam pro Deo colat.

Thomas in lib. 3. Sentẽt. dist. 9. Thomas Salisburien. de arte prædicandi cap. 25.

Arnob lib. 3.

Hæc cùm ita sint,tamen Rachelæ & Leæ exemplis excusari debent:ac si Hardingus ad hunc modum ratiocinari vellet:Iacob summa Dei prouidentia cum Lea concubuit vice Rachelæ:Ergo tutò possumus nudam creaturam diuino honore afficere,eíque dicere, Tu es Deus noster: tu cœlum terrámque condidisti, nos Deum præter te nullum habemus: atque hæc omnia nullo idololatriæ periculo. Non ita luderet Hardingus si quid sit gloriam Dei propriam in rem alienam transferre, quæ non sit Deus intelligeret:hoc sanè non est Deum spiritu & veritate colere.

Gen. 29.

Ioan. 4.

D.Martinus multò maiorem adhibuit hac in re cautionem, sicuti ex iis, quæ de eo scribuntur liquet.Cùm enim Diabolus ad illum accederet,& se Christum esse simularet, ac proinde in genua prosterni,& ipsum adorare Martino imperaret: *Nequaquam*(respondit Martinus) *nescio enim num tu sis Christus:nisi Christum eadem specie ac forma videro, in qua crucifixus est, nunquam illum adorabo.* Augustinus habet: *Audistis quia Messias Christus est:audistis quia Christus vnctus est: Nõ sic posuit Iacob lapidẽ vnctũ,vt veniret & adoraret. Alioqui idololatria est,nõ significatio Christi.* Theophilus olim, interrogatus,quamobrem imperatorem pro temporis illius consuetudine, diuino honore dignari nollet,respondisse fertur, *Quia nõ ad hoc institutus est imperator,vt adoretur:sed vt legitimo honore honoretur.* Ita etiam si ex nobis quæsierit Hardingus, cur diuinum sacramento honorem non deferamus,pius ac simplex homo,sic ei respõdere poterit: *Quia institutũ est vt sanctè & religiosè accipiatur, non vt adoretur:vt sacramentum, non vt Deus.* Etenim in vniuersa scriptura, sanctísque patribus nec præceptum,quo impellamur,nec exemplum,quo vt ita faciamus inducamur,habemus. Nos Christi corpus adoramus,non tantùm ad minimum momentum, quousque nimirum sacramentum sacerdos sursum leuare tenereque potuit,idque cum dubitatione etiam nonnulla, rectène faciamus, an contra,quod cùm omni consolatione vacat, tum conscientiam horribili terrore perfundit: sed beatum illud atq; gloriosum corpus eo modo, quo sanctus ille Martyr Sthephanus veneratus est in cœlo scilicet ad dextras diuinæ potentiæ cõstitutum,eóque sine dubitatione aut periculo, etiam omnibus temporibus in sempiternum adoramus,nósque Christum in ipsa carnis nostræ natura ac substantia,Dominum esse Dei patris maiestate circunfusum credimus atque confitemur.

Sulpitius in vita Martini. August. in Ioan. tract. 8.

Theophilus cõtra Autolicum lib 1.

FINIS.

DE CONOPEO.

ARTICVLVS NONVS.

Episcopus Sarisburiensis.

VEl tum sacramentum in Conopeo suspensum fuisse.

Hardingus. 1. Sectio.

SI quidem salutare sacramentum nullo modo reseruari debere dis ertè Iuellus affirmaret, cui instituto pyxis atque Conopeum in Anglicanis ecclesiis inseruiebant, quemadmodum noui istius Euangelij assertores cùm verbis, tum re faciunt: id verò non exigua testimoniorum luculentissimorum, omníque exceptione maiorum multitudine facilè liceret confirmare. Quod cùm ipse satis intelligeret, illius præstantioris augustiorísque rei mentionem callidè omisit, quóque meliùs articulos hosce suos cumularet & adaugeret, & contra sacramentum nonnihil protulisse videretur, eiusdem in Conopeo suspensionem negat, atque redarguit: in quo perinde facit atque Momus, qui cùm nihil vituperatione dignum in venustissima Venere perspicere posset, eius reprehendere crepidam voluit.

Episcopus Sarisburiensis.

ARTICVLVS iste, cùm ex se nullius est pene momenti, ideóque facilè dissimulari ac præteriri potuit, nisi idololatriæ affinis esset, tum ab Hardingo, suísque collegis exilibus admodum, tenuibúsque confirmationibus stabilitur, quemadmodum, fauente Deo, planissimè docebo. Collibuit Hardingo in ipso statim initio, seipsum, suósque studiosos oblectandi causa, nos magistros nouos nuncupare: cùm tamen ipse nullum omnino hactenus veterem doctorem proferre posset, nisi per vim atque fraudem, qui pro ipso manifestò ac liquidò faceret. Quanquam hi noui doctores nec ita sunt noui, nec ab antiquitate ita derelicti, ac isti eos videri, haberíque cupiunt. Nam quod ad tollendam sacramenti reseruationem attinet, quam hîc Hardingus inopiæ suæ subleuandæ causa, etsi cum isto articulo minimè quidem necessitate coniunctam inuexit, testimoniis pariter atque exemplis præstantium vetustorúmque & catholicorum patrum nituntur ac sustentantur. Etenim Cyprianus habet: *panis iste recipitur, non includitur:* Clemens, quem Apostolorum fuisse comitem Hardingus prædicat, in hunc modum scribit: *Tanta in Altario holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant: quòd si remanserint, in crastinum non reseruentur.* Origenes seu Cyrillus (idem enim liber vtriusque nomine inscribitur) inquit: *Dominus panem, quem discipulis suis dabat, non distulit, nec iussit seruari in crastinum.* Eius ratio institutionis Christi forma continetur: quandoquidem Christus non dixit, *Accipite, seruate:* sed, *Accipite, Comedite.* Hieronymus ait: *Post communionem, quæcunque de sacrificiis superfuissent, illic in ecclesia communem cœnam comedentes pariter consumebant.* Idem etiam dicere videtur Augustinus: *Panis ad hoc factus in accipiendo sacramento consumitur.* Hesychius sacramenti reliquias igni statim consumi solitas fuisse testatur. Nicephorus *easdem reliquias quibusdam in locis fuisse pueris in schola discentibus datas, quas statim in ecclesia comederent, scribit.* Idem ferè in concilio etiam Matisconensi sancitum fuit. Sic habet Gabriel Biel recens ex Hardingi contubernio doctor, *Non dedit discipulis, vt ipsum honorificè conseruarent: sed dedit in sui vsum dicens, Accipite & manducate.*

Cypria. de Cœna Domini Clem. epist. 2.
Orig. in leu. Cyril. ho. 5. Hieronym. 1. Cor. 11.
August. de trinitate lib. 3. ca. 10. Hesychius in Leuit. lib. 2. c. 8. Nicephorus lib. 17. ca. 25. Concil. Matiscon. 2 cap. 6. Gabriel Biel lectione 26.

Tot nos priscos doctores, multósque adhuc plures habemus nostræ defensionis authores. Quid igitur venit in mentem Hardingo, vt nos doctores nouos, quia istos sequimur, appellaret?

Non sum nescius sacramentum olim quibusdam in locis more fuisse reseruatum, quemadmodum ex Tertulliano, Cypriano, Hieronymo, Basilio, Eusebio, aliísque constat. Cyprianus scribit mulieres domi in cistis seruare sacramentum consueuisse: Tertullianus, fideles in ædibus priuatis custodire, atque ante alios cibos gustare sacramentum solitos fuisse testatur: Hieronymus, Exuperium Tholosanum in vimineo canistro eucharistiam gestare solitum esse refert: Basilius author est in Ægypto, maximè circa Alexandriam singulos ferè homines sacramentum domi suæ habuisse: Eusebius sacerdotem in cubiculo suo custodiisse scribit, vt videtur. Ambrosius homines sacramentum vnà secum non terra modò, sed mari etiam in sudariis circuntulisse tradit. Isti omnes sacratissimorum mysteriorum abusus extiterunt, ac proinde postea sublati fuerunt. Ita tum sacramentum in priuatis domibus, in arculis, in canistris, sudariísque reseruabatur. Conopeum modò nunc Hardingus suum aliquo huiusmodi ex antiquitate producto testimonio verè euicerit, tum vetustos atque Catholicos patres iactarit atque venditarit. Quandoquidem autem otium est Hardingo, veterem de Momo Veneréque fabulam repetere, atque istis similia consectari: tradunt reuera fateor, solitum fuisse Momum vitia obseruare, omnésque promiscuè Deos vellicare, ipsúmque adeo

Cyprian. de lapsis serm. 5. Tertullian. ad vxorem. Hiero. ad rusticum. Basilius ad. Cæsariam. Euseb. lib. 6. cap. 44. Ambros. de obitu Satyri.

adeo Iouem Opt. Maximum Romæ in ipſo Capitolio habitantem conſcindere. Vnde non perinde fuerunt illius gratæ & iucundæ interdum, atque aliorum partes. Vulcanum autem in primis de humani corporis fabricatione reprehendit, quòd non in pectore foramen quoddam, & quaſi feneſtrâ architectatus eſſet, per quam alij introſpicere, occultáq; eius cogitata cernere aliqua ex parte poſſent. Si quod huiuſmodi foramen Hardingus, aut ſi quam haberet in pectore feneſtram, ſique intus contemplari, ipſiúſque intueri conſcietiam liceret, nihil profectò dubito, quin multo plures diuinæ veritatis ſcintillæ oſtenderentur, quàm nunc comparent.

Suam autem illam formoſam Venerem, qua Romanam eccleſiam ſignificat, in manifeſto adulterio deprehenſam fuiſſe orbis vniuerſus, ipſéque etiam Hardingus nouit. Phœbus enim Dei filius cœleſtibus ſacri ſui verbi radiis omnia colluſtrans facinus patefecit. O, vtinam non liceret cum propheta Eſaia clamare, *quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis?* Non iam illius crepidam Momus reprehendere opus habuerit: veriùs certè dixerit, *A planta pedis vſque ad verticem capitis, non eſt in ea ſanitas.* Sic enim de eius profligatiſſima conditione Bernardus, qualis ſuo tempore extitit, conqueritur.

Eſai. 1. Eſai. 1. Bernardus de conuerſione Pauli.

Hardingus. 2. Sectio.

CVi reſpondemus, quòd ſi ipſe ſimul & reliqui ſacramentarij reſeruationem ſacramenti probarent, tum nos quæreremus, quamobrem non illa ipſa reſeruandi ratio placeret. Atque hìc ſi quid hac in re præſertim tam exigua delictum eſſe conuinceretur, & commodior via demonſtraretur, facilè probaretur, quòd melius eſſe conſtaret. In aliis Chriſtianis regionibus (fatemur) alia quadam ratione ſeruatur, loco aliquo ſera & claui munito, quibuſdam in locis in altero fine aut latere altaris, in quibuſdam verò in ſacello in hunc ipſum vſum extructo, in quibuſdam autem in ſacrario, aut in intrinſeco aliquo & ſecreto templi loco, quemadmodum Conſtantinopoli quondam Chryſoſtomi memoria. Alicubi etiam in palatio epiſcopi prope templum ſeruatum, atque in feſtis diebus honorificè in eccleſiam importatum, & in altari poſitum fuiſſe legimus, qui mos poſtea fuit propter abuſus conciliorum decretis ſublatus.

In epiſt. ad Innocentiū. In concilio Braccarēſi. 3. Can. 5.

Ita variis in locis variè ſeruari ſolebat, in omnibus reuerenter & tutò, vt ab omni hominum perditorum & prophanorum iniuria ac ſcelere incolume remaneret. In Anglia ſublime id pendere mos fuit, quemadmodum Linvvoodus annotat in conſtitutiones prouinciales: *ſublime, ne impio ſcelere violaretur: in Conopeo reuerentiæ & honoris ergô.*

Epiſcopus Sariſburienſis.

NVnc Hardingus hanc ſacramenti conſeruandi conſuetudinem in variis regionibus variam extitiſſe docet: nimirum loco clauſo & obſerato: in fine altaris: in ſacello: in ſacrario: in epiſcopi palatio. Atque iſta omnia de recentis memoriæ conſuetudine depromuntur: de vetuſtate enim, excepta vna Chryſoſtomi ad Innocentium epiſtola, quam etiam contra ipſum facere nonnihil demonſtrabo, nihil attigit. In hac autem tanta ſeruandi varietate Conopeum nondum ſuum inuenit. Quòd verò in pontificis palatio reſeruatum fuiſſe ſacramentum commemorat, eius cauſæ parum prodeſſe videtur. Si enim Epiſcopus ſolus ſacramentum cuſtodierit, tum neceſſariò ſequitur in reliquis parœciarum eccleſiis ac ſacellis nullam huiuſmodi adhibitam fuiſſe reſeruationem. Chryſoſtomi ad Innocentium Epiſtola locuples teſtis eſt ſacramentum reſeruatum fuiſſe, vt in communione à populo die ſequente, aut paulò poſt perciperetur. Vtraque enim ſpecie reſeruatum eſt, quemadmodum ex ipſius verbis planiſſimè apparet. Id verò cùm ex communi ſenſu ac ratione, tum ex ipſorum hac de re cautionibus conſtat, vinum eo modo eáque menſura integrum longiore tempore, incorruptúmque minimè conſeruari poſſe. Mos autem in Græcia obtinuit, vt durante quadrageſima diebus duntaxat Dominicis & ſabbatis conſecrarent, eóque ſacramento nihilominus reliquis diebus vterentur. Fuit enim eò reſeruatum olim ſacramentum, non vt cultu diuino afficeretur, ſed vt à populo acciperetur: maximè vt qui excommunicati fuerant, quorum id gratia reſeruabatur, ſi quando improuiſo morbo correpti de vita deſperarent declarata reſipiſcentia ſua communionem quouis tempore perciperent, & læti tanquam eccleſiæ Dei membra decederent.

Chryſoſtom. ad Innocentium. De conſ. diſt. 2. Presbyter. in gloſa. In ſexta ſynodo Conſtātinopol. τῆ θεία λειτουργία τῶν προηγιασμένων.

Non ſecus autem agere hac in re videtur Hardingus, ac quondam in pingenda Antigoni regis facie feciſſe dicitur Apelles. Cùm enim Antigonum altero oculo captum eſſe ſciret, os eius duntaxat dimidium ſibi eſſe duxit exprimendum, atque ita artificio quodam alterius oculi vitium texit. Ita nobis Hardingus nonnullam ſeruandi ſacramenti varietatem oſtendit, atque alia quædam eiuſdem momenti proponi: Idololatriæ autem maximum periculum, conſimiléſque alias horrendas offenſiones vafrè occultat, atque ab aſpectu remouet. Inuitus ſimilitudinem vſurpo: ſed eam Hieronymus adhibet: *Diabolus nunquam ſe prodit aperta facie.*

Hieronym. in vita Malchi.

Olim cùm in ciſtulis, in ſudariis, in caniſtris, in priuatis ædibus reſeruaretur ſacramentum, nullum fuit ab adoratione periculum. In Conopeo autem non modò ſecus eueniſſe perſpicimus, ſed propter etiam hanc ipſam adorationem primò inſtitutum fuiſſe Conopeum intelligimus. Ita enim ipſe Linvvoodus teſtatur: *Citiùs repræſentatur noſtris aſpectibus adoranda.* Si nihil aliud eſſet, tamen hoc ſatis magnum videri iuſtúmque debuit, quamobrem hæc noua ſuſpendendi in Conopeo ſacramenti conſuetudo antiquaretur. Serpentem enim æneum ideo ſuſtulit atque comminuit rex Ezechias, eundem licet ſtatuere Moſi Deus diſertè mandauerat, quòd eo nonnullos ad Idololatriam abuti videret. Deinde illi ipſi leuioribus cauſis inducti eam reſeruandi formam, qua vſa eſt eccleſia primitiua, funditus ſuſtulerunt.

Gulielm. Linvvood. lib. 3. de cuſtodia euchariſtiæ, &c. 4. Regum. 18.

Neque enim nunc fas esse statuunt, vt vel laici, vel mulieres sacramentum domi habeant, vel pueri ad ægrotantes deferant, quemadmodum Serapionis puer fecisse legitur, vel infideles, hominésque nondum sacro baptismo initiati secum circunferant, sicuti de Ambrosij fratre Satyro memoriæ proditum est. Mitto rubiginem, mucorem, vermiculationem, quibus augustissimum illud mortis Christi mysterium nauseam percipientibus aliquando excitare, & fastidio plerisque esse soleat. Hæc ipsi non modò posse accidere, sed sæpenumero etiam contigisse testantur. Alphonsus Arthagonum rex, vt dignitatem & incolumitatem suam tueretur, sacramentum tanta temporis diuturnitate secum circuntulisse fertur, quousque illud tandem putresceret, vermésque gigneret, quibus se mutuò depascentibus, atque absumentibus, vnus duntaxat ad extremum superfuit grandior vermis, qui cæteros omnes exederat. Si quid istiusmodi vsuuenerit, cremari vermes, condíque in altari cineres præcipiunt. Glossa ipsa in decreta sic habet: *Non est necesse seruare vinum:* ratióque ista adiungitur: *quia opus esset nimia cautela.*

Eufeb.lib 6. ca. 44.
Ambrof.de obitu Satyr.

Lateranense Concilium sacramento ad hunc modum seruato nonnullos aliquando ad detestanda & nefaria facinora abusos esse confitetur. Ipséque Hardingus propter consimiles aliquos abusus hanc ipsam reseruationem quadam ex parte fuisse in Braccarensi consilio sublatam agnoscit.

Denique Conopeum Linvvoodus ipse vituperat, quemadmodum in prouinciali apparet. Sic namque scribit: *Dicitur, quòd in loco mundo, & singulari debet seruari.* Quibus deinceps adiungit ista: *Ex hoc videtur, quòd vsus obseruatus in Anglia, vt in Canopæo pendeat, non est commendabilis.* Habet hîc Hardingus, quamobrem & vniuersim omne reseruationis genus reprehendatur, & particulatim quam ob causam Conopeum minùs probetur.

Gerson contra Floretum. li. 4.
Concil. Aurel.
De conse. dist. 2. presbyter. in glosa.
Concil. Latera. sub Innocentio 3. can. 20.
Concil. Bracaren. 3. ca. 5.
Extra. de celebratio. Missarũ. Sanè.
Guliel. Linvvod. lib. 3. de custodia eucharistiæ.

Hardingus 3. Sectio.

SI principes stragulo regali & honorario, si episcopi thronis magnificis ac splendidis, si Decani Conopeis è tapeto, aut serico, aut textili peristromate confectis exornentur, (quemadmodum in nonnullis Metropolitanis ecclesiis animaduertimus) nec id quisquam reprehendat: Quid est quamobrem Iuellus Conopeum improbet, quod in illius augustissimi sacramenti honorem adhibetur, in quo [a] *ipsissimum Christi corpus, proptérque inseparabilem vtriusque naturæ in personæ vnitate coniunctionem, Christus ipse verus Deus, & verus homo continetur? Qua fronte Conopeum ad Christi in sacramento reuerentiam comparatam vituperat, qui Sarisburiæ in Cathedra episcopali sedens Conopeum amplissimum è pictis, & fornicatis tabulis fabricatum, illíque supra caput extensum aspicere æquo animo potest? Si Mosi, Dauidi, Salomoni à consiliis fuisset, illorum forsan iudicia reprehendisset, qui arcam cùm ipsi tam eximio honore colebant, tum perpetuo à posteris suis colendam curabant, in qua nihil inerat præterquam tabulæ legis, Aaronis virgula, & vrna habens Manna. Dauid rex minimè consentaneum putauit, magnáque solicitudine affectus est, quod ipse in domo cedrina habitaret, Arca autem Dei in medio pellium, id est, tabernaculi, quod extrinsecus ferinis operiebatur pellibus, constituta esset.*

a Falsum: Chrysosto. enim habet: *In vasis sanctis non verum corpus Christi, sed mysterium corporis Christi continetur.*

Et nunc tandem repertus est vnus homo inter cæteras prodigiosas & inusitatas creaturarum, morum, doctrinarúmque figuras, qui cinis ac puluis cùm sit, quemadmodum est de seipso professus Abraham, ad nomen titulúmque episcopi euectus, minimè electus (censeo) ad exequendum amplissimum munus viri eius, qui sit secundum cor Dei, qualis Dauid extitit: se non indignum indicat, qui in pontificia cathedra sedeat, quam sumptuosa complectitur è deauratis extructa tabulis testudo, nec ferre possit, vt pretiosum Christi corpus, quo nos redempti sumus, Conopeo exiguo non magni pretij tanquam honoris causa à nobis exhibito veletur. Quanquam [b] *arca non nisi vmbra fuit, & hoc corpus est: illa typus seu signum, hoc ipsa res. Non equidem inuideo Iuello honorem illum, nec, quo iure eundem teneat, curo, tamen reprehendendum censeo, quòd Christum suo in hoc beatissimo sacramento* [c] *honore spoliat.*

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Philip. 4.

b Falsum: Ambæ enim figuræ, ambo typi, ambo signa sunt. Naziázenus ait: *Figura figuræ,* de paschate.
c Christus dicet: *frustra me colitis, &c.* Matth. 15.

Episcopus Sarisburiensis.

PRincipes in aulæis regalibus, episcopi atque decani in pictis thronis, seu peristromatis sedere solent: Ergo in Conopeo suspendi sacramentum debet, inquit Hardingus. Non licet cuiuis homini (credo) ista ratione concludere. Eodem modo argumentatur Durandus: *Arca fœderis à Leuitis portabatur: Ergo Papa sublimis in diaconorum humeris vehi debet.* Deinde ex vsu diuturno sic ratiocinari videntur: *Papa hominum peruehitur humeris: Ergo sacramentum ei præferri, quocunque perrexerit, in albo Canthério oportet.*

Durand. lib. 2.

Quod autem in Episcoporum sub pictis tabulis sessionem tam iocosè ludit Hardingus, ego quidem ecclesiæ Dei multò esse conuenientius existimo tabulas habere pictas, quàm pictos episcopos, qualis ille certè est, qui se episcoporum omnium esse episcopum venditat, nec vllam tamen officij, quod episcopum exequi oportet partẽ præstat. Episcopi Cathedra principiò constituta fuit, tanquam locus maximè commodus atque opportunus, in quo ipse legeret atque doceret. Sed quid plura dico? Verborum hanc dimittere sine responso futilitatem oportuit.

Quod ad cætera attinet, Deus ipse mandatum dederat Mosi, vt tabernaculum ædificaret, eiúsque imaginem atque formam, quam imitaretur, illi in monte præmonstrauit. Neque verò ausus est Moses, aut quisquam architectus vel addere, vel detrahere, vel immutare quicquam suo arbitrio, nec secus omnino facere, ac illis Deus præscripserat.

Exodi 25. & 27.

Quando Dauid pietate ac religione commotus ædificare Deo templũ instituit, eum Deus voce prophetæ

prophetæ Nathani prohibuit, aitque, *Nequaquam ædificabis templum mihi.* Postea Salomon idipsum est aggressus, non cùm ipse voluisset, sed quando illi Deus præcepisset. In quo nihil omnino ex suo ipsius animo gessit, sed ad illam speciem duntaxat & exemplar omnia direxit, quod illius patri Dominus ostenderat. Sic enim ipse Dauid ait: *Omnia venerunt scripta manu Domini ad me: vt intelligerem vniuersa opera exemplaris.*

1. Paralipome. 28.

Atque ista tibi sunt consideranda, Lector: In hisce singulis exemplis nostro religionis studio frænos iniecit Dominus, nósque eum venerari docuit, non qua nobis maximè ratione visum esset, sed quemadmodum ipse voluit. Tamen Hardingus singulari quadam, qua præstat, solertia cuncta hæc exempla eò refert atque accommodat, vt ita nobis Deum colere licere doceat, quẽadmodum nobis ipsis maximè consentaneum videbitur.

Ista semper vniuersæ superstitionis radix fuit: propterea Deus inquit: *Meæ cogitationes non sunt sicut vestræ, nec meæ viæ vt vestræ. Quis vnquam ista à vobis postulauit?* Studet Hardingus in suis omnibus haberi catholicus: tamen officium pietatis prorsus priuatum & singulare, atque in nostra duntaxat patria vsurpatum, idque recente memoria, cæterisque Christianitatis regionibus inusitatum & incognitum, ac proinde nullo modo catholicum defendit.

Esai. 55.

Verùm inquit: *Repertus tandem est vnus inter alias monstrosas & inusitatas formas, &c.* Hæccine ea est modestia atque moderatio, qua se vsurum principiò spoponderat? Istud dicendi genus parum ei homini conuenit, qui doctrinam atque grauitatem profiteri voluit. In quo quidem non grauatè cedam Hardingo. Suam ille magis impotentiam, nimiúmque efferuescentem bilem prodit, quàm rem & causam confirmat.

Quòd si quidem sacramentum est Deus simul, & homo, quemadmodum hîc Hardingus, quàm piè nescio, confirmat, iste tam exilis honor vix aptus tantæ maiestati videatur. Hoc verò nouum certè est, & prodigiosum doctrinæ genus, vt ita populum quisquam instituat, Christum, Deum pariter & hominem, nunc immortalem atque gloriosum mucessere, & putrescere & verminare posse. Fuit tempus, cùm qui teterrimæ blasphemiæ plenas huiusmodi voces misisset, monstrum hominis inter fideles haberetur. Sed ita iustissimum Dei iudicium tulit. Ille homines in mentem ἀδόκιμον reiicit, *vt Dei veritatem in mendacium conuertant, & præterito creatore, qui est Deus benedictus in secula, rebus creatis seruiant, eásque colant.*

Rom. 1.

Nostram verò doctrinam nihil de Christi gloria decidere confido. Nos illum sic adoramus, vti nobis ipse mandauit, in cœlis sedentem ad dextram potestatis Dei. Hinc vos, Hardinge, fratres vestros cremauistis, eorúmque ossa in terræ superficie dissipauistis, & quicquid libido suaderet in illos admisistis, ea solummodo de causa, quòd proditores esse Deo, eiúsque gloriam ad creaturam transferre nollent.

Chrysostomus Labani contra Iacobum querimoniam de surreptis sibi diis exponens, sic habet: *Quare Deos meos furatus es? O excellẽtem insipientiã: Tales sunt dij tui, vt quis eos furari queat? non erubescis dicere, quare furatus es Deos meos?* Neque opus est, vt pluribus explicem, quorsum hæc referam. Equidem id, quod Deum atque hominem Hardingus vocat, facilè cum pyxide pariter & Conopeo surripere licet. Si nunc reuiuisceret Chrysostomus, Hardingo similiter, ac Labano responderet: *Non erubescis? &c.* De Christi autem colẽdi ratione sic ait: *Discamus Christũ, prout ipse vult, venerari. Honorato namque iucundissimus est honor, quem ipse vult, non quem nos putamus. Nam & Petrus eum honorare putabat, cùm sibi pedes eum lauare prohibebat: Sed non erat honor, quod agebat, sed cõtrarium.*

Gen. 31. Chrysostom. in Gen. Hom 57.

Chrysostom. ad populum Antiochen. hom. 60.

Postremò quòd Hardingus impetu quodam impotentiore concitatus quærit, *Qua fronte* sacramenti in Conopeo suspensionem vituperemus, sic ei facilè respondeamus, eadem profectò, qua Linvvoodus eam ipsam improbauit, quáque vniuersa Christianitas, Anglia sola excepta, eandem semper reprobauit, atque repudiauit.

Hardingus. 4. Sectio.

NVnc vt ad hunc ipsum articulum veniamus, si modò vocari articulus possit, in quo nonnihil Iuellus contra nos esse se nactum putat, quasi nihil omnino adferri ad illius confirmationem posse videretur,[a] *(tametsi non est in præcipuis clauibus, nec summis nostræ religionis mysteriis numerandus, quemadmodum ipse iactat, quo magis, eundem commaculare queat) de Conopeo quid in medium proferri possit, aliis relinquo: neque certè multum refert. De suspensione autem sacramenti supra altare manifestò in vita Basilij meminit Amphilochius ille præstantissimus Iconij episcopus. Narrat enim Basilium postquam in Missa sua sacramentum in tres partes distribuisset, vnam* in columbam auream imposuisse*(ad cuius similitudinem plerunque tum facta Pyxis fuit)*pendentem super altare. *Atque vt luculentius pateat Pyxides hasce ad columbæ imaginem factas in memoriam spiritus sancti, qui in columbæ specie apparuit, super altare pependisse, in actis Concilij generalis Constantinopolitani extat, Clerum Antiochenum Seuerum quendam hæreticum accusasse apud Ioannem patriarcham, & Concilium illud, quòd de sacris altaribus prædatus esset, & vasa consecrata liquefecisset, & quædam suis comitibus distribuisset:* Præsumpisset etiam columbas aureas & argenteas in formam spiritus sancti super diuina lauacra & altaria appensas vnà cum aliis sibi appropriare, dicens, non oportere in specie columbæ spiritum sanctum nominare.

a Ante fuit Adoratio Dei: nunc non adeo magna est clauis religionis.

Inanis & puerilis fabula nomine Amphilochii.

Columbas hic quidem nacti sumus, sed nulla est sacramenti mentio.

Neque in eodem semper vasorum genere seruabatur omnibus in locis atque temporibus sacramentum. Modò reuerenter seruetur in viatico ægrotis, nullus catholicus de ratione, formáque seruandi litigabit. Symmachus spectatus Romæ pontifex imperante Anastasio, quemadmodum in ipsius vita refertur, duo vasa ar-

gentea, in quibus reseruari sacramentum posset, conflauit, eáque in altaribus collocauit duarum Romæ ecclesiarum, sancti Syluestri, & sancti Andreæ. Hæc vasa vulgò nuncupant Ciboria. *In vita etiam Gregorij habemus, ipsum eiusmodi vas condidisse, quale Symmachus fecerat, quod* ciborium *appellant, in sacramenti vsum, cum quatuor columnis ex auro puro fabricatis, illúdque in altari Diui Petri Romæ statuisse.*

In opere quodam Gregorij Turonensis vas istud dicitur turris, in qua mysterium Dominici corporis habebatur. *In vetusto libro* de Pœnitentia, *quem Theodorus Græcus Tarsi natus in Cilicia Cantuarensis quondam archiepiscopus ante Bedæ ætatem conscripsit, vocatur* pyxis cum corpore Domini ad viaticum pro infirmis. *In quadam autem admonitione, quæ eodem libro continetur, episcopi cuiusdam ad suum clerum in Synodo facta, præcipitur ne quid in altari ponatur, dum sacrificium procuratur, præterquam capsa reliquiarum, & liber quatuor euangelistarum, & pyxis cum corpore Domini.*

Ex fabula nimirum Amphilochiana, non aliunde.

Itaque constat sacramentum salutiferum semper seruatum fuisse, quibusdam in locis in pyxide super altare appensa, in alijs verò aliter, in omnibus autem & locis & seculis tutò atque splendidè, quemadmodum commemorauimus, vt semper paratum esset ægrotantibus viaticum. Quam sacramenti conseruationem in illum sanctissimum vsum, eáque reuerentia adhibitam, si Iuellus atque sacramentarij probare vellent, nemo aut ita superstitiosus, aut ita litigiosus esset, vt vel de appensione eiusdem, vel de Conopeo contenderet.

Episcopus Sarisburiensis.

IN hoc ita breui sermone palàm pugnantia enunciare potuisse Hardingum demiror. Etenim isto modo coli Christum, Deum atque hominem profitetur, & docet: tamen inquit, hanc minimè magnam esse religionis suæ clauem. Certè verò, cuiusquemodi eam esse clauem nunc statuat, seu paruam, exiguè profectò atque exiliter eandem comprobat.

De Conopeo, quo de nunc agitur, nobis in integrum non grauatè concedit Hardingus, quippe cùm nullam eius omnino in vetusto quoquã authore reperire queat mentionem. Suspensionem autem sacramenti, cámque super altare, ex ea nobilissima fabula, quam ita sæpe Amphilochij nomine obtrudit, cumulatè euinci posse nihil quicquam dubitat. Ad quam quod attinet fabulam (est enim planè puerilis fabula) breuitatis causa Lectorem remitto, ad ea, quæ in primo articulo sectione 33. respondimus. Istud tamen breuiter & quasi ἐν παρόδῳ adiungam. Primùm Hardingianus iste Amphilochius Basilium, postquam Missam Christo, suísque duodecim Apostolis recitasset, statim eadem nocte vnam sacramenti partem in columbam, quæ tum super altare pependerat, intulisse scribit: die autem postero aurificem accersisse, eíque mandasse, vt eandem ipsam columbam fabricaret: eandem, inquam, in qua sacramentum nocte superiore condiderat. Ita Hardingiana hæc columba antè columba fuit, quàm conflaretur. Sed insomniis atque fabulis aliquid dandum est. Tamen ad fabulam hanc miraculum accedit. Etenim omni deinceps tempore quandocunque Missam Basilius procuraret, & panem sustolleret, hanc ipsam columbam continuò se iactare supra altare, & huc atque illuc cogitare solitam esse refert noster Amphilochius: quemadmodum olim Mathematica illa Achitæ Tarentini columba volasse traditur. Si aurea ista columba spiritus vitæque expers fuisset, hæc fabula multùm de venustate sua deperdidisset. Deinde Peckamus in prouinciali suo omnibus sacerdotibus vehementer denunciat, vt panis in pyxidem inclusus septimo quoque die renouetur, atque cõmutetur, ne fortè vel putrescat, vel quouis modo fastidiũ aliquod pariat. Hardingi verò columba aurea dono quodam, & virtute singulari prædita fuit, qua panem annis continuis septem incorruptum seruaret, vt ad extremum non ineptus etiam esset qui homini infirmo, & iam animam agenti præberetur.

Verùm aurearum, argentearúmque columbarum est in Constantinopolitano Concilio mentio. Non ego. Tamen neque pyxis aliqua, neque vlla sacramenti reseruatio commemoratur. Quòd si autem quæuis illius ecclesiæ columba pyxis fuerit, seu vt ipsi nuncupant, *monstrum*, adeptus est Hardingus plus, quàm voluit. Vnam enim duntaxat pyxidem inuestigans, viginti inuenit, eásque in eodem templo, alias circa altare, alias circa diuinum lauacrum, alias aliis in locis constitutas. Tametsi vni templo quantumuis amplo vnica pyxis semper (quod sciam) sufficere visa est. O quantos Hardingus in exornanda fabula labores pertulit? Faxit Deus, vt in Diuina suscipienda atque conseruanda simplices simus tanquam columbæ: in mendaciis autem internoscendis atque fugiendis serpentium instar callidi cautique esse videamur.

Matth. 10.

Cætera de Symmacho, Gregorio Turonensi, atq; Theodoro, neque negantur à nobis, & ad hanc causam nihil pertinent. Suspensionem sacramenti, & Conopeum si tollas, quæ maximum periculum ostendebant, de reseruatione tum licebit deliberare, quando ea fore necessaria videbitur. In quo nos quatuor istorum, & recentium, & minimè illustrium doctorum fidei octo doctorum eruditione & antiquitate illustrium authoritatem longè maiorem opponimus, Clementis, Cypriani, Origenis, Cyrilli, Hieronymi, Augustini, Hesychij, atque Nicephori, quorum suprà meminimus.

FINIS.

DE ACCIDENTIBVS SINE SVBIECTO.

ARTICVLVS DECIMVS.

Episcopus Sarisburiensis.

VEl peracta consecratione sola accidentia, & species absque substantia panis, & vini in sacramento remanere.

Hardingus. 1. Sectio.

IN hoc sacramento peracta consecratione [a] *nihil substantiæ remanet, quod priùs extitit, nec panis nec vinum, sed sola accidentia panis & vini: id est, forma, figura, sapor, odor, color, pondus, cæteráque huiusmodi, quæ miraculosè secreta à subiecto suo subsistunt, quandoquidem post consecrationem* [b] *nulla alia substantia remanet, præterquam substantia corporis & sanguinis Domini, quæ nullis huiusmodi accidentibus (vt scholastici doctores loquuntur) tentatur & afficitur. Quæ doctrina ab ipso vsque initio semper, licèt non hisce ipsis verbis, tradita, ac* [c] *recepta fuit, atque ex articulo transsubstantiationis pendet. Etenim si panis vinique substantia in corporis & sanguinis Dominici substantiam mutetur, quod vniuersi docti, priscique* [d] *patres ecclesiæ confirmant, necessaria naturæ consequutione, & ipso rationis ductu efficitur, sola tum accidentia superesse. In cuius rei comprobationem atque confirmationem nonnullas veterum & spectatissimorum patrum sententias in medium producere non grauabor.*

a Falsum: Etenim panis & vini substantia remanet, quemadmodum docebo.
b Falsum: vt supra.
c Falsum: non enim hæc doctrina ab initio tradita, creditaque fuit.
d Falsum: hanc enim realem, ac materialem mutationem nullus pater confirmat.

Episcopus Sarisburiensis.

HANC causam Hardingus nullo explicato atque enucleato testimonio, neq; scripturarum, neque vetustorum Conciliorum, neque antiqui cuiusquam patris, vel Græci vel Latini posse confirmari confitetur: Tamen prisci patres Græci pariter & Latini, suo quisque genere, eloquentes habiti fuerunt, suáque dogmata propriis aptísque verbis exponere potuerunt, si quod dogmatis ea memoria genus eiusmodi in ecclesia extitisset. Quare cùm antiquitas hac in re nostros aduersarios deficiat, disertè & palam non sine causa profitemur, istud dogma nouum admodum nobis videri, falso dũtaxat principio nixum, & nescio quo rationis fuco oblitum: quæ tamen ratio nunquam in cuiusquam hominis mentem influere potuit, intra mille integros, postquam promulgari Euangelium cœpisset, annos.

Consimili quadam ratione ac persuasione confisi Manichæi, quæcunque externa in Christo essent, nihil aliud, quàm accidentia esse contenderunt: hoc est, quemadmodum Hardingus interpretatur, formam, figuram, colorem, pondus, atque ita nihil planè, nisi speciem, & imaginem, & simulachrum corporis. Ab huiusmodi doctoribus nouam hanc doctrinam hausisse videntur homines isti. Etenim D. Tunstallus fatetur, eam in Lateranensi Consilio primùm esse sancitam, quod Romæ habitum fuit anno Domini millesimo ducentesimo decimoquinto: atque ante tempus illud cuiuis homini integrum fuisse sine vlla fidei iactura contrariam sententiam tueri.

Cuthbert. Tunstal. de eucharist. lib. 1. pa. 45.

Præterea Gabriel Biel homo catholicus inquit: *Quomodo ibi sit corpus Christi, an per conuersionem alicuius in illud, an sine conuersione incipiat esse corpus Christi cum pane, manentibus substantia & accidentibus panis, non inuenitur expressum in Canone bibliæ.* Sic ipse Scotus habet: *De sacramentis tenendum est, sicut tenet sancta Romana ecclesia. Nam verba scripturæ possent saluari secundùm intellectum facilem, & veriorem, secundùm apparentiam.* Itaque ex Tunstallo recentem esse opinionem hanc, è Bielo atque Scoto scripturæ nulla certa authoritate niti patet: Huic sua ipsorum confessione tam infirmo fundamento Hardingus totum istius articuli pondus imponit.

Gabriel Biel de Canon. lect. 40.

Scotus in 4. senten. di. 11. quæst. 3.

At Christi verba vrgebit: *Hoc est corpus meum.* Iactarunt etiam Ariani nec minùs multa, nec minùs perspicua verba Christi: *Pater maior me est.* Neque vlla vnquam vel absurdissima hæresis extitit, quæ non aliquam qualemcunque diuini verbi speciem ostenderet. Christus autem non inquit: *Hic panis nunc non est panis*: aut, *hic panis transsubstantiatur in corpus meum*: aut, *corpus meum realiter & carnaliter non continetur sub accidentibus panis huius.* Contra verò testantur Euangelistæ, Christum accepisse panem: & Paulus post consecrationem sæpius panem vocat: sanctíque patres disertè, atque vna voce testantur omnes eandem panis remanere naturam atque substantiam, quæ priùs extiterat.

1. corinth. 11.

Tametsi eo quidem sensu, quo est loquutus Christus, panis Christi corpus erat. Etenim in ista causa, non quid natura sua panis fuerit, sed qualis Christi institutione sit, est spectandum. Quemadmodum Christi corpus est suum naturale corpus: sic panis ex se verus est & naturalis panis. Sacramenti tamen ratione panis & dicitur, & est Christi corpus. Sic Paulus inquit: *Petra Christus erat.* Augu-

1. corinth. 10. August. in Leuit. quæst. 57.

ſtinus habet: *Non dicit, Petra ſignificabat Chriſtum:ſed petra erat Chriſtus.* Petra naturaliter, & reuera petra fuit, ſicuti antè:tamen cùm aquam profunderet qua recreatus eſt & ſuſtentatus populus, ſenſu quodam myſtico petra Chriſtus erat. Ita ſcriptum eſt: *ſanguis eſt anima.* Quæ verba, ſi rectè intelligantur, vera ſunt: ſin autem quiſquam ſanguinem naturaliter atque realiter eſſe animam dixerit, errauerit. Quibus verbis Moſis Auguſtinus per interpretationem hæc Chriſti verba confert: *hoc eſt corpus meum.* Sic enim habet: *Poſſum interpretari præceptum illud in ſigno eſſe poſitum. Non enim dubitauit Dominus dicere: Hoc eſt corpus meum, cùm ſignum daret corporis ſui.* Atque vt ad Dominicæ cœnæ rationem propiùs accedamus, D. Lucas atque Paulus inquiunt: *Hoc poculum eſt nouum teſtamentum:* Tamen ſubſtantiam naturámque poculi verborum horum nulla vis mutauit: Neque fuit poculum illud reipſa, ac realiter nouum teſtamentum. Quare, quemadmodum petra Chriſtus fuit: ſanguis anima eſt: poculum nouum teſtamentum, quorum tamen ſingula propriam ſuam naturam atque ſubſtantiam retinent: Ita panis Chriſti corpus eſt, ſuámque interea naturam, ſubſtantiámque conſeruat. Quod Chriſtus inſtituit, ſacramentum eſt: ideóque ſacramentaliter intelligi debet. Certè enim, ſicut aqua naturalis eſt ſacramentum ſanguinis Chriſti: ſic panis naturalis eſt ſacramentum corporis Chriſti.

Deuteron. 12.

Auguſt. contra Adimantum. ca. 12.
Luc. 22.
1. Corinth. 11.

At contra ſancitum, decretúmque fuit Romæ in Concilio Lateranenſi circiter annum Domini milleſimum duceteſimum decimum quintum. Quanquam eius Concilij ſanctio nec ab vniuerſis perlata, nec ab vniuerſis recepta vnquam fuit. Nam Aſiani, Græci, cæterarúmque partium Chriſtiani illi nunquam ſunt aſſenſi, quemadmodum ex Concilio Florentino apparet: ſed eam tanquam impiam repudiarunt, atque damnarunt. Quonam autem ſingulari iure illud Lateranenſe Concilium eccleſiæ fidem mutare, verbi diuini ſenſum inuertere, quod nunquam ante catholicum fuit, catholicum efficere, quódque priùs minimè hæreticum erat per mille ducentorúmque annorum decurſum, mox hæreticum conſtituere potuit? Veteres quidem ac catholici eccleſiæ primitiuæ Patres cum hiſce recentibus eccleſiæ Lateranenſis patribus minimè conueniunt. Gelaſius enim inquit: *Non deſinit eſſe ſubſtantia vel natura panis & vini.* Chryſoſtomus inquit: *Natura panis in ſacramento remanet.* Theodoretus habet: *Chriſtus naturam (panis) non mutat, ſed naturæ adiicit gratiam.* Auguſtinus ait: *Quod videtis, panis eſt, & calix: quod vobis etiam oculi renuntiant.* Hæc ſunt quatuor priſcorum patrum hac de re teſtimonia clariſſima. Noui autem iſti Lateranenſes patres contrà inquiunt, *Deſinit hîc ſubſtantia & natura panis ac vini: Non remanet natura panis. Chriſtus mutat naturam & ſubſtantiam panis: Oculis ne confidite, quod videtis, non eſt panis.* Antiquis itaque patribus iſti recentes contraria palam profitentur. Hinc ita licet concludere. Vetuſti & catholici patres nouum hoc tranſſubſtantiationis portentum neſciuerunt: Ergo accidentium ſublata ſubſtantia remanſionem ignorarunt. Hoc tamen Hardingus quaſi vnicum cauſæ ſuæ fundamentum delegit.

Concil. Lateranen. ſub Innocentio. 3. anno 1215.
Conſil. Florentinum ſeſſione vltima.

Gelaſius contra Eutychem.
Chryſoſtom. ad Cæſarium monach.
Theodoretus dialogo primo.
Auguſt. ad infátes. Citatur à Beda. 1. Cor. 10.

Hardingus. 2. Sectio.

CYprianus ille eruditiſſimus Epiſcopus atque ſanctiſſimus martyr ſic habet in ſermone de cœna Domini: Panis iſte quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia verbi factus eſt caro. *Ecce, panem non effigie, aut forma (ea namque remanet) ſed natura, id eſt, ſubſtantia, mutari confitetur. Atque vt ſubſtantialem ſignificaret, non accidentariam duntaxat mutationem quandam, qua nimirum communis panis vſus ad ſacramentalis panis rationem transfertur, quemadmodum nonnulli è nouis noſtris magiſtris illum locum callidè interpretantur, magna verborum momenta addidit, quibus iſtorum hominum leuiſſimum commentum præponderat, quãdo dicit,* omnipotentia verbi factum eſſe carnem. *Saltem reputarent ſecum, quandoquidem acuti videri volunt, ad rei tam* [a] *exiguæ, cuiuſmodi eſt ipſorum ſacramentalis mutatio, exequutionem, verbi diuini Omnipotentiam minimè eſſe neceſſariam. Quòd ſi autem hoc verbum,* factus eſt, *imaginarium quendam faciendi modum ſignificet, tum quid ni liceat,* verbum caro factum eſt *eodem modo interpretari, atque hac ratione pro multis antiquis & capitalibus hæreſibus aduerſus veram Chriſti humanitatem propugnare. Itaque natura panis in hoc ſacramento mutata, forma tamen remanente, qua panis eſſe non minus, quàm ante conſecrationẽ videtur, factáque per omnipotentiam verbi carne Chriſti, quandoquidem panis ſubſtantia in præcellentiſſimam illam carnis Chriſti ſubſtantiam conuertitur: ex iis naturis, quæ priùs extiterunt, accidentia ſola remanent abſque ſubſtantia panis. Similiter de vino ſentiendum eſt.*

[a] Hoc prorſus blaſphemũ eſt. Nullum enim inſtitui ſacramentum poteſt, ſine verbi diuini omnipotentia.

Hoc exemplo contra ſe dimicat Hardingus.

Epiſcopus Sarisburienſis.

HVnc Cypriani locum iſti vehementer, & ſæpe obiiciunt, quaſi vocula quæque argumenti pondus & vim haberet. Re certè vera aſpectu contuitúque primo acrem atque acutum videri confiteor: diligenter autem accuratéque expenſus atque examinatus facilem ſui explicationẽ præſtabit. Enimuero *annihilationes, naturarum amotiones, accidentium ſine ſubiecto remanſiones*, quas res comprobandas ſuſcepit Hardingus, nullas ſignificat. Primùm autem (vt hunc locum expediamus) quatuor hi vetuſtate & doctrina præcellentes patres, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Gelaſius Theodoretus, panis atque vini poſt conſecrationem remanere naturam atque ſubſtantiã clariſſimè teſtificantur. Neque tamen in panis natura effectus, efficacitáſque ſacramenti conſiſtit: hoc eſt, vt Chriſtus in nobis habitet, & nos viſſicim in Chriſto ſimus: quemadmodum ſacramenti Baptiſmatis diuina vis, qua caro ex Chriſti carne, & oſſa ex ipſius oſſibus efficimur,

Epheſ. 5.

efficimur,ab aquæ natura minimè fluit. Atque vt ista illustriora reddamus, ac alterum sacramentum cum altero cōferamus:Basilius sic habet:*Gratia baptismatis nō est ex natura aquæ, sed ex præsentia spiritus.*Propterea Cyrillus inquit: *quemadmodum viribus ignis intensiùs aqua calefacta, non aliter, quàm ignis vrit: sic spiritus sancti operatione ad diuinam aquæ reformantur virtutem seu naturam.* Sic Chrysostomus inquit:*Elizæus potuit vndarum mutare naturam, vt ferrum sustinere cogeret.* Hisce verbis Chrysostomus, perinde vt Cyprianus aquæ mutatam fuisse naturam affirmat: atqui tamen ipsa aquæ substantia remansit. Similiter Ambrosius de mirifica Dei in baptismo virtute verba faciens,*non agnosco* inquit,*vsum naturæ.Nullus est hic naturæ ordo, vbi est excellentia gratiæ.* Rursus habet:*Est hoc illud magnum mysterium, quod oculus non vidit,nec auris audiuit,nec in cor hominis ascendit? Aquas video,quas videbam quotidie.Me istæ habent mundare,in quas sæpe descendi,& nunquam mundatus sum? Hinc cognosce, quod aqua non mundat sine spiritu.* Iterum: *Per prædicationem Dominicæ crucis aqua fit dulcis ad gratiam.*Hac ratione Hilarius dixit:*Vno Christo per naturam vnius baptismi induimur.* Gregorius Nyssenus similiter habet:*Natura aquæ præcedente virga fidei,&c.vitam præstat.* Alioquin inquit: *Hoc beneficium non aqua largitur,&c.sed Dei præceptum, & spiritus. Aqua verò subseruit ad ostendendam purgationem.*Ex istis testimoniis manifestum esse confido, quid Cyprianus per naturæ mutationem intellexit.Equidem Origenes ille antiquissimus & doctissimus pater,de pane mystico corporis Christi scribit ad hunc modum:*Non materia panis, sed super illum dictus sermo est, qui prodest,&c.*Proinde Ambrosius similiter habet:*Quanto magis operatorius sermo Dei,vt sint,quæ erant,& in alud commutentur?*

Basilius de spiritu sancto c.15. ἡ χάρις οὐκ ἐκ τῆς φύσεώς ἐστι τοῦ ὕδατος. Cyril. in Ioan. libr. 2. cap. 42. Chrysosto. de virtutib. & vitiis tom.5. Ambros. de illis, qui initiantur mysteriis. ca. 9 Ambros. de illis, qui initiantur mysteriis. cap. 4. Hilarius de trinitate lib.8. Gregor. Nysse. in vita Moseos Gregor Nysse. de sancto baptismate. Orige. in Matt. cap.15. Ambros. de sacramētis lib. 4. cap.4.

Etsi ista considerato & prudenti Lectori sufficere posse videantur: Hardingus tamen vehementiùs instat,suúmque illud, *factus est*, vrget.*Si istud factus est*,inquit,*imaginariam quandam faciendi rationem demonstret, quid ni etiam ista,verbum caro factum est,similiter interpretari liceat?* Hui! quàm hæc sunt misera effugia? Nullam Hardingus litem intendere nobis potuit, quam non in ipsum retorquere possemus?An verò verbum istud *facere* idem necessario significare putat, quod *transsubstantiare?*Diuus Augustinus ait:*Nos Christi facti sumus.*Leo inquit: *Corpus regenerati fit caro crucifixi:*Beda ait:*Nos ipsi corpus Christi facti sumus*,Origenes similiter loquitur: *Spiritus sanctus non in turturem vertitur,sed columba fit.*Sic Ambrosius:*victa anima libidine carnis fit caro.* Num autem hoc vnico vocabulo fretus Hardingus, nostra corpora in Christi corpus substantialiter atque realiter mutata, aut spiritum sanctum in columbam, aut animam in carnem transsubstantiatam esse concluserit? Aut in his,quæ protulit,verbis, *verbum caro factum est*, num Dei filium diuinam naturam posuisse, & verè in carnem mutatum fuisse contenderit? Hoc verò doctrinæ genus prodigiosum fit, nec est aliud omnino,quàm ipsa Cerinthi atque Ebionis antiqua, & horrenda hæresis. Certè Leo habet: *Quamuis Ioannes scribat,verbum caro factum est, verbum tamen non est versum in carnem.* Augustinus de hæreticis,quos Timotheanos vocabant,tradit,*Ad confirmandam huiusmodi impietatem,qua Deum asserunt versum esse à natura sua, cogunt Euangelistæ testimonium dicentis, Et verbum caro factum est, quod ita interpretantur, Diuina natura in humanam versa est.* Isto planè modo Hardingus panis naturam in corporis Christi naturam esse conuersam defendit.

August. in Ioā. tract.21. Leo de passione sermo.14. Beda 1.Cor.10. Origen. in cantica hom.2. Ambros.1. Cor.5. Augustin. ad Quod vultdeū Epistola Leonis ad Leonem Augustum. Augustin. ad Quod vultdeū.

Quænam ergo illa est tanta vis istius verbi, *factus est*, qua tantopere niti atque confidere videtur Hardingus:Sic autem rectiùs dixerit:*Verbum caro factum est, natura interim & substantia verbi salua remanente:eodem etiam modo panis factus est caro,minimè mutata panis natura atque substantia.* Atque ad hunc modum Tertullianus de ea re loquutus est:*Christus acceptum panem, & distributum discipulis,corpus suum illum fecit, dicendo, Hoc est corpus meum,hoc est,figura corporis mei.* Sic sancti patres quid per ista verba,*Panis factus est corpus Christi*,intellexerint,cumulatè explicant.

Tertullian. cōtra Marcionem lib.4.

At Cyprianus meminit etiam *omnipotentiæ verbi*, qua cuncta, inquit Hardingus istorum hominum leuissima commenta facilè præponderantur. Hæc sic ille iactat, quasi hoc inanissimo sublato transsubstantiationis insomnio Dei omnipotentiam tolli necesse foret:aut quasi externæ suæ species & nuda accidentia vsque adeo ponderosa solidáque essent. Deus autem non modo hac in re suam exercet,ostendítque immensam & infinitam potentiam, sed eandem in cæteris etiam suis omnibus sacrosanctis mysteriis declarat, quemadmodum suprà in quinto articulo,sectione quarta demonstrauimus.Leo inquit:*Christus dedit aquæ,quod dedit matri. Virtus enim altissimi & obumbratio spiritus sancti,quæ fecit vt Maria pareret saluatorem,eadem fecit,vt regeneraret vnda credentem.*Eodem refertur illud Chrysostomi:*Vt Saram non natura,sed Dei promissio fecit matrem: sic & nostra renascentia natura nulla est.Cæterùm verba Dei,quæ norunt fideles,hæc in aquæ lauacro per sacerdotem pronunciata,tanquam in vtero quodam formant ac regenerant eum,qui baptizatur.*Ita cantare soliti fuerunt,quando lauacrum sanctificabant,*Descendat spiritus sanctus in hanc plenitudinem aquæ, totámque eius substantiam regenerationis fœcundet effectu.*Ita Leo, Chrysostomus, aliique vetusti patres Dei omnipotentiam in baptismi sacramento agnoscunt: neque tamen proinde aquæ naturam ac substantiam necessariò trāssubstātiatam esse iudicarunt.Hic ipse Cyprianus, (quanquam non est reuera Cyprianus,sed author illo multò recentior,quemadmodum certissimis indiciis facilè comprobatur)de olei sanctificatione scribens, illam etiam Dei summam, & natura maiorem potentiam vsurpat: sic verba habent:*Sanctificatis elementis iam non propria natura præbet effectum: sed virtus diuina potentius operatur:adest veritas signo,& spiritus sacramento.*Itaque bonum Catholicum minimè decuit, sacramentales istas à nouis hisce magistris inductas mutationes,tanquam res leuissimas ita leuiter,& facilè repudiare.Exempla ista Deum in illis quoque suam omnipotentiam declarare, nulla interpo-

Omnipotentia verbi. Leo sermo.4. de natiuitate. Chrysost. in epist.ad Galat. cap.4. *Totam substantiam.* Cyprianus. de vnctione Chrismatis.

ſita tranſſubſtantione docent.

Quare ſi neque ſeparatim iſta verba, *panis natura mutatus:* nec iſta, *factus eſt:* nec iſta, *omnipotentia verbi:* nec vniuerſa coniunctim tranſſubſtantiationem euincant(minimè autem euincere ex iſtis, quæ dicta iam à nobis ſunt, liquet)tum & malè fundamentum ſuum iecit Hardingus, & nos eius concluſioni meritò diffidere debemus.

Quòd autem ait, *Hi noui magiſtri ſatis fore putant, ſi ſacramentalem quandam mutationem agnouerint, & panem in ſacramentum corporis Chriſti mutatum eſſe dixerint, per quam vafrè & callidè*, admonendus eſt, Bedam, qui nongentis abhinc prope vixit annis, rem iſtam eodem modo explicauiſſe: nec tamen vnquam vel impoſtorem eo nomine, vel nouum magiſtrum eſſe appellatum. Eius diſerta ſunt verba: *Panis & vini natura in ſacramentum carnis & ſanguinis Chriſti ineffabili ſpiritus ſanctificatione transfertur.*

Beda in octauis Epiphaniæ.

Hardingus. 3. Sectio.

Hic locus fictus eſt, nec in omni Ambroſio habetur.

Ambroſius in hanc ſententiam multa habet diſertiſſima & luculentiſſima teſtimonia. Licèt, *inquit*, figura panis & vini videatur, nihil tamen aliud, quàm caro Chriſti & ſanguis poſt concrationem credendum eſt. *Iuxta iſtius patris ſententiam ſpecies, & figura panis & vini videtur, & propterea remanet poſt conſecrationem: etſi, quod ante panis & vinum fuit, nihil nunc aliud eſſe, quàm carnem & ſanguinem Chriſti credendum ſit: tum re quidem vera nihil aliud ſunt. Si enim aliud eſſent, ita credere liceret: fides námque veritate nititur, & quod verum non eſt, credendum non eſt. Hinc efficitur poſt conſecrationem nuda accidentia ſoláſque ſpecies ab omni panis & vini ſubſtãtia ſecretas remanere. In alio loco perinde habet.* Panis iſte, panis eſt ante verba ſacramentorum, vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti. *Deinde in alio loco apertiſſimè affirmat virtutem conſecrationis maiorem eſſe, quàm naturæ: quia naturam conſecratio mutat. Iſte pater manifeſtò docet* [a] *naturam, hoc eſt, ſubſtantiam panis & vini per conſecrationem mutari in corpus & ſanguinem Domini, atque ita naturales ipſorum qualitates, id eſt accidentia, quæ præſtanti ſacramenti cauſa minimè mutantur, integra remanere abſque ſubſtantia panis & vini.*

De conſec. diſt. 2. cap. omnia quæcunque.

De ſacram. lib. 4. ca. 4. De iis, qui initiantur.

a Falſum: in vitioſa verbi interpretatione ſitũ. Accidentia præſtant ſacramentum. mirificum genus Theologiæ.

Epiſcopus Sariſburienſis.

AMbroſij extant ſcripta, & agnoſcuntur: quæ vt vniuerſa percurras, hæc verba minimè inuenias. Gratianus, qui ea retulit, vel dedita opera & ſciens, vel propter iudicij pertenuem facultatem, quippe qui in occulta & deprauatiſſima tempora inciderit, ſæpenumero doctorem alterum pro altero vſurpat, Græcum pro Latino, recentem pro antiquo: id quod eruditus Lector facilè animaduertit. Iſte author, cui nomen Ambroſij conciliare ſtudet Hardingus, in hoc ipſo loco Chriſti verba prudens adulterauit, & quædam recitauit, quaſi ſcripturæ teſtimonia, quæ neutiquam in ſcripturis reperiuntur. Non ita verò quidem facere ſolitus eſt Ambroſius.

Veruntamen, quò Lectori ſatisfaciamus, ad eáque reſpõdeamus quæ ſunt certè indigna reſponſione, intelligere & cogitare nos oportet panem, & vinum, & aquam, ſi per ſe ſola ſpectentur, nihil profectò aliud eſſe, quàm vſitatas ſimplicéſque creaturas: Proinde Auguſtinus de ſacramentis in vniuerſum præcipit: *In ſacramentis videndum eſt, non quid ſint, ſed quid ſignificent.* Sic de baptiſmatis aqua ſcribit Ambroſius.: *Quid vidiſti? aquas vtique, ſed non ſolas. Apoſtolus docuit non ea contemplanda, quæ videntur, ſed quæ non videntur.* De ipſa autem panis viníque ſubſtantia dicit: *ſunt, quæ erant:* & paulò ante ſacramentum quoad panem & vinũ, quæ materiales eiuſdem partes ſunt, *vulgarem & notam creaturam* vocat. Cæterùm, quando nobis ſacramenti efficacitatem proponimus, non caducas naturas, externáue elementa intuemur, ſed ad Chriſti corpus & ſanguinem ſolummodo fidem noſtram dirigimus ac collineamus. Ambroſius ipſe nos dicere inſtituit, *Ante benedictionem verborum cœleſtium alia ſpecies nominatur: poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur.*

Auguſt. contra Maximin. lib. 3.
Ambroſius de iis qui initiantur myſteriis cap. 2.
Ambroſ. de ſacramentis lib. 4. ca. 4.
Ambroſ. de ſacramentis lib. 4. cap 3.
Creatura ſolennis & nota.
Ambroſi. de iis qui initiantur myſteriis cap. 9.

Hardingus autem Ambroſij iſtius verba acriùs vrgebit: *Figura panis & vini videtur.* Confitendum igitur nobis eſt, eſſe accidentia abſque ſubiecto. Si quiſquam antiquus author, ſeu Græcus, ſeu Latinus, doctus, indoctúſue, hoc nomine, *figura*, ſic vnquam vſus fuerit, vt inanem quandam omníſque ſubſtantiæ expertem effigiem ſignificaret, tum aliquid dixerit Hardingus. Sin nullus vnquam extiterit, quid hinc effecerit? Equidẽ, vt cæteros authores cuiuſque generis mittamus Ambroſius ipſe habet: *Chriſtus apparet in figura humana.* Similiter loquutus eſt Paulus: *formam ſerui accepit.* Ex iſtis minimè, opinor, concluſerit Hardingus, Chriſtum formam duntaxat quandam & figuram corporis humani, non ipſam ſubſtantiam atque naturã ſuſcepiſſe. Tum enim olim exploſam Manichæorum reuocare videretur hæreſin. Si ſecus dixerit, vox illa, *figura*, nihil eius cauſæ pro fuerit.

Ambroſ. in Epiſt. ad Coloſſen. cap. 1. Philipen. 2.

At Ambroſius inquit: *Nihil aliud credendum: Ergo,* inquit Hardingus, *panis non eſt.* Miror quidem in ipſius ipſum argumentationibus ita hebetem, rudémque eſſe. Etenim hoc loco ſibi contrarium manifeſtò concludit. Quòd ſi enim nihil aliud fuerit, præterquam corpus Chriſti, & nos ita credere oportuerit, tum nec formam vllam, nec figuram, nec pondus, nec ſaporem habet. Hoc autem cum eo pugnat, quod primò ſtatuerat Hardingus. Tamen, ſi Deo placet, ita nobis credendum eſt. Horum autem verborum iſta ſententia eſt, quemadmodũ priùs expoſuimus, vt iuxta Auguſtini præceptum in ſacramentis omnibus mentes à creaturis aſpectabilibus penitus ſeiungamus atque auocemus, & fide noſtra eas res intueamur ac contemplemur, quæ iiſdem ſignificantur & repræſentantur.

Iam verò ad altera duo Ambroſij loca, de naturis nempe mutatis, factóque corpore Chriſti ve-

niamus

niamus. Ad quæ satis antè in secunda sectione huius articuli respondimus, quando Cypriani verba explicuimus. Non dixerit Hardingus, puto, rei cuiusque mutationem eiusdem esse interitum. Origenes inquit: *Si mutabuntur cœli, vtique non perit, quod mutatur.* Non id nunc quæritur, sitne panis corpus Christi, annon: sed num carnaliter, & realiter sit corpus Christi, vt perspicuè & simpliciter loquamur. Augustinus habet: *Secundum quendam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est.* Ambrosius etiam suam ipsius sententiam luculenter exponere cumulatéque videtur. Sic enim scribit, quemadmodum antea commemorauimus: *Post consecrationem corpus Christi significatur: Post consecrationem sanguis Christi nuncupatur: In typum sanguinis Christi, nos calicē sanguinis mysticum percipimus: Carnem & sanguinem, quæ pro nobis oblata sunt, significamus: Similitudinē pretiosi sanguinis bibis: est figura corporis & sanguinis Domini: In similitudinē accipis sacramentum.* Tam multis modis quæ acriore quodā ardentioreq; stylo scripserat lenienda atque mitigāda esse sibi iudicauit Ambrosius.

Origen. περὶ ἀρχῶν. li. 1. c. 6.

August. epi. 25. Ambros. de iis qui initiantur mysteriis ca. 9. Ambros. 1. Cor. 11. Ambros. de sacram. li. 4. ca. 4. De sacrament. lib. 4. cap. 5.

Iam verò si ista omnia Hardingus, quemadmodum illi mos est, signa nuda inanésq; figuras appellare voluerit, quid aliud, quàm Ambrosium suum luserit? Christi autem sacramenta etsi signa, ac figuræ ab omnibus antiquis patribus nuncupantur, non tamen propterea nuda sunt, & inania. Etenim per illa Deus, vti etiam per sacrum suum verbum potenter atque efficaciter in fidelium cordibus agit. De verbi diuini potentia Ambrosius habet: *Vidimus & oculis nostris perspeximus, & in vestigia clauorum eius digitos nostros inseruimus. Videmur enim nobis vidisse: quem legimus, spectasse pendentem, & vulnera eius spiritu Ecclesiæ scrutante tentasse.* Sic Cyprianus: *Cruci hæremus, & sanguinem sugimus, & intra ipsa redemptoris nostri vulnera figimus linguam.* Atque huc illa Ambrosij referuntur: *Baptismus est mysterium, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.* Si cum hoc conferatur, aquæ elementum nihil videatur. Similiter, quando Christi corpus & sanguinem, quæ significantur, spectamus, panis ac vinum nullius instar obtinent. Sic in vtroque sacramento præstantiorem consecrationis, quàm naturæ potentiam esse confirmat Ambrosius: sic consecratione natura mutatur.

Ambros. in Lucam lib. 5. ca. 7.

Cyprian. de cœna Domini. Ambrosius de iis qui initiantur mysteriis. ca. 4.

Hardingus. 4. Sectio.

HVic sententiæ conuenit, *quod habet Theodoretus:* Videri & tangi possunt, sicut priùs: Intelliguntur autem ea esse, quæ facta sunt, & creduntur.

Dialog. 2.

Episcopus Sarisburiensis.

HIc te (Christiane Lector) illud breuiter admonitum esse cupio, in illa Oxoniensi celeberrima à paucis abhinc annis contra pium illum patrem, & sanctissimum Christi Martyrem Thomam Cranmerum Archiepiscopum Cantuariensem suscepta, habitáque disputatione, istius Theodoreti testimonium in maximo conuentu conuulsum fuisse atque repudiatum, propterea quòd homo Græcus de sacramentis minùs Catholicè, prout Ecclesia Romana recens sanxit atque statuit, sentire videretur. Eum tamen nunc in gratiam reduxisse, ac catholicum reddidisse videtur Hardingus. Quanquam mirabile sit, & prope incredibile eundem virum vna in periodo & verborum ambitu, nullâque prorsus mutata aut variata voce hæreticum simul & catholicum existere. Quicquid iste Theodoreti locus neruorum & argumenti habeat, nos in octauo articulo sectione vicesima sexta diluimus. Hîc panem & vinum videri, & tangi, sicuti priùs, affirmat: E quibus ita concludit Hardingus: Ergo, nec panis, nec vinum remanet, sed nuda accidentia, & species substantia carentes. Argumentum profectò nouum, & mirificum, eóque etiam magis, quòd non modò contra sententiam, sed contra etiam ipsa diserta & perspicua verba Theodoreti concluditur. Sic enim eius verba habent: *Qui seipsum appellauit vitem, ille symbola & signa, quæ videntur appellatione corporis & sanguinis honorauit: non naturam mutans, &c.* Rursus: *signa mystica post sanctificationem non recedunt à natura sua. Manent enim in priori substantia.*

Anno 1554.

Theodoretus dialogo 1. immutabilis. Theodoretus in dialogo 2. inconfusus.

Ista nunc igitur verba cùm Hardingi glossemate conferamus. Theodoretus inquit, *panis & vinum non recedunt à natura sua:* Hardingus ait: *penitus amittunt naturam suam.* Theodoretus inquit, *Panis & vinum manent in priori substantia:* Hardingus inquit: *sola accidentia, speciésque panis & vini remanent absque priore substantia.* Audacissima certè glossa, quam ita non pudeat manifestam textus sententiam tollere. Hæc non nisi erroris rescripto corrigi queunt.

Ex hisce Theodoreti clarissimis verbis ad hunc modum contra Hardingum concludere licebit. Substantia panis & vini remanet, vt priùs: Ergo, accidentia panis & vini absque substantia sua non existunt. Ad cætera, quemadmodum ista mystica signa intelligantur, & credantur esse corpus & sanguis Christi suprà responsum est in octauo articulo, vicesima sexta sectione.

Hardingus. 5. Sectio.

NOn similiter comprehendimus, *inquit Augustinus,* has duas species panis & vini post consecrationem, quemadmodum ante consecrationem comprehendebamus: cùm fideliter fateamur, panem esse & vinum, quod natura formauit: Post consecrationem verò carnem & sanguinem Christi, quod benedictio consecrauit. *In alio loco ait: non hunc esse panem, qui vadit in corpus (nimirum vt [a] ventrem alat) sed panem illum vitæ,* qui animæ nostræ substantiam fulcit.

In lib. senten. Prosperi. de consecr. dist. 2. Ca. nos. autem. De verbis Domini secundum Lucam sermo. 28.

a Falsum Rabanus enim ait: *sacramentum in alimentum corporis redigitur.*

Episcopus Sarisburiensis.

SVperior è duobus hisce locus facilè expeditur ex iis, quæ suprà ad Ambrosij verba respondimus in tertia hui⁹ articuli sectione. Panis & vini naturas nō funditus sublatas, sed in vsum quē-

dam spiritualem atque diuinum mutatas, euectásque esse ostendit Augustinus. De accidentibus autem atque speciebus substātia & subiecto carētibus nullum verbum facit. Id verò constat, panem ante consecrationem, nihil quidem aliud fuisse, quàm cibarium nudúmque panem: Nunc autem ad officium excellentius destinatur, fitque sacramentum corporis & sanguinis Christi, non natura, sed consecratione, quæ naturā superat. Chrysostomus inquit: *Oculis intellectus ista perspiciamus. Nihil enim sensibile tradit nobis Christus, &c. Sic & in baptismo.* Existimo mehercule non inficiaturū Hardingū, quin aqua baptismatis res sit sub sensus cadēs: similiter panis atque vinū in sacris mysteriis, vel saltem accidentia ac species eorundem, sensibus comprehendantur. Nos autem Chrysostomus à pane & vino, & aqua, cæterísque eiusmodi rebus omnibus, quæ sensibus percipiuntur, ad corporis & sanguinis Christi, quæ à sensu omni remouentur, contemplationem auocat atque abducit: quibuscum si cætera conferantur, vix puncti instar videantur.

Chrysost. in Matth. hom. 83.

Quod ad alterum locum attinet, ea verba cùm in Augustino reperiuntur, tum in libro quodam habentur, qui Ambrosij nomine inscribitur, *de sacramentis*: quorum sententia nihil neque ad panē, neque ad vinum, sed duntaxat ad corpus & sanguinem Christi, quæ in illis repræsentantur, pertinet. Quapropter iste locus tam sine ratione ac delectu arreptus, Hardingi somnio de nudis accidentibus, atque ab omni substantia, nescio quo pacto, secretis parum prodesse potest.

Ambros. de sacramentis lib. 5. cap. 4.

Verba per se clara sunt, nec vlla interpretatione egent: *Non iste panis, qui vadit in corpus: sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit.* Non dubitat Hardingus, quin sacramentum in corpora nostra recipiatur. Rabanus habet: *sacramentum ore percipitur, & in alimentum corporis redigitur.* Corpus autem Christi, vt Cyprianus inquit, *est cibus mentis, non ventris.* Sic Augustinus habet: *Panis iste interioris hominis quærit esuriem. Intus bibendo fœlix sum.* Tertullianus habet: *Ruminandus intellectu, & fide digerendus est.* Similiter Chrysostomus: *Magnus ille panis, qui replet mentem, non ventrem.* De hoc pane meminit Ambrosius, non de sacramento, quod in corpus transmittitur. Itaque istum locum non satis expendisse, nec quàm parum ad causam faceret, attendisse visus est Hardingus. Vetustus ille pater Origenes habet: *Accidit, vt simpliciores quidam, nescientes distinguere, quæ sint, quæ in scripturis diuinis interiori homini, quæ verò exteriori deputanda sint, vocabulorum similitudine falsi ad ineptas quasdam fabulas, & figmenta inania se contulerint.*

Rabanus Maurus li. 1. ca. 31. Cyprian. de cœna Domini. August. in Ioan. tract. 26. August. in Ioan. tract. 25. Tertul. de resurrectione carnis. Chrysost. ex variis locis in Matth. hom. 9. Origen. in prologo in cantica cantic.

Hardingus. 6. Sectio.

Nemo apertiùs de hac re dicere potest, quàm dixit Cyrillus, Hierosolymitanus, author perantiquus, qui Græcè scripsit, & extat, sed non nisi manu scriptus, & paucis eruditis communis. Eius verba non multùm differunt à scholasticorum doctorum verbis. Præbetur corpus ἐν τύπῳ ἄρτου, in specie siue figura panis. *Item* præbetur sanguis ἐν τύπῳ οἴνου, in figura vini. *Paulò post hæc verba, sic habet*: μὴ πρόσεχε οὖν, ὡς ψιλοῖς τῷ ἄρτῳ, καὶ τῷ οἴνῳ, &c. Ne mentem adhibeas, quasi pani & vino nudis: sunt enim hæc corpus & sanguis, vt Dominus pronuntiauit. Nam tametsi illud tibi sensus suggerit, esse, scilicet, panem & vinum nudum, tamen firmet te fides, & ne gustatu rem diiudices, quin potiùs pro certo ac comperto habe, omni dubitatione relicta esse tibi impartitum corpus & sanguinem Christi. *Rursus habet in eodem loco:* Hæc cùm scias, & pro certo & explorato habeas, qui videtur esse [a] panis, non esse, sed corpus Christi, item, quod videtur vinum, non esse, quanquam id velit sensus, sed sanguinem Christi, ac de eo Prophetam dixisse, Panis cor hominis confirmat: firma ipse cor, sumpto hoc pane, vtpote spirituali. *In tertia autem Catechesi hic pater habet:* Panis Eucharistiæ post inuocationem sancti spiritus non ampliùs est panis nudus & simplex, sed corpus, &c.

Non est nudus panis: Ergo est panis.

a Falsum: manifestam verborum simul & sententiæ authoris deprauationem continens, vt planū erit.

Itaque, cùm iuxta perspicuam explicationem fidei Catholicæ, quod attinet ad hoc negotium, ab isto doctore propositam, credere & certò persuasi esse debeamus, panem post consecrationem non iam esse panem, sed verum Christi corpus: & vinum non iam ampliùs esse vinum, sed eius pretiosum sanguinem, etiamsi oculis secus videatur, etiamsi gustus, tactúsque secus iudicent, denique etiamsi sensus omnes contrarium renuncient, idque ex authoritate verbi Dominici, qui dixit hæc esse corpus & sanguinem suum, non (vt ille docet) in pane & vino:[b] *Deinde, cùm Eusebius Emissenus in homiliis post Pascha tradat,* terrena commutari & transire: *præterea,* creaturas conuerti in substantiam corporis Christi, *quæ ipsissima est transsubstantiatio: cúmque Chrysostomus dicat,*[c] panem absumi à substantia corporis Christi: *&* [d] *Damascenus panem & vinum* transmutari supernaturaliter, *&* [e] *Theophylactus panem* transelementari in carnem Domini: *& alibi,* ineffabili operatione transformari, etiamsi panis nobis videatur: *Denique cùm doctores Græci recētioris memoriæ eandem doctrinam confirment, è quibus*[f] *Samona, quò eam probet & persuadeat, eadem similitudine vtitur, qua Gregorius Nyssenus, & Damascenus hac ipsa in causa vsi fuerant: quæ ita habet: In consecratione transubstantiationem talem fieri, qualis est conuersio panis in nutriendo, quando conuertitur in substantiam eius, qui nutritur: Methonensis, haud aliter ac Ambrosius, hac in re non naturæ ordinem spectandum esse dicit, quando Christus è Virgine natus est contra omnem naturæ ordinem, atque corpus Domini in hoc sacramento sub forma seu specie alterius rei accipi, ne sanguis illud horrendum efficeret: Nicolaus Cabasilas ait panem hunc non ampliùs esse figuram corporis Dominici, neque donum referens imaginem veri doni neque continens descriptionem passionem ipsius seruatoris quasi in quadam tabula, sed ipsum verum: donum, sanctissimum corpus Dominicum, quod verè opprobria, contumelias, plagas pertulit, quod cruci suffixum, quod necatum fuit: Marcus Ephesius, etsi alioqui reprehendendus, quippe qui pertinaciter sententiæ concilij Florentini de spiritus sancti à filio processione restiterit, tamen locuples testis est, quænam fuerit Græcarū Ecclesiarum hac in re fides, in quo dona oblata à Basilio antitypa, id est,* exem-

b Nuper editus, & non sine causa suspectus.

c Respectu corporis Christi, quod repræsentatur, panis nihil est.

d Eiusmodi supernaturalis est in aqua baptismi, atque in omnibus sacramētis mutatione Ita Theophylactus scribit: *nos transelementamur in Christum.*

f Hi quatuor, Samona, Methonensis, Cabasilas, & Marcus Ephesius recentes sunt authores exiguæ fidei: omnes tamen trāssubstantiationi aduersantur

Marcus iste Ephesius Basilii verba prudens corrumpit.

Duo genera consecrationis: alterum perfectum: alterum imperfectum.

Lib. 4. de Orthodoxa fide cap. 14

In Mar. 14

In Matth. 26.

Cap. 27.

exemplaria corporis Dominici appellari docet, propterea quòd nondum perfectè consecrantur, sed figuram & imaginem suam retinent, quorum mutationem ac transsubstantiationem sancto spiritui relinquit, donec *inquit* spiritus sanctus adueniat, qui ea mutet. *In quibus Ecclesiæ Græcæ fidem commonstrat, nimirum per spiritum sanctum in consecratione panem & vinum sic mutari, vt postea figuræ dici minimè debeant, sed verum corpus & sanguis Domini, vtpote quæ in ipsa mutentur aduentu spiritus sancti. Quæ quidem mutatio est substantialis mutatio, ideóque rectè vocari transsubstantiatio potest, hoc est vnius substantiæ in aliam substantiam conuersio.*

Episcopus Sarisburiensis.

CYrillus ille Hierosolymitanus author est antiquus, recens in lucem editus. Eius in dubium vocare fidem non conabor: tametsi cōtemplationes ipsius persimiles pleræque sunt Hardingi hac in causa iudicio, hoc est, *vt accidens sine subiecto* esse videantur. Cæterùm cùm verbis, tum sententia penitus cum Chrysostomo, Oecumenio, aliisque Græcis patribus sentire Cyrillus videtur, quibus ista Hardingi noua religio inaudita fuit. Auditorum externos oculos, quibus panem & vinū contuentur, præcludit, atque internos duntaxat, animíq; sensus deposcit, quibus verum Christi corpus ac sanguinem contemplentur, qui panis ille est cælitus delapsus. In quo, quanquam oratione acri atque violenta vtitur, quò magis illorum mentes excitet atque inflammet, quos affatur, tamen suā ipse sententiā planissimè & luculētissimè explicat. Sic enim scribit: *Ne consideres tanquam panem nudum: panis Eucharistiæ non est ampliùs panis simplex, & nudus.* Ista autem verba perinde valent, atque si hoc modo dixeris: *Panis quidem est: non tamen nudus panis: verùm panis & est, & aliud præterea aliquid.* Sic quod Hardingianæ sectæ homines dicere consueuerunt, *Papam non esse purum hominem,* minimè id volunt, quemadmodum suspicor, Papam non esse hominem: sed & hominem esse, & præterea alterius cuiusdam naturæ participem, qua communi hominum sorti ac conditioni antecellit. Ex his tamen Cyrilli verbis sic interim rectè concluseris, *Sacramentum non est nudus panis: Ergo, panis est, licèt non nudus.* Itaque hic ipse Cyrillus, quem testem fore sperauit Hardingus, nullum in sacramento reliquum esse panem, contrarium apertissimè testificatur, atque remanere in sacramento panem profitetur.

> Catechesis. mystagogica. 4.

Quanquam autem cumulatè iam satis r spondisse videor, tamen quò tibi, Christiane Lector, luculentiùs satisfaciam, id te scire velim, quòd quæ Cyrillus iste hoc in loco de corporis & sanguinis Christi sacramento dixit, similiter etiam, similique phrasis & orationis genere de oleo, quod sacrum vocant, & de lauacro baptismatis, déque aliis ceremoniis dixit. De oleo scribit ad hunc modum, in quo etiam suam de sacramento sententiam exponit: *Vide, ne illud putes esse vnguentum tantùm. Quemadmodum enim panis Eucharistiæ post sancti spiritus inuocationem, non ampliùs est panis communis, sed corpus Christi: sic & sanctum hoc vnguentum, non ampliùs est vnguentum nudum, neque cōmune, sed est charisma Christi.* Ista verba æqualem in vtroque mutationem significant. Quemadmodum oleum est χάρισμα Christi: ita panis est corpus Christi & quemadmodum natura ac substantia olei remanet integra, etsi non sit simplex & commune oleum, sic panis seruatur natura atque substantia, tametsi non iam communis est, nudúsque panis.

> Cyrillus in catechesi mystagogica tertia.

Similiter de aqua baptismatis scribit: *non tanquam aquæ simplici studeas huic lauacro: ne aquæ simplicitati mentem adhibeas.* Ex hisce collatis inter se locis sic colligere licebit. Aqua in sacro mysterio baptismatis, etsi non est nuda ac communis aqua, tamē veram aquæ naturam atque substantiam conseruat: eodem modo panis in sacrosancto corporis Dominici mysterio, licèt non sit cibarius & communis panis, retinet tamen panis naturam ac substantiam. At Cyrillus inquit: *Non est panis, non est vinum, quantumuis oculis videatur.* Chrysostomus, panis substantiam esse consumptam, Emissenus in substantiam corporis Christi conuersam ait: & Damascenus atque Theophylactus recentioris ætatis, authoritatis non magnæ authores idipsum confirmant.

> Cyrillus in catechesi illuminatorum 3.

Cyrillum, cæterósque omnes præstantes eruditione patres in eo maximam dicendi vim atque contentionem adhibere, vt animos auditorum à sensuum iudicio auulsos & abstractos ad illius panis contemplationem conuertant, qui mundo vitam largitur, certissimum est. Atque ideo spiritualem eum panem appellat: ac de Christi corpore sic habet: *Bibe vinum in corde tuo, spirituale scilicet vinum.* Deinde, quid esset, quamobrem Iudæos Christus offendisset, exponit, verámque crassissimi illius, quem conceperant, erroris causam enunciat: *Iudæi non audientes verba Christi secundum spiritum, scandalizati abierunt retro, eò quòd existimarent sese ad humanarum carnium esum incitari.* Rursus inquit: *Gustate, & videte, quòd suauis est Dominus. Num hoc corporeo palato, vt istud diiudicetis, vobis præcipitur? nequaquam: sed potiùs certa fide.*

> Catechesis mystagogica 4. Catechesis mystagogica 4. Interpres transtulit. *Quod Christus est Dominus,* falsus, vt opinor, horum verborum similitudine. χρηστὸς & χριστός.

Hoc modo atque sensu aqua, quæ in baptismo adhibetur, cedit sanguini Christi, & ex se nihil videtur: similiter panis in sacramento corporis Christi, corpori Christi concedit, cuius ratione planè nihil est. Hoc autem de lauacro baptismatis sic Paulinus explicasse videtur:

> In catechesi mystagogica 5.

Fonsque nouus renouans hominem: quia suscipit, & dat
Munus: siue magis quod desinit esse per vsum,
Tradere diuino mortalibus incipit vsu.

Similiter Chrysostomus: *Non erit aqua potationis* (vt antè fuit) *sed aqua sanctificationis* (vt antè minimè fuit.) Hæc ipsa est veráque sacramentorum substantia, quæ quando spectatur, terrestria panis & vini & aquæ elementa absumuntur, próque nihilo habentur.

> Chrysost. in Psal. 22.

Chrysost. de fide & lege.

Hanc rem Chrysostomus egregiè, atque ad viuum expressit ista similitudine: *Lanæ cùm tinguntur naturæ suæ nomen amittunt, & tincturæ nomen accipiunt: & non vltra vocas lanā, sed vel purpuram, vel coccinum, vel prasinum, &c.* tametsi vera lanæ substantia remanet, & conseruatur. Ita Pachymeres, Oleum non ampliùs vocari oleum, sed in Christum verti scribit: Perspicua sunt ipsius verba: *Oleū enim est Christus,* Non quòd oleum non esse oleum sentiat, sed quòd Christi ratione, qui per illud significatur, oleum euanescat, & nihil esse videatur. Ita Paulus ille iurisperitissimus inquit, *Res vna perualentiam trahit aliam.*

Pachym. in Dionys. de ecclesiast. Hierar. ca. 4. μύρον γάρ ὁ χριςός. ff. De rei vendicatione. In rem. Paulus.

Istuc igitur est, quod Cyrillus ait, Panem, quem videmus, non iam panem, sed Christi corpus existere: & vinum, quod videmus, non iam vinum esse, sed Christi sanguinem: quasi diceret, Elementa seu creaturas, non tam ea esse, quæ reuera sunt, quàm quæ significant. Ita enim Augustinus vniuersim de omnibus sacramentis loquitur, quemadmodum nos iam priùs aliquoties ostendimus: *In sacramentis non considerandum est, quid reuera sint, sed quid significent.* Eodem etiam pertinet, quod Ambrosius habet: *Magis videtur, quod non videtur.* Istuc autem vniuersum tam in baptismatis, quàm in corporis Christi mysterio non naturæ ipsius vis atque efficacitas, sed infinita diuini spiritus potestas, Christique verbum efficit.

August. contra Maximin. lib. 3. Ambros. de iis qui initiantur mysteriis. ca. 3.

Sic Emissenus, sic Damascenus, sic Theophylactus panem in corporis Christi substantiam mutatum esse dicunt: eodem, inquam, modo, quo hic ipse Theophylactus nos ipsos *transelementatos esse* (& transsubstantiatos) *in corpus Christi scribit.* Sic enim Christum loquentem facit: *Miscetur mihi, & transelementatur in me.* Similiter Chrysostomus de interitu, atque instauratione mundi disputans, sic habet: *Opus erat quasi reelementationem quandam fieri.* Sic Petrus: *Efficimur consortes diuinæ naturæ.* Sic author quidam Ethnicus inquit: *Transit homo in naturam Dei.*

Theophylact. in 6. cap. Ioan.

Chrysost. in Gene. hom. 25. 2. Petr. 1. Mercurius Trismegistus in Aesculapio. Chrysost. in Ioan. hom. 39.

Ista omnia, cæteráque paria dicendi genera moderata quadam & prudenti interpretatione sunt mitigāda. Neque enim constare queunt, si ad viuum singula resencentur. Quam ob causam Chrysostomus de scripturarum interpretatione verba faciens, sic habet: *Diuina opus est gratia, ne nudis verbis insistamus. Nam ita hæretici in errorem incidunt, neque sententiam, neque auditoris habitum inquirentes. Nisi enim tempora, locos, auditorem, & alia huiusmodi consideremus, multa sequentur absurda.* Bertramus verò author perantiquus habet: *Ipse qui nunc in Ecclesia omnipotenti virtute panem & vinum in sui corporis carnem, & proprij cruoris vndam spiritualiter conuertit: ipse tunc quoque Manna de cœlo datum, corpus suum, & aquam de petra profusam proprium sanguinem inuisibiliter operatus est.* Itaque quemadmodum patres Manna corpus Christi, aut aquam in solitudine sanguinem Christi factam esse scribunt: Ita etiam panem ac vinum corpus & sanguinem Christi fieri docent.

Bertram. de sacramento Eucharist. Manna fit Christi corpus.

Iam verò, vt quiuis quantumuis rudis & imperitus planè perspiciat, quid sibi sanctissimi patres voluerint, quando sunt eiusmodi quadam mirifica atque extraordinaria dicendi ratione vsi, non erit alienum quædam Gregorij Nysseni hac de re verba recitare eodem, quo perscripta sunt ordine. Sic igitur habent: *Nam & altare hoc sanctum, cui assistimus, lapis est natura communis, nihil differens ab aliis lapidibus, ex quibus parietes nostri extruuntur, & pauimenta exornantur: sed quoniam Dei cultui consecratum atque dedicatum est, ac benedictionem accepit, mensa sancta, altare immaculatum est, quod non ampliùs ab omnibus, sed à solis sacerdotibus, iisq; venerantibus contrectatur. Panis item panis est initio communis: sed vbi eum mysterium sacrificauerit, corpus Christi & dicitur, & est: eodem modo vinum: quū sint res exigui pretij ante benedictionē, post sanctificationē, quæ à spiritu procedit, vtrumque eorū excellenter operatur. Eadem item verbi vis etiam sacerdotem augustum & honorandum facit nouitate benedictionis à communitate vulgi segregatum.* Quare quemadmodum altare, quod quibusdam in locis propter & stabilitatem & diuturnitatem è lapide ædificabatur, pristinam conditionem deposuit, neque tamen esse lapis destitit: & quemadmodum sacerdos seu Episcopus priorem suam exuit naturam, & tamen eandem vnius hominis substantiam retinet: ita iuxta huiusce vetusti patris sententiā panis ac vinū in Christi corpus & sanguinē mutantur, & seruant tamen panis, vinique naturam.

Gregor. Nysse. de sancto baptism.

Quandoquidem autem Hardingus, quò recentem hunc suum confirmaret, strenuéq; defenderet errorem, nouem è Græca Ecclesia doctores euocauit, confertímque produxit tanquam eidem suffragantes, & penitus assentientes, scias, Christiane Lector, & quasi normam quandam, certissimáque iudicij hac de re tui informationē habeas, Græcos ab Euangelij prima ad hodiernum vsque diē promulgatione eum nullo vnquā tēpore comprobasse, quemadmodum ex vltima sessione generalis concilij Florentini facilè intelligitur. Atque ipse Scotus hac de re sermonem explicans sic habet: *Ad hanc sententiam principaliter videtur mouere, quod de sacramentis tenendum est, sicut tenet sancta Romana Ecclesia: Ipsa autem tenet panem transsubstantiari in corpus & vinum in sanguinem.* Atque vt hoc probaret, non Ecclesiam Græcam testē excitauit, quippe quàm contrà perpetuò sensisse sciret, sed particularem duntaxat Romanæ Ecclesiæ sanctionem in Lateranēsi primùm cōcilio, Anno Domini millesimo ducentesimo decimo quinto, nec vnquam antè constitutam. Huc accedit, quòd Isidorus Russorum Episcopus postquam domū à concilio Florentia si reuersus, consensum quendā opinionum atq; morum cùm hac in re, tum in cæteris etiam rebus omnibus inter suā Romanámq; Ecclesiam inducere ac stabilire tentasset, munere suo est abdicatus, atque à clero suo prorsus desertus: adeo nempe illi nouum hoc transsubstantiationis commentum probarunt.

Concil. Florēt. sessione vltima. Io. Scotus in 4. senten. dist. 10.

Concil. Lateran. sub Innocentio 3. Anno 1215. Romanus Patritius in historia de nouo orbe.

At Hardingus instabit Cyrillum dicere, ἐν τύπῳ ἄρτου, hoc est, vt ipse interpretatur, *in specie, vel figura panis*, quod perinde valere putat, ac si dixisset, *accidentia sine subiecto.* Qua ratione commotus sic censeat, non intelligo. Id verò minimè dubium est, quin prisci temporis hæretici hac

ipsa

ipsa via lapsi ad suos errores defluxerint. Marcion hæreticus Christum non naturale, vereque humanum corpus induisse, sed imaginariam modò corporis speciem imaginémque suscepisse defendebat. Atque vt hoc ipsum confirmaret, eadem vsus est ratione, quam nunc iactat Hardingus. Scriptum est enim, inquit: *In similitudinem hominem factus est, & figura,* (quam Hardingus in speciebus, & accidentibus collocat) *inuentus vt homo.* Ambrosius autem inquit: *Nec sibi blandiatur virus Apollinare, quia ita legitur, & specie inuentus, vt homo.* Itaque veterum hæreticorum armis munitus dimicat Hardingus: Aliter enim si faceret, sui eum pro catholico non haberent. Ambrosius habet: *Christus apparuit in figura humana:* Origenes, *Christus est expressa imago, & figura patris.* Rursus Ambrosius: *Grauior est ferri species, quàm aquarum natura.* Gregorius Nyssenus: *Sacerdos quod ad speciem externam attinet, idem est, qui fuit.* Num verò ex istis concluserit Hardingus, vel Christum, vel ferrum, vel sacerdotem, nihil aliud esse, quàm accidens, & speciem substantia vacantem. Huc etiam accedit, quòd Hardingus Cyrillum suum adulterare, eiúsque verba ementiri coactus est. Etenim quod Latina tralatio habet: *Sciens panem hunc, qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat:* Hardingus hoc modo maluit vertere: *Cùm scias, qui videtur esse panis, non esse, sed corpus Christi.* In quibus cùm vnum integrum membrum prætermisit, tum verba simul & sensum authoris sui deprauauit. Cyrillus enim ait: *Nos externis oculis panem contuemur.* Hardingus autem ait: *videtur tantum esse panis.* Cyrillus ait: *gustus panem esse sentit:* Hæc clausula omissa est ab Hardingo tum in Latino, tum in Anglico: De poculo autem loquens, sic conuertit: *Etiamsi sensus ita æstimet.* Corrupta disciplina non nisi corruptione sustentari potest. Satis enim profectò constat, id sensisse Cyrillum, *quod quemadmodum duo oculorum genera habemus, alterum terrestre corporis, alterum spirituale mentis: ita in sacramentis duas res diuersas intueri oporteat, oculis corporeis panē communem: spiritualibus verò Christi corpus.* Atque ita Cyrilli verba cum hisce Augustini verbis præclarè conspirant: *Quod videtis panis est: quod etiam oculi vestri renunciant. Quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi:* eo nimirum modo sensúque, quo iam exposuimus.

Philippen. 2. Ambros. lib. 7. epist. 48. Ambros. ad Corossen. 1. Orige. περὶ ἀρχῶν lib. 1. cap. 2. Ambros. de iis qui initiantur mysteriis ca. 3. Gregor. Nysse. de sancto baptismate. Hardingus anti quos patres de industria corrumpit. August. in sermone ad infantes.

Samona, Methonensis, Cabasilas, propter recentem ætatem nec citari, nec haberi pro doctoribus debent. Marcus autē Ephesius isto quidē nomine non sine causa fuisse appellatus videatur. Sic enim eius oratio cohæret, *vt literæ Ephesiæ.* Etenim quod in sua Liturgia Basilius post obitam consecrationem sacramentum ἀντίτυπον vocat, id est, typum, seu symbolum, seu signum corporis Christi: Marcus iste de pane nondum consecrato loquutum esse Basilium fingit. Vix puer tam pueriliter de authoris sui sententia coniecisset. Eius tamen hac in re iudicium non magnopere desiderare videtur Hardingus. Quanquam satis ille nouit, panem ante consecrationem neque sacramentū esse, neque signum corporis Christi: sed communis duntaxat & pistorij panis instar obtinere. Aliter enim signum esset, nec tamen quicquam significaret: & ante sacramentum existeret, quàm aut consecraretur, aut sacramentum fieret.

Stephanus autem Gardinerus prudentiùs de re ista cogitasse & statuisse videatur. Verisimile enim esse putat, perturbatam penitus fuisse Basilij Liturgiam, eóque modo accidisse, vt postponerentur ea, quæ præponi debuerunt: atque vnius librarij factum esse imperitia, vt vniuersa exemplaria deprauata in lucem prodirent. Hardingus cōtendit, panem à Basilio ἀντίτυπον nuncupari, priusquam perfectè consecretur: quasi duo essent genera consecrationem, alterum perfectum, alterum inchoatum. Non tamen nescius est à scholasticis doceri atque defendi, ipsum tum principium, tum finem consecrationis non gradatim, sed subitò, & vno momento perfici. Sic consecratio, non est consecratio. Quod non est sacramentum, est tamen sacramentum: Quod signum est, non signum est: Quod non signum est: signum est, Libri vitiati sunt & perturbati: id subsequitur, quod præire debuit: & quod posteriore loco poni oportuit, priorem obtinet. Atque ista tamen tam multa refugia trito errori sustentando vix sufficiuntur.

Steph. Gardiner. ad obiect. 185.

Hardingus. 7. Sectio.

CVm, inquam, hac religionis nostræ pars tam luculentis authoritatibus comprobetur, cumq; nos de [a] *certissima Ecclesiæ fide, istorum præstantissimorum patrum, qui variis ætatibus, ac in variis mundi partibus vixerunt, testimoniis declarata exploratum habeamus: rectè cum eadem Ecclesia contra Iuellum dicere possumus, in hoc sacramento peracta consecratione nihil remanere ex eo, quod priùs fuerat, præterquā accidentia nuda, ac species absque substantia panis, & vini.*

a Falsum: hæc enim certissima fides primitiuæ Ecclesiæ incognita fuit, atque ab Ecclesia Græca in cōcilio Florētino improbata.

Episcopus Sarisburiensis.

QVicquid firmi certíque habeat articulus iste, totum infirmissimo transsubstantiationis fundamento nititur. Quæ quandoquidem non multò plùs quàm trecentis abhinc annis constituta primùm, & sancita fuit, nec ex verbi diuini authoritate concluditur, quemadmodum ipse Scotus confitetur, nec eam vnquam vlla, præterquam Romana, probauit Ecclesia, iccirco neque tam certa, atque eam Hardingus facit, neque tam vetusta, neque tam Catholica videri potest.

Non me patitur tempus ea vniuersa persequi, quæ adduci contrà potuerunt. Paulus verum panem in sacramento remanere, qui & distribui, & frangi possit, agnoscit: quæ verba non ad ipsum Christi corpus absq; atroci blasphemia, sed ad panem duntaxat ipsum referri debent. Christus etiā post consecrationē reliquū esse vinum confitetur, atq; eiusmodi vinū, quale ex vuis exprimitur. Sic enim inquit: *Nō bibā posthac ex hac generatione vitis.* Chrysostomus habet: *In similitudinem corporis & sanguinis Christus nobis* (non accidentia, seu qualitates, sed) *panem & vinum secundùm ordinem*

1. Cor. 11. Matt. 26. *Ex hac generatione vitis.* Chrysostom. in Psal. 22. Chrysost. in Matt. homi. 83.

Melchisedech ostendit in sacramento. Rursus habet: *Christus, quando hoc mysterium tradidit* (non species, aut accidentia, sed) *vinum tradidit: Non bibam inquit* (post consecrationem videlicet) *ex hac generatione vitis, quæ certè vinum producit, non aquã.* Cyrillus inquit: *Christus credentibus discipulis fragmenta panis dedit.* Cyprianum, Augustinum, Gelasium, Theodoretum, aliósque vetustate & sanctimonia illustres patres prætermitto: quos si clarissimè confirmare ac testari liqueat, superstitem esse in sacramento panem, tum non sola accidentia remanere constat. Quid Hardingus dixerit, qui tam multa dicit, non est obscurum: Quòd autem species & accidentia à panis, vinique substantia seiuncta pendeant, nullus vnquam priscorum patrum dixit.

Cyrillus in Ioã. lib. 4. cap. 14.

Hardingus. 8. Sectio.

Dei omnipotentia sustentat accidentia.

HÆc autem res homini Christiano non est difficilis creditu. Si autem Deo omnipotenti creatori visum est, eiusmodi rerum conditionem atque statum instituere, vt substantiæ contineant, & sustentent accidentia, quidni etiam per suam infinitam potentiam accidentia absque subiecto conseruare possit, præsertim cùm Ethnici Philosophi dictu absurdum esse existiment: Primam causam (*id est Deum*) non posse id præstare solam, quod possit cum secunda, (*hoc est cum creatura?*)

Episcopus Sarisburiensis.

CIcero scribit, poëtam, quando explicare argumenti exitum non potest, Deum aliquem ἀπὸ μηχανῆς ostendere, & tum fabulæ finem imponere. Eodem modo Hardingus, quia accidentium suorum difficilem explicationem perspicit, Deum cum sua immensa potentia introducit, vt is ea fulciat. Pueri docentur in scholis accidens sine subiecto consistere non posse. Quod in cęteris omnibus verum est, in sacramento duntaxat, quemadmodum vult Hardingus, fallit. In eo enim panis & vini à subiecto abstracta accidentia, speciésq; existunt. Neque enim in pane sunt: Nam panis, vt inquit, euanuit: neq; in aëre: non enim cerni aër potest: neque in corpore Christi: illud namque rotundum neutiquam est. &c. Ita alibi aliquid est, & tamen nihil album est: Rotundi aliquid est, nec tamen quicquam est rotundum. Quare cum accidentia ista, neque per se sola existere possint neque subiectum ibi vllum, in quo acquiescant, habent, iccirco diuina potentia fulta esse defendit Hardingus. Quidam habet: *Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus Inciderit.* Paulus inquit: *Deus portat omnia verbo virtutis suæ.* Atque Atlantem humeris suis cęlum sustinere fingunt poetæ. Vt autem Deus creator, primáque omnium causarũ causa de cęlo ad substentanda accidentia deueniat, exile admodum videtur ministerium. Hardingi sic concluditur argumentatio: Deus est potentia prędıtus infinita: Ergo accidentia in sacramento consistunt absque subiecto.

Hebr. 1.

Hardingus. 9. Sectio.

VT autem facilius persuaderi possimus, separata ab omni substantia aut subiecto accidentia esse in hoc sacramento, sub quo, non remanente pane, Christi corpus præsens adest: Considerandum est hanc rem in prima mundi creatione obtinuisse: iuxta quorundam doctorum sententiam. Quidam enim affirmant illam primam lucem, quæ principiò fuit ad diem vsque quartam, [a] *in nullo subiecto extitisse, sed potentia diuina, prout Deo visum esset, fultam constitisse. Prima enim illa lux, atque eadem, perinde fuit, atque albedo, & corpus dealbatum, inquit Basilius. Neque dum natus erat VVicleffus, qui eos doceret, Dei potentiam non posse ponere accidens sine subiecto. Sic enim loquitur in libro suo de Apostasia cap. 5. teste Coclæo. Hinc liquet à qua radice Euangelici nostræ patriæ propagati fuerint: qui ex illa scelerata arbore succum haurientes, suámque inde stirpem ostendentes diuinæ potentiæ, quæ infinita & incomprehensibilis est, terminos ac cancellos præscribunt. Itaque ex illorum patrum sententia concludere possumus, si cum substantia sustinere & conseruare accidentia Deus poterit, absque substantia etiam hoc ipsum præstare posse.*

a Falsum: Basilius enim disserte contrarium affirmat.

Basilius hexameron. hom. 6. Damascen. li. 2. cap. 7. Paulus Burgensis Gen. 1. Lib. 2. hist. Hussitarum.

Episcopus Sarisburiensis.

NImis violentum est & iniquum, vt priscum patrem testimonium dicere falsum, maximè contra seipsum cogas. Quod de Basilij hîc refert Hardingus sententia, perinde est, atque longa illa, putidissimáque, & toties Amphilochij nomine reposita fabula, nimirum inanis quædam & expers substantiæ species. Quandoquidem autem Damascenũ Hardingus, & Paulum Burgensem duntaxat in margine nominauit, tanquam eorum verba attingere reformidasset, meminerit Damascenum dicere: *Non aliud est ignis, quàm lux, vt quidam aiunt.* Burgensis etiam habet: *quidam tradunt lucem fuisse nubem lucidam.* Ex istis opinionibus vel ignem vel nubem lucis subiectum fuisse apparet. Certè, neque Burgensis, neque Damascenus, neque Basilius vnquam absque subiecto constitisse lucem affirmauit. Itaque prætermitti illa in margine nota potuit. Facile autem est nominum ostentatione imperitorum acies perstringere.

Damascen. lib 2. cap. 7. Burgensis in 1. cap. Gen.

Basilius ait *lucem in mundo antè fuisse, quàm sol fabricaretur.* Ergo lux absque sole extitit. Verba eius sic habent: *Aliud quidem est lux, & aliud quod luci subiicitur corpus. Itaque dicere noli fieri non posse, vt lux à corpore solis separetur. Neq; enim ego lucis à solis corpore separationẽ mihi ac tibi possibilem esse dico. Sed asserendum esse sentio, quæ mentis agitatione cogitationeq; nostra libera separantur, ea re seiungi facultate creatoris vtriusque naturæ posse.* Hinc ad hunc modum efficit argumentationem Hardingus.

Basil. in hexameron. hom. 6.

Lux non fuit in sole: Ergo in nullo subiecto fuit. Non fuit in sole: Ergo nec in aëre fuit. Non fuit in sole: Ergo accidens fuit absque subiecto. Hæc autem fraus ab ambigua, seu duplice significatione istius verbi *Inest*, nascitur Etenim aliquid inesse in altero potest, tanquam in instrumento, quemadmodum

quemadmodum lux est in candela : Quo exemplo ipse Basilius vsus est. Idem in altero, vt in subiecto inesse potest, sicuti lux in aëre. Hoc considerato discrimine Hardingi nunc argumentum expendamus. *Lux*, inquit, *non fuit in sole tanquam in instrumento, quo per orbem circumueheretur: Ergo non fuit in aëre, sicut in subiecto.* Hoc argumentum ipsa luce leuius videtur: cuius vel manibus facilè ac certò possis in tenebris agnoscere futilitatem. Basilij verò verba, quibus cōtrarium euincitur, tam clarè relucent, vt ea Hardingum, vel nō potuisse, vel noluisse videre demirer. Sic enim antè scribit in eodem libro : περιελάμπετο δὴ ἀὴρ. μᾶλλον δὲ ἐγκεκραμμένον ἑαυτῷ ὅλον δι' ὅλου εἶχε τὸ φῶς : *Illustrabatur aër, vel potius lumen sibi totum, & in totum permistum habuit.* Rursus habet : *Mundus inuisibilis fuit, propterea quod aër luce caret.* Basilius ait in aëre fuisse lucem, vniuersam in vniuerso, tanquam in subiecto. Tamen Basilium Hardingus vrget, & sibi contraria dicere cogit : lucem fuisse accidens subiecto vacans, & nulla re sustentatam substitisse. Quare quanta religione ac fide soleat Hardingus veterum doctorum testimonia adhibere, tu nunc, Christiane lector, æstimato.

Basil in hexameron hom. 2. ἡ οἱ κεχυμένη ἀὴρ ... ς διὰ τὸ ἀφώτιστον εἶναι τὸν ἀέρα ὅλον δι' ὅλου.

At inquit: *Dei potentia infinita est, ac incomprehensa: Ergo, Deus accidentia sustinere potest.* Ex eo natus hic error est, quòd Basilij verba minùs rectè intelligit. Quod enim Basilius isto modo scripsit: Τότε οὐ κατὰ κίνησιν ἡλιακὴν, ἀλλὰ ἀναχεομένου τοῦ πρωτογόνου φωτὸς ἐκείνου, ἡμέρα ἐγένετο : *Dies tum fiebat, non per motum solarem, sed diffuso illo primigenio lumine.* Pro ἀναχεομένου, hoc est, *diffuso*, videtur Hardingus errore quodam lapsus legisse, ἀνεχομένου, id est, *sustentato.* Quanquam accidentia sua non debet aut cōmutatione verborū, aut doctorū suorū vel non intellecta vel deprauata sententia tueri.

Quod de VVicleffo, eiúsque stirpe commemoratur, cùm acerbitatis multum, tum argumenti nihil habet. Nos Deum esse immensa virtute præditum nouimus, qua non modò accidentia fulcire ac conseruare valet, sed mortuum etiam è sepulchro excitare, vitæque restituere, quantumuis in se putruerit. Deíque spiritui restiterit. Tertullianus verò inquit: *Non quia omnia potest facere, ideò credendum est, illum fecisse: sed, an fecerit, requirendum.* Etenim argumentis ab infinita Dei potestate ductis Praxeas, & Eutyches, & alij consimiles hæretici, tanquam tutissimis, quibus se defendāt, expeditissimísque clypeis vsi olim esse leguntur.

Tertul. contra Praxeam.

FINIS.

DE DISTRIBVTIONE SACRAMENTI.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

Episcopus Sarisburiensis.

VEl sacerdotem in tres partes sacramentum distribuisse, sibíque vni totum reseruasse.

Hardingus. I. Sectio.

D*E priuata sacramenti perceptione sacerdotis, satis multa suprà diximus. Istud vocabulum* Totum, *quod hîc adhibetur, malitiam olet. Si quis enim pietate flagrans homo sacramentum vnà cùm sacerdote percipere, expetit, modò debitè præparatus, atque exploratus, minimè repellitur, sed summa cùm benignitate suscipitur. Tum verò nō debuit reprehendi sacerdos quod* Totum *solus perciperet. Quanquam si rem ipsam, quæ percipiutr, respiciamus, vtcunque multi eam perceperint, Tota ab vniuersis, & Tota à singulis percipitur. De sacramenti autem fractione, & eius in tres partes distributione: Primùm à sacerdote frangitur, vt nos Dominum agnoscamus in fractione panis, quemadmodum ipsum duo discipuli agnouerunt, quibus Emauntem contendentibus, Iesus eodem die apparuit, quo resurrexit. Deinde vt eo modo Christi passio nostris memorijs repræsentetur, in qua eius pretiosum corpus in crucem suffixum propter peccata nostra frangebatur, dirumpebatur dilacerabatur. Atque hæc consuetudo Apostolorum tempore fuit in sacrificio obseruata, quemadmodum Dionysius Pauli discipulus testatum reliquit:* Opertum *(inquit)* panem pontifex aperit in frusta concidens.

Luc. 24.

Hanc mysticam Theologiam antiqui cuiusquam doctoris testimonio cōprobatam oportuit.

a Falsum : In translatione vitiosa positū.

Episcopus Sarisburiensis.

HAnc causam, tam exiguè, támque ieiunè tractatam esse ab Hardingo miror, quandoquidem est eiusmodi, vt & contra Transsubstantiationem, & contra priuatam Missam nonnihil facere videatur: quæ duæ res eius, quam ille profitetur, religionis & claues sunt, & seræ. Primùm namque ipsa fractio illud demonstrare videtur, panem verum remanere, qui franga-

Senten. 4. dist. 12.

tur. Quanquam autem, sicuti Petrus Lombardus commemorat, aliqui senserunt esse in sacramento quandam materialem fractionem, etiam si in eo nihil sit, quod frangi queat: aliqui ipsum Christi corpus frangi verè quidem & reipsa, nullóque adhibito figuræ subsidio: aliqui, nihil, frangi præterquam species, & accidentia: aliqui verò nullam penitus esse fractionem, quantumuis oculi, sensúsque secus persuasum exploratúmque habeant: tamen sanctissimi Euangelistæ disertè testificantur, Christum *accepisse panem, & benedixisse, & fregisse*. Et Paulus inquit: Non accidentia panis, sed *panis, quem frangimus, est participatio corporis Christi*. In primitiua verò ecclesia, ipsa cœna Christi vulgò (non Accidentium sed) panis fractio appellabatur. Cyrillus etiam sacramenti minuta frusta, *Fragmenta panis* vocat.

Matth. 26. Luc. 22. Mar. 14. 1. Cor. 10. Actor. 2. Actor. 20. Cyril. in Ioan. lib. 4. cap. 14.

Deinde de hac ipsa ceremonia Gerardus Lorichius, partium Hardingianarum doctor, Missam quamque publicam, nullam priuatam esse debere concludit. Sic enim scribit: *Diuiditur hostia, vt nō solùm ipse sacerdos Missæ officium faciens, sed & ministri quoque, imò populus omnis astans participet.* Similiter Durandus habet: *In primitiua ecclesia sacerdos vnam partem accepit, Diaconi alteram, tertia populo præsenti ministrabatur.* Iccirco Dionysius inquit, quemadmodum Hardingus refert: *Pontifex opertum panem aperit, & in frusta concidit.* Atque hîc istuc obiter obseruabis, quòd Dionysius pontificem non species aut accidentia, sed panem in frusta cōcidisse scribit. Hanc Apostolorū memoria inualuisse traditionem fateor: eam verò hodie Romana ecclesia perrupit, funditúsque sustulit. Quare parum ea Hardingo prodest, nisi vt eius suæque ecclesiæ summam audaciam in violandis primitiuæ Dei ecclesiæ legibus ac institutis coarguat. Neque verò vllam Dionysius, aut de fractione in tres partes, aut de hisce mysticis significationibus mentionem facit: tum verba Dionysij ementitur Hardingus. Non enim habet, *In frusta concidens*, (quod de tribus, nos intelligere forsan cupit Hardingus) sed *in multa concidens*. Atque huic secandi panis ceremoniæ culter inseruiebat, qui quemadmodum è Chrysostomi seu Liturgia, seu Communione apparet, *Sacra Lancea* dicebatur. Ea enim ratione concisus erat panis, non qua vnus homo totum acciperet, sed qua toti ecclesiæ sufficere posset. Atque iccirco in epistola Clementis suppositititia cautum est, vt *Tot hostiæ, seu fragmenta præpararentur, quot vniuersæ plebi sufficerent.*

Gerard. Loric. de Missa publica proroganda. lib. 3. Durand. lib. 4. Dionys. eccle. Hierar. cap. 3.

εἰς πολλὰ διελών.

Liturgia Chrysostomi.

Clement. ep. 2.

Hæc inquam, huiusce ceremoniæ occasio extitit, non ea, quam Hardingus insulsè somniat, *vt Dominum in fractione panis agnosceremus.*

Hardingus. 2. Sectio.

IAm verò sacramenti distributio in tres partes, vel Apostolorum aliqua traditio esse, vel aliqua saltem perantiqua consuetudo videtur, quandoquidem Sergius pontifex Romanus, qui vixit intra octoginta annos post illos sexcentos, quos nobis Iuellus præscripsit, de illius fractionis mysterio, seu externæ formæ panis distributione scripsit, eiúsque significationē explicauit. Illud non exiguū est de antiquitate istius ritus testimonium, quod Basilius quemadmodum scribit Amphilochius, sacramentum in tres partes distribueret, cùm Missam celebraret, vt antè commemorauimus. Quod autem Sergius ait, partem illam, quæ in calicem inijcitur, corpus Christi, quod nunc resurrexit, significare, alteram verò, quæ accipitur, & comeditur, corpus eius, quod in terris adhuc ambulat, repræsentare, tertiam autem, quæ in altari seruatur, corpus eius in sepulchro positum designare: quid quæso in istis est, quamobrem quisquam offendatur? Fateor tamen huius rei mysterium aliter à quibusdam exponi, in eum verò finem fuisse institutum omnes consentiunt, vt nos beneficiorum admoneret, quæ nobis Christus in corpore suo acquisiuit.

Mysterium fractionis accidentium. Fabula Amphilochiana.

De consf. di. 2. can. Triforme.

Episcopus Sarisburiensis.

HArdingus per certè prudenter, quò dictis fidem faciat, arcanas hasce suas & mysticas ineptias Apostolorum inuenta fuisse prædicat. Sergius primus instituisse scribitur, vt *Agnus Dei* caneretur in fractione, & distributione mysteriorum: Mysteriorum autem hanc in tres partes fractionem ab hoc Sergio primo decretam fuisse, quantumuis id Hardingus asseueranter iactet, nemo tamen vnquam prodidit. Gratianus quidē hoc decretum Sergio Papæ tribuit, sed nec titulum, nec quicquam præterea addit. Quare vel Sergius secundus esse possit, qui *Os Porci* dictus est: vel Sergius tertius, qui Formosum decessorem suum demortuum, atque è sepulchro sublatum capite truncauit, eiúsque cadauer in Tiberim proiecit. Itaque res ista admodum dubia & incerta videtur. Verùm vt fateamur, Gratianum istuc de Sergio primo sensisse: tamen septingentis propè annis à Christo vixit. Neque multum aberremus, si dicamus, qui mysticas hasce significationes excogitauit, eum non minùs & partium numerum, & frangendi modum excogitare potuisse. Tametsi quàm eximia mysteria habere possit ista externarum formarum & accidentium fractio, quam Hardingus fingit, ipsi cogitandum relinquo. Fabulam Amphilochianam sexties in hoc libro Hardingus ad varia proposita adhibuit: atque eam tamen ineptam & stolidam esse ipse nouit. Qui plura desiderat, eam in primo Articulo, sectione 33. refutatam inueniet. Quod autem Sergius iste habet: *Triforme est corpus Christi*, qualiscunque tandem eius sententia fuerit, oratio certè inusitata est, vel potiùs monstrosa. Etenim Christi corpus vnicam duntaxat formam, ne dum tam diuersas atq; discrepātes habet. Vna harū partiū, inquit Sergius, Christū è mortuis excitatū significat: altera Christū in terris degentē: tertia Christū in sepulchro cōstitutū. Ista, inquit Hardingus sacra sunt, & mystica.

Platyna. Vrspergensis.

De conse. dist. 2. Triforme.

Quidam tamen inuenta hæc minùs probarunt: ideóque ipsi alia finxerunt. Aliqui statuerunt, Primam partem sanctos cœlestes, alteram fideles superstites, tertiam, animas in Purgatorio constitutas significare: Aliqui has tres partes triplicem Christi conditionem indicare,

Durand. lib 4. cap. 53.

indicare, mortalem, mortuam, & immortalem: aliqui tres Christi naturas substantiales innuere, Deitatem, animam, corpus: aliqui tres personas Trinitatis demonstrare, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Nec quẽquam extitisse, qui tres patriarchas, Abrahamum, Isaacum, Iacobum repræsentare diceret, miror. Itaque ipso vero frangendorum mysteriorum vsu deperdito, inanem tamen eiusdem ceremoniam retinent, quam etiam adeo dubiè norunt, vt nihil de ea statuere certi queant: nec quid, inquam, frangant, nec quamobrem frangant. Iste Sergius à Bonauentura, Durando, cæterísque omnibus dissentit: tamen Hardingo omnium maximè probatur.

Quid autem (inquit) *habet ista res incommodi? Aut quamobrem ea re quisquam offendatur?* Certè in domo Dei id detrimentum adferre videri debet, quod emolumentum nullum habet. Omnes ecclesiasticæ ceremoniæ planæ, atque acres, atque ad ædificandũ accõmodatæ esse debent. Quòd si autẽ noxia nequaquam sit ista tam mystica ceremonia, cur eam Hardingus ipse violat: idque non ignorantia, aut obliuione, sed sciens, & prudens, & quotiescunque Missam obierit. Etenim Sergius vnam è tribus partibus in altari seruandam esse statuit, donec Missa confecta fuerit. Hardingus autem & contra Sergij mandatum, & mysticis etiam suis significationibus spretis, omnes partes simul accipit, & nullam seruat, idque ex authoritate Glossæ in eum locum, quæ apertè cum textu pugnat. Quid ita simulat, itáque manifestò mundum ludit? Si hæc ceremonia laudabilis fuerit, quamobrem eam contemnit? Si vituperatione digna, quare nobis eam suadet? Coniectura, qua hic vtitur Hardingus, exilis admodum videtur: Papa Sergius hosce mysticos sensus septingentis post Apostolorum ætatem annis excogitauit: Ergo iste frangendi ritus ab Apostolis institutus fuit.

1. Cor. 14.

De conse. dist. 2. Triforme. In glosa.

Hardingus. 3. Sectio.

QVandoquidem igitur hæc consuetudo, seu mystica ceremoria, non à Sergio primùm instituta fuit, quantum quidem constet, sed ab eo duntaxat explicata, quod attinet ad eiusdem mysterium, vtpote quæ ante illius tempus vsurpata fuisset, ab initio vsque ecclesiæ, cùm nullum antiquum Concilium, nullus author inueniatur, à quo conditam fuisse liqueat, rationi consentaneum est, vt cum ea [a] *vniuersim obtinuerit, ab Apostolis introductam fuisse statuamus: idque iuxta Augustini sententiam, cuius memorabile de hac re dictum sic habet.* Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec in Conciliis constitutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum, rectissimè creditur.

[a] Falsum: non enim obtinuit vniuersim.

Denique siqua pietatis scintilla in nostris conterraneis & fratribus, quos error seduxit, reliqua fuerit, hanc vetustam sacramenti in tres partes diuidendi ceremoniam in beatissimo Missæ sacrificio adhibitam minimè irriserint, atque spreuerint, quæ non modò nullam mali occasionem præbet, sed contrà potiùs inde commouemur, & excitamur, vt nostrarum animarum salutem charam ipsi habeamus, vtq; Deo gratias agamus pro eximio nostræ redemptionis beneficio.

Episcopus Sarisburiensis.

NVlla neque in antiquo patre, neque in vetusto Concilio de hac sacramenti fractione mentio extat: Ergo (inquit Hardingus) *ab Apostolis sine dubio instituta fuit.* Immo verò contrà potiùs habet. Ita enim rectiùs conclusisset: *Nihil de ea nec in patre, nec in Concilio quoquam antiquo habetur: Ergo, ab Apostolis non manauit.* Quod autem vniuersim fuisse obseruatam ait, vehementer falsum est: quemadmodum, Deo fauente, planum fiet. Itaque Augustini lex ad hanc causam minimè pertinet.

Primùm enim, cùm in modo & ratione frangendi, tum in ipsa panis magnitudine fallitur Hardingus, quam ille placentam quandam fuisse tenuissimam, & orbicularem fingit, qualis in Romana ecclesia adhiberi nunc solet: *Quæ* (Durandus inquit) *rotunda esse debet instar denarioli: vel quòd Iudas Christum proderet propter aliquod numismatis genus eiusmodi: vel quia scriptum est, Domini est terra, & plenitudo eius.* Reuera autem panis quidam grandis fuit, ea & amplitudine, & crassitudine, vt toti ecclesiæ sufficeret. Durandus ipse habet: *In primitiua ecclesia offerebant vnum magnum panem, & omnibus sufficientem: quod adhuc Græci seruare dicuntur.* In Chrysostomi Liturgia, seu Communione, & formam panis, & eiusdem secandi seu concidendi cultro rationem expressam videmus: quem Gentianus Heruetus descripsit hoc modo: *Est panis crassus & fermentatus, & figura propemodum sphærica.* Ex Gregorio constat magnum panem fuisse, qualem in mensis apponere solebant, idque inde etiam apparet, quòd hæretici, quos Artotyritas nuncupabant, pani caseũ admiscerent: atque communionem in pane, & caseo administrarent. Paulinus huiusmodi panem Augustino mittens, hanc vnà gratulationem misit: *Panem vnum, quem vnanimitatis indicio misimus charitati tuæ, rogamus, vt accipiendo benedicas.* Huc etiam forsan spectauit Ignatius, cum diceret: *Vnus est panis pro omnibus fractus:* & Basilius: *Idem est virtute, siue vnam partem quis accipiat à Sacerdote, siue plures partes simul.* Cùm ista vocabula, *Partem,* & *partes* ponit, vnum totum cogitasse videatur. Durandus scribit, suo tempore sacerdotem in aliquibus ecclesiis sacramento in tres partes diuiso, ipsum vnam accepisse, alteras verò duas Diacono, & Subdiacono præbuisse. Id ipsum quoque Alexander Halesius tradit, alijque permulti. Ista omnia Hardingus dissimulat, atque præterit, nec quicquam aliud videt, quàm mysticam quandam, & obscuram ceremoniam. Quare cùm panis iste ita latus, ita crassus, ita grandis esset, vt tam multis sufficere posset, sacrificus eundem commodè distribuere in tres partes, eásque deinceps omnes vnus accipere vix profectò potuisse videatur. Immo ipsa eiusdem fractio, sicuti priùs attigi, cùm sacrosanctæ communionis necessariam de-

Durand. lib. 4. in sexta parte canonis.

Durand. lib. 4. cap. 53.

Liturgia Chrysostomi.

Gentian. Heru. in S. Germani rerum Eccl. Theoria.

Grego. dialog. lib. 4.

Aug. ad Quod vult deum.

Epiphanius. Inter epi. August. epi. 31. Igna. ad Phila. Basil. ad Cæsariam patritiam Durand. lib. 4. cap. 15.

Alexand. de Hales in 4. q. 37.

monstratione habet, tum priuatam Hardingi Missam funditus euertit. Non enim in partes distributus fuit, quò hasce mysticas cogitationes designaret, quas Hardingus, aliíque finxerunt: sed vt populo distribueretur, atque traderetur. Clemens Alexandrinus inquit: *Etiam Eucharistiam, cùm quidam, vt mos est, diuiserint, permittunt vnicuique ex populo partem eius sumere.* Sic Augustinus, *Ad distribuendum comminuitur.* Rursus: *Confringunt oblationes in Eucharistiam* (vt populus communicet.) Sic Dionysius: *Velatum panem in multa concidens, & vnitatem Calicis omnibus impertiens.* In Basilij Liturgia è Syriaco sermone conuersa, ad hunc modum habetur: *Sacerdos frangit, & signat: Diaconus proclamat Communionem.* Quid autem opus est tam multis testimoniis? D. Paulus inquit: *Panis quẽ frangimus, nõnne communicatio corporis Christi est?* Quæ verba sic exponit Anselmus: *Panis quem nos sacerdotes frangimus, & quem vnum in multas partes diuidimus, ad designandam charitatem accipientiũ.* Similiter Lorichius: *Panis quem frangimus participatio Domini est, hoc est, Fractio significat nos esse vnum corpus.* Ex his sacramentum in partes, non quò noua quædam, nescio quæ mysteria indicaret, sed quò populus communicaret, diuisum fuisse liquet.

Clem. Alexan. stromat. lib. 1. Aug. ad Pauli. Apist. 59. Aug. ad Quod vult deum. De Ophitis. Dionys. eccle. Hierar. cap. 3. Liturgia Basil. 1. Cor. 10. Anselmus. in 1. Cor. 10. Loric. de Missa. pub. prorog. li. 30.

Postremò, ista sacramenti sic distribuendi, sicque accipiendi ceremonia, neque è scripturis comprobari, neque vetusti cuiusquam patris, Conciliíue testimonio confirmari potest: Trãssubstantiationi atque priuatæ Missæ aduersatur: Primarij eiusdem defensores, neque vnde primùm fluxerit, nec quid significet, intelligunt: Eam populus neque videt, neque nouit: qui tantopere eam probare videntur, hi ipsi contra Sergij tum sanctionem, tum mysticam interpretationem, eandem in Missis suis indies & manifestò violare minimè dubitant. Tuum nunc est, Christiane Lector, rebus hisce consideratis iudicare, Hardingus ne, an sui conterranei decipiantur. Augustinus certè habet: *Si vix aut omnino nunquam inueniri possint causæ, quas in huiusmodi ritibus instituendis homines sequuti fuerint: vbi facultas tribuitur, sine vlla dubitatione resecanda existimo.*

Aug. ad Ianua. epist. 119.

FINIS.

DE FIGVRA, SIGNO, &c.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

Episcopus Sarisburiensis.

VEl qui sacramentum, Figuram, Pignus, Signum, aut commemorationem corporis Christi appellasset, hæreticum fuisse eo nomine iudicatum.

Hardingus. 1. Sectio.

IN isto Articulo nobis cùm Iuello quadã ex parte conuenit. Confitemur enim neque ex scripturis, neque ex antiquo Concilio aut patre, neque ex vllo ecclesiæ primitiuæ exemplo euinci posse eum pro hæretico damnatum fuisse, qui sacramentum esse figuram, pignus, signum, aut memoriam corporis Christi dixisset. [a] *Nullus vnquam literis, vel leuiter imbutus, tam indoctè scripsit. Multò minùs hæreseos quenquam, qui sic diceret, damnare vllum fuit è summis mysteriis, aut præcipuis nostræ religionis clauibus, quam falsi notam conatur Iuellus veritati inurere. Hunc igitur Articulum vel odio ecclesiæ, vel inscitia, vel cumuli adaugendi studio, quod copia meliori careret, addidisse videtur. In veterũ doctissimorum patrum monumentis peruoluendis deprehendimus, eos sæpenumero sacramentum in suis elegantibus linguis Figuram, Symbolum, Signum, Mysterium, Exemplar,* ἀντίτυπον *appellare: quibus nihil quidem de corporis Christi in sacramento veritate detrahere, sed arcanam eius in illo præsentiam significare voluerunt.*

a Falsum: Collegæ enim Hardingiani ita & docuerunt, & scripserunt: ideoque indoctè.

Episcopus Sarisburiensis.

ISTORVM hominum disciplinam leuam admodum & mutabilem esse cõstat. Etsi enim ista vocabula, Figura, Signum, Significatio, Symbolum, nunc quidem æquiùs ferant, fuit tamen tempus, cùm secus sentire viderentur: séque Theophylacti, Damasceni, Euthymij testimoniis, atque argumentis præterea maximis fretos eodem reprobare posse confiderent. Doctor Tunstallus, quò causam hanc magis inuidiosam faceret, sic inquit: *Si sacramentum sit figura corporis Christi, tum figura pro nobis crucifixa fuit, non Christus.* Quicunque autem extiterint, qui hoc nomine, *Figura,* in ista causa vsi fuerint, eos Stephanus Gardinerus per ludibrium *Figuratores,* nuncupat. Ioannes autem VVhitus primùm ludimagister, pòst Episcopus VVintoniensis illum grauissimum doctissimúmque patrem D. Petrum Martyrem sic illusit, de eadem re scribens:

Cuth. Tunstal. de Euch. lib. 1.

Marcus Constantius.

Audio mille locis corpus:non audio(Petre)
Signa,Tropósque tuo,nec Symbola nata cerebro.

Quæ tamen verba in omnibus antiquis patribus,vel Hardingo ipso cõfitente audire potuisset, si aures, quibus audiret, habuisset.Quare neque malitia, neque ignorantia,neque ad augendi cumuli cupiditate,neque vlla criminum inopia,sed peruersitate ac fatuitate istorum hominum factũ est,vt hic Articulus reliquis adiungeretur.

Quandoquidem autem nonnulli, vel simplicitate quadam inducti,vel summa, qua sacra mysteria complectuntur,reuerentia illecti sibi persuaserunt, Christi verba quibus eiusdem institutio continetur,simpliciter, & iuxta pondus suum, hoc est,sine figura,accipi necessariò debere: quandoquidem etiam Augustinus habet: *Ea demum est miserabilis animæ seruitus, signa pro rebus accipere:* Iccirco vt distinctè rem explicemus, & imperitum lectorem errore liberemus, breuiter, & apertè,quod prisci doctissimi patres ista de re scripserint exponere necessarium iudico.

Augu. de doct. Christia lib.3. cap.5.

Atque vt prætermittam,quod Christus ipse dicit: *Hoc facite in mei commemorationem:* Et quod Paulus habet: *Mortem Domini annunciabitis, vsque quò venerit:* vtque alias præterea multas circunstantias taceam,è quibus huiusce causæ certa ratio perspiciatur, Sacramenti natura, atque vis sic ab antiquis patribus definitur:*Sacramentum est sacrum signum.* Quæ definitio vniuersalis est,sacramentísque omnibus peræquè conuenit.Proinde Augustinus inquit: *Signa, cùm ad res diuinas pertinent, sacramenta appellantur.*

1. Cor.11.

De conf. dist. 2. Sacrificium. Aug.de Ciuit. cap.5. Aug. ad Marcel. epist 5.

Causa autem,ob quam instituta sunt Sacramenta, hæc est: vt per istas aspectabiles atque externas naturas, ad rerum cœlestium contemplationem perducamur. Propterea Dionysius habet: *Non est possibile animo nostro ad immaterialem illam ascendere cœlestium Hierarchiarum contemplationem, nisi ea,quæ secundùm ipsum est materiali manuductione vtatur.* Rursus similiter: *Nos imaginibus sensibilibus quantum fieri potest,ad cœlestes contemplationes adducimur.*

Diony cœlest. Hierar.cap.1. Dionys. eccle. Hierar.cap.1. αἰσθητῖς εἰκόσι.

Istuc autem sacrosanctum corporis & sanguinis Christi mysterium iccirco sancitum, atque ecclesiæ commendatum fuisse Chrysostomus scribit, vt nos perpetuam, & beneficij Christi, & salutis nostræ memoriam conseruaremus. Quod etiam Hieronymus declarat hoc modo: *Vltimam nobis memoriam reliquit. Vt si quis peregrè proficiscens aliquod pignus apud eum quem diligit, relinquat, vt quoties illud viderit, possit eius beneficia, & amicitiam memorare: quod ille, si perfectè dilexit, non potest videre sine ingenti dolore, & sine fletu.* Sic Basilius habet: *Quid vtilitatis habent hæc verba? Nempe, vt edentes, & bibentes, perpetuò memores simus eius, qui pro nobis mortuus est, ac resurrexit.* Sic Ambrosius: *Quia morte Domini liberati sumus, huius rei memores, in edendo & potando carnem & sanguinem, quæ pro nobis oblata sunt, significamus.* Origenes scribens in hæc verba Christi, *Nisi comederitis carnem filij hominis,&c.* sic habet: *Agnoscite figuras esse, quæ in diuinis voluminibus scriptæ sunt:& ideò tanquam spirituales,& non tanquam carnales examinate,& intelligite ea,quæ dicuntur. Nam si quasi carnales ista suscipitis, lædunt vos, non alunt.* Tertullianus Christi verba sic interpretatur: *Hoc est corpus meum: hoc est figura corporis mei.* Ambrosius, quando de sacramento corporis Christi sermonem habet, illud figuram similitudinem, signum, symbolum corporis Christi nuncupat. Augustinus,vt alia loca innumera præterea, habet: *Christus adhibuit Iudam ad conuiuium, in quo corporis sui figuram discipulis suis commendauit.* Aduersus Adimantum autem hæreticum scribens, ait: *Non dubitauit Dominus dicere, Hoc est corpus meum, cùm daret signum corporis sui.* Sic Chrysostomus: *Si mortuus Christus non est:cuius symbolum ac signum hoc sacramentum est?* Sic Hieronymus: *In typo sanguinis sui,non obtulit aquam, sed vinum.*

Ad populum Antioc. ho.61. *Hoc facite in memoriam beneficii mei salutis vestræ.* Hierony.in 1. Cor.cap.11. Basil.de bapt. Ambro.in 1. Cor. cap.11. Orig.in Leuit. hom.7. Tertul. contra Marcion. lib.4. Ambr. de sacr. lib.4.cap.5. Aug.in Psal.3. Augus.contra Adiman.cap 12. Chrys.in Mat. hom.83. Hier. aduersus Iouinia.lib.2.

Alia huiusmodi testimonia innumerabilia prætermitto. Ex his facilè licet de cæteris coniecturam facere.Hæc veterum patrum ratio scribendi fuit: neque tamen eos tunc quisquam hoc nomine exagitauit,aut *figuratores* appellauit.

Hardingus. 2. Sectio.

De conse. dist. 2.can. Hoc est quod dicimus.

AD faciliorem autem intelligentiã istiusmodi locorum,in quibus hæc vocabula ad Sacramentum accõmodantur,id vehementer facit,quod Augustinus docet, In sẽtẽtiis Prosperi:hoc est (*inquit*)quod dicimus,quod omnibus modis approbare contendimus sacrificiũ ecclesiæ duobus confici,duobus constare,visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne, & sanguine: Sacramento,(id est,externo sacro signo)& re sacramenti,id est,corpore Christi,&c.*Ex his intelligimus hoc verbum,Sacramentum,duobus modis à patribus accipi. Primùm pro vniuersa sacramenti substantia, prout tum formis externis constat, tum etiam vero corpore Christi, quod verè adest, quemadmodum Augustinus ecclesiæ sacrificium* [a] *his duabus rebus contineri affirmat. Deinde sic accipitur, vti ab illa abdita,& diuina re sacramenti distinguitur,hoc est,pro externis solummodo formis, quæ sacrum signum sunt veri corporis Christi sub ipsis comprehensi.Vnde colligere debemus, quòd quandocunque patres hoc præstantissimum sacramentum Figuram, vel signum appellant,* [b] *nihil aliud velle, & significare intelligantur, quàm illas externas formas, non ipsum Christi corpus, quod illic præsens est, non Typicè aut Figuratiuè, sed Realiter, & substantialiter: ni quando fortè non ipsum corpus præsens, sed ipsius præsentiæ modus spectatur,sicuti interdum vsu venit.*

a Falsum: Augustinus hoc nũquam affirmauit.

b Falsum: nullus enim eruditus pater externas formas sacramentum vnquam appellauit. Ipsum Christi corpus est figura.

*Hoc modo interpretandus est Basilius, quando in Liturgia sua Sacramentum,*Antitypon,*id est,Exẽplar, seu Figuram vocat, ídque post consecrationem, quemadmodum in libris, qui nunc extant habetur. Eodem modo intelligendus est Eustachius, ille eximius pater Græcæ Ecclesiæ, qui fidem Catholicam tanta*

virtute, & constantia, contra Arianos defendit, citatus ab Epiphanio in 7. Synodo. Quanquam Basilij locum illum Damascenus, & Eutymius, tum etiam Epiphanius in 2. Niceno Concilio, Act. 6. & Marcus Ephesius, qui Florentino Concilio interfuit, ita intelligendum esse ante consecrationem censent. [a] *Sic Ambrosius etiam interpretandus est, quando Figuram corporis & sanguinis Dominici esse sacramentum dicit. Lib. 4. de Sacramentis cap. 5.*

a Falsum: Ambrosius enim ait: *Post consecrationem corpus Christi significatur.*

Lib. 4. cap. 14. in cap. 26. Matth.

Episcopus Sarisburiensis.

ETsi nomina ista, *Figura, signum, symbolum*, cæteráque eiusmodi agnoscit tandem probátque Hardingus, tamen suam quandam interpretationem adhibet, qualem nusquam, credo, possit, in antiquo quoquam patre reperire. Itaque eiusmodi sit figura necesse est, non quali veteres doctores, & eruditi patres aliquando vsi sunt, sed qualem Hardingus facillimè possit comminisci: nec veterum igitur Doctorum, sed noua erit Hardingiana figura. Tertullianus quidem ait: *Hæretici nudas voces coniecturis, quò volunt, rapiunt.* His exceptionibus sceleratissimus ille Nestorius Christum esse Deum se haud grauatè confessus est: attamen sua peruersa interpretatione Christi deitatem sustulit. Sic enim aiebat: *Non inuideo Christo diuinitatem suam: hoc & ego fieri possum, si volo.* Pelagiani hæretici, etiamsi diuinæ gratiæ hostes essent, argumentatione tamen disputationéque victi concesserunt, & Dei gratiam agnouerunt. Sed eam tamen excogitarunt cômentitiam expositionẽ, qua ad extremum gratiam omnem antiquarunt. Similiter Hardingus etsi Figuræ nomen inuitus confiteri cogitur, eos tamen illi fucos obducit, atque oblinit, vt nullam reuera figuram relinquat. Aliquando corporis Christi arcano quodam modo præsentis figuram esse dicit: aliquando figura est vitæ futuræ: aliquando panis communis est figura: aliquando Accidens, externáque forma panis est figura: aliquando corpus Christi inuisibile figura est visibilis Christi corporis: Hæc omnia Hardingus. Aliquando etiam ecclesiæ figura est. Sic enim Hosius inquit: *Sacramenta nostra sunt quodammodo per figuram ipsum corpus Christi, cuius sacramenta sunt, id est, Ecclesia.* Tot modis isti homines nouum quoddam figuræ genus indagarunt, quod nec Grammaticus, nec Rhetor, nec Theologus quisquam nouit. *Significat*, nihil aliud est, inquit Hardingus, quàm *Continet: Figura est*, id est, *Res ipsa est: Figura est*, hoc est, ad extremum, *Figura non est.* Neque tamen possunt vniuersæ hæ figuræ vni duntaxat figuræ satisfacere. Veritas certa semper simplexque est: falsitas contrà dubia est, & fallax.

Tertul. contra Marcion. lib. 4.

Cyril. lib. 5. cap. 14.

Aug. ad Inno. lib. 95.

In confess. Petricoui. cap. 39.

Quantò istis satius foret, ita loqui, ac veteres eruditione excellenti patres loquuti sunt? Augustinus habet: *De signis disserens hoc dico, ne quis in eis attendat quòd sunt, sed potiùs quòd signa sunt, hoc est, quòd significant.* Rursus habet: *Cauendum est, ne figuratam orationem ad literam accipias. Ad hoc pertinet, quod Apostolus ait, Litera occidit.* Hieronymus habet: *Quando dico Tropicam loquutionem, doceo, verum non esse, quod dicitur, sed Allegoriæ nubilo figuratum.* Similiter Chrysostomus: *Non alienum esse oportet Typum à veritate: alioqui non esset Typus. Neque omnino adæquari veritati: alioqui & veritas ipsa foret.* Hisce rebus consideratis facilè intelligitur, quàm fideliter, quámque ad causam aptè hunc Augustini locum adduxerit Hardingus: *Hoc est quod dicimus, quod omnibus modis approbare contendimus, sacrificium ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine, sacremento, (id est, externo sacro signo) & re sacramenti, id est, corpore Christi.* Hinc Hardingus latere sub Accidentibus corpus Christi colligit. Augustini verba vera sunt: Hardingus autem suis coniecturis fallitur. Ex hoc enim verbo, *Specie*, panis substantiam euanuisse, & nihil præter quam accidentia remanere: ex eo autem vocabulo, *Inuisibili*, inclusum in eo reipsa esse Christi corpus concludit. Atque ita commentarium à textu longè discrepantem inducit.

Augu. de doct. Christ. li. 2. c. 1.

Augu. de doct. Christ. li. 3. c. 5.

Hier. in apologia contra Rufi.

Chrysost. in dictum Apostoli. *Patres nostri omnes, &c.* vlt. tomo.

De consf. d st. 2. Hoc est.

Quid autem dixisset, si ista Hieronymi verba vidisset, *Venit Philippus: Ostendit ei Iesum, qui clausus latebat in litera:* aut hæc verba, quæ in secundo Niceno Concilio habentur: *Christus ipse habitat in ossibus mortuorum:* aut hæc Angelomi: *Deus pater filium suum vnigenitum in litera legis: Iudæis nescientibus absconditum habuit?* Num ex istis verbis Christum realiter esse reconditum vel in mortuorum ossibus, vel in propheta Esaia, vel in litera legis concluderet? Certè Augustinus neque hîc neque alibi verbum facit, vel de Accidentibus absque subiecto, vel de reali aliqua præsentia. Quanquam eius hoc in loco verba non admodum obscura sunt, tamen aliis in locis & crebrò, & perspicuè se ipse interpretatur. Sic enim ait: *Mysteria omnia interioribus oculis videnda sunt, id est, spiritualiter.* Iterum: *In sacramentis aliud videtur, aliud intelligitur.* Sic Chrysostomus de aqua Baptismi habet: *Ego non aspectu iudico ea, quæ videntur.* Sic etiam Origenes: *Bene Circuncisionem signum appellauit, quia & in ipsa aliud videbatur, aliud intelligebatur.*

Hieronym ad Paulinum.

Concil. Nicen. 2. actio. 3.

Angelom. in 1. Regum. cap. 22.

Augu. in Ioan. tract. 46.

Augu. citatur à Beda. 1. Cor. 10.

Chrysostom. in 1. Cor. hom. 7.

Orig. in epist. ad Roma. li. 4. cap. 4.

Itaque in Sacramentis aliud oculo, aliud animo videmus: corporis oculo panem, mentis acie corpus Christi aspicimus. Sic duabus partibus constat Sacramentum, quarum altera ob oculos est, altera in cœlo est: denique altera aspectabilis est, altera nequaquam. Sic inquit Augustinus: *Non oportet esse contentum superficie literæ, ad intelligentiam peruenire.* Non tamen scripturarum intelligentiam in literam reipsa esse abditam vult Augustinus. Suam ipse sententiam rectiùs exponit: *In veteri Testamento occultabatur nouum, quia occultè significabatur.*

August. contra aduers. leg. & prophet. lib. 2. cap. 5.

Augu. de bapt. contra Donat. lib. 1. cap. 15.

Iam coniecturarum, quas collegit Hardingus, causas, & rationes videamus: *Augustinus meminit visibilem speciem elementorum: Ergo, Accidentia tantùm externásque panis & vini formas intelligit, non substantiam*, inquit Hardingus. Istius argumentationis inepta conclusio inde existit,

quòd

quòd verborum pondera non rectè expenduntur. Etenim Augustinus isto in loco per verbum hoc, *Species*, non externam duntaxat, & accidentariam quandam imaginem, sed veram ipsius rei substantiam significat. Sic Ambrosius bis eodem in loco posuit: *Sermo Dei species mutat elementorum.* Rursus etiam: *Ante benedictionẽ alia species nominatur.* In istis aliísque huiusmodi locis, non facilè dixerit Hardingus speciem pro Accidente, seu externa forma vsurpari.

Ambros. de iis qui initiantur cap. 9.

Neque verò illud vocabulum, *Visibile*, huiusmodi aliquam externam formam euincit, qualem hîc fingit Hardingus: sed Christi corpus, quod est in cœlis, quódque non corporis nostri, sed fidei tantùm oculi aspiciunt, duntaxat remouet. Sic autem aqua in Baptismo appellatur *Forma visibilis*, iuxta vniuersalem sacramentorum definitionem. Sic Augustinus inquit: *Aliud Iudæi habebant, aliud nos: sed specie visibili, quod tamen idem significaret.* Alibi etiam habet: *Quod videtur, speciem habet corporalem: quod intelligitur, fructum habet spiritualem.* Atque hoc est, quod Chrysostomus habet de sacramento baptismatis: *Christus in sensibilibus intelligibilia nobis tradidit.*

August. in Ioan. tract. 26. August. citatur à Beda. 1. Cor. 10. Chrys. in Matt. hom. 83.

Ex his cùm insulsum Hardingi errorem perspicimus, tum quid sit, quando vetusti sanctíque patres Christi corpus *Inuisibile* dicant, intelligimus: nempe quod illud nos in cœlo constitutum, fidei, mentis, intelligentiæque nostræ oculis videamus. Neq; debet Hardingus ex isto verbo *Inuisibili*, sic concludere, quemadmodũ videtur: *Christi corpus est inuisibile: Ergo Accidentibus includitur, & tegitur.* Ambrosius enim simili dicendi genere de baptismo dixit: *Sacri fontis vnda nos abluit: Sanguis Domini nos redemit. Alterum igitur inuisibile, alterum visibile testimonium sacramento consequimur spirituali.* Hîc Ambrosius Christi sanguinem in baptismo inuisibilem esse scribit. Non tamen inde Christi sanguinem aquæ accidentibus, & formis occultari atque obduci concluditur. Sic Origenes ait: *Baptismus Ioannis videbatur: Christi baptismus est inuisibilis.*

Ambro. de spiritu sancto. lib. 3.

Orig. in Luc. hom. 24.

Quanquam autem hæc cuiuis, qui modò cernere aliquid potest, manifesta, & clara sunt, quò tamen istorum effugiorum misera futilitas penitus cognoscatur, ostendat Hardingus nobis, qua in re, & quo pacto, nuda formarum accidentiúmque species sacramentum corporis Christi esse possit. Sic enim dicit, atque sæpius repetit, in eóque istius causæ firmamentum, ac fundamentum constituit.

Signum, seu significatio huius sacramenti quemadmodum Cyprianus inquit, *In reficiendo, & alendo* consistit. Sic RabanusMaurus habet: *Quia panis corporis cor confirmat, ideo illi congruenter corpus Christi nuncupatur: Et quia vinum sanguinem operatur in carne, ideo illud ad sanguinem Christi refertur.* Similiter, quandoquidem aqua corporis fœditatem, sordésque eluit: propterea, sicuti Gregorius Nyssenus ait: *Aqua subseruit ad ostendendam purgationem.*

Cypri. de cœna Domini. Raban. Maurus lib. 1. cap. 31. Greg. Nyssen. de sancto bap. Marcus Antonius Constantius ad obiect. 66.

Iam autem, etsi nihil ferè tam est dictu absurdum, quod à se alienum esse putet Hardingus, istuc tamen minimè, credo, dixerit, corpora nostra formis & accidentibus sustentari. Sin ita verò dixerit, vti quidem dicere cogitur, vel Physicus philosophus eius stupiditatem redarguerit. Philosophus enim ait, & est verissimum, *Ex iisdem nutrimur, & sumus.* Quare si corporis nostri substantiam accidentibus nutriri defenderit Hardingus, tum etiam corporis substantiam ex accidentibus constare dixerit, necesse est. Ex hoc poterimus ad hunc modum argumentari: Accidentia, seu species panis & vini, non alunt corpora nostra, quemadmodum animas nostras corpus Christi nutrit: Ergo, accidentia speciésque panis & vini non sunt sacramenta corporis Christi. Contrà autem Cyprianus, Irenæus, Rabanus, aliique prisci patres panis substantiam nutrire corpora nostra affirmant: Ergo, panis substantia est sacramentum corporis Christi.

Cypri. de cœna Domini. Irenæ. lib. 4. cap 34. Raban Maurus lib. 1: cap. 31.

Deinde cum hoc tam infirmo loco consistat Hardingus, in multa grauissima incommoda incidat est necesse. Etenim si species atque accidentia sunt sacramẽtum, tum quandoquidem multa sunt in eodem pane accidentia, veluti album, rotundum, latũ, dulce, &c. & singula accidentia, singula sunt sacramenta, nihil reperire potest, quo se defendat, quin pro vno sacramento multa constituat sacramenta, dúmque vnam figuram vitat, multas inducat. Quod attinet ad Basilium, confiteri videtur Hardingus, eius libros perturbatos, & confusos esse: illúdque nunc post consecrationem poni, quod ante olim fuerat: neque tamẽ huius facinoris authorem indicat: Ipsi, ni fallor, libros corruperunt, adulterarúntque suos.

At Basilius sacramẽtum, Ἀντίτυπον, hoc est, Exemplar, Signum, seu Symbolum corporis Christi, ante consecrationem vocat: atque hoc modo Damascenus, Euthymius, & quidam Epiphanius, Marcúsque Ephesius, authores recentes illud sunt interpretati. Hîc hominũ istorum peruersitatem ac proteruitatẽ animaduerte, Lector. Ne cum antiquis, & catholicis patribus fateantur, sacramentũ esse figuram corporis Christi, non dubitant affirmare antè sacramentũ esse, quàm sacramentũ fuerit: atq; ita figuram priùs esse, quàm figura extiterit. Quî enim sacramẽtum esse sacramentum possit, aut quid nudus panis significet ante consecrationẽ? quísue instituit, aut sanxit, vt ita significaret?

Verùm, vt nouos istos Hardingi mysticos Doctores, cum suis arcanis interpretationibus mittamus, Ambrosius suo tempore hæreticum esse minimè duxit ita scribere: *Ante consecrationem alia species nominatur: post consecrationem corpus Christi significatur.* Rursum, Non ante consecrationem, sed *in edendo, potando, & corpus & sanguinem Christi, quæ pro nobis oblata sunt, significamus.*

Ambrof. de iis qui initiantur. cap. 9. Ambrof. in 1. Cor. 11.

Itaque veteres patres sacramentum signum, seu figuram corporis Christi postquam consecraretur, nuncuparunt. Ante consecrationem autem, neque sic vnquam appellarunt, quantumuis recentes doctores secus senserint, neque causa vlla fuit, quamobrem ita vocarent. Tamen haudquaquam propterea pro sacramentariis, falsæúe doctrinæ magistris habiti fuerunt.

Hardingus. 3. Sectio.

QVòd si autem cuiquam nouum videatur, quòd Basilius sacra mysteria, post consecrationem Antitypa vocet, is sciat hunc eruditum patrem, eo verbo magnum illius mysterij arcanum significare, atque distinctam rerum præsentiam à rebus futuris conditionem declarare. Atque istuc spectasse videtur ecclesia, quæ in publicis precibus post sacra mysteria accepta, hanc humilem petitionem facit, Vt quæ nunc in specie gerimus, certa rerum veritate capiamus. *Neque tamen quicquam habent ista verba, quod contra veritatem præsentiæ corporis Christi in sacramento valere videatur: sed certissimam eiusdem veritatem significant, ac demonstrant, quæ tum futura est, quando externa omni forma, effigie, specie, figura, exemplari, & velo remotis, Dei ipsius aspectu coràm fruemur, non tanquam per speculum, sed sic, vt est in veritate maiestatis suæ. Itaque verbum hoc,* Antitypon, *sic vsurpatum à Basilio, sacramentariorum falsam doctrinam, qua præsentiæ corporis Christi in sacramento veritatem tollunt, nihil adiuuat.*

Christi corpus est figura vitæ futuræ. Ex Portiforio dũtaxat probatur.

Sabbat. 4. temporum mensis Septemb.

Episcopus Sarisburiensis.

HArdingus ne deprehenderetur metu, varias subinde formas atque imagines induit, quemadmodum illum vaferrimum Proteum solitum olim fuisse fingunt Poetæ. Ad cætera accedit noua inuenta eius, quod Christi corpus vitæ futuræ figuram esse comminiscitur: ídque ex Portiforio duntaxat suo, nec vllo præterea testimonio confirmat. Quòd si verò nouam istam interpretationem excutere liberet, vnde eam Hardingus tam certam, & exploratam habet? Qua Scriptura, quo Doctore, quo Concilio, quo testimonio fretus ita statuit? Certè naturale Christi corpus, quod nunc immortale est, & gloriosum, signum & symbolum esse rerum futurarum, nouum admodum & mirum sit: nudas autem formas, atque accidentia id significare, hoc verò multò quidem mirum magis videatur.

Precatio quam ecclesia facit, laudabilis est, ac pia, eiúsque sententia multum habet consolationis: nimirum, vt velis vmbrísque omnibus sublatis, ad gloriæ thronum tandem aspiremus, Deúmque coràm contueamur. Etenim in ista quidem vita multis rebus deficimur, & vt Paulus inquit, *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus: quando autem aduenerit, quod perfectum est, tum quod ex parte est abolebitur.* Proinde Augustinus habet: *Vita est Christus, qui habitat in cordibus nostris: interim per fidem: pòst etiam per speciẽ.* Sic Ambrosius: *Vmbra in lege: Imago in euangelio: veritas in cœlestibus.* Sic Basilius: *Nunc iustus bibit aquam viuentem, & posthac abundantiùs bibet, quando adscribetur in ciuitatem Dei: sed nunc in speculo, & in ænigmate, per modicam comprehensionem rerum cœlestium: tunc autem flumen vniuersum recipiet.* Hoc illud est, quod ecclesia precibus exposcit, vt omni imbecillitate deposita, corpora nostra caduca glorioso Christi corpori conformatione quadam similia fiant.

1. Cor. 13. August. epist. 120. Ambrosius in Psal. 38. Basil. in Psal. 45.

Ex his ita concludere videtur Hardingus: *Nos Deum palam aspecturi sumus: Ergo, Christi corpus realiter adest in sacramento.* Aut ita: *Deum visuri sumus coràm: Ergo sacramentum non Christi corpus, sed futuram vitam significat.* Huiuscemodi argumentis vniuersam Sacramentariorum falsam doctrinam profligat, ac prosternit Hardingus.

Hardingus. 4. Sectio.

QVandoquidem autem aduersarij nostri imperitorum hominum, simplicitate multùm abutentes, eis persuadere conantur, quòd iuxta veterum patrum sententiam ac doctrinam, sacramentum [a] *nihil aliud sit, quàm Figura, Signum, Typus, aut Symbolum, nec verum ipsúmque Christi corpus contineat, eóque illorum quædam testimonia istis vocabulis expressa adducunt: operæpretium sentio aliquot ex præcipuis hisce locis recitare, atque tum istorum hominum in illis adhibendis falsitatem coarguere, tum planum facere ipsos patres quod ad præsentiæ in sacramento veritatem attinet, suis temporibus eandem fidem docuisse, quæ nunc in Catholica ecclesia defenditur.*

Sanctus Ephremus in libro quodam, quem ad eos scripsit, qui filij Dei naturam humana ratione scrutari conarentur, sic habet: Inspice diligenter, quomodo sumens in manibus panem, benedicit, ac frangit in figura immaculati corporis sui, calicémque in figura pretiosi sanguinis sui benedicit, & tribuit, discipulis suis.[b] *Hisce verbis sacramentum haud aliter distribui, diuidi, seu frangi demonstrat, quàm in externis formis, quæ sunt figura corporis Christi præsentis, atque sub illis comprehensi. Quod corpus quandoquidem nunc gloriosum est, non ampliùs frangitur aut diuiditur, sed & impartibile est, & impassibile, fractóque sacramento in qualibet portione integrum perfectúmque remanet.*

a Falsum: cum calumnia coniunctum. Alterum horum nunquam à nobis defésũ fuit: alterumnunquã hactenus ab aduersariis probatum.

Sumit panem: benedicit: frangit.

b Falsum: cum authoris in cõsiderata deprauationeconiunctum.

Cap. 5.

Episcopus Sarisburiensis.

SI nos hominum simplicitate abutamur, quod apertè simpliciterque veterum patrum dicta repetamus, tum in ipsos etiam patres crimen istud recidit: cùm quòd ij ipsi hæc eadem verba primi omnium enunciarint, tum etiam imprimis, quòd ea nunquam nouis istis Hardingianis interpretationibus inflexerint.

Quòd si autem istius fraudis nos meritò simus accusandi, qui voces easdem retinemus, quibus vetusti & Catholici patres tanto ante tempore vti consueuerunt, qui tum de Hardingo iudicemus, qui sua solius verba affert, quíque sanctorum Patrum sic torquet, adulterátque verba, atque ita nouo quodam more interpretatur, vt nihil minùs, quàm patrum esse verba videantur. Gelasius ait: *In sacramento remanet panis, & vini substantia:* Hoc est, inquit Hardingus, panis & vini accidentia rema-

Gelasius contra Eutychem.

remanent. Irenæus, & Iustinus Martyr, *Panem eucharisticum carnis nostræ substantiam augere scribunt*: Id autem volunt, inquit Hardingus, accidentibus panis substantiam carnis nostræ augeri. Ambrosius habet: *Post consecrationem corpus Christi significatur.* Hardingus contrà, Nequaquam inquit: sed post consecrationem vita futura significatur. Tu nunc, Lector, vter nostrûm vulgi simplicitate magis abutatur, existimato.

Irenæus lib. 5. Iustin. Martyr. apolog. 2. Ambrof. de iis, qui initiantur, cap. 9.

Nunc, quemadmodum hunc bonum & priscum patrem Ephremum accipiat tractétque Hardingus videamus. Hoc loco re quidem vera tenebras in lucem, lucémque in tenebras conuertit. Ephremi námque verba ita sunt clara, vt nihil illustrius dici fingiue possit.

Christus panem accepit, & benedixit, & fregit in figuram, seu vt ipse Christus loquitur, in memoriam sui sanctissimi & purissimi corporis. Hardingus autē interpretationem quandā ita peruersam, atque pertinacem adhibet, quasi ei integrum esset quiduis fingere, atque comminisci, Ephremus sic inquit, *Christus panem accepit, fregitque*: Hardingus autē, *Christus non panem, sed formas & accidentia fregit.* Ephremus habet: *Panis est figura corporis Christi.* Hardingus cōtrà, *Panis nō est figura corporis Christi.* Denique Ephremus ait: *Christus fregit panem in figuram, seu memoriam corporis sui: Ergo, Christi corpus præsens adest sub forma panis*, inquit Hardingus. Adeo illi nimirum curæ est populi simplicitas. Ephremus verò nec formas, speciésue frangi, nec eas ipsas formas, corporis Christi figuras esse, nec in iis Christi corpus præsens contineri affirmat. Quare captiosa sua interpretatione multiplicem Hardingus falsitatem complexus est.

Hardingus. 5. Sectio.

Fractio Accidētium est figura.

DEinde iis ipsis verbis indicat, illam externam fractionem esse quandam sacram figuram, quæ Christum crucifixum, eiúsque effusum sanguinem repræsentet. Quam rem Augustinus ampliore quadam verborum luce illustrat, In sententiis Prosperi: Dum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quàm Dominici corporis in cruce immolatio, eiúsque sanguinis de latere effusio designatur? *Atque eo modo Christi mandatum perficitur,* Hoc facite in mei commemorationem.

Episcopus Sarisburiensis.

HIc quoddam figurarum à cæteris omnibus vehementer discrepātium nouum genus inuestigauit Hardingus. Fractio Accidentium, inquit, figura est fracti corporis Christi: idque se posse ex quibusdam Augustini verbis confirmare suspicatur. Quorum, etsi textus illi parum prodest: (Neque enim vel de reali, seu carnali præsentia, neque de formarum Accidentiúmue fractione vllam mentionem facit Augustinus) tamen è Glossa nonnihil subleuatur. Eius enim verba hæc sunt: *Secundum hæc dices, ipsa Accidentia frangi, & dare sonitum.* Ita nihil esse tam absurdum atque falsum quod isti defendere vereantur, perspicimus.

De conse. dist. 2. Cum frangitur in Glossa.

Verùm Augustinus habet: *Sanguis in ora fidelium funditur: Ergo Christi sanguis præsens adest*, inquit Hardingus. Vbinam hác inauditam Dialecticam perdidicerit Hardingus demiror. Hieronymus enim perinde habet *Quando audimus sermonem Domini, caro Christi, & sanguis eius in auribus nostris funditur.* An hinc nouo suo Dialecticæ genere fretus Hardingus concluserit, quandocunque sermonem Domini aures nostræ capiunt, Christi carnem & sanguinem reipsa adesse præsentem? Hîc verò iterum admonendus es mihi (charissime Lector) Sacramentum, quemadmodum Augustinus tradit, eius rei nomen, & appellationem sustinere, cuius est sacramentum. Exempli causa sic scribit: *Sacramentum sanguinis Christi secundùm quendam modum sanguis Christi est.* Iterum in eadem epistola ait: *Consepulti sumus Christo per Baptismum: Non ait, Sepulturam significamus, sed prorsus ait, Consepulti sumus. Sacramētum ergo tantæ rei, non nisi eiusdem rei vocabulo nuncupauit.* Similiter habet: *Solet res, quæ significat, eius rei nomine, quam significat, nuncupari. Non dixit, Petra significat Christum, sed tanquam hoc esset, quod vtique per substantiam non erat, sed per significationem.* Hoc est igitur quod Augustinus inquit: *Dum frangitur sacramentum Dominici corporis, dúmque sacramentum sanguinis Christi (* quod sanguis Christi vocatur *) in ora fidelium funditur, quid aliud, quàm Dominici corporis in cruce immolatio, eiúsque sanguinis de latere effusio designatur?* Propterea Augustinus inquit: *Ita facit nos moueri, tanquam videamus præsentem Dominum in cruce.* Hæc ipsa est sine dubio Augustini sententia. Hisce autem rebus expensis, argumenti, quod hic Hardingus concludit, facilè constabit ratio. Sic enim argumentatur: Fractio corporis Christi, & sanguinis eius effusio in mysteriis repræsentatur: Ergo, Christi corpus in sacramento realiter sub speciebus, & accidentibus comprehenditur.

Hieronym. in Psal. 147.

Augu. epist. 23. Roman. 6. Coloss. 3. August. in Leuiticum quæst. 37.

Augustin. in Psal. 10.

Hardingus. 6. Sectio.

QVò luculentiùs autem constet hæc vocabula, Figuram, Signum, Imaginem, Symbolum: cæteráque similia, ab antiquis patribus nonnunquam vsurpata, rerum, quæ in sacramento exhibentur veritatem minimè excludere, sed arcanum potiùs exhibendi modum declarare: ex reliquis omnibus Tertulliani locus ille, qui in quarto libro contra Marcionem scribitur, non est prætermittendus, vtpote qui omnium ferè præcipuus sit, atque acerrimus eorum, quibus dogma suum stabilire Sacramentarij conantur. Tertulliani hæc verba sunt: Acceptum panem, & distributum discipulis suis, corpus suum illum facit, Hoc est corpus meum dicendo, id est, Figura corporis mei.

Si duplicem huius verbi (Sacramentum *) significationem, priùs commemoratam recordemur, & nobiscum ipsi consideremus Sacramenta Noui testamenti duas res continere* [a] *Externas, (1) Visibilésque formas,*

a Quatuor falsa in vnum compulsa.

quæ (2) Figuræ, signa, & Symbola sunt, tum etiam, idque præcipuè, rem diuinam sub illis iuxta Christi (3) promissum tectè (4) comprehensam, maximè si istuc animaduertamus, hoc sanctissimum sacramentum hisce rebus duabus constare, nempe visibili externorum elementorum forma, & inuisibili Christi carne & sanguine, hoc est, sacramento, & re sacramenti de his duabus sacramenti partibus in hac vnica sententia esse loquutus Tertullianus videatur. Primùm enim planissimè loquitur de ipso corpore Christi in sacramento, déque miraculosa panis in ipsum conuersione: Panem (*inquit*) acceptum & distributum discipulis suis, corpus suum illum fecit: *Quæ res diuina est sacramenti. Tum statim adiungit, Dominum id fecisse dicendo,* Hoc est corpus meum, id est, Figura corporis mei. *Quibus verbis alteram partem designat, sacramentum solùm, hoc est, illud sacrum externum signum formæ panis, sub qua forma corpus Christi, in quod panis Diuina potentia mutatus est, continetur: quæ forma externa verè est figura corporis Christi præsentis, quod Dominus, sub ea comprehensum Discipulis suis distribuit, & nunc etiam in illa sacra mensa populo fideli distribuitur, vbicunque ecclesiæ Catholicæ non violantur instituta.*

Hæc est vanitas vanitatum.

Circa externa Accidentia.

Episcopus Sarisburiensis.

QVòd si Tertulliani locus iste summus sit, atque acerrimus omnium, quibus causam sacramentarij suam defendunt, quemadmodum Hardingus scribit, eum quidem ab illo tam exiliter dilutum esse miror. Verba & perpauca, & perspicua sunt. Iste tamen copiosus Glossæ Hardingianæ commentarius obscurus ita est, vt Lectori difficile fuerit de Tertulliani sententia conijcere ac diuinare. Ego verò primùm scribendi occasionem narrabo, tum verba ipsa enucleatè proponam. Hæc vbi fecero, manifestam per se & expeditam fore sententiam confido.

Marcion hæreticus, aduersus quem Tertullianus scriptis pugnauit, hanc nefandam hæresin defendebat, Christum è virgine Maria non ipsam humani corporis naturam atque substantiam, sed externas duntaxat formas, speciésque sumpsisse. Cuius è fontibus suam Hardingus, suíque astipulatores de accidentibus à subiecto abstractis doctrinam hausisse videntur. Hunc insulsum errorem ista argumentatione refellit Tertullianus. Figura corporis corpus naturale arguit: Etenim spectri seu phantasmatis esse figura non potest. At Christus discipulis suis corporis sui figuram distribuit: Ergo Christum naturale corpus habuisse consequatur est necesse. Istius argumenti cùm pars quæque vera est, tum ipsa analogia formáque eiusdem necessariam rationis consequutionem continet. Verba sic habent: *Acceptum panem & distributum Discipulis corpus suum illum fecit, dicendo, Hoc est corpus meum, id est, figura corporis mei. Figura autem non esset, nisi veritatis esset corpus. Cæterum res vacua, quæ est phantasma, figuram capere non potest.* Hæc verba per se manifesta sunt: síque veritas sola sufficeret, longam interpretationem minimè desiderarent.

Tertull. contra Marcionem lib. 4.

Iam verò tecum, optime Lector, Hardingianas de iisdem commentationes repete: atque tenebras Ægyptiacas ad solis obscurandum splendorem introductas agnosce. Primùm inquit: *Accidentia & species esse sacramentum possunt.* Tamen deinde ait, *ipsum Christi corpus esse sacramentum potest.* Post Tertullianum *hosce duos sensus pariter coniungere & copulare* contendit. Atque ita sua quadam solertia duo sacramenta in vno reperit. Istud autem totum Hardingianum est glossema. Etenim in textu nullum verbum, neque de accidentibus, neque de corpore Christi, quasi nempe sui sacramentum esset: neque de hac duorum sacramentorum in vno copulatione habetur.

Hardingus inquit: *Tertullianus de miraculosa quadam conuersione loquitur:* attamen Tertullianus nihil planè nec de miraculo, nec de conuersione habet. Hardingus inquit, *Tertullianus de sacris externis formis meminit:* Tertullianus autem nullam formarum mentionem facit. Hardingus Tertullianum dicentem facit, *Sub sacris formis corpus Christi realiter contineri:* ipse verò Tertullianus nullam de præsentia aliqua vocem misit. Hasce omnes exiles commentationes Hardingus de suo deprompsit, quasi homini Catholico fas esset in antiquos patres tormentis quærere, eásque illis voces, quas ipsi libuerit, exprimere.

Tertullianus sic modò inquit: *Christus acceptum panem corpus suum illum fecit.* Quandoquidem autem hæc verba dubia atque ambigua videbantur, suam ipse sententiam illustrat ad hunc modum: *Hoc est corpus meum, id est, figura corporis mei.* Istuc autem verbum, *Fecit*, quo sensu sit à priscis patribus vsurpatum, suprà in decimo articulo sectione secunda demóstrauimus. Cæterùm vt quàm hîc Hardingus vehementer sit ineptus, manifestiùs appareat, cùm in hisce duobus diuersis pronunciatis, *Hoc est corpus meum*, & *Hoc est figura*, pronomen istud, *Hoc*, quemadmodum est à Tertulliano positum, ad vnam duntaxat, eandémque rem referatur, quasi diceret, *Hic panis est corpus meum* &, *Hic panis est figura:* Hardingus vt nouam suam constituat interpretationem, cùm sententia Tertulliani, tum ipsa etiam verborum dispositione repugnante, pronomen idem, *Hoc*, in priori loco aliud, in posteriori aliud significare fingit: acsi in priore clausula sic scripsisset Tertullianus, *Hic panis est corpus meum*, in secunda verò sic, *Hæc accidentia sunt figura corporis mei.* Itaque cùm idem declarare ambæ hæ propositiones debeant, quippe quarum altera alteram explicet, Hardingus interpretatione sua facit, vt duas diuersas, intérque se discrepantes res significent. Sic nimirum priscos patres accipit Hardingus, quemadmodum immanissimus ille Procustes suos olim captiuos solitus esse scribitur. Si enim longiores paulò sint, quàm eius mensuræ ratio postulat, præcidit atque amputat: si breuiores, distendit, & vi maiore torquet.

Quod autem ait, sacramenta noui testamenti occultè sub se continere rem ipsam, quam significant, idque iuxta Christi promissum, equidem eo dicto magnam falsitatem occultè complexus est.

Etenim

Etenim nec patrem quenquam vetustum,& eruditum,qui vel tenuissimam semel huius secreti occultíque modi mentionem faciat,proferre,nec istuc vnquam promisisse Christum euincere potest. Quanquam enim Baptismus sit noui Testamenti sacramentum, tamen contra nouum Hardingi decretū, rem, quam significat,occultè,& reipsa minimè continet.Verum id quidem est,Noua sacramenta à Christo ipso instituta, magis esse,quàm vetera illustria, & clara: sicuti etiam Euangelium multò est,quàm lex,dilucidum magis.Res autem,quæ significantur,non magis in alteris,quàm in alteris continentur. Proinde Augustinus inquit: *Idem in mysterio illorum cibus, & noster.* Rursus: *Spiritualem escam comederunt eandem,quam nos.* Vniuersam autem inter veteris,nouíque Testamenti sacramenta discrepantiam ad hunc modum persequitur: *In illis sacrificiis, quid nobis esset donandum, figuratè significabatur: In hoc autem sacrificio,quid nobis iam donatum sit, euidenter ostenditur. In illis sacrificiis prænunciabatur filius Dei pro impiis occidendus: in hoc autem pro impiis annunciatur occisus.* Ista prisci patres horum sacrificiorum discrimina reperiunt: Hanc autem,quam statuit Hardingus,occultam comprehendendi rationem penitus ignorant.

Augu. in Psal. 77.
Augu. in Ioan. tractatu. 26.
Augu. ad Petrum Diaconū. cap. 19.

Ratio,quam ex hoc loco concludit Hardingus sic valet: *Tertullianus inquit, Sacramentum est figura corporis Christi: Ergo, corpus Christi occultè in eodem sub Accidentibus continetur.*

Hardingus. 7. Sectio.

De conse. dist. 2. Canon. Vtrum sub Figura.

QVod autē Tertullianus ita sit hoc in loco intelligēdus,ex illo eximio episcopo D. Augustino, atque ex Hilario,qui Romanus fuit episcopus proximus à Leone primo docemur. D. Augustini hæc verba sunt: Corpus Christi & veritas,& figura est. Veritas,dum corpus Christi, & sanguis in virtute Spiritus sancti ex panis,& vini [a] substantia efficitur. Figura verò est,quod exteriùs sentitur.

Cæterum, quòd hìc Augustinus corpus & sanguinem Christi ex panis & vini substantia effici ait, caue homo illiterate, ne sic ex illis effici ea putes, quasi recens essent è panis, vinique materia creata, néue ex pane & vino, tanquam ex aliqua materia esse facta censeas: sed tantum vbi panis & vinum ante esset, post consecrationem, verum corpus, verúmque sanguinem Christi nati ex Maria adesse, idque substantia, ac ratione ea, quam ingenij nostri imbecillitas capere non potest.

Fictum nomine Augustini & spurium testimonium.
a Christi corpus ex substātia panis efficitur.
Hardingus suū ipsius Doctorē fugit.

Episcopus Sarisburiensis.

HÆc verba spuria sunt,& adulterina, vtpote quæ neque sententiam neque verba D. Augustini referant,sed vtrisque potiùs repugnent. A recentibus duntaxat quibusdam scriptoribus citantur,nempe Gratiano, Petro Lombardo,Algerio, quorum etiam aliis in rebus delectus iudiciúmque desideratur. Vnus Augustinus,cui eadem attribuūtur,cuíque propterea esse notissima debebāt, ea non agnoscit.Tametsi, quocunque tandem nomine nouum hunc doctorem appellemus, eum Hardingus tanquam nimis acrem,ac procacem corrigendum esse,atque ab illa, qua vsus est,nimia dicendi,& immoderata licentia reuocandum censuit. *Caue homo illiterate*(inquit) *nisi omnia diligenter circunspexeris, nouus iste Doctor, quem ego Augustinum appellaui, fraudem tibi fecerit. Augustinus iste dicit Christi corpus ex panis substantia effici: Tu contrà dicito Christi corpus nequaquam ex illa panis substātia constitui. Augustinus iste bis vno in loco affirmat Christi corpus esse creatum: quanquam in eo non satis attendebat, quid affirmaret: Quamobrem tu corpus Christi minimè creatum esse dicito. Istius Augustini verbis ne fidem habueris: Aliud loquitur, aliud cogitat.* Ita nimirum hunc Doctorem Hardingus in ordinē redigit. Verùm enimuero dubitet aliquis,plúsne fidei tecēti huic Augustino, qui suæ ipsius cogitata eloqui non potest,tribuendum sit,an Hardingi cōmentariolo,quod à textu tam longè discedit. Si falsa sint hæc verba,quamobrē ea nunc Hardingus recitauit? cur non aut à Gratiano, aut à Glossemate,aut aliqua saltem marginis notā corriguntur? Quid autem sic proponuntur, quasi fidei regulam continerent? Sin vera sint,quid est, quamobrem ea refugere, aut cauere debeamus,præsertim cùm & figura,ac metaphora careant,nec ex orationis quodam æstu efferbuerint.

Hardingus. 8. Sectio.

Dist. 2. Canon. corpus Christi.

HIlarij Papæ verba eandem doctrinam continent: Corpus Christi *(inquit)* quod sumitur de altari, figura est,dum panis,& vinū videtur extrà: Veritas autē,dum corpus Christi interiùs creditur.

Episcopus Sarisburiensis.

AD hæc Hilarij verba iam ante nonnulla ex parte responsum est. Sensus autem sic habet: *Panis, quem oculis contuemur, est figura: ipsa verò sacramenti substantia, quæ eodem significatur, est Christi in cœlis.* Panis ore sumitur: corpus Christi sola fide percipitur. Hæc itaque vocabula, *Extrà, & Interiùs*, quibus vsus est Hilarius, ad os nostrum, & ad fidem referuntur: deinde tum ad sacramentum,quod præsens adest,tum ad Christi corpus, quod ad Dei dextram constituitur. Perinde autem est, quod Augustinus habet: *Aqua exhibet Forinsecus sacramentum Gratiæ: & spiritus operatur Intrinsecus beneficium Gratiæ.* Atque vt propiùs ad ipsa Hilarij verba accedamus, Augustinus sic alio in loco habet: *Habent foris sacramentum corporis Christi: sed rem ipsam non tenent intus, cuius est illud sacramentum.* Porro, nihil est, quò minùs Christi corpus ipsum in sacramento inesse

Extra, Interiùs.
Aug. in epist. 23.
Aug. in epist. 50.

confiteamur, ſcilicet vt in myſterio: quæ ratio nec loci circunſtantiam, nec corpoream, realémue præſentiam poſtulat. Sic Chryſoſtomus ait: *Oleum viſibile in ſigno eſt: Oleum inuiſibile in ſacramento eſt: Oleum ſpirituale intus eſt: Oleum viſibile exterius eſt.* Sic Paulinus ad Cytherium ſcribit: *In ſuarum literarum corpore, Paulus Magiſter adfuit.* Sic Auguſtinus: *Nouum teſtamentum abſconditum erat in lege.* Sic antiquiſſimus pater Origenes: *In veſtimento poděris erat vniuerſus mundus.* Sic Chryſoſtomus: *In ſcripturis inſertum eſt regnum Dei.* Sic Paulinus habet in epiſtola quadam ad Auguſtinum: *In hoc pane Trinitatis ſoliditas continetur.* Pluribus autem hac in cauſa exemplis vtendum eſſe duxi, quòd multos imperitiores decipi viderem, cùm aliud in alio ineſſe nullo modo poſſe putarent, niſi in eadem penitus & reipſa comprehenſum eſſet. Tamen in illo ineptiſſimo Niceno ſecundo Concilio ſcribitur ad hunc modum: *Qui imaginem imperatoris videt, in ea imperatorem ipſum contemplatur.* Similiter Prudentius habet: *Legis in effigie ſcriptus per ænigmata Chriſtus.* Quare errat Hardingus hîc in eo, quòd craſſè nimis & putidè hæc verba, *Extrà*, atque *Interius*, interpretatur. Etenim in altero nihil aliud, quàm Accidentia comminiſcitur: in altero Chriſti corpus abditum, atque reconditum intelligit: quod quidem iſte ſanctiſſimus pater nunquam vel cogitauit.

Chryſoſtom. in Pſal. 44.
Paulinus ad Cytherium.
Aug. in quæſt. Super. Exod. lib. 2.
Origenes περὶ ἀρχῶν. libr. 2.
Chryſoſtom. in opere imperfectò cap. 23.
Inter epiſto. Auguſt. epiſt. 35.
Concil. Nicen. 2. Act 6.

Hardingus. 9. Sectio.

ITa patres non modò ſacramentum, ſed ipſum etiam corpus, & ſanguinem Chriſti in ſacramento, nunc veritatem, nunc figuram vocant. Veritatem, nempe ipſiſſimum, verúmque Chriſti corpus, & ſanguinem, figuram, propter modum, quo in eo inſunt, hoc eſt, Realiter quidem, & ſubſtantialiter, ſed tamen inuiſibiliter, ſub viſibili externorum elementorum forma. Atque ſic Tertullianus, illud ſuum, id eſt, figura corporis mei, intellexit, quaſi Chriſtus verbo illo, Hoc, id quod fuit viſibile demonſtraſſet, quæ quidem corporis eſt figura: quemadmodum etiam id, quod eſt inuiſibile, & internum corporis eſt veritas. Quæ Tertulliani interpretatio nonnihil reuera à recto verborum Chriſti ſenſu deflectit, quanquam ipſius ſententia nihil à veritate aberrat. Nam quod Dominus dixit, Hoc eſt corpus meum, *non id vult, quaſi diceret, Externa ſacramenti forma, quam hîc vobis trado, eſt figura corporis mei, ſub eadem comprehenſi, quandoquidem in his verbis,* Hoc eſt, *non viſibilem panis formam, ſed verã corporis ſui ſubſtantiam indicauit, in quã diuina ſua poteſtate panem mutauit.*[a] *Itaque nullus ex omnibus antiquis patribus ſic vnquam interpretatus eſt hæc Chriſti verba, ſed contrà, nominatim Theophylactus, & Damaſcenus.* Non dixit, *inquit Theophylactus,* hoc eſt figura, ſed hoc eſt corpus. Panis & Vinum *(externas autem formas intelligit) inquit Damaſcenus,* non ſunt figura corporis, & ſanguinis Chriſti: nequaquam: ſed ipſum eſt Domini corpus Deificatum, cùm ipſe Dominus dicat, Hoc eſt corpus meum, non figura corporis mei, ſed corpus meum: & non figura ſanguinis mei, ſed ſanguis meus, &c.

Miſerum hercle effugium. Ex hac interpretatione quomodo poteſt ipſum Chriſti corpus eſſe figura? Tertullianus Chriſti verba non intelligit.

[a] Falſum egregiè: nouit enim Hardingus omnes veteres patres ſic illa interpretari. Externæ formæ atque[a] accidẽtia ſunt verum Chriſti corpus.

In Matthæum cap. 26. lib. 4. cap. 14.

Epiſcopus Sariſburienſis.

HIc nouum aliud, atque incredibile genus figurarũ excogitatum eſt. Nunc enim ipſum Chriſti corpus figura conſtituitur. Hilarius autẽ inquit: *Figura eſt, quod extrà videtur.* Sic Auguſtinus etiam: *Signum eſt, quod ſpeciem ingerit oculis.* Quare ſic ſtatuit Hardingus, Chriſti verũ corpus extrinſecus apparere, oculíſq; externis in ſacramẽto cerni. Id ſi ita ſit, quomodo tum in eo latet, quemadmodum ſuprà dixit, & quibuſdam quaſi inuolucris obtenditur? Sin minùs, qua ratione Figura dici poteſt? Si alterum concedat, alterum neget eſt neceſſe. Si Chriſti corpus figura ſit, tum occultè non adeſt: ſi ſecretò adſit, tum figura non eſt.

De conſ. diſt. 2. Corpus.
Auguſt. de doctri. Chriſt. lib. 2. cap. 1.

Reſpondebit autem, Accidentia, & ſpecies eſſe corporis Chriſti in eo occultati figuras: Præterea Ipſum corpus inuiſibile figuram eſſe corporis, quod viſibiliter in crucem actum fuit. Ita nempe habet, cum aliis nefas ſit, vel vnam iſtis in rebus figuram appellare. Hardingo figuras figuris cumulare licet: quæ ſunt etiam eiuſmodi, vt nunquam ab antiquis patribus adhibitæ, ſed ab ipſo fictæ, fucíque faciendi cauſa inuentæ eſſe videantur.

Tertullianus, inquit Hardingus, Chriſtum, quando panem acciperet, & diceret, *Hoc*, aſpectabilia tantùm accidentia, formáſque panis ſignificaſſe ſenſit, quaſi dixiſſet, Hoc *album, hæc rotunditas, hæc latitudo, hæc leuitas, &c. eſt corpus meum:* ex quibus tam egregiè expoſitis conſequatur eſt neceſſe Chriſti corpus quoddam fuiſſe ex accidẽtibus fabricatum. *Quanquam (*inquit Hardingus*) iſta Tertulliani interpretatio ab ipſo recto verborum Chriſti ſenſu diſſidet.* Hinc intelligi poteſt, quantopere Hardingus huius doctiſſimi patris iudicio confidat. Poſtquam enim eum tam honorificè ſæpius appellauit, nunc alieno prorſus animo ab illo eſſe incipit, atque ad extremum ſcripſiſſe eum, quæ neſciret, ſibíque ſumpſiſſe, vt Chriſti verba interpretaretur, nec quid Chriſtus ſentiret intellexiſſe, ſtatuit: idque non in recondita aliqua allegoria, aut myſtica quadam, & obſcuriſſima ſententia, ſed in ipſo quaſi grammatico ſenſu, & externa verborum Chriſti ſignificatione. Ita nimirum Tertullianum Hardingus, non tantùm ignorantiæ, ſed etiam audaciæ inſimulat.

Quòd autem Hardingus ait, Tertullianum Chriſti mentem neutiquam intellexiſſe, quid ſi quis Hardingum Tertulliani mẽtem non eſſe aſſequutum affirmet? quid ſi etiam imperitiores Hardingi ipſius ſententiam ignorent? Id verò minimè dicendum videtur, Hardingum ſuam ipſius mentem non intelligere. Equidem Tertullianus inaudita iſta, & peregrina commenta ne verbo quidem meminit, non Formam, non Accidens, non Viſibile, non Inuiſibile, non Externum elementum, non ſecretam præſentiam, non illud Realiter, non Subſtantialiter, non denique neſcio quid Apertè ac

tè ac simpliciter & scripsit, & sensit hisce de rebus, quemadmodū cæteri eruditi patres fecerunt.

Quod ad illa Christi verba attinet, *Hoc est corpus meū*, nō sic ait, Hæ species, seu accidentia panis quemadmodum Hardingus inconsideratè fingit, sed Hic panis est corpus meum. In quo non modò scripturas sacras sed veteres etiam ecclesiæ Doctores sibi consentientes habet. D. Paulus ait: (Non externa forma, seu accidens, sed) *Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi*, Iræneus habet: *Panis in quo gratiæ actæ sunt, est corpus Domini.* Origenes inquit: *Dominus panem discipulis dabat dicens, Hoc est corpus meum.* Similiter Cyprianus: *Vinum fuit, quod sanguinem suum dixit.* Sic Chrysostomus: *Christus cùm hoc mysterium tradidit, vinum tradidit.* Eodem modo Cyrillus: *Christus fragmenta panis dedit discipulis.* Sic verba Christi Tertullianus intellexit, atque interpretatus est. Quare summæ stultitiæ fuit, nouum hoc de Accidentibus figmentum, illi ascribere, eúmque tam temerè, & tam sine causa reprehendere, quòd ea loqueretur, quæ minimè loquutus est. Ex istis facilius iudicare de ipsa Hardingi interpretatione possumus: sic enim ait: *Cùm Christus diceret, Hoc, non visibile accidens, seu formam panis, sed naturale corpus suum demonstrauit.* Id verò manifestum est, Hardingum aut parum cogitare, aut non admodum curare quid loquatur. Cæteri enim omnes papisticæ sectæ defensores, illud pro certissimo habent transsubstantiationem suam non antè perfectam esse, quàm syllaba extrema prolata fuerit. Tamen Hardingus contra suorum omnium, ne dicam contra suam ipsius opinionem panem in Christi corpus conuersum esse affirmat, vbi prima syllaba pronunciata fuerit. Ex hoc autem nouo Theologiæ genere efficitur, corpus Christi præsens esse, & sacramentum esse sacramentum ante consecrationem, atque omnia priùs perfecta esse, quàm inchoata. Quod in Hardingi scholis iampridem pro errore omnium grauissimo habitum fuit: vtque illud effugere possent. *Indiuiduum Vagum* introducere coacti fuerunt.

1 Cor. 10. Irenæus lib. 4. cap. 34. Origenes in Matth. tractat. 12. Cyprian. lib. 2. epist. 3. Chrysosto. in Matthæ. hom. 83. Cyrillus in Ioan. lib. 4. cap. 14.

Deinde si pronomen illud, *Hoc*, ad Christi corpus referendum sit, tum necesse est, vt Christi verba ad hunc modum interpretemur: *Hoc est corpus meum*, id est, *Corpus meum est corpus meum*: quam Hardingianam interpretationem Holcot vanam, præposteram, & ineptam appellat.

Quòd autem Hardingus ait, neminem ex antiquis patribus Christi verba metonymiκῶς interpretatum esse, eum posse tam confidenter rem omnium falsissimam affirmare, ac proponere sine rubore miror. Satis enim nouit ex omni antiquorum patrum numero vix quenquam esse, qui ea secus vnquam sit interpretatus.

In. 4. sentent. quæst. 3.

Damascenus, & Theophylactus recentes admodum authores sunt, si cum iis conferantur, quos meritò possumus antiquos appellare: vtpote qui longè extra sexcentorum annorum ambitum cōstituti fuerint, multísque erroribus, & ineptiis redundarint. Quare non alienum duco illos breuitatis causa præterire. Tamen in ipso transcursu paucis Hardingi Dialecticam intueamur. Sic autem concludit: Tertullianus per istud pronomen, *Hoc*, externum accidens seu formam panis intellexit: Ergo ipsum Christi corpus est Figura.

Hardingus. 10. Sectio.

CAusa autem, ob quam Tertullianus hæc Christi verba isto modo est interpretatus, ea fuit, vt hic aliquanto vehementiùs Marcionem hæreticum vrgeret, quemadmodum sæpenumero patres in ipso disputationis æstu quædam loca tractare solent, non ad accuratam verborum significationem, sed eam potiùs viam sequuntur, quæ ipsis ad refutandum aduersarium cōmodissima visa fuerit. Quam rationem si falsi expers fuerit, Basilius in exornanda disputatione, non in tradendo dogmate excusat. Sic nimirum Gregorium Neo cæsareensem contra Sabellianos defendit, quòd is in quadam habita cum AEliano Ethnico homine concertatione, cùm mysteria Trinitatis explicare vellet, vsus est vocabulo ὑποστάσεις, loco οὐσίας. Atque homines periti & in patrum scriptis versati, facilè intelligunt prudentia opus esse, neque eodem iudicio legenda esse, quæ Agonisticῶς illi scripserunt, quæque Dogmaticῶς ediderunt. In ea verò contentione non tam spectauit Tertullianus accuratum verborum sensum, quàm in eo elaborauit, vt suum institutum euinceret, & aduersarium, qui Christum verè humanum corpus sumpsisse, & verè mortuum fuisse negauit, ad verum fatendum impelleret, quod se effecturum putauit, si argumentationem duceret à figura corporis eius, quæ in eo consistit, quod visibile est in sacramento, vt inde corporis veritatem probaret. Quapropter cùm rationem concludit, sic quasi infert: Figura autem non esset, nisi veritas esset corpus.

Epist. 64.

Tertullianus non aspectauit accuratū verborum sensum. Ineptum: quorsum hoc ex figura probaret, si verum Christi corpus realiter adesse iudicaret.

Episcopus Sarisburiensis.

MAluit Hardingus honesta quadam excusatione Tertullianum defendere, quàm patrem præsertim tam antiquum támque Apostolicis temporibus propinquum singularis cuiusdam imprudentiæ condemnare. *Enunciauit ista* (inqnit Hardingus,) *Agonisticῶς, temerè, inconsideratè, cùm quid loqueretur, nesciret, nec ipsam verborum vim spectaret.* Quanquam hæc verba Tertullianus non tantùm subitò effatus est, sed illa etiam intelligenter consideratéque scriptis mandauit: cúmque eadem animo sedato, & attento postea percurreret, atque perpenderet, vitium istud nunquam deinde adnimaduertere potuit.

Incidere tamen aliquando posse istiusmodi contentionis occasiones, Hardingus exemplo suo luculentissimè comprobauit: quem, vt apparet, ipsum contentionis studium impulit, vt tam multis modis, támque longè veritatem præterueheretur, nec quicquam fere curaret, quid scriberet. Ambrosius habet: *Apostolus impudoratos appellat eos, qui cōtentionibus nitūtur. Necesse est enim, vt contentio extorqueat aliquid, imò multa, quæ dicantur cōtra conscientiam: vt intus in animo perdat, fo-*

Ambrosi. in 2. ad Thimo. 2.

Lactantius: videri volunt, non tantùm cum venia, sed etiã cum ratione peccare.

ris victor abscedat. Non enim patitur se vinci, licèt sciat vera esse, quæ audit. Postea contentionis impetu abrepti, suámque famã ac gloriolam, quam Dei veritatem, chariorem habentes, quemadmodum Lactantius scribit, rationes exquirunt, quibus erratum suum obtendant. Ita de Ouidio Seneca scribit: *Non ignorauit vitia sua sed amauit.*

Basil. epist. 41.

Gregorius autem Neocæsareensis rectè & iure fuit à Basilio crimine liberatus. Augustinus eodem modo, quando contra Pelagianos scribit, nimiùm aliquando in contrarium niti, & cum Manichæis quodammodo sentire: cum autem Manichæos oppugnat, contra interdum Pelagianus esse videatur. Basilius Dionysij cuiusdam meminit, quem cum Sabellio hęretico nimia contentione dimicantem, in contrariam pene hæresin incidisse refert.

Chrysostom. in Ioan. hom. 45. Chrysosto. de Beato philogonio. Chrysostom. de sacerdo. lib. 3. Chrysosto. ad Hebræos hom. 16. Bernardus. de amore Dei. cap. 1.

Sic nimirũ sancti patres in ipsa disputationis iactatione orationem sæpenumero suam vltra communem veri legem amplificare solent, maximè cùm sacramentorũ natura, & effectus explicatur: quod eò referunt, vt hominũ oculos ab aspectabilibus, corruptibilibúsq; creaturis, quas præsentes intuentur, ad rerum spiritualiũ ac cœlestium cõtemplationem abducant. Hoc modo Chrysostomus ait: *Figimus dentes in carne Christi.* Rursus: *Videmus Dominum nostrum in cunis iacentem, & fasciis inuolutum.* Alio in loco: *Turba circunstãs rubet sanguine Christi.* Præterea etiam sic habet: *Hic sermo sanguine infectus omnes aspersit.* Ita Bernardus loquitur: *Totum Christum desidero videre, & tangere & non id solum, sed accedere ad sacrosanctum eius lateris vnius, ostium Arcæ, quod factum est in latere, vt totus intrem vsque ad cor Iesu.* Sic vbiq; patres semper, prout occasio postularet, verba sua exaggerare, supráque tritam dicendi consuetudinem euehere consueuerunt. Consequens est, (Lector Christiane) vt diligenter attendas, quàm scitè Hardingus ista ad suam causam accommodet. Sanè, Tertullianus in hisce verbis nulla, vel Hardingo ipso iudice, nec amplificatione, nec contentioso, & ardente dicendi genere, quod veritas minùs ferat, vtitur: imò contrà, quãtum potest, de veritate, decidere, & diminuere videtur. Illud enim, quod Hardingus Christi naturale corpus vocat, Tertullianus Figurã corporis Christi appellat: quod sine dubio substãtia est panis, id Tertullianus, quemadmodũ Hardingus interpretatur, speciẽ, seu Accidẽs panis nominat: deniq; id, inquo totũ inest, Tertullianus ad extremũ nihil facit. Eũ tamẽ Hardingus benignè defendit, quod ἀγωνιστικῶς scriberet, quemadmodum Gregorius Neocęsareensis fecit, ideóq; cõtentionis ardore incensus veritatis limites aliquantùm egrederetur. Ita nẽpe qui Christi corpus figuram nuncupat: qui substantiam Accidens esse affirmat: qui quod ait extenuat, facítque vt minus, quàm est, esse videatur, is, Hardingi iudicio, amplificat, & auget, & modum superat, ampliùs dicit, quàm debuit. Exigua certè rima est, quam isti non tentent, vt ea erepant.

Hoc est, Figura corporis mei.

Orige. in Leuit. hom. 7. Cypria. de vnctione. Chrism. Hieronym. in Matthæum ca. 26. Aug. in psal. 3. Gelasius cõtra Eutychem. Basil. in Litur. Dionysi. Eccle. Hierar. ca. 3. Ambros. de sacrament. & de iis, qui initiantur.

Origenes, exponens hæc verba Christi: *Nisi comederitis carnem filij hominis &c.* sic ait: *Figura est.* Cyprianus ait: *Significata, & significantia iisdẽ nominibus censentur.* Hieronymus ait. *Christus corporis sui veritatem repræsentauit.* Augustinus habet: *Christus tradidit discipulis suis figuram corporis sui.* Gelasius sacramentum vocat, *similitudinem, & imaginem*: Basilius ἀντίτυπον, id est, *Exemplar*, Dionysius, *signum*: Ambrosius istis omnibus, vocabulis coniunctim vtitur, *Imago, figura, Typus, similitudo, significatur.* Tempus non patitur cæteros persequi. In hanc enim sententiam, atque iisdem pene verbis omnes scribunt, nec omnino aliter. Quid autem? num existimabimus, atque Hardingo assentiemur, hos vniuersos patres contentione quadam, & quasi furore sic exarcisse, vt quid loquerentur, minimè considerarent?

Tertullianus verò vt priùs diximus, grauiter, sobriéque scripsit, & nullũ intemperantis ardoris signum ostẽdit: quódque aggressus est, non exiguè ac ieiunè tractauit, interpositis paucis acrioribus verbis, quemadmodum fingit Hardingus, sed clarisimè luculenta, & idonea argumentatione conclusit. Nam vt contra Marcionem hæreticum euinceret, Christum veræ corporis humani substantię, & naturæ participẽ fuisse huiusmodi rationem instituit: Figura arguit rei veritatem, cuius est figura: Christus autem in cœna vltima discipulis suis corporis sui figuram dedit: Ergo, Christus (non inane atque imaginarium) sed naturale verúmque corpus habuit. Huius disputationis vis in eo posita est, quòd phantasma seu species figuram nullam referre potest. Atque hoc sensu aliqui Paulum dixisse iudicant, *Idolum nihil est.* Sic Augustinus scribit: *Nisi sacramenta quandam similitudinem haberent earum rerum quarum sunt sacramenta: omninò sacramenta non essent.* Similiter Leo, Gelasius, atque prisci patres cõtra Eutychem hæreticum concludunt: eadémque ratione Chrysostomus veteres illos hæreticos, Valentinum, Manichæum, Marcionem redarguit. Sic enim scribit: *Quoniam isti, eorúmque sequaces, negaturi erant hanc dispensationem* (Christi in carne) *ideo nos in memoriam passionis semper reducit per hoc mysterium, vt nemo, modò ne sit insanus, seduci possit.* Statim autẽ ea verba habet, quæ sunt à me alibi recitata: *Si mortuus Christus non est, cuius symbolum, ac signum hoc sacrificium est?* Consimili planè modo contra Marcionem Tertullianus disputat, non imprudenter & ignoranter, quemadmodum Hardingus ait, sed conuenienter & accommodatè, & prout Christi verborum ratio postulat.

1. Cor. 8. Augu. epist. 23.

Chrysostom. in Matthæũ hom. 83.

Quòd si autem Tertullianus, de occulta hac, & secreta præsentiæ ratione, quam hîc Hardingus fingit, persuasus fuisset, atq; ea tamen præterita integrum argumentationis suæ fundamentũ in figura collocare voluisset, tũ profecto nõ modò imperitus, & audax videri potuisset, qualem eum Hardingus facit, sed suę etiã ipsius causæ proditor extitisset. Etenim si nouũ hoc commẽtum dedisset, & nuda Accidentia in sacramẽto secreta ab omni subiecto posuisset, tum Marcionis opinionẽ cõfirmasset, ac secũ ipse palàm pugnasset. Sic enim ex eo conclusisset Marcion:

Panis

Panis in sacramento imaginarius est, id est, panis videtur, & non est: sic etiam corpus Christi imaginarium fuit: corpus enim videbatur, nec ita fuit.

Itaque Hardingus eodem fundamento nititur, quo Marcion hæresin confirmauit suam.

Hardingus. 11. Sectio.

QVòd autem Tertullianus Figuræ vocabulo in hoc loco vtitur, non oportet eiusmodi Figuram intelligere, quales sunt veteris testamenti figuræ, quasi rei futuræ significaret demonstrationem, aut etiam rei absentis, quæ veritati opponi solet, tanquam eidem contraria, sed eiusmodi figura est, quæ præsentem veritatem tegat, & quasi cum veritate coniungatur, quemadmodum [a] *sæpe sumitur in nouo Testamento, vbi modum potiùs rei exhibendæ declarat, quàm veritatem tollit præsentiæ eius rei, quæ exhibetur. Alioquin enim, quod attinet ad veritatem corporis Christi in sacramento, si quisquam dubitet quid ea de re sentiret, ipse quidem manifestissimè indicat, ita se de illa iudicare, quemadmodum semper ecclesia Catholica docuit. Quod cùm aliis in locis luculentissimè declarat, tum maximè in secundo libro ad vxorem, in quo eam hortatur, vt si ei superstes illa viueret, infideli homini minimè nuberet, ne si aliter faceret, non tam commodè religionem Christianam colere posset, ac vellet. Loquens autem de sacramento, quod religiosis viris, ac mulieribus domi tum seruari solitum fuit, atque ab iis sumi in illis persecutionis temporibus ante alios cibos, quando eos pietas commoueret, sic habet:* Non sciet maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes? Et si sciuerit, Panem, non illum, *(id est* [b] *Christum)* credet esse, qui dicitur. *Quem locum suprà adduximus, Alias eiusdem per multas sententias prætermitto breuitatis causa, ex quibus illum Christi corpus in sacramento agnoscere constet, quas nullo modo eò torquere licet, vt meram Figuram significent.*

a Falsum: nunquā enim hoc modo sumitur in nouo Testamento.

b Falsum, in manifesta & importuna deprauatione positum.

Episcopus Sarisburiensis.

VNam præterea nebulam induxit Hardingus, qua clarissimæ luci tenebras offunderet. Timet, ne fortè aliquis sacrosanctum hoc mysterium veteris Testamenti figuram constituat. Quanquā vel pueri norunt cùm hoc tum baptismi sacramētum ad Euangelium pertinere.

Verùm, omnis sacramentorum veteris nouíque Testamenti differentia non in comprehendendo aut occultando consistit, quemadmodum hîc Hardingus comminiscitur, sed in ratione, & modo, & ipsa demonstrandi ἐνεργείᾳ: quam Augustinus his verbis explicat: *Sacramenta legis fuerunt promissiones rerum complendarum: nostra sunt indicia rerum completarum.* Iterum: *Lex & prophetæ sacramenta habebant pronuntiantia rem futuram: sacramenta nostri temporis venisse testantur, quod illa venturum prædicabant.* Præterea: *In illis carnalibus victimis figuratio fuit carnis Christi, quam pro nostris peccatis fuerat oblaturus: in isto autem sacrificio est gratiarum actio, & commemoratio carnis Christi, quam pro nobis obtulit.* Rursus: *Sacramenta Iudæorum in signis diuersa fuerunt à nostris, in rebus autem significatis paria.* Nouum autem illud de secreta, & occulta præsentia figmentum antè refutatum est. Quod autem Hardingus vt Tertulliani hac de re sententiam luculentiùs explicaret, nonnulla ipsius verba ad vxorem scripta recitat, scias, Lector, nostrum hunc Hardingum eadem malitiosè, ac de industria corrupisse, quòd faciliùs simplicitati tuę imponeret. Id profectò cōstat hominem infidelem, à religione Christiana auersum, si fortè sacrum mysticúmque panem viderit, ex aspectu tantùm facturum esse de eo iudicium: cum quid aut ostendat, aut significet, aut quem in finem sit institutus, non intelligat. Sacramentalis autem panis ex Christi sanctione, spiritualis est, cœlestísque panis, quemadmodum etiam baptismatis aqua, spiritualis est & cœlestis aqua: Hoc autem Ethnicus, vt Tertullianus ait, videre non potest. Hardingus verò Lectoris sui iudicium nihili æstimās, hunc locum sciens deprauauit in Angelica tralatione. Etenim pronomen, *Illum*, id est, panem, in Illum, hoc est, Christum conuertit, sua duntaxat solius audacia fretus, aduersantibus tum antiquis, tum recentibus omnibus, adeóque suis etiam ipsius collegis: quorum vnus ita transtulit, vt personæ nullā mētionē fecerit. Nemini fas est, præterquam Hardingo, ita iure quodam suo patrum sententias ementiri. Cùm enim Tertulliani verba perspicua sint, *Si scierit maritus tuus, panem esse credet, nō illum* (Panem) *qui dicitur:* Hardingus hoc modo posuit, *Panem esse credet, non illum* (Christum) *qui dicitur:* quasi Christi persona intelligeretur. Hanc fraudē, atque ipsam Tertulliani sentētiā fusiùs nos in primo Articulo, & sectione 17. antè excussimus. Sanè verò malè è Latino conuertere, non est causam aptè, & luculenter concludere. Aspice nunc autem Lector Christiane, atque animaduerte, in quot, & quàm angustas se latebras Hardingus coniecerit, quò istorum Tertulliani verborum, *Hoc est Figura corporis mei*, & pauca & clara sunt, vim eluderet.

Aug. contra Faustum lib. 9. cap. 14.
Aug. contra literas Petiliani lib. 2. cap. 37.
Aug. de fide ad Petrum. cap. 19.
Augu. in Ioan. tractatu. 26.

Primò, Externa, &, quemadmodum vocat, sacra forma panis est figura corporis Christi inuisibiliter sub Accidentibus tecti. 1. Sacra Accidentia.

Deinde, hoc ipsum secretum, & inuisibile corpus figura est visibilis Christi corporis. 2.

Tertiò, Tertullianus fingitur Grammaticum verborum Christi sensum ignorasse. 3.

Quartò, idem Tertullianus nimio contentionis studio abreptus fuit, & aut nesciuit, aut non curauit, quid diceret. 4.

Quintò, noua hæc interpretatio facit, vt cum Marcione hæretico, contra quem scribit, sentire, & sibi manifestò contraria concludere videatur. Taceo commentitias formas, accidentia, externa elementa, prodigiosas mutationes, occultos præsentiæ modos, aliáque huiusmodi coacta vocabula quorum Tertullianus nullum nouit. Denique Hardingus suam hanc inauditam interpretationem eodem principio constituit, quo hæresim suam Marcion. 5.

De consecr. Dist. 2. Hoc est. In Glossa. Maximus in eccle. Hierar. cap. 3. σύμβολα ταῦτα, ἀλλ' οὐκ ἀλήθεια. Tertullia. contra Marcionem lib. 1.

Multò quidem magis hominem veritatis cupidum decuit, insulsa ista, ineptáque Glossemata mittere, & Christi verba apertè, & perspicuè interpretari, quemadmodum hic antiquissimus pater fecit, *Hoc est corpus meum: Hoc est, Figura corporis mei.* Ita enim Tertullianus, & sententia, & verbis cum omnibus vetustis, atque orthodoxis scriptoribus, ecclesiæque Doctoribus consentiet. Ita à communi Glosa Decreti non discrepabit, quæ sic habet: *Vocatur corpus Christi: id est, significat corpus Christi.* Ita cum Maximo Græco Dionysii scholiasta conspirabit: *Signa sunt hæc, non autem veritas.* Denique ita Tertullianus à seipso non dissentiet: sic enim scribit: *Christus non reprobauit panem, quo ipsum corpus suum repræsentauit.*

Hardingus. 12. Sectio.

Miserum suffugium: Augustinus quid dicat, minimè curat.

Eodem modo responderi potest ad illum locum, quem obiiciunt ex Augustino, contra Adimantum Manichæum, cap. 13. Non dubitauit Dominus dicere, Hoc est corpus meum, cùm tamen daret signum corporis sui. *Considerandum enim est, Augustinum cum Manichæis dimicantem, non ex suo sensu, ac iudicio semper omnia depromere, sed ea arripere, quæ quouis tandem modo pro se, contra Manichæos facere, atque aliquam illis plagam infligere posse videantur, quemadmodum ipse testatur in libro* de Bono perseuerantiæ, *cap. 11. & 12.*

Episcopus Sarisburiensis.

AVgustinum Hardingus incredibili quodam disputationis æstu furentem, sibi nonnunquam parum constitisse, atque inconsideratè multa loquutum esse confirmat: quódque atrocius est, quæ temerè & nullo iudicio semel effudisset, eadem scriptis postea mandasse, nihílque aliud contendisse, quàm vt aduersarium profligaret: quod quemadmodum efficeret, iuré ne an iniuria, vero an falso minimè curasse. O nimiùm faciles, & flexibiles hæreticos, qui tã exilibus argumentis peruinci ab Augustino potuerunt! O faciles etiã nostros Catholicos, qui Hardingo tam pueriliter coniicienti fidem habeant! Augustinus verò propter summã, tum in disputando, tum in omni vita moderationem, ac temperantiam præ cæteris semper laudatus fuit. Neq; vllũ in eo omni, quẽ contra Adimantum scripsit, libro immoderatæ acerbitatis signum apparet. Nonnulla eius, quæ inter eos extitit, cõtrouersiæ occasio ex his verbis nata est: *sanguis est anima.* In his explicãdis Augustinus nullis cõtentionis aculeis incitatus, quod quisquã iure suspicetur, sic ait: *Sanguis est anima, quemadmodum petra erat Christus.* In eodẽ etiam capite has tres sententias coniungit, ac consociat: *sanguis est anima: petra erat Christus: Hoc est corpus meum,* tanquã, & sensu ipso, & eloquendi modo consimiles ac pares. Augustinus nunquam nec sacras formas, nec inuolucra illa, & integumenta ab Hardingo inuenta agnouit: disertissimis autẽ verbis ait: *Dabat signum corporis sui:* in quo tum secum ipse, tum etiã cũ aliis omnibus priscis, & Catholicis patribus conspirat. Quanquam si Hardingo liceat nullam adferenti causam, quaobrem illum ecclesiæ Dei eximium magistrum intemperãte quodam ardore inflammatum fuisse suspicemur, sua tantùm fide nobis confirmare eum cæco quodam & præcipiti disputationis impulsu, & quasi tẽpestate abreptum ea scripsisse, quæ scripsit: tum perfacilè etiã poterit cæteros omnes antiquos, & doctos patres hoc modo expedire, atque dicere, quæ illi scripserunt ei nõ probari: scripta enim ab illis esse furiosis. At enim si reuiuisceret Augustinus, Hardingum potiùs turbinibus quibusdã, & fluctibus contentionis iactari, & sui vehementer oblitum esse, & nimio feruore incensum nec scire, nec curare, quid diceret, existimaret. Ambrosius quãdo hæc eadẽ verba interpretatur, sic habet: *Cùm sanguinẽ hoc loco animã diceret, vtique significauit, aliud esse animã, aliud sanguinẽ* (quãquam ea verbis vnũ facere videatur:) similiter dici potest Christũ cũ hæc verba pronũciaret, *Hic panis est corpus meũ* significasse, aliud esse panẽ, aliud corpus, tamesi verba secus ostendere videantur.

August. contra Adimantum, cab. 12. Ambrosi. de Noe & arca ca. 25.

Hardingus. 13. Sectio.

GRegorius Nazianzenus in oratione 4. in sanctum Pascha, *in qua ostendit, quid intersit inter Pascha legale, quòd Iudæi comederunt, & quod nos in nouo Testamento, in sacramẽti nempe mysterio percipimus, quódque Christus vnà nobiscum in vita futura in regno patris sui manducaturus est, ea verba habet, quibus, quod nos hîc sumimus figuram eius vocat, quod illic percepturi sumus.* Cęterũ (inquit) iam Paschæ fiamus participes, figuraliter tamẽ adhuc, etsi Pascha hoc veteri sit manifestius. Siquidẽ Pascha legale, audenter dico, figuræ figura erat obscurior: at paulò pòst illo perfectiùs & puriùs fruemur, cũ verbũ ipsum biberit nobiscũ in regno patris nouũ, detegens, & docens, quæ nũc mediocriter ostendit. Nouum enim semper existit id, quod nuper est cognitũ. *In quo autẽ hic doctissimus pater nostrum Pascha, quod manducamus, figurã vocat, cuius legale Pascha figura esset, appellans illud figuram figuræ, veniã quodammodo sic loquendi petit, séque audenter dicere confitetur, alludens, sicuti videtur, ad D. Paulũ, aut saltẽ altè impressam in animo tenens eius doctrinã ad Hebræos: quo in loco res futuræ vitæ vocat,* Res ipsas: *res noui Testamẽti,* Ipsam imaginẽ rerum: *Vetus autẽ tastamentum,* Imaginis vmbrã. *Quã doctrinã Nazianzenus ad altaris sacramentũ accõmodat. Eius autẽ sentẽtia hæc est, quòd quanquã è legis tenebris emersimus, nondũ tamẽ ad plenã lucẽ peruenimus, quã in futuro seculo expectamus, in quo res ipsas clarè videbimus, & contẽplabimur, & cognoscemus, quemadmodũ cogniti sumus. Deniq; ipso authore sacramẽta veteris Testamenti figuræ sunt, & vmbræ rerũ futurarũ: sacramẽta noui Testamenti, non vmbræ sunt rerũ futurarũ, sed ª figuræ rerũ præsentiũ, quæ sub illis cõtinentur, & tradũtur mysticè, sed tamen substantialiter: ad extremũ verò, Figuræ in cœlo cessabunt, & abolebũtur & tũ etiã omnia, facie ad faciẽ intuebimur, quæ nũc obscura sunt. Quod autẽ Christus ait, se Pascha suum nouũ bibiturum nobiscũ in regno patris*

Hebræ. 10.

ª Falsum: hæc huius patris sententia minimè fuit.

patris sui. Nazianzenus sic illud vocabulum, Nouum, *interpretatur, vt nō ad rem exhibitam, sed ad modum exhibendi referatur: non quasi in futuro seculo aliud Domini corpus simus habituri, quo nunc caremus, sed quòd illud ipsum corpus, quo nunc in sacramento altaris mysticè, sed tamen verè, & substantialiter fruimur, tunc simus alio quodam modo, & ratione habituri, ac propterea nouum. Cùm enim eo sine mysterio, seu inuolucro clarissimè, & iucundissimè fruimur, nouum certè est respectu eius scientiæ, quam nunc assequuti sumus.*

Ineptum: Non de sacramento Nazianzenus, sed de perfectione imperfectioneque scienciæ loquitur.

Quare Figuræ vocabulum non semper abscentiam ipsius rei arguit, vt videmus, sed modum, rei, vel promissæ, vel exhibitæ ost dit: vt quandoquidem, non planè, claréque cernitur, figura appellari queat. Sic ab Origene Imago rerum dicitur, vt hoc in loco: Si quis verò transire potuerit ab hac vmbra, veniat ad imaginem rerum, & videat aduentum Christi in carne factum, videat eum pontificem offerentem quidem & nunc patri hostias, & postmodum oblaturum, & intelligat hæc omnia imagines esse spiritualium rerum, & corporalibus officiis cœlestia designari. Imago ergo dicitur hoc, quod recipitur ad præsens, & intueri potest humana natura. *In hac Origenis sententia vocabulum hoc,* Imago, *non id significat, vt veritatem rerum imminuat, quasi res veræ neutiquam essent (res enim, quas Christus in carne gessit, veræ fuerunt) sed quando* Rerum Imago *nuncupatur, eo significatur, quatenus eas humana natura intueri potest. Hoc autem clarissimè exposuit Oecumenius Gracus author in Pauli verba ad Hebræos:* Non ipsam imaginem rerum, id est, veritatem rerum, *inquit, tum adiungit:* Res appellat futuram vitam, imaginem autem rerum, Euangelicam politiam, vmbram verò vetus testamentum. Imago enim manifestiora ostendit exemplaria: adumbratio autem imaginis obscuriùs hæc manifestat, nam hæc veteris testamenti exprimit imbecillitatem. *Ex hoc loco Oecumenij perspicimus, quòd quanquam imaginis proprium sit rerum veritatem exprimere, ideóque exegeticōs ab eo dictum sit,* Imaginē, id est veritatē: *tamen vsitata, ac recta nominis significatio viam seu modum rei exhibendæ, non rem ipsam declarat: vt quod imago minùs habet, quàm res ipsa, id in modo exhibendi, non in ipsa re, quæ exhibetur, inesse intelligamus. Huc vsque exēpla adduximus, quibus manifestum faceremus, Figuræ, & Imaginis vocabula rerum verissimè, quanquam occultè, & secreto exhibitarum veritatem significare.*

In Psalm. 38. homil. 1.

Hic locus non rectè adhibetur: Nam hæc verba nihil ad sacramentum pertinent.

Hebræ. 10.

Nihil de sacramento.

Episcopus Sarisburiensis.

TRes isti patres Nazianzenus, Origenes, Oecumenius exiguo labore constiterunt Hardingo. Eorum enim in Stephano Gardinero antè ad verbum recitatas sententias reperit: neque profectò vllum illius causæ adiumentum quoquam modo suppeditant. Nullum enim neq; externarum formarum, & accidentium, neque additæ illius, & secretæ præsentiæ mentionem faciunt. Nouit autem Hardingus, vel ipsa muta veterum Doctorum nomina magnum apud imperitos momentum habere.

Id sibi patres hi proposuerunt, vt quid inter hæc tria genera hominum interesset explicarent, nempe Iudæos sub lege, Christianos sub Euangelio, sanctos in vita futura: qui tres ordines vni sunt Abrahæ posteri, vnus populus, vna ecclesia, vna hæreditas: omnésque vnius Dei, & filij eius Iesu Christi nomen inuocant, atque prædicant. Iccirco Augustinus habet: *Israelitæ sub lege verè fuerunt Christiani, & Christiani sub Euangelio verè sunt Israelitæ.* Quanquam adiungit: *Non oportet illud nomen in consuetudine sermonis retineri.* Rursus habet: *Iudæi nondum nomine, sed reipsa erant Christiani.* Similiter Eusebius habet: *Omnes Iudæi ab Abrahamo sursum ad Adamum reipsa Christiani fuerunt, etsi non nomine.* Eodem modo Epiphanius habet: *Fides Christiana ab initio fuit.*

Augu. ad Aselicum epist. 20. Augustin. contra 2. epistō. Pelagia. lib. 3. cap. 4.

τῷ ἔργῳ χριστιανοὶ. εἰ μὴ καὶ ὀνόματι. Epiphan. lib. 1 cap. 1.

ἦν πίστις ἀπ' ἀρχῆς οὖσα.

Eadem est horum trium generum substantia: differunt sola qualitate, seu analogia quadam maioris, vel minoris. Iudæi Christum videbant in lege: Christiani Christum vident in Euangelio: sancti Christum vident in cœlis. Iudæi Christum obscurè, tanquam in vmbra videbāt: Christiani Christum quasi in imagine quadam expressa vident: sancti Christum in cœlis clarè, & perspicuè, nulla nec imagine, nec vmbra interposita vident. Christus, qui videtur, idem est: Ij qui vident, diuersi sunt: quorum alij in obscura vmbra: alij in perfecta imagine: alij in clarissima luce positi Christum vident. Nulli tamen horum Christi aspectu deficiuntur. Quemadmodum autem Iudæi in vmbra constituti fuerunt, ratione illius summę lucis, quam nunc nos intuemur: ita nos etiam in vmbra versamur, si illam lucem spectemus, quam speramus, quæque est futura. Atque hoc modo Origenes, Nazianzenus, Oecumenius reliquíque patres vetusti senserunt, non aliter. Quare reputet secū attentiùs Hardingus, quàm sint hæc testimonia ad id, quod contendit, docendum apta, nimirum Christum in sacramento carnaliter & secretò præsentē adesse.

Chrysostomus Iudæorum statum lucernæ, Christianorum verò meridianæ luci comparat. Necnon Iudæos primis ac nudis quodammodo picturæ lineamentis: Christianos autem eidem picturæ suis omnibus numeris expletæ, & coloribus elegantissimis exornatæ similes facit. Irenæus Iudæos sementi, Christianos messi confert: Denique, D. Paulus Iudæos infanti, Christianos viro ætate, & viribus confirmato comparat.

Chrisostom. in variis locis in Matthæ. hom. 10. Chrysost. in dictū Apostoli, *Patres nostri omnes &c.* Irenæus lib. 4. cap. 42. Galat. 4. 1. Cor. 13.

Ex istis omnibus exemplis liquet, substantiam vnam, eandémque esse, nec nisi secundùm Maius est Minus discrepare. Iudæi lucem eandem habuerunt quanquam non peræquè magnam: imaginem eandem habuerunt, etsi non perinde partibus suis omnibus expolitam: frumentum idem habuerunt, etsi non tā adultum: persona eadem fuerunt, licet ætate minùs natura. Hęc dicenda mihi esse duxi, quò legis, atque euangelij discrimen exponerem, quam rem isti patres aliqua ex parte attigerunt.

Eandem Euangelij, ac futuræ vitæ differentiam perspicere licet. Etiamsi enim, res in vtroque eædem sunt, non tamen æqualis est earum vsura: nostráque omnia, quæ in hac vita consequuti sumus, sic cum illa immensa gloria, quam expectamus, conferantur, nihil aliud sunt, quàm vmbra ac figura. Quapropter Augustinus ait: *Cùm Christus tradiderit regnum Deo, & Patri, in illa perspicua contemplatione incommutabilis veritatis, nullis mysteriis corporalibus indigebimus.*

Simili modo de baptismi sacramento scribit: *Vngimur modò in sacramento: & sacramento ipso præfiguratur quiddam, quod futuri sumus: & illud, nescio quid futurum ineffabile desiderare debemus, & in sacramento gemere: vt in ea re gaudeamus, quæ sacramento præmonstratur.*

Sic Basilius habet: *Etiam nunc iustus bibit aquam illam viuentem: verùm eam posthac largiùs bibet, vbi cooptatus fuerit in ciuitatem Dei. Nunc quidem bibit in speculo, & in ænigmate per breuem comprehensionem obseruationum diuinarum. Tunc autem flumen vniuersum recipiet.*

Eadem sententia Nazianzenus ait: *Ecclesiastica politia Iudæorum cum euangelio Christi collata, Figura est figuræ.* Hac eadem sententia Origenes dixit, *Aduentum Christi in carne factum, suique in cruce oblationem, & quæcunque natura nostra intueri potest, ea omnia imagines esse rerum spiritualium, quas expectamus.* Admonendus es autem, Lector, Origenem hoc in loco de Christi in carne aduentu explicare: de sacramento verò nullum verbum facere. Sic enim ait: *Veniat ad imaginem rerum, & videat aduentum Christi in carne factum.* Hanc imaginem Oecumenius præclarè interpretatur, cùm *veritatem rerum* vocat. Eodem modo Chrysostomus ea verba exponit: *Lex habuit vmbram futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum: hoc est, non ipsam veritatem.* Euangelium veritatem ipsam appellat, non quòd Christus in sacramento præsens adsit occultè, ad quod figmẽtu n stabiliendum referuntur ea omnia, quæ hîc tam prolixè disseruit Hardingus, sed tantùm propter Christi humanæ naturæ assumptionem, quemadmodum ex iis, quæ statim consequuntur, constat. Sic enim habet: *Donec enim quis velut in pictura circunducat colores, vmbra quædam est: cum verò flores ipsos colorum induxerit, & imposuerit, tunc imago efficitur.* Sic Paulus legem vocat *vmbram, corpus autem Christum.* Atque huius rei gratia Athanasius dixit: *Euangelium est Dei verbi Domini Iesu Christi præsentia, ad humani generis salutem incarnati.* Hanc ipsam etiam ob causam Augustinus ait: *Nostra sacramenta dant salutem: Iudæorum sacramenta promittebant saluatorem: Non quòd iam acceperimus vitam æternam, sed quòd iam venerit Christus qui per prophetas pronuntiabatur.*

Ex istis verbis ita concludit Hardingus: *Euangelii lumen figura tantùm est, si cum eo lumine, quod futurum est, conferatur: Ergo, Christi corpus sub externis sacramenti formis, & accidentibus secretò occultatur.* Quanquam æquus prudénsque Lector facilè perspexerit, nullam hoc in loco, neque de secreto, neque de Præsentia, neque de Absentia, neque de Formis, neque de Elementis, neq; de Accidentibus, neque de vllo sacramento disertè factam esse mentionem. Nazianzenus autem, etiamsi sacramentum corporis Christi verbo attigisse videatur, tamen reipsa non de sacramento loquitur, sed de spirituali animorum pastu, qui Dei cognitione continetur: id quod cùm ex ipso loco, tum ex iis verbis, quæ mox subsequuntur, intelligi potest. Verba quæ præcedebant hæc sunt: *Christus bibet nobiscum nouum vinum in regno patris.* Verba, quæ pòst sequuntur, sic habent: *Quis est hic potus, & quæ est hæc oblectatio? Nostra quidem, discere: illius verò, docere. Doctrina enim etiam docenti alimenti instar est.*

Quare ineptè facit Hardingus, cùm sua de sacramento commenta, ex hiscé patribus, qui de sacramento nullum verbum habent, euincere conatur. Quod autem ad secretam, & occultam, præsentiam attinet, quàm hîc Hardingus iactat, Catholici patres Christum in sacramentis noui Testamenti sic inesse confitentur, quemadmodum in veteris Testamenti sacramentis extitit. Sic enim Augustinus habet: *Quicunque in Manna Christum intellexerunt, eundem, quem nos, cibum spiritualem manducauerunt.* Rursus ait: *Videte ergo, fide manente, signa variata. Ibi Petra Christus: nobis Christus, quod in altari Dei ponitur.* Vt Christus hîc nunc est: ita tunc illic fuit: & sicuti nunc Christus in pane adest, eodem modo in petra tum adfuit, nec secus.

Quid autem tam illustre, & perspicuum videri potest, quàm quod ipse Nazianzenus scribit, quem Hardingus præ cæteris authorẽ delegit? Hæc eius verba sunt: *Pellent me ab Altaribus. At ego noui aliud Altare, cuius ea omnia quæ nunc videntur, exemplaria tantùm sunt: non manu, aut ascia elaboratum: Mentis opus est, & contemplationis ascensus. Ibi astabo, & acceptabilia offeram, sacrificium, oblationem, & Holocausta: quæ tantò præstantiora sunt, quàm ea, quæ nunc aguntur, quantò veritas potior est, quàm vmbra.*

[Marginal notes: August. contra Faustum li. 12. cap. 20. — Augustin. in psal. 26. — Basil. in psal. 45. δια τὴν κατὰ βραχὺ κατάληψιν τῶν θείων θεωρημάτων. — Greg. Nazianzen. in sanctum Pascha Orat. 4. — Orige. in psal. 38. hom. 2. — Oecumenius ad Hebræ. cap. 10. — Chrysost. ad Hebræ. cap. 10. — Chrysosto. ad Hebræ. cap. 10. — Coloss. 2. — Athanasi. de communi. essent. P. Fi. & Spiri. S. — Augu. in psal. 73. — τροφὴ γὰρ ἐστὶν δίδαξις καὶ τῷ τρέφοντος. — Augustin. de vtilitate pœnitentiæ. — Augu. in Ioan. tract. 45. — Nazianzen. in oration. cum post ea, quæ contra Maximum, &c.]

Hardingus. 14. Sectio.

QVidam patres Signi & sacramenti *vocabulis vtuntur in eũdem sensum. Augustinus in lib. sententiarum Prosperi habet:* Caro eius est, quam forma panis opertam in sacramento accipimus: & sanguis eius, quem sub vini specie, & sapore potamus: Caro videlicet carnis, & sanguis est sacramentum sanguinis: Carne & sanguine, vtroque inuisibili, spirituali, intelligibili signatur visibile Domini nostri Iesu Christi corpus, & palpabile, plenum gratia omnium virtutum, & diuina Maiestate.

[Marginal note: De Consecr. Dist. 2. can Vtrum sub figura.]

In his Augustini verbis animaduertimus, Christi carnem appellari sacramentũ carnis eius, & sanguinem sacramentum sanguinis ipsius, quatenus operta sunt forma panis, & vini, & verè tamen, & substantialiter præsentia: similiter hanc rerum ipsarum, quæ occulta hac ratione exibentur veritatem, signum visibilis, &

palpa-

palpabilis Christi corporis appellare non dubitat. Quocirca in eo, quod signum vocat, non indicat à veritate separatum esse, sed diuersum veritatis exhibitæ modum ostendit: ideóque iuxta veritatem modi, quo exhibetur, non caro Christi est: sed sacramentum carnis Christi, quia caro non seipsam sua specie exhibet, sed in sacramento.

Episcopus Sarisburiensis.

EX hac Augustini sententia tria hæc vocabula in primis obseruanda proponit, vt videtur, Hardingus, nimirum *Forma, Operta, inuisibilis*, ad quæ si respondero, huic argumento, vti spero, satis fecero. Primùm, si *Formæ* nomen Hardingus pro externa panis forma, ac specie necessariò sumendum esse contenderit, in maximum errorem inciderit, & vel patronum, vel discipulum esse se fateatur necesse fuerit antiqui illius hæretici Marcionis, qui hoc eodem vocabulo hæresin stabiliuit suam, atque existis D. Pauli verbis. *Formam serui suscepit*, ita tum conclusit, quemadmodum nunc Hardingus facit, *Ergo Christus nihil aliud, quàm externam formam, similitudinémque, seu speciem humani corporis habuit.* Verum enimuero qui literis imbuti sunt, ij satis intelligunt, tum philosophis, tum Catholicis patribus vsitatum, & tritum esse, vt *Formæ, & speciei*, nomina non modò pro externo rerum aspectu, sed pro ipsa etiam natura, & substantia sumantur, Sic Hieronymus Christum loquentem facit: *Declinauit ad eos deserens regna cœlorum, vt cum eis vescerer, assumpta forma hominis.* Augustini, Ambrosij, aliorum testimonia prætermitto. Hanc causam fusiùs antè in decimo Articulo, sectio sexta tractauimus. Ex pauci istis facilè apparet *Formæ* nomen non tantùm speciem, sed ipsam etiam panis substantiam significare.

Hierónym: in Osee lib.3. cap. 11.

In altero vocabulo, *Operta*, id Hardingus scire se, quod ei non potest non esse notissimum, peruersè dissimulat, viderique vult sacramentorum rationem, & naturam ingnorare, quæ eiusmodi est, vt aliud externè sensibus obiiciant, aliud internè menti ostendant. De hac autem re suprà explicatum est à nobis copiosè in secunda, & octaua sectione istius articuli. Chrysostomus habet: *In sensibilibus intelligibilia nobis tradidit.* Exempli autem causâ addit: *Sic & in baptismo.* Ita Augustinus dixit: *Pij Iudæi Christum Manna intellexerunt* Similter Origenes de scripturarum litera loquitur: *Corpora prophetarum colunt posita in libris & literis, quasi in quibusdam sepulchris.* Sic Augustinus: *Sensus in litera manet, & per literam videtur.* Sic Nicolaus Cabasilas: *Spiritus celatur in litera.* Non iam Hardingus (credo) istiusmodi scribendi formas ad corporalem, Realémue præsentiam necessariò exiget. Isto modo Gregorius inquit: *Christus iu seipso immortaliter, & incorruptibiliter viuens, iterum in hoc Mysterio moritur* Vnde Glossa habet: *Moritur, id est, mors eius repræsentatur.* Quemadmodum ergo Christus in sacramento moritur, ita corpus eius in sacramento præsens adest: Christus autem in eo realiter, & reipsa non moritur: Ergo Christi corpus in sacramento realiter, & reipsa non continetur.

Chrysostom. in Matthæ. hom. 83.
ἐν αἰσθητοῖς τὰ νοητὰ παρέδωκε.
August. de vtilitate pænitēt.
In Manna Christum intellexerunt.
Orig. in Matt. tract. 26.
Aug. de spiritu & anima. ca. 2.
Nicolaus Cabasilas.
De conse. dist. 2. Quid sit sanguis..

Pluribus eò sum hac in re exemplis vsus, quò hic Augustini locus videtur omnium acerrimus. Quanquam vt hîc Augustinus Christi corpus forma speciéque panis occultari affirmat, ita etiam scribit, *Gratia Dei in veteri testamento velata latebat.* Sic quoque Gregorius ait: *Vt palea frumentum, sic litera tegit spiritum.* Sic alibi etiam Augustinus: *In veteri Testamento occultabatur Nouum.* Exponit tamen sensum ipse suum: *Occultabatur id est, occulltè significabatur.* Quare similiter nobis in ipsius Augustini verbis, & interpretatione acquiescere licebit: *Caro Christi operta, id est,* interprete Augustino, *occultè significata.*

Aug. de spiritu & litera. ca. 15.
Grego. in prologo in cātica.
August. de baptismo contra Donatist. lib. 1. cap. 15.

Ita fit, vt sacramentū carnis Christi, quod, quemadmodum Augustinus docet, eius rei, quam significat, appellationem sustinet, Caro Christi, inuisibile, spirituale, intelligibile vocetur. Eius enim officium omne: non ad os, aut dentes, vt Augustinus scribit, sed ad fidem tantùm, spiritúmque pertinet. Iccirco Augustinus, quando hæc Christi verba interpretatur, *Qui ex hoc pane comederit, non morietur* sic habet: *Quod pertinet ad virtutem sacramenti, non quod pertinet ad visibile sacramentum. Qui manducat intus, non foris: qui manducat in corde, non qui premit dente.* Similiter de Mose, Aarone Phinee, reliquísque illius ætatis fidelibus affirmat: *Visibilem cibum (Manna) spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter, gustauerunt.* Per hæc verba, *Intus, in corde, spiritualiter*, Augustinus quis sit huius vocabuli *inuisibiliter*, sensus declarat. Vnde Chrysostomus ait: *Mysterium appellatur, quia aliud videmus, aliud credimus. Nam huiusmodi est mysteriorum nostrorum natura.*

Aug. de conse. dist. 2. Vt quid.
Augu. in Ioan. tract. 26.
Chrys. 1. Cor. hom. 7.

Sic Ambrosius habet, vt supra cōmemorauimus: *Aqua sancti lauacri lauit nos: sanguis Christi redemit nos: Alterum igitur inuisibile, alterum visibile Testimonium, &c.* Sic antiquissimus ille Origenes habet: *Ioannis baptisma visibile fuit, Christi verò inuisibile.*

Ambros. de spiritu sancto. li. 3.
Orige. in Luca hom. 24.

Quemadmodum se res in baptismi sacramento habet, sic etiam in corporis Christi mysterio habet. Quemadmodum sanguis Christi, quo lauamur, inuisibilis est, ita corpus eius, quo pascimur, inuisibile est. Queadmodum inuisibilis hæc in Christi sanguine ablutio sanguinem Christi visibiliter pro nobis effusum mentibus nostris proponit, eodem modo caro Christi inuisibiliter percepta, illam ipsam Christi carnem nobis demonstrat, quæ aspectabiliter & palam cruci suffixa, & vulnerata fuit. Atque hoc modo Augustini sententia per se ipsa integra constabit, nec secretam aliquam, seu realem, seu carnalem præsentiam desiderabit.

Hardingus. 15. Sectio.

QVapropter alio in loco sic habet: Sicut ergo cœlestis panis qui caro Christi est, suo modo vocatur corpus Christi, cum re vera sit sacramentum corporis Christi, illius, videlicet, quod visibile, quod palpabile, mortale in cruce positum est, vocatúrque ipsa immolatio carnis, quæ sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, non rei veritate, sed significante, mysterio: sic sacramentum fidei, quod baptismus intelligitur, fides est. *Per cœlestem panem* [a] *non triticeum panem intellexit, sed illum cœlestem cibum, quem Christi carnem esse dicit: atque hactenus carnis eius, quam* suo modo *corpus Christi apellari docet, veritatem confirmat: quasi diceret, Cuius veritas nihilominus, si modum exhibendi spectetis, reipsa sacramentum est corporis Christi, quod specie visibile est, modò de corpore Christi, quod crucifixum est, loquatur.*

De consecr. dist. 2. Hoc est quod dicimus.

a Falsum: Cœlestis enim iste panis pro sacramento sumatur est necesse, vt planũ faciam.

Episcopus Sarisburiensis.

ADfert loco Hardingus ea, quæ contra ipsum plurimùm valent. His enim verbis Augustinus panem sic esse Christi corpus scribit, vt eiusdem panis fractio Christi mors est: verùm panis fractio non est reipsa mors Christi: ex hoc igitur consequitur, panem realiter Christi corpus non esse. Quòd autem Hardingus duobus hisce verbis, *Cœlestis panis*, magnopere confidere videtur, iisque μεταφυσικὸν duntaxat illum corporis Christi panẽ significare contendit, sciat nimirum, non modò verum Christi corpus, sed etiam sacramentum ipsum, rectè appellari posse *Cœlestem panem*, quandoquidem est illius Cœlestis panis sacramentum. Sic Gregorius Nyssenus aquam baptismi τὸ θεῖον λουτρόν, hoc est *Diuinum lauacrum* nuncupat. Sic Ambrosius verba, quæ in baptismo adhibentur *Verba Cœlestia vocat*. Sic Dionysius Oleum consecratum, τὸ θεουργικώτατον μύρον vocat, id est, *Diuinissimum Oleum*. Sic Cyrillus Manna *panem spiritualem* dicit. Ita enim habet: *Quomodo est Manna panis angelorum spiritualis? Quia quod vmbra veritatis erat, veritatis nomine in spiritu appellauit.* Quanquam autem ipsum Christi verum corpus solummodo re quidem ipsa panis ille cœlestis existat, tamen in hac Augustini sententia sic intelligi nullo modo potest, quemadmodum doctus, prudénsque lector facilè animaduerterit. Etenim primùm, Augustinus cœlestem illum panem, cuius meminit, sacramentum esse dicit. Ipsum autem Christi corpus nulla ratione sacramentum dici posse manifestum est. Sacramentum enim, quemadmodum definit Augustinus, est *signum visibile*. At Christi corpus, quod Hardingus præsens adesse fingit, videri non potest. Augustinus enim spirituale, & inuisibile esse affirmat. Ex quibus necessariò efficitur, verum ipsúmque Christi corpus nullo modo sacramentum appellari posse ideóque illud cœlestis panis genus non esse, cuius Augustinus hîc mentionem fecit.

Greg. Nyssen. de sancto baptismate. Ambro. de sacramen. lib. 2. cap. 5. Dionysi. Eccle. Hierar. cap. 3. Cyril. in Ioan. lib. 4. cap. 10.

Deinde Augustinus ait *eundem panem Christi corpus esse*: addit autem, Non verè aut reipsa, sed *suo modo*. Verum autem Christi corpus reipsa est, & omnibus modis Christi corpus, nec ad certum aliquem modum, & rationem reuocatur. Quantæ autem stultitiæ, vel amentiæ potiùs videatur, verum Christi corpus, corpus Christi *quodam modo* dicere? His itaque primùm consideratis, si quis Augustini hac de re sententiam luculentiùs cognoscere cupiat: eum ad Glossam ipsam in eadem hæc verba, remitto, quæ sic habet: *Cœlestis panis, id est, cœleste sacramentum, quod verè repræsentat carnem Christi, dicitur corpus Christi, sed impropriè. Vnde dicitur, suo modo: sed non rei veritate, sed significante mysterio: vt sit sensus, vocatur corpus Christi, id est, significat corpus Christi.*

De conf. dist. 2. Hoc est. in Gloss.

Hinc autem, Lector, perspicere potes, in quantas aduersarij nostri angustias compingantur. Nam dum sua defendere volunt insulsissima putidissimáque dogmata, eo rediguntur, vt verum Christi corpus, non rei veritate, sed impropriè corpus Christi esse dicant.

Hardingus. 16. Sectio.

HAbet insuper alio in loco Augustinus: Non hoc corpus quod videtis, comesturi estis. *Hieronymus etiam habet:* Diuinam, & spiritualem carnem manducãdam dari, aliam quidem ab ea, quæ crucifixa est. *Quamobrem si modum exhibẽdi spectes: caro diuiditur, quæ in se non nisi vna est: & caro in mysterio exhibita, est reuera sacramentum visibilis, & palpabilis corporis Christi, quod in crucem actum est. Hinc ergo consequitur, quod cùm caro iuxta qualitates exhibendi ea ipsa non sit, quæ crucifixa fuit, quæque nunc sacerdotis manibus immolatur, cúmque passio, mors, & resurrexio fieri dicantur non rei veritate, sed mysterio significante: hinc (inquam) consequitur carnem non esse eandem qualitatibus, quæ in cruce fuit, etsi substantia eadem sit.*

In psal. 98. In 1. cap. Ephes.

Ad hunc locum antè responsum est in quinto articulo, sectione septima.

Alia permulta testimonia adferre possem ad hanc rem enucleandam: sed hæc in præsentiarum satis multa sunt. Vereor autem ne nimis etiam multa videantur indoctis lectoribus, iisque qui in attento studio, & accurata veritatis indagatione minimè versantur. Ex istis locis clarissimè demonstratum est hæc vocabula, Figuram, imaginem, signum, symbolum, sacramentum, aliáque huiusmodi, non eam semper significationem obtinere, vt rerum veritatem exclusam esse arguant: sed modum tantùm præsentiæ ostendant, & designent. Quamobrem vt hanc rem concludamus, quæ ingeniis parum exercitatis perobscura est. Figura corporis, seu signum corporis, seu imago corporis occultum illum, & secretum exhibendi modum indicat, de præsentiæ veritate nihil detrahit. Sic nobis cum Iuello conuenit in hoc Articulo, quoad formam verborum: necessarium tamen existimauimus verum eorum sensum explicare, qui sacramentariorum dogmati aduersatur.

Episcopus

Episcopus Sarisburiensis.

HArdingus cùm verbis summam testimoniorum copiam venditat, tum delectu inopiam miserabilem prodit. Nam vt Hieronymi locum tacitus dimittam, ad quem suprà responsum est in Articulo 5. sectione 7. Augustini verba eiusmodi sunt, vt crassa hæc omnia & carnalia figmenta penitus euertere videantur. Quod vt quale sit meliùs intelligamus, repetendum illud est, quòd quando Christus cœlestem illam de corpore suo comedendo, & sanguine bibendo doctrinam proposuisset, Capernaitæ his auditis suspicati sint quemadmodum nunc Hardingus facit, Christum de corpore suo dentibus, & ore comedendo verba fecisse: quare vehementiùs commoueri cœperunt, durúmque esse sermonem eius dixerunt, atque ab eo discesserunt. Vnde Augustinus sic scribit: *Ipsi erant duri, nō sermo. Christus instruxit eos qui remanserāt, & ait illis: spiritus est, qui viuificat: caro autem nihil prodest. Verba, quæ loquutus sum vobis, spiritus sunt, & vita. Spiritualiter intelligite, quod loquutus sum. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, nec bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendaui: spiritualiter intellectum viuificabit vos.* Hæc satis per se perspicua verba sunt, nec prolixa interpretatione indigent.

Discrimen autem ab Hardingo confictum, inter Christi corpus, quoad substantiam, atque illud ipsum corpus quoad qualitates, ineptum est, commentitium & inane glossema. Neque enim ita habet Augustinus quemadmodum eum Hardingus loquentem facit, Non comedetis hoc corpus (ore vestro corporeo) *Quale videtis* hoc est, his ipsis mortalitatis, & corruptionis qualitatibus præditum: sed *Quod videtis*, id est, non huius corporis naturam, & substantiam comedetis.

Neque verò Christi corpus tum fuit huiusmodi qualitatibus imbutum, cùm Christus sacrosanctam cœnam obiret, & hæc verba discipulis suis enunciaret. Nam nec spirituale, nec inuisibile, nec immortale fuit, sed contrà terrestre, visibile, mortale.

Denique Augustinus nullum verbum habet, neque de carnali hac, neque de secreta & inuolucris quibusdam obtecta præsentia: neque sic scribit, vt Hardingus refert, verum scilicet Christi corpus figuram esse corporis Christi: neque duo naturalium corporum in Christo genera constituit: neque has mirificas disputationes ab Hardingo inuentas omnino agnoscit. Sic modò ait: *Non hoc corpus, quod videtis, mānducaturi estis*, nimirum corporis ore. E quibus verbis Hardingus contra Augustini manifestam, & exploratam sententiam, quemadmodum solet, contrarium concludit: *Ergo corporeo vestro ore hoc ipsum corpus, quod vedetis* ὁλικῶς comedetis.

Iam verò quandoquidem Hardingus nos proprio iudicio fretos Figuras sine ratione comminisci iactat, Christíque verba & plana esse, & sic omnino, quemadmodum eorum momenta postulant, intelligi debere contendit, nec vllum figuræ locum relinquit, necessarium esse iudico paucis exponere, cùm quid & nos, & omnes antiquos scriptores ecclesiæque doctores induxerit, vt hoc modo Christi verba interpretaremur: tum etiam quàm multas, & quàm insulsas, ac prodigiosas figuras Hardingus, suíque astipulatores in iis verbis explicandis fingendas sibi & excogitandas duxerunt. Atque vt veteres omnes Patres prætermittam, qui passim in libris suis sacramentum appellant Repræsentationem, Commemorationem, Memoriam, Imaginem, Similitudinem, Exemplar, Symbolum, Signum, Figuram, &c. Christus ipse primus omnium hanc nobis viam ostendere ac præmōstrare videtur, non modò cum in sacrosancto hoc mysterio instituendo diceret, *Hoc facite in mei commemorationem*, sed etiam, quod in sexto capite Ioannis, cùm de carnis suæ manducatione verba faceret, discipulos suos de ascensu in cœlos suo præmoneret, eísque carnem suam naturalem carnali quadam ratione perceptam nullum commodum afferre posse confirmaret.
(margin: 1. 2. 3. 4.)

Deinde, neque naturæ humanæ conuenit realiter & reipsa corpore humano vesci: neque corpus humanum realiter, & reipsa sine figura comedi potest. Hoc enim, vt loquitur Augustinus, *Flagitium esse, & facinus.* Alio item in loco habet: *Horribilius est, humanam carnem manducare, quàm perimere, & sanguinem humanum bibere, quàm fundere.* Vnde concludit, *Figura ergo est.* Similiter quoque Cyrillus habet: *Sacramentum non asseuerat hominis manducationem.*
(margin: 5.)

Præterea in his Christi verbis *duo nomina disparata* reperimus, & significatione, & natura discrepantia, *Panis* videlicet, & *Corpus*: quorum alterum, vt eruditi norunt, de altero verè dici nisi tropikῶς non potest. Huc autem accedit, quòd in singulis hisce clausulis, quæ tam propè Christi institutionem attingunt, tropus locum habet: *Bibere poculum Domini*, hoc est vinum in poculo comprehensum, Tropus est. *Bibere iudicium*: Iudicium spiritualem naturam habet, nec ore bibi potest: quare tropus est. *Corpus meum, quod Datur, quod Frangitur*, hoc est, quod Dabitur, quod Frangetur: tropus est. *Ego sum panis*: Christus Realiter & verè panis communis non erat: tropus est. *Panis est communicatio corporis Dominici*: id est, communicationem corporis Dominici repræsentat: tropus est. *Poculum est nouum testamentum*: Poculum reuera non est nouum testamentum: itaque tropus est. In singulis hisce membris tropum videat, & agnoscat Hardingus vel inuitus est necesse: ex quo manifestum est in ipsa sanctorum Christi mysteriorum institutione multiplices figuras reperiri, quæ tamen nec à ratione abhorrent, & verbi diuini authoritate confirmantur.
(margin: 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.)

Auguſt. de doctrina Christiana lib. 3. ca. 16. Auguſt. contra aduerſ. Legis, & Prophetar. lib. 2. cap. 9. Auguſt. de doctrina Christiana lib. 3. ca. 16. Cyrill. contra obiect. Theodoreti.

Iam verò rogandus es mihi, Lector, vt tecum ipse consideres quàm multa, quámque mirifica

troporum genera Hardingus,cæterique collegæ sui in hisce causis commenti sunt.

1. Primùm enim Pronomen, *Hoc*, non Hunc panem,quemadmodum veteres vniuersi interpretantur, significare defendunt, sed *Indiuiduum vagum*, quod neque panis est,nec quicquam definitum:sed quiddam est commune in genere.

2. Verbum, *Est*,sic exponunt,*Est,hoc est,transsubstantiatur.* Qui certè tropus eiusmodi est, quali nullus vnquam vsus est nec sacer, nec prophanus author, nec Catholicus, nec hæreticus: nec
3. Græcus,nec Latinus.In his verbis,*Accipite, edite,Hoc est corpus meum*, tropum quendam constituunt, qui Hysteron Proteron appellari solet, hoc est, quando tota oratio perturbata est, quódque præponi debuit, postponitur.Sic enim cõuertunt,*Hoc est corpus meum:Accipite, Edite.*

4. In his quatuor verbis ordine recto collocatis, Accepit, Benedixit, Fregit,Dedit,tres varias
5. figuras fingunt, atquè illa verba hoc modo interpretantur: Accepit, nempe Panem: Benedixit,
6. id est,Trãssubstantiauit, seu mutauit panem:Fregit,Accidentia scilicet,seu species:Dedit,Cor-
7. pus vtique suum. *Hoc facite in mei memoriã*,sic interpretatur, *Hoc significate*!Quod etiam figuris
8. expoliunt ad hunc modum, *Sacrificate me in memoriam mei.* In hoc vnico nomine, *Panis*, figura-
9. rum examen inuenerunt.Interdum panem dictum esse aiunt,quòd anteà panis esset:Interdum,
10. quòd infideles pro pane habent: Interdum, quòd Panis Accidentia, Formæque remanent:In-
11. terdum,quòd eadem hæc accidentia corpus miraculosè nutriunt instar panis: Interdum, quòd
12. panis ille supernaturalis sit, qui de cœlis descenderit.

Similiter in hoc verbo, *Frangimus*, seu *Frangitur*,miram figurarum copiam ostendunt.Etenim
13. nunc isto modo interpretantur, Panis quem Frangimus: id est, Accidentia, quæ frangimus.
14. Nunc,Panis,quem frangimus,hoc est,Panis,quem frangendum accipimus.Nunc Frangere, pro
15. Epulari sumunt:In Missis dicunt, *Frangitur*, id est, *Frangebatur.* Aliquando autem dicunt,*Fran-*
16. *giur*,id est,*videtur frangi.* Quorum omnium hæc summa est,Frangitur,id est,non frangitur.

17. In his verbis,*Non bibam ampliùs de hoc fructu vitis*: fructum vitis, qui substantia est, pro Ac-
18. cidentibus intelligunt. Atque vt illam portentosam omnium figurarum figuram prætercam,
19. quam illi *Concomitantiam* vocant, qua vnum duo fit, & duo vnum:attende, Lector, nouitatem
20. figurarum, & inaudita sophismata quæ in hoc breui tractatu Hardingus excogitauit,vt clarissima sanctorum patrum verba eluderet, atque euitaret. Aliâs formæ & accidentia sunt sa-
21. cramentum: aliâs ipsum corpus Christi est sacramentum: aliâs hæc ambo coniuncta sacra-
22. mentum efficiunt: aliâs panis est corporis Christi figura ante consecrationem: ex quo sequi-
23. tur sacramentum antè esse, quàm sit sacramentum, & figuram, quàm sit figura: aliàs sacro-
24. sancta accidentia, & externæ sacræ formæ sunt figura inuisibilis Christi corporis sub ipsis oc-
25. cultati: aliàs idem ipsum inuisibile corpus figura est visibilis corporis Christi. In quo figuram
26. figuræ habemus, & demonstrationis quoddam genus,quod dicitur *Notum per ignotum*, seu potiùs *Verùm per falsum.* Aliàs sacramentum est figura vitæ futuræ: aliàs ecclesiæ figura est,quem-
27. admodum Hosius fingit: aliàs Tertullianus ne Grammaticum verborum Christi sensum in-
28. tellexit:aliàs ipsum Christi corpus non aptè quidem, aut propriè, sed impropriè & quodam-
29. modò Christi corpus vocatur.

30. Sic nimirum Hardingus longè vagatur, & huc atque illuc cursat, & quasi viarum errore implicatus vltro ac citro spatiatur: tantas tenebras & caligines offundere, támque varias formas,ac imagines sibi assumere potest: tam multas, & tam monstrosas in sacramenti institutione comminiscitur figuras,vt vnam modò planam,vsitatam, notámque figuram repellat. Neque tamen interim ille populi simplicitate abutitur. Tum autem figuras vrget, quando figuris opus non est: nec sine ineptissimis hisce figuris tam inepta disciplina consistere vllo modo potest.Ea vnica figura,qua nos vtimur,enucleata est, clara est, omnibus antiquis patribus trita est, sacrarum literarum doctrinæ consentanea est. Hardingi verò figuræ cùm variæ sunt, tum & minimè necessariæ, & inanes sunt, nec vnquam ab aliquo ecclesiæ vetusto Doctore vel vsurpantur,vel commemorantur,eóque solùm referuntur vt obscuritatem rebus afferant, & quasi noctem diei offundant.

Quanto ei potius esset ineptias istas fabulásque pueriles dimittere, & planè apertéque cum Tertulliano vsurpare: *Hoc est corpus meum, Hoc est figura corporis mei*? vel cum Maximo scholiaste Græco: σύμβολα ταῦτα, ἀλλ᾽ οὐκ ἀλήθεια, id est,*Symbola hæc sunt, non autem veritas?* vel cum Augustino: *Figura est, præcipiens Passioni Domini communicandum esse:& suauiter, atque vtiliter,recondendum in memoria,quòd pro nobis caro eius crucifixa,& vulnerata sit.*

Tertullia. contra Marcionẽ. lib. 4. Maximus scholiast. in Eccle. Hier. cap. 2. Aug. de doctrina Christiana. lib. 3. cap. 16.

FINIS.

DE MISSARVM MVLTITVDINE,

ARTICVLVS DECIMVSTERTIVS.

Episcopus Sarisburiensis.

VEL tum fuisse licitum, 30. 20.15. 10. aut 5. Missas in vno templo celebrare eadem die.

Hardingus. 1. Sectio.

VThie Iuellus gradibus quibusdam,& proportionibus diuersis à triginta ad quinque delabitur,tollēdo primò decem, quæ est tertia pars totius: Deinde quinque à reliquo ter:ita etiam potuisset,si vellet tria detrahere de illo, qui remansit, vltimo quinquenario numero. Quod si fecisset,nos tum illum numerum sic expleßemus, vt ipse vel inuitus,si modò promisso suo stare vellet,nostras rationes comprobaret. Eum namque numerum confirmare ac stabilire possumus. Quæ autem ratio patres antiquos,ecclesiæ gubernatores induxit,vt pium atque necessarium existimarent binas die in vno templo fieri Missas, eadem quoque certis de causis vel suasit,vel suadere illis, illorúmque successoribus potuit,vt tres,vel quatuor,vel etiam aliquando quinque plurésue Missas approbarent.

Duas in vna die Missas Hardingus probare, non plures posse, profitetur.

Exilis coniectura.

Episcopus Sarisburiensis.

EAM quidem facultatem nobis Hardingus pro sua humanitate tribuere debuit,vt nostras rationes sic explicare, quemadmodum ipsi maximè vellemus bona cum venia possemus, præsertim cùm ei integrum sit reprehendere, si quid peccatum fuerit. De tanta Missarum multitudine, quantam hodie in ecclesiis suis habent & semper habuisse,atque ab initio,ab ipsa nimirum Apostolorumætate perpetuò retinuisse contendunt,si ab eo postulo, vt quinque solummodo euincat,nihil iniqui peto: quòd si autem ille ex omni numero duas tantùm proferre posit,eæque etiam ad extremum non Missæ, sedpublicæ Cōmuniones esse cōuincantur,quales nunc in ecclesiis instauratis adhibentur, tum & magnus simulator, & homo iniquus sit necesse est. Missæ autem Hardingianæ quemadmodum in tantam,& tam profusam copiam primùm euaserint, Cochlæus quidam primarius illius causæ defensor cōmonstrat his verbis: *Quod olim tā frequētes non fuerint missæ neque tot Sacerdotes,quot hodie,inde accidisse arbitror,quòd olim omnes tum Sacerdotes, tum Laici, quicunque intererāt sacrificio Missæ, peracta oblatione cum sacrificante communicabant:sicut ex Canonibus Apostolorum,& ex libris atque epistolis antiquissimorum ecclesiæ doctorum perspicuè cognoscitur.* Tum adiungit: *Nunc verò,postquam communionis ordo à nobis obseruari desiit, idque propter negligentiam & socordiam tam plebis,quàm sacerdotum,spiritus sanctus Missas priuatas celebrando,pium remedium huic defectui inuenit.* Ex his intelligimus negligentiam & otium,& remissum pietatis studium, tum in populo, tum in sacerdote, fœcundissimam esse Missarum procreatricem. Quod autem sacerdotes, quotquot adessent,cum eo sacerdote,qui cœnam administraret,communicabant,cùm ex Apostolorum canonibus,tum ex aliis permultis certissimæ fidei testimoniis, quæ nunc prudens prætermitto,planum esse posit. Huc refertur,quod in quodam libello,qui Hieronymi nomine circunfertur, sic habetur: *Non debet Episcopus repudiare Eucharistiam Presbyteri,* Sacrificuli autem Hardingiani,nullo modo abduci possunt,vt secum ipsi mutuò communicent:verùm quantumuis sint multi in vnam ecclesiam congregati,Missas tamen separatas in altaribus separatis expediūt:neque id modò, sed vnus etiam sacerdos interdum quatuor vna in die,aut quinq; ,aut plures Missas celebrauit, quemadmodum ex Concilio Toletano in Hispania habito constat. Leo Papa aliis diebus septem,aliis octo,aliis plures procurauit Missas. Denique eò tādem res immoderatæ consuetudinis excreuit,vt legibus & decretis opus esset, quibus contrarium constitueretur:Sic enim sanxerunt: *Presbyter in die non amplius,quàm tres Missas celebrare præsumat.* Facilè licet existimare sacerdotibus tum in more positum fuisse satis frequentes obire Missas, quum trium celebratione illorum definiretur officium. Quod Leonem,& alios vetustos patres impulit, vt binas Communiones vna die celebrari preciperent,id fuit, quemadmodum manifestum fiet,vt populus vniuersus quietè posset, & minùs molestè communicare. Quæ quidem res sua sponte omnem illum priuatarum Missarum abusum penitus euertit.

Io. Cochlæus de sacrificio Missæ.

Canones Apostol.can.9.

De septem ordinib Eccles. gradu.6.

Concil. Toletan.12.ca.5.

Beatus Rheuanus in annot. in Tertul. De corona Militis

Concil. Salesgunstadien.ca.5.

Leonis epist. 81.

Quæ autē rationes priuatas Hardingi Missas ad tantam multitudinē perduxerunt. Innocentio tertio authore, ac aliis, hæ sunt: *vt vna Missa sit de die:altera pro mortuis: vtq; ratio honestatis &*

De cons. dist.1. Sufficit,

De celebratione Missarum & aliis, &c.

vtilitatis habeatur. Sic enim loquuntur: *Causa honestatis, vel vtilitatis: vt si dicta Missa de die, superueniat aliqua magna persona, quæ velit audire Missam*: Faciles quidem hæ sunt causæ: iisdem fretus sacerdos, poſsit viginti peræquè, ac tres celebrare.

Hardingus. 2. Sectio.

QVòd si illæ rationes à nobis luculenter reddi possent, Iuellus tum forsan diceret, quemadmodum ij facere solent, qui suum in numerādo errorem confitentur, se sibiipsi imposuisse in supputando. Quanquam hîc mirādum sit, quòd is Missarum in vna ecclesia eodem die celebratarum numerūquendā nobis confirmandū præscribat, qui Missam funditus tollit, nec vllā velit vlla die in aliqua ecclesia Missam. Quum itaque rem ipsam omnem adeo confidenter neget, permirum videatur, quòd hunc articulum sic instituere voluerit. Quæ enim ratio mouet tantæ multitudinis confirmationem à nobis requirere, quum omnes omnino Missas è medio tollat?

Episcopus Sarisburiensis.

QVòd rationes ipse meas rectè veréq; instituerim, optimè constabit, vt spero. Sin autem Hardingus è tanta Missarum suarum multitudine duas solummodo commonstrare poſsit, eæque etiam non Missę priuatæ, sed publicæ Communiones esse clariſsimè tandem comperiantur, tum meritò existimare possumus, eum & populo vehementer, & sibi ipsi turpiter imposuisse.

Cùm prius omnino priuatam aliquam Missam intra sexcentos à Christo annos fuisse vnquam habitam negaui, tum in hoc articulo, quò homines imperiti, quibus tādiu fuit illusum, faciliùs & illam, quam Hardingus tuetur, incredibilem corruptelam intelligerent, & quantum ecclesia Romana à primitiua Christi ecclesia degenerauit, animaduerterent, non alienum duxi rem partibus suis distinctam ac diuisam proponere. Quare mirum, quod hinc Hardingus excitauit, non ita magnum est. Re bene perpensa, ipsius potiùs lector miretur mirum.

Hardingus. 3. Sectio.

CVm satis sciat, quam nos luculentas habeamus Missæ ipsius confirmationes, scrupulum in eo se nobis adferre posse sperat, vt videtur, quod nos ad numeri illius sui 30.20.15.10. vel 5. cōprobationem adigit. Equidem hoc genus hominum perinde se erga ecclesiam gerit, ac latrones impudentes, qui cùm honestum aliquem & pecuniosum virum nummo omni spoliarint, verbis etiam inhumanis affligunt, Sordide, vndenactus es tantam auri veteris vim? Quod si verò moleste ferant se cum latronibus comparari, propter loci illius dignitatem, quem occupant, non ineptè conferantur iudici cuidam in foro Stannario apud Lidfordiam Deuoniæ oppidum, qui (vt à multis accepi) nocentem quendam reum ante meridiem inter plumbarios suspendi iussit, eúmque post meridiem iudicauit: vnde communi prouerbio apud illos homines tam iniqua agendi ratio lex Lidfordiensis *appellari solet. Quod tu Iuelle, tuíque socij, qui nunc in superiore gradu sedetis, plurium Missarum in vno templo vna die celebratarum confirmationem, quasi quandam duodecimuirum sententiam à nobis postulatis, æquum & iuri consentaneum fuit, vt nostram priùs sententiam audiretis, quàm iudicium pronuntiaretis, & Missam condemnaretis.*

Episcopus Sarisburiensis.

QVàm iustis de causis Hardingus suas venditet priuatæ Missæ confirmationes, prudenti lectori facilè constiterit, si eas intueri voluerit. Hoc autem in loco satis à se confirmatam esse Missarum multitudinem iudicauit, si nos latrones, & iudices iniquos appellare, & legem nobis Lidfordiensem obiicere, atque ita se fabula anili oblectare, & importunè feriari posset. Quanquam hæc de latronibus oratio non ita est ad eius institutum accommodata. Etenim nummus, qui ei ereptus est, neque aurum fuit, neque tam vetustus fuit, quàm ipse fingit, neque Cæsaris imagine insculptus fuit. Rectiùs multò dicere ei licet: *Olim aurum habuistis: quomodo verò nūc in scoriam cōuersum est? Bonum semen habuistis: quomodo autē nunc degenerauit in Zizania? Eras aliquando fidelis ciuitas: quomodo nunc euasisti meretrix? Fuisti quondam domus Dei: quomodo nunc mutata es in speluncam latronū? Quomodo perdidistis sacram communionē, quam Apostoli à Christo acceperunt, vos ab illis? Quomodo Missam priuatam introduxistis, quam Apostoli nunquam habuerunt?* Sic, sic vos excutere possemus Hardinge. Nam de vetere tuo auro quærere superuacaneum esset. Non enim tu ille es bene nummatus, sed tenax diues, qualem te haberi vis: sed vt in Apocalypsi Ioannis scriptum est, *Dicis, diues sum, & ditatus, & nullius egeo: & nescis, quod tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.*

Esai.1. Marc.4. Esai.1. Apocalyp.3.

Neque ij semper latrones sunt, qui latronem spoliant. Sæpenumero fit, vt qui inuaditur & oppugnatur, latronem ea abiicere cogat quæ per summam iniuriam nactus est. Cicero habet: *Fures earum rerum, quas ceperunt, nomina commutant:* quemadmodum hi fures facere solent, qui Communionem Missam vocant: & Missam Cummunionem: qui publicum priuatum, & priuatum publicum appellant: quíque vt propheta Esaias loquitur, Bonum malum, & malum bonum: Lucem tenebras, & tenebras lucem dicunt: atque hac ad fraudem comparata verborum commutatione subnixi, populum miserrimè spoliant, & depeculantur. Denique fur lucis probationem ferre non potest, quemadmodum tu Hardinge, tuíque conturbernales sacrosancti verbi Dei examinationem fugitis.

Cicero Esai.5. Ioan.3.

Verùm quemadmodum adepti estis vestra omnia, & orichalcum pro auro vetere protulistis

facilè dici & explicari potest. Neque enim ipsi ea vel à Christo, vel ab Apostolis, vel à quoquam antiquo patre recepta fuisse affirmabitis. Duplicis esset latrocinij, horum vllos vestrorum latrociniorum authores & parentes facere. Cochlæus vester confitetur, quemadmodum antè diximus, vestrarum Missarum multitudinem, non à Deo, sed à negligentia & pigritia, & restincto tam in sacerdote, quàm in populo pietatis ardore manasse. Tum ignaris hominibus persuadere cœpistis, satis sibi esse in propinquo sedere: Missam vestram sacrificium esse pro ipsorum peccatis propitiatorium: Valere ipsis *ex opere operato*, licèt quid sibi vellet nescirent in vestra esse potestate eam ad quoscunque velletis seu viuos, seu mortuos accommodare: ipsam adeo eius celebrationem illis audientibus sua natura fuisse salutarem. Hoc fundamento Cantarias, Monasteria, indulgentias, supererogationes, denique nescio quid, constituistis. Sic communio sacra ex hominum memoria deleta est: sic Missæ vestræ, extra modum multiplicatæ sunt: sic vos consequuti estis, quod aurum vetus vestrum appellatis. Tum cœpit illa primùm existere dubitatio, vtrùm Christus in hostia aliqua constitutus, se ipse videre posset eodem tempore in alia hostia præsentem. Tum miserarum viduarum domos deuorare cœpistis. Cuius rei causa Glossa vestra ipsa de sacerdotibus vestris, qui pro animarum salute Missas faciunt, sic loquitur: *Malus presbyter æquiparatur coruo, in nigredine vitiorum, in raucedine vocis, in voracitate oblationum mortuorum, in fœtore spiritus, in garrulitate, & in furto.* Huic nundinationi optimè conueniunt Augustini verba: *Si presbyter intercessiones vendit, viduarum munera libenter amplectitur, negociator magis videri potest, quàm Clericus. Nec dicere possumus, Nemo nos inuasores arguit: violentiæ nullus accusat: quasi non interdum maiorem prædam à viduabus blandimenta illiciant, quàm tormenta. Nec interest apud Deum, vtrum vi, an circumuentione quis res alienas occupet.*

Cochlæus de sacrificio Missæ.

Rob. Holcot. lib. 4. quæst. 3.

2. Quæst. 3. Non omnes. In Glossa.

De verbis Domini in Euangelio Matth. serm. 19.

Hæc ea sunt, quæ ipsi ablata conqueritur Hardingus. Iulius Cæsar ter mille pondo puri auri ex ęrario Romæ surripuit, totidémque orichalci aurati pondo reposuit. Lysander ex sacculo quodam magnam auri vim suffuratus est, futuris in fundo dissolutis (os enim obsignatum fuit) & postea cōsutis diligenter. Verùm Cæsaris orichalcum index lapis prodidit. Lysandri furtum ex schedula quadam, quæ in sacculo remansit, cognitum est. Quare quicquid ij, in quorum castra Hardingus transfugit, quáque se spoliis spoliatos esse suis acerbissimè conquerūtur, nec latrones dici vllo modo volunt, in ecclesiam tanquam in Dei magnum ærarium vel intulerunt, vel inde surripuerunt, syngrapha conuincit, lapis index prodit, tegi non potest.

Suetonius in Iulio.

Plutarchus in Lysandro.

In illa sua Lidfordiensi fabula, quæ est omnino par Amphilochianæ, cùm nos iudici præcipitanti comparat, tum Missam suam nocenti reo similem facit. In quo, etsi facilè possemus, & verè respōdere, nulla nobis opus esse lege, ad eas res abrogandas, quas illi per vim contra ius ac fas inuexerant Missamque suam spōte sua corruisse, & communioni sacrosanctæ vel inuitam cessisse, quemadmodum tenebræ profligantur à luce, & vt Dagon idolum coram arca Dei Israelis collapsum est: tamē Hardingus satis nouit in istis Religionis causis nihil vnquam vel temere, vel repentinò, vel inter paucos tentatum esse, sed in ipso publico totius regni concilio, re diu & multùm deliberata, æquè & bona cum venia auditis, quæ obiici, quæ responderi, quæ disputari in vtramque partem potuerunt, & ad extremum pronuntiata sententia ex authoritate & consensu omnium huius nobilissimi regni statuum atque ordinum. Non satis sanè consultum duco, nec dignum omnino qui sedem habeat in Anglia, quisquis illius summæ ac splendidissimæ curiæ dignitatem atque amplitudinem cū lege conferat Lidfordiensi.

1. Samuel 5.

Longum autem esset commemorare cuiusmodi legibus Hardingi collegæ vsi fuerint, quando in loco superiori sederent. Demortuorum cadauera è sepulchris effoderunt, & solenni ceremonia iudicarunt atque condemnarunt. Sanctus ille Romanus, instar præcocis illius Lidfordiensis iudicis patrem reuerēdissimum D. Cranmerum Cantuariensem Archiepiscopum Romę in vmbratili quodam & personato ludo combussit, priusquam eum vel vidisset, vel loquentem audiuisset: cum interim Oxonij in ipsum quæstionem haberent, & cremandum postea iudicarent. Hominem innocentem, qui nullam legem violarat, primùm comprehenderunt, & in custodiam tradiderunt: pòst legem, qua eum condemnare possent, excogitarunt. Perinde Christum Cyrillus à Iudæis tractatum fuisse scribit: *Primùm ligant: deinde causas in eum quærunt.* Atque vt alias illorum innumeras taceam importunitates, & incredibiles fraudes, primùm Missas suas in omnes regni partes dissiparūt, & inuitis obtruserunt contra legem: deinde legem constituerunt: postremò, anno subsequente disputationem solennem Oxonij indixerunt, & habuerunt, vt legis illius æquitatem explorarent. Hęc quidem ratio non admodum dissimilis legi Lidfordiensi videatur. Ordo enim naturæ postulabat vt primùm disputaretur, deinde lex promulgaretur, postremò, si quid in eam à populo peccatum esset, vindicaretur. Verùm Tertullianus hebet: *Hæretici ex conscientia infirmitatis suæ nihil vnquam tractant ordinariè.*

Cyrillus in Ioan. lib. 12. ca. 45.

Tertul. de resurrectione carnis.

Hardingus 4. Sectio.

IAm verò quod ad numerum, iterationémque Missarum attinet, primùm luculenta vetustatis authoritate [a] *duarum in vno templo eadem die celebrationem Missarum confirmare licet. Eloquens ille, sanctúsque pater Leo primus ad Dioscorum Alexandrinum Episcopum sic scribit*: Volumus quoque illud custodiri, vt cùm solénior Festiuitas conuentum populi numerosioris indixerit, & ad eam tanta multitudo conuenit, quæ recipi Basilica simul vna non possit, Sacrificij oblatio indubitanter iteretur: ne

a Falsum: Hæ nāque duæ Missæ, duæ sunt communiones.

iis tãtùm admissis ad hanc deuotionem, qui primi aduenerint, videãtur ij qui postmodũ cõfluxerint, nõ recepti. Cũ plenum pietatis atque rationis sit, vt quoties Basilicam, in qua agitur, pręsentia nouę plebis impleuerit, toties sacrificium subsequens offeratur.

Basilica impleta.

Ab isto patre, quem magnum illud generale Calchedonense Cõcilium, [a] *summum Ecclesiæ Christi gubernatorem agnouit, & Episcopi vniuersalis titulo decorauit, sancitum est, vt sicubi vna Ecclesia totam multitudinem simul recipere commodè non posset, eorum, qui post primos venissent* [b] *deuotioni satisfaceret, Missam iterando. Atque ne quis fortè dubitaret, an ita fieri liceret, quandoquidem de eo tum aliqui dubitabant, vt nunc etiam reperiuntur, quibus istuc dubium videatur: quò omnem dubitationem tollat disertè ait:* Sacrificij oblatio indubitanter iteretur, *hoc est, Missa iterum celebretur, sine omni scrupulo, hæsitatione, ac dubitatione. In illa autem epistola duas ostendit grauissimas causas, ob quas plures vna Missæ in vno templo celebrari possint in die vna. Prima, ne qui serius aliquanto venissent, non* [c] *recepti viderentur: altera, ne quædam pars populi suæ deuotionis fructu priuaretur, quemadmodum ipse ait.* [d] Necesse est autem, vt quædam pars populi sua deuotione priuetur, si, vnius tãtùm Missæ more seruato, sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte conuenerint. *Neque verò repelli populus debet, quem Deus elegit, aut dissipari, quem Dominus collegit, aut deuotione sua fraudari, subtrahendo ei missam, sed magis ad eam excitari deuota sua præsentia in eiusdem celebratione, in qua Mors, & Passio Domini nostri oculis nostris ad viuum repræsentatur: idem ipsum nempe corpus, quod in cruce mortuum est, ab illis per ministerium sacerdotis oblatum patri, in mysterio, sed tamẽ verè, non vt noua sit redemptio, sed in commemorationem peractæ antea redemptionis.*

[a] Falsum: in eo enim Concilio nullus est huiusmodi canon.

[b] Hæc nempe deuotio fuit, vt totus populus Cõmunionẽ simul sumeret, quod priuatæ Missæ aduersatur.

[c] Ad communionem.

Populus sacrificium offert. Cæcus commẽtarius textui contrarius.

Ex hoc testimonio intelligimus, licitum fuisse intra sexcentos annos à Christo (nam Leo vixit circiter annum Domini 450.) duas celebrare in vno templo, atque in vna die Missas: tantum enim certè verbum illud, Iteretur, *innuat est necesse: sique plures, ita postulante occasione, fuerint, vocabulum optimè conuenerit.*

Quare pio huius sanctissimi Episcopi decreto, consuetudo illa vnam tantùm Missam vna die celebrandi sublata fuit, cautúmque est, vt si populi essent duo separati ad Ecclesiam conuentus, duæ conficerentur separatæ Missæ, quò hæc duo incommoda cauerentur, ne aut qui postmodum venissent, non recepti, sed potiùs reiecti, tanquam homines excommunicati, viderentur, aut populi pars quædam deuotionis suæ fructum amitteret. Vnde sic concludo: Causis positis effecta consequuntur: at periculum illud, ne populus reyci videatur, & deuotione sua priuetur, quæ causæ sunt interandæ in vna die Missæ, illa ætate quibusdam festis diebus ter, vel etiam quater, aut quinquies accidit, vt existimare licet, & nostris quidẽ temporibus ita sæpe, aut eo etiam sæpius vsu venit: Quare toties celebrari in die vna, vnóque templo Missa potest.

Fallacia. A non causa vt causa.

In magna Christianorum hominum frequentia, vt in vrbibus, alios manè ad Ecclesiam confluere, & spiritualem victimam offerre videmus, quò nimirum Deo antè, quàm hominibus in negotijs suis secularibus seruiant: non omnes autem possunt tam diluculò venire. Alij suis opportunis temporibus conueniũt, quidam sexta, quidam septima, quidam octaua, quidam nona, decimáue hora. Si qui legitimis impediti occasionibus, primis horis adesse non possent, postea venientes à sacerdote istiusmodi duris verbis exciperentur, Aut ad has illásue horas præstò adeste, aut nullam Missam percipietis: nónne iuxta illud Leonis dictũ reiecti, & deuotione sua priuati videbuntur? Non omnes deuoti homines circum D. Pauli templum habitantes ad matutinam seu Cursoriam Missam accedere possunt manè hora quarta, aut quinta, nec omnino ad solẽnem, & summam Missam. Num ij omnes, quando dies sunt agendi vel publicum Concilium celebratur maxima hominum frequentia, spirituali illa consolatione priuabuntur? Quod si acciderit, nónne & reiecti, & à sua deuotione repulsi videbuntur? Quod ne contingat, Leo non modò duas, sed tres aut quatuor aut plures etiã Missas in die celebrari iubet: sic enim ipsius verba habent. Cùm plenum pietatis atque rationis sit, vt quoties Basilicam, in qua agitur, præsentia nouæ plebis impleuerit, toties sacrificium subsequens offeratur. *Hic disertè vult Missam toties peragi, quoties nouus fit conuentus deuotæ plebis, idque propter has grauissimas causas, ne populi pars quædam non recipi, néue deuotione fraudari videretur.*

Episcopus Sarisburiensis.

DEmiror sanè, qua fronte potuerit Hardingus hunc sanctissimum patrem tam inconsideratè in hac causa vsurpare. Optimè enim nouit, neque ignorare, quippe doctus, vllo modo potest, Leonem cum aliâs, tum in hoc loco imprimis manifestum contra Missam testimonium dicere. Sicut autem alcumistæ cuiusuis metalli in aurum mutandi scientiam profitentur: sic isti facultatẽ quãdam adepti esse videntur res cunctas transsubstantiandi, atque in Missam suã conuertendi. Ex Augustino atque Hieronymo, qui non ita multùm antè vixerunt, quàm Leo, manifestò constat, Romæ, cuius ciuitatis Leo Episcopus extitit, tunc temporis totam plebem, singulis diebus communionem percepisse: quam Leo Missam vocat, verbo Latino, quod tum in Ecclesia Latina vsurpatum esse cœpit. Qua in Ecclesia, prout Græcis etiam Asiaticísque Ecclesiis in more positum fuit, vna tantùm Missa, seu communio in die celebrabatur, nisi quando tanta esset communicantium multitudo, vt aliter facere necessarium esset. Atque hoc institutum Ecclesiarum ad ætatem Papæ Deus dedit, qui vixit anno Domini sexcentesimo decimo durauit, quemadmodum in proxima huius articuli sectione apparebit.

August. de verbis Domini secũdùm Lucam. Sermo. 28. Hierony. in Apologia aduersus Iouinian. Augu. de bono perseuerantiæ. lib. 2. cap. 4.

Equidem in hisce Leonis Papæ verbis, nullum neque priuatæ Missæ, neque simplicis communionis, neque diuersorum altarium, neque plurium sacerdotum, quàm vnius in vna Ecclesia vestigium ostenditur. Et quanquam hæc verba eiusmodi sunt, vt per se satis dilucida esse videantur, tamen

tamen ex aliorum collatione, considerationéque locorum cognitam magis, & exploratam habere Leonis sententiam licebit. In Concilio Agathensi, quod Cœlestino primo Papa habitum est, circiter Annum Domini 440. decretum fuit hoc modo: *In Paschate, Natali Domini, Epiphania, Ascensione, Pentecoste, Natali S. Ioannis Baptistæ, & si qui maximi dies in Festiuitatibus habentur, non nisi in ciuitatibus, aut Parochiis Missas teneant.* Perinde etiam in Aruernensi Concilio sancitum fuit, *Vt Presbyteri in villulis habitantes, & ciues omnes natu maiores in præcipuis festiuitatibus nullatenus alibi, nisi cum Episcopo suo in ciuitate diuina mysteria celebrarent.* In illis autem solennioribus diebus, tanta sæpenumero fuit hominum frequentia, vt ipsum templum totam continere non posset multitudinem.

Concil. Agath. can. 21. anno 440.

Concil. Aruer. ca. 14. anno. 557.

Quapropter institutum cautúmque fuit, valdè quidem rationi & humanitati conuenienter, quò nulla pars populi à sacris mysteriis repelletur, vt omnis cœtus per partes accederet, eo modo quo commodè recipi Ecclesia posset, vtque, si huiusmodi aliqua postularet occasio, tum sacerdoti fas esset Communionem bis, aut sæpius in die administrare. Atque vt nos testimoniorum, quibus vtitur Hardingus, numerum augeamus, Augustinus Communionem bis ætate sua quibusdam in locis, simili occasione procuratam fuisse scribit. Sic habet: *In quibusdam locis, vbi maior, & frequentior est Populus Dei, Quinta Sabbati hebdomadæ vltimæ Quadragesimæ bis offertur, & manè, & ad vesperam: aliis autem in locis ad finem tantùm Diei mos est offerri.* Neque verò inficiari potest Hardingus hæc Augustinum de Communione, non de Missa loquutum esse. Hoc etiam est, quod Gregorius sacram communionem in Natali Domini tribus separatis vicibus obierit. Itaque cùm populi cœtus frequentior esset, Missa seu Communio ea die bis, aut ter, aut ampliùs celebrari solebat: non quò populus Missam audiret, quemadmodum Hardingus malitiosè fingit, sed quò tota multitudo communicaret. Quæ res cum hac recentiore ætate quorsum introducta esset propter desuetudinem homines ignorarent, eam ad quoddam imaginarium, nugatoriúmque mysterium retulerunt, vt prima nempe Missa ignorantiam ante legem significaret: secunda tempus illud sub lege: tertia tempus gratiæ.

August. Epist. 118. ad Ianuarium.

Greg. in euang. hom. 8.

De Conse. dist. 1. Nocte sancta.

Habes itaque Christiane lector, certissimam huiusce doctissimi patris sententiam, cùm clara historia circunstantiáque temporum illorum, id quod ex duobus illis Conciliis Aruernensi, & Agathensi apparet tum etiam disertissimis Augustini, & Gregorij testimoniis comprobatam.

Iam itaque videamus quos hîc commentarios, & quas coniecturas atque suspiciones excogitarit Hardingus, vt sacrosanctam Communionem in suam commutaret priuatam putidissimam Missam. Primùm ait: *Magnum illud & Oecumenium Calchedonense Concilium Leoni huic, Romano tum Pontifici, vniuersalis Episcopi titulum obtulit:* Quod & à causa alienũ est, & summę falsitatis meritò suspectum. Cùm enim illud Concilium integrum atque absolutum extet, nullus in eo tamen vel Canon, vel Titulus huiusmodi repetitur: Vnus Gregorius hoc scriptum reliquit, qui tamen etiam addit, Leonem adduci nunquam potuisse, vt se Episcopum vniuersalem appellari permitteret, eúmque titulum *Superbum, Arrogantem, Antichristianum* vocat. Quod Leo scribit, *Qui postmodum confluxerint, non recepti videantur*, de communione intelligit, non vt somniat Hardingus, de Missa. In quo etiam atque etiam notanda sunt obiter hæc Leonis verba: *Sacrificium offerre nõ possunt.* In his verbis sacrificium illud, quod tantopere iactat Hardingus, non minùs à populo, quàm à sacerdote offerri clarissimè docet.

Superbum arrogans. Antichristianum.

Quod autem præterea animaduertit Hardingus, verbũ hoc, *Iteretur*, non minùs tribus, aut quatuor, aut pluribus Missis quadrare, quàm duabus, istuc quidem nemo negat: animaduertendum tamen etiam illud fuit hoc ipsum verbum, *Iteretur*, de vno eodemque sacerdote, nõ de alio quoquam esse necessariò intelligendum. Si enim altera Communio ab alio fuerit, non ab eodẽ celebrata sacerdote, iterata rectè dici non potest. Huc etiam accedit, quod idem ipsum vocabulum euincat, eandem communionem, cum huiusmodi occasio postularet, successione quadam fuisse celebratam: non duas Missas, aut tres, aut quatuor, aut sex, aut decem simul omnes factas, vti nunc Ecclesiæ Romanæ mos obtinet.

Iteretur.

Hinc Hardingus nobis syllogismum hunc dialecticè conclusum proponit? *Causa quæ Leonem commouit, vt hanc rationem institueret, ea fuit, quò tota plebs deuota Missam audiret: credibile autem est plebem diuersis temporibus ad Ecclesiam confluxisse, alios maturiùs, alios seriùs, non pariter omnes: Ergo verisimile est, quò plebis deuotioni satisfactum esse posset, varias fuisse in die celebratas Missas.* Credibile verò multò magis est, Hardingum huius argumenti partes ac probabilitatem nunquam expendisse. Primò enim *Maior* manifestò falsa est, ducta *A non causa, vt causa.* Non enim ea fuit causa, quæ Leonem induxit, quò nimirum populus Missam audiret, vt iam ostendimus, sed quò sanctam perciperet Communionem.

Minor autem, etsi quadam ex parte videri vera possit, prorsus tamen à Leonis sententia discrepat. Non enim Leo de vno homine, vel duobus, vel de vsitata cuiusque diei ratione meminit, sed de solennioribus, celebrioribúsque feriis, déque tanta hominum frequentia, quanta Basilicam totam complere posset. Perspicua eius verba sunt: *Cùm solennior festiuitas conuentum populi numerosioris indixerit:* Deinde, *Quoties Basilicam præsentia nouæ plebis impleuerit.* Itaq; quod Hardingus acri studio cõtendit Leonem tam singularem habuisse rationem vel tẽporis illius, quo publica iudicia Londini exercentur, vel populi Paulinam Ecclesiam circunfusi, vel Missæ Cursoriæ audiendæ, in eo ineptè ac pueriliter nugatur: quemadmodum etiam in eo facit, quod addit, *Populus spirituali con-*

solatione priuabitur. Etenim quam (quæso) consolationem percipere populus possit, cùm nihil vel videat, vel audiat, vel intelligat, vel cognoscat, vel discat: sed astet modò quasi attonitus, sensibúsque suis orbatus omnibus? Deponat aliquando fucum Hardingus, atque ingenuè ostendat, quibus tandem modis ac rationibus populus in Missa, hanc, cuius meminit spiritualem consolationem assequi possit. Si vera & cognita loqui vellet, quod quidem rarò facit, cæcitatem magis spiritualem quandam nominaret.

Quòd autem suum illud, *Toties*, *Quoties*, vrget, eóque Missarum immensam vim extruere atque fundare conatur, si ipsam omnem verborum comprehensionem attentè considerasset, & suam ipse leuitatem meliùs animaduertisset, & minorem fallendi populi occasionem inuenisset. Non enim ita loquitur Leo, vt eum loquentem facit Hardingus, *Quotiescunque plebs ad Ecclesiam confluxerit*: sed quemadmodum iam diximus, *Quoties Basilicam nouæ plebis præsentia impleuerit.* Cùm occasio huiusmodi tulisset, repetere communionem fas erat, non aliâs. His verbis multùm de Hardingi *Totquot* detractum est.

Ad extremum sic concludit, vt non modò Leoni suo, sed ipsi etiam vsitato Ecclesiæ suæ instituto ac mori contradicat: *Posse nimirum vnum sacerdotem* (nam de vno loquitur, non de multis Leo) *Missam indubitanter iterare, quoties populi conuentus fuerit.* Nunc enim vni sacerdoti satis esse iudicatur, si vel vnam in die Missam celebrarit. Sic nempe Alexander Papa decreuit: *Sufficit sacerdoti vnam Missam in vno die celebrare*: nisi fortè magnæ necessitatis causa, quam (vt antea commemoratum est,) Glossa rectè exponit, *Causa honestatis, vel vtilitatis*: exempli gratia, si qua nobilis persona ad Ecclesiam præter expectationem aduenerit. Similiter Consilium Salegunstadiense disertè vetuit, ne quisquam sacerdos sibi assumeret, vt plures, quàm tres Missas, in vno die celebraret, vnam ordinariam præsenti diei debitam: alteram pro defunctis: tertiam, honoratæ alicui personæ gratificandi causa. Atque hoc etiam illud Hardingi, *Totquot*, nonnihil restringit. In istis cautionibus, nulla deuotionis popularis ratio habetur: sed plebs contra nouum Hardingi canonem spirituali sua consolatione planè destituitur. Atque hoc est, quod Papa Clemens septimus, fratrem quendam Stuppinum flagellis nudum cædi per plateas iusserit, quòd is satisfaciendæ populi deuotionis causa, quinque, aut sex, aut plures Missas in vna die celebrasset. Vides itaque Lector optime, & partes & momenta syllogismi Hardingiani. *Maior* falsa est: *Minor* longè à sententia Leonis aliena: Conclusio sibi ipsi contraria.

De consec. dist. 1. Sufficit. De celebr. Missæ. Consuluisti. In Glosa. Concil. Salegunsta. cap. 5.

Hardingi syllogismus.

Sic quidem existimo, si tum legitimum fuisset habitum tot confitere Missas angulares, quot exinde in Ecclesia Romana fuerunt vsurpatæ, & Dioscoro Leonis hac de re sciscitari sententiam & Leoni hoc institutum sancire fuisset superuacaneum.

Hardingus. 5. Sectio.

QVare, qui Missarum in vna Ecclesia, & in die vno celebratarum iterationem reprehendunt, ij huius præstantissimi patris iudicio, populum fidelem & contumeliosè reiiciunt, & deuotione sua spoliant. Qui verò Missam, quæ est externum & perpetuum noui Testamenti sacrificium, vt [a] *scriptura testatur, funditus abrogant, ij non alij sunt, quàm Antichristi præcursores.*

a Falsum: honesti pudoris expers: nouit enim Hardingus nullâ in totis scripturis Missæ huiusmodi tributam esse commendationem.

Episcopus Sarisburiensis.

AD superiorem huiusce rationis partem iam antè responsum est: quod autem ad secundam attinet, si qui horrenda Missæ vitia correxerunt, Antichristi sunt prænuntij, quales tandē eos esse iudicabimus, qui prudentes & scientes ea omnia & inuenerunt, & constituerunt flagitia? Qui populo Dei non modo sacram communionem, sed etiam perceptionem, suauitatem consolationem eripuerunt? Qui Dei filios pane vitæ spoliarunt, eósque confusionis pane, id est, ignorantia, superstitione, idololatria pauerunt? Qui Christi sanctissima mysteria truncarunt, & adulterarunt, Domini que castra nefariè polluerunt? Quique cùm hæc tam indigna atque improba facinora perpetrarint, non tamen erubescunt ea defendere, atque propugnare? Quid de eis Dei populus sentiat: Et cuius tandem ij sunt prænuntij? Gerardus Lorichius Hardingi magnus astipulator habet: *Missæ priuatæ, quæ absente populo Catholico fiunt, abominatio veriùs, quàm Oblatio, dicendæ sunt.* Augustinus etiam habet: *Si Ioannes ita diceret, Si quis peccauerit, me habetis Mediatorem apud Patrem, & ego exoro pro peccatis vestris, Quis eum ferret bonorum, & fidelium Christianorum? Quis sicut Apostolum Christi, & non sicut Antichristum intueretur?*

Gerardus Lorichius de Missa pub. prorogan. lib. 3. August. contra Parmenianum lib. 2. cap. 8.

Hardingus. 6. Sectio.

VT hîc aliquid ampliùs in huius articuli confirmationē adiungam si Missarum iteratio in vno tēplo & vno die prorsus illicita fuisset, patres Concilij Antisiodorensis non decreuissent, ne liceret duas Missas super vno altari in vna die celebrare: neque presbytero fas esset in quo altari Episcopus Missam fecisset, illa die in eodem Missam facere. Præterquam enim quod ipsa prohibitio præsupponit, rem illam quæ prohibetur, antè fuisse vsurpatam (nam alioqui superuacaneum esset prohibuisse, atque hinc constat antequam illud perlatum esset decretum, plures Missas in eodem altari vna die celebratas fuisse) huius decreti argumentum præclarè ostendit, ipsa Concilij huius authoritate tum licuisse, plures in eadem Ecclesia in die vno celebrare Missas. Hæc enim Concilij prohibitio generalis non est, sed particularis, ad certum quendam Ecclesiæ locum restricta, In vno Altario, *quod nullo modo generaliorem latioremue materiam, quàm se includit, quasi neque in alio vllo eiusdem Ecclesiæ altario, eadem die Missas celebrare liceret: sed necesse*

Suam Hardingus coniecturam extra fines constitutos Ponit. Habitum est enim hoc Concil. Anno Domini 613.

Non licet super vno altario in vna die duas Missas celebrare: nec in altario vbi Episcopus Missas dixerit presbyter illa die Missas dicat. *Cōcil. Antisiodoren. ca. 10. Anno Domini 613.*

cesse est, vt cum hac vnica causa prohibeatur, licentiam arguat in reliquis eiusdem generis, & subiecti, *quæ illa prohibitione disertis verbis non continentur. Itaque non licet ratione concludere ad hunc modum. Vetitũ est plures Missas in vna ara in die celebrare: Ergo vetit est, plures omnino Missas in vna Ecclesia in die celebrare super diuersis aris: sed contra sequitur: Ergo multas super altaribus diuersis in die vna Missas celebrare licet. Sic etiã, Non licet illa die Missam celebrare in altari, in quo Episcopus celebrauit: Ergo in alio altari licet. Nam alioqui lex generatim prohibuisset, ne Missa omnino celebraretur in ea ecclesia, in qua Episcopus illa die celebrasset. Tum enim & illo altari & omnibus simul altaribus interdictum fuisset. Vno autem prohibito altari, cæteris tribus vtendi lex potestatem tribuit.*

Atque hoc genus argumentandi, quòd legem, quæ vnum aliquid prohibet nominatim, reliquum, cuius nulla habetur in prohibitione mentio, affirmare concludit, iurisperiti suis principiis contra Iuellum defendent, quibuscum ille non potest iusto sacramento de hac re contendere. Illi enim statuunt. Edictum prohibitorium, in huiusmodi rebus, quæ non sunt omnino sua natura illicitæ, quædam prohibendo, cætera permittere, quæ specialiter non prohibentur. Ideóque omnes testimonium dicere possunt, qui specialiter non prohibentur: omnes procuratores suos, qui pro illis in iudicio respondeant, constituere possunt, nisi qui speciali exceptione prohibentur: quemadmodum prohibitoria sunt de procuratoribus & testibus edicta. Quod etiam Lex Iulia *vetat mulierem adulterij damnatam testimonium in iudicio dicere, ex eo ius ciuile concludit, mulieres posse in iudicio testimonium dicere.*

In genere permissorũ, omnia intelliguntur permissa, quæ specialiter nõ reperiuntur prohibita.

Lex Iulia de testibus. ff.

Præterea affirmant, exceptionem specialem, confirmare regulam generalem, & efficere vt cætera ea, quæ non excipiuntur, certiora stabilioráque sint, & in sensu exceptioni contrario valeant.

Exceptio cõfirmat regulam in non exceptis.

Episcopus Sarisburiensis.

QVæ hîc tam multis ab Hardingo differuntur, omnia concedi nullo causæ præiudicio possunt. Hoc enim Concilium habitum est Antisiodori, quemadmodum Hardingus ipse in margine indicauit, anno Domini sexcentesimo decimotertio: atque proinde neque illius causam meliorem, nec nostram deteriorem facit, quippe quod extra illum sexcentorum annorum ambitum constituatur. Qui autem illius Concilij acta euoluere voluerit, facilè permultos inanes & horrendos abusus, & vt Concilij verbis vtar, *Incestas consuetudines* illo tempore in Ecclesiam inuasisse perspexerit: quales nimirum hæ sunt, *Strenæ diabolicæ: vota superstitiosa: ad arbores satiuas aut ad fontes precari, quemadmodum Pagani solebant: in diuino sacrificio mulsum offerre: mortuis Eucharistiam tradere*, atque huiusmodi alia. Quòd autem vnà cum his, cæterísque consimilibus flagitiis Missarum quoque iteratio, eo primùm tempore, nec antè cœperit, ex ipso adeo Pontificali manifestum esse possit, in vita Papæ Deus dedit, vbi sic habetur: *Deus dedit constituit secundùm Missam in Clero.* Petrus autem Vrbeuetanus in suis in eum locum scholiis scribit: *Quia tunc ad instar Græcorum, non cantabatur in vna Ecclesia, nisi forsan vna Missa, quod magis ædificabat secundùm antiquos.* Similiter Thomas Valdensis habet: *Græci adhuc vnicam tantùm Missam in die celebrant*: Sic etiam Franciscus frater ad suos fratres scribit: *Moneo & exhortor vos in Domino, vt in locis, in quibus morantur fratres, vna tantùm celebretur Missa in die, secundùm formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ.* Ita Mediolanensis Ecclesiæ morem ætate sua Ambrosius exponit: *Omni hebdomada offerendum est: etiamsi non quotidie peregrinis: incolis tamen vel bis in hebdomada* Ambrosius communionem suo tempore semel, aut bis in hebdomada, aut maximùm in die semel, si occasio grauior oblata esset, non autem vicies, aut tricies in die administratam fuisse testatur.

Canon. 1. Can. 3. Can. 8. Mellitum vel Mulsum. Can. 12.

In tomo 2. Concil. in vita. Deus dedit. Anno 614. Petrus Vrbeuetanus. Thomas Valdẽsis lib. 6 cap. 34. Franciscus in epist. ad fratres. Ambros. 1. Tim. cap. 2.

Quòd autem Hardingus suam Missarum multitudinem ex eo maximè comprobare videtur, quòd in hoc Antisiodorensi Concilio diuersorum reperitur altarium mentio, monendus mihi est, ante illud Concilium nullum extare altarium eiusmodi frequentationem atque incrementum. Vnum altare toti Ecclesiæ sufficere putabatur, idque in medio Ecclesię constituebatur, vt ex omni parte à plebe circunfusa adiri posset. Sic Eusebius scribit: *Absoluto templo, & altari in medio constituto.* Augustinus etiam habet: *Mensa Domini est illa in medio constituta.* Eodem modo in Constantinopolitano Concilio habetur: *Tempore Diptychorum cucurrit omnis multitudo cum magno silentio circum Altare, & audiebant.* Si litigandi occasionem arripere Hardingus ex eo voluerit? quòd vnius tantùm altaris nulla adhuc fuerit mentio, ideóque esse plura quàm vnum potuisse contenderit, rogandus nobis est, vt illum Eusebij locum à me citatum cõsulat, in quo hæc sunt: *Augustum & magnũ & vnicũ altare.* Sic Ignatius habet: *vnũ est altare toti Ecclesiæ.* Sic Chrysostomus: *Baptismus vnus est, & mensa vna.* Sic etiã Gentianus Heruettus Ecclesię Gręcę rationem, quam hodie obtinet, commemorans sic habet: *In Græcorum templis vnum tantùm est altare, idque in medio choro, aut presbyterio.* Chorus autem in medio cœtu constitutus fuit. Ex his itaque constat, nullam posse Missarum iterationem, multiplicationémque euinci ante illud Concilium Antisiodorense, quod quando primorum sexcentorũ annorum cancellis minimè circunscribitur ad illius rationes nihil confert.

Ignatius ad Philadelphiẽ. Eusebius lib. 10. cap. 4. In Encæniis. August. de verbis Domini secundùm Ioan. sermo. 47. Concil. Constãtino 5. Actione 1. Euseb. lib. 10. cap. 4. Ignatius ad Philadelphienses. Chrysost. in 2. Cori. Hom. 18. Gentianus. Heruettus.

Illa autem principia iuris, quæ instar cuiusdam accessionis, fuerunt introducta, facilè possunt tutóque dari. Fateor enim legem eam, quæ speciatim aliquid prohibet, generatim permittere quicquid non est disertè prohibitum. Facilè inquam concedi istuc potest: vulgò in scholis appellatur *Argumentum à contrario sensu.* Quanquã hæc regula, quæ vsque adeo generalis est, exceptiones forsan aliquas admiserit, si nõ in iure, at certè in Theologicis quibusdã causis. Vt exempla proferamus, Dominus ait, *Non fœnerabis fratri tuo: nulla sit meretrix in filiabus Israel: Non accipies in matrimonio sororẽ vxoris tuæ quousque vxor tua vixerit. Nõ cõmittes adulteriũ.* D. Paulus ait, *Ne sitis inebriati vino.*

Deut 23. Ibidem. Leuit. 18. Exod. 20. Ephes. 5.

Ex istis specialibus exceptionibus, si modò vera sit Hardingi regula atque principium, sic concludere licebit. Ista nominatim prohibentur: quicquid autem non excipitur, tanquam illegitimum, in huiusmodi rebus, quæ nominatim prohibētur, permittitur vt legitimum. Ergo ex cōtrario sensu, legitimum est, & fœnerari peregrino, & meretrice vti, modò non sit de filiabus Israel, & sororiam ducere, si vxor mortua fuerit: & stuprare virginem. Non enim stuprum, sed tātùm adulterium prohibitum fuit: & xytho aut ceruisia inebriari, quandoquidem vinum duntaxat excipitur. Quid ita verò? Hardingi enim cōstet necesse est principium, Generaliter permitti ea omnia, tanquam legitima, quæ specialiter non vetantur. Non eò hæc à me dicuntur, quò iuris hoc principium improbem, sed quò doceam leges generales, aliquando in quibusdam rebus non simpliciter esse intelligendas.

Hardingus. 7. Sectio.

VErùm non abducam Iuellum tam longè ad ius inquirendum, ab eo studio, quod profitetur. Non enim reuera opus est ius consulere de iis rebus, in quibus Ecclesia secundùm nos iudicauit, nisi quòd aduersarij iudicem post latam sententiam recusant. Quod si initiò tum, cùm per legem liceret, fecissent, & ingenuè se Christianos (quemadmodum nonnullos credere suspicor) aut saltem de Christi foro esse in Ecclesia Catholica negassent, de istis rebus iam dudum à nobis decertari fuisset desitum. Nos interim Dei veritatem, in Ecclesia sua, quietè amplexi fuissemus, dum isti alium iudicem quærerent, qualem ipsi appeterent, & somniarent: quemadmodum Turcæ, & Infideles faciunt.

Episcopus Sarisburiensis.

MVltò aptiùs ad suam causam faceret Hardingus, si in harum rerum defensione Theologiam potiùs, quàm ius consulere vellet. Quanquam in hoc causæ suæ languidissimo statu, & periculosa ac pene desperata valetudine, consultiùs facere videretur, si ambas hasce artes mitteret, & se ad medicinam conferret.

Hìc autem denuò æstu quodam intolerabili inflammatus efferuescentem immodicè suam inconsideratámque bilem euomit, & se fidei suæ catholicam rationem omnibus probaturum esse confidit, si nos Turcis atque infidelibus conferat. Quanquam hac in causa non est necesse longam exprimere defensionem. Etenim (Dei sacratissimum nomen æternis laudibus afficiatur) omnium nunc mentibus conscientiisque clarum & illustre est, nos tum vita, tū doctrina ipsum illud Christi Iesu Euangelium profiteri, quod Hardingi contubernales, iamdiu & afflixerunt, & tanquam hæreticum combusserunt.

Iudicem verò nec antè, nec pòst sentētiam recusamus, eum modò, vt harum rerum minimè idoneum iudicem repudiamus, atque deprecamur, qui mādata ac dogmata hominum proponit, quíque ipsum terrarum orbem impurissimo Scribarum, Pharisæorúmque fermento infecit: atque ad Christum vnicum omnium iudicum iudicem prouocamus, cui nos auscultare Deus pater disertè iussit. *Ipsum audite: vnus est magister noster Christus.*

Matth.15. Matth.23. Matth.16. Matth.17. Matth.23.

Ecclesiæ autem decreta diuersa sunt, discrepantia sunt, incerta sunt, ideóque interdum falsa sunt: ac proinde non semper in iudicio valere necessariò debent. Græcorum Ecclesia nunquam habuit priuatam Missam, sed tantùm Communionem: Ecclesia Latina sacram communionem penitus abrogauit, præterquam in vno duntaxat anni tempore, in quo etiam, non nisi nefariis vitiis, & manifesto, vt Gelasius loquitur, sacrilegio contaminatam adhibet, aliâs semper priuata Missa vtitur. Eadem Ecclesia Latinorum per sexcentos annos, & plus eo ab initio, vnicam tantùm Communionem seu vt loqui Hardingus solet, Missam vnicam in die vna celebrare consueuit, nisi quando tanta esset hominum frequētia & concursus, vt iterari eam sæpiùs necesse esset: Ecclesia autem Latina hæc nostra in quouis templi angulo altaria excitauit, atque iccirco nunc angularibus Missis abundat. In vetere Ecclesia Latinorum non licuit communionem iterare, nisi cum hominibus plenum esset templum: in noua Hardingi Latina Ecclesia plures aliquando peragūtur simul Missæ, quàm vel homines adsunt de plebe, qui eas spectent. Itaque Latinæ Ecclesiæ iudicium à Græca discrepat: & noua etiam Latina Ecclesia diuersum à vetere sentit. Nouā autem Latinorum Ecclesiam Bernardus ad hunc modum luget ac deplorat: *Nunc ipsi Christum persequuntur, qui ab eo Christiani dicuntur. Amici tui Deus, & proximi tui aduersus te appropinquauerunt & steterunt. Coniurasse videtur contra te vniuersitas populi Christiani à minimo vsque ad maximum. A planta pedis vsque ad verticem non est sanitas vlla. Egressa est iniquitas à senioribus iudicibus vicariis tuis, qui videntur regere populum tuum. Arcem Sion occupauerunt, apprehenderunt munitiones, & vniuersam deinceps liberè & potestatiuè tradiderunt incendio ciuitatem.* Alibi etiam habet: *Nihil nunc superest, nisi vt Antichristus homo ille peccati, filius perditionis reueletur.* Cùm itaque horum iudicum sententiæ sint sæpenumerò incertæ ac dubiæ, ne cum Bernardo dicam, impiæ & nefariæ, æquiore iure sic Hardingo respondere licet, quemadmodum olim Maximino hæretico respondisse Augustinus legitur: *Nec ego Nicenam Synodum tibi, nec tu mihi Ariminensem debes, tanquam præiudicaturus obiicere: Nec ego huius authoritate, nec tu illius teneris. Scripturarum authoritatibus, non quorumcunque propriis, sed quæ vtriusque sint communes, res cumre, causa cum causa, ratio cum ratione decertet.* Perinde etiam ad Cresconium hæreticum scripsit: *Non debet se Ecclesia Christo præponere, &c. Cùm ille semper veraciter iudicet: Ecclesiastici autem Iudices, sicut homines, plerunque fallantur.* Quamobrem nos ab Ecclesia ad Christum prouocamus: à reo ad iudicem: ab Ecclesia deformata ad Ecclesiam reformatam: ab Ec-

D. Bernardus in cōuersione Pauli.

Bernardus in Psalm. Qui habitat. sermo. 6.

Augúst. aduersus Maximinū: lib. 3.

Grammaticum Cresconium August. contra lib. 2. cap. 21.

ab Ecclesia particulari ad Ecclesiam catholicam: à falso ad verum: à nouo ad vetus: à dubia, mutabili, incerta, inconsiderata sententia, ad sententiam firmissimam, stabilissimam, certissimam, constantissimam, nullis seculorum ætatibus mutabilem.

Hardingus. 8. Sectio.

Iam verò, si Iuellus non ita sit in primorum sexcentorum à Christo annorum approbationem defixus, vt eam Ecclesiam, quæ proxima ætate consequuta est, condemnet: possumus ei obijcere duodecimum concilium Toletanum, habitum Anno Domini 680. ex quo multas Missas celebratas fuisse in vno templo, in die vna confirmemus. Id enim manifestò constat ex hoc patrum illorum decreto. Relatum est nobis, quosdam de sacerdotibus non tot vicibus Communionis sanctæ gratiam sumere, quot sacrificia in vna die videntur offerre: sed in vno die, si plurima per se Deo offerant sacrificia, in omnibus se oblationibus à Communione suspendunt, & in sola tantùm extrema sacrificij oblatione Communionis sanctæ gratiam sumunt. Quasi non sit toties illis vero & singulari sacrificio participandum, quoties corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi immolatio facta constiterit. Nam ecce Apostolus dicit: Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Certum est, quod hi, qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici sacramenti. Quicunque ergo sacerdotum deinceps Diuino Altario sacrificium oblaturus accesserit, & se à communione suspenderit, ab ipsa, qua se indecenter priuauit, gratia Cōmunionis anno vno repulsum se nouerit. Nam quale erit illud sacrificiū, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur? Ergo modis omnibus tenendum est, vt quotiescunque sacrificans corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, in Altario immolat, toties perceptionis corporis & sanguinis Christi se participem præbeat.

Can. 5.

1. Cor. 10.

Hic autem per sacrificij & offerendi vocabula, patres quotidianum Ecclesiæ sacrificium intelligunt, quod Missam *appellamus. Etsi enim* Missa *verbum sit antiquum & à patribus sæpe vsurpatum, sacrificij tamen nomine frequentiùs vtuntur. Neque verò possunt huius sacrificij inimici Canonem hunc de interno cordis humani sacrificio interpretari, sed de eo sacrificio, quod sacerdos ad sanctum altare accedens offert, de sacrificio scilicet corporis & sanguinis Christi Domini in ara oblati (sic enim verba habent) vbi gratiam sacræ Communionis sumit, quæ est participatio corporis & sanguinis Domini. Hoc itaque dato, quod nulla aut probabili interpretatione traduci, aut violenta torqueri in alienam sententiam potest: Optimum hic testimonium habemus, quo Missarum iteratio in vno templo, vnáque die confirmetur. Cum autem illius Concilij patres multas Missas in die vna ac à sacerdote vno factas approbarint, nihil est cur easdem, à diuersis sacerdotibus in die vna celebratas reprehenderent. Si obiecerint aduersarij fieri istuc in locis diuersis potuisse, in quo nostrum de hoc articulo institutum eneruare videantur: respondemus, præterquam quod illi Missas illas sibi probatas esse confitentur, inane ac futile videri, si quis sacerdotes ita ab vno templo ad aliud cursitare solitos fuisse finxerit, celebrandarum in vna die multarum Missarum gratia. Dubium profectò non est, quin illius Toletani Concilij patres, de multis Missis in loco diéque vno celebratis senserint, quemadmodum. Leo fecit, vt populi ad templum horis diuersis conuenientis, vt nunc videmus etiam solere, deuotioni consuleretur, quò eo modo omnibus satisfactum esset: quod minimè vsu venisset, si vna tantum Missa celebrata fuisset.*

Missa verbum nonnunquam in patribus reperitur, sed semper pro Communione capitur.

Episcopus Sarisburiensis.

Nos verò Ecclesiam Dei nullo seculo damnamus, quantumuis maximis deformatā vitiis. Eam Dominus & viti, & agro & pecorum gregi comparat. Vitis etsi populata, dissipatáque fuerit, est tamen vitis Dei Sabaoth. Ager licèt vastatus fuerit, herbísue infrugiferis & sponte nascentibus, quasi exundauerit, Domini tamen ager est. Grex quanquam à pastoribus desertus huc atque illuc erret, pereátq; in solitudine, Christi nihilominus grex est. In quo nos summis optimísque causis incitamur ad Dei nomen celebrandum atque laudandum, qui quando ei visum est, operarios emittit, qui & vitem suam erigant atque curent, & agrum colant & purgent, & gregem conquirant atque pascant.

Esai. 1.

Toletanum autem istuc Concilium, eò tantùm ab Hardingo introductum fuisse videtur, quò suam ipse inopiam proderet. Si enim antiquius vllum proferre potuisset Concilium, non fecisset (credo) huius mentionem. Septingentis pene annis à Christo habitum est: quo tempore multa, eáque atrocissima & turpissima vitia in Ecclesiam occultè irrepserant, id quod cùm aliunde intelligi potest, tum ex hoc ipso exemplo, quòd vnus sacerdos, multas tum Missas in die vno celebrare consueuerit, nec ipse tamen communicauerit, contra & Christi sanctionem & Ecclesiæ etiam decreta, ac instituta. Qua de causa Glossa decreti eā improbissimā consuetudinem vocat, atque hoc ipsum Concilium eos, qui ita faciunt, sacramenti Dominici reos esse affirmat. Itaque & temporis ratione ad calculum reuocata, & rei ipsius turpitudine ac scelere considerato, non opus habet hoc testimonium longiore refutatione.

De conse. dist. 2. Relatum est. in Glosa.

Fuit hic Hardingo minimè necessarium de sacrificio verba facere. Quanquam vt paucis respondeamus, sacrificium, quod vetusti authores Quotidianum appellant, illud est perpetuum, vnicúmque sacrificium, quod Christus semel in cruce fecit, qui in ea sacerdos fuit in æternum secundùm ordinē Melchisedech. Qui autem illi sacrificio aliquid defuisse iudicat, atque aliud pro peccatis faciendum esse ab homine sacrificiū statuit, is crucis Christi, eiúsq; sacrificij hostis est, & filiū Dei pedibus suis proculcat, & testamenti sanguinē profanum ducit. Quomodo sacrę Cōmunionis mysterium sit ab antiquis patribus sacrificij nomine appellatum, fusè explicabitur in articulo de-

Hebr. 10.

Philippen. 3. Hebr. 10.

cimo septimo, qui ad eam causam propriè pertinet.

Missæ verò neque nomen, neque res ea est vetustate, qua hîc ab Hardingo fingitur. Vsurpari primùm cœpit circiter quadringentis à Christo annis, atque apud antiquos Latinæ Ecclesiæ patres rarissimè legitur: apud Augustinum, Hieronymum, Tertullianum, Cyprianum, Arnobium, Lactantium, & illius ætatis alios nunquam reperitur. Chrysostomo, Basilio, Nazianzeno, Gregorio, Nysseno, reliquísque omnibus Græcis authoribus penitus ignotum fuit. Bis legitur in Augustini operibus, & semel in Hieronymo, quanquam certissimum est, eos libros neque ab Augustino, neque ab Hieronymo conscriptos fuisse.

August. in sermonibus de tempore. Hieron. in Prouerb.

Verùm de nomine non magnopere laboramus, cuius quidem ipsa genuina & vera sententia, contrà ac suspicatur Hardingus, Communionem necessariò, non priuatam Missam arguit. *Missa* enim Latinum nomen idem est, quod *Missio*, hoc est discedendi licentia. Sic apud Cyprianum legitur *Remissa peccatorum*, pro *Remissio*. Ea autem Ecclesiæ tum consuetudo inualuit, vt qui *Catechumeni*, & *Pœnitentes* dicerentur, quanquam & audire homilias sacras, & vnà cum reliquis preces facere permitterentur, non tamen eis vel Baptismatis administrationi interesse, vel sacra mysteria percipere liceret. Itaque lecto Euangelio homiliáque peracta, Diaconus illis denũtiauit. *Ite, Missa est.* Gregorij etiam ætate exclamare solitus est Diaconus: *Qui non communicat, det locum.* Itaque omnes, qui aut nollent, aut non possent, cum reliquo fratrum cœtu communicare, ij discedere iussi sunt: vnde necessariò efficitur, vt qui remanserunt, omnes communicarint.

Cyprian. lib. 3. epistolarum.

Gregor. Dialogor. lib. 2. c. 23.

Ex eo autem, quòd populus denunciante Diacono discederet, ipsa actio, quæ sacra communio fuit, appellata est *Missa*: postea cùm vel propter populi negligentiam, vel propter sacerdotum auaritiam, tota eiusdem ratio commutata, & res, quæ priùs communis fuerat, facta esset priuata, tamen vt in similibus rebus fieri plerunque solet, nomen seruatum est. Exempli causa, vigiliæ in epulas conuersæ sunt: altaria, in quibus vituli & capræ immolabantur, in Mensam Dominicam: Sabbatum in diem Dominicam. Rebus tamen ad hunc modum conuersis, nomina nihilominus remanent, & retinentur Vigiliarum, Altarium, Sabbatorum. Quare hîc vt sæpe aliàs, ex dubia nominis ratione fucum Lectori facere voluit Hardingus.

Denique si Toletani Concilij patres idem cum Leone senserint, quemadmodum hîc confidenter affirmatur, tum quidem exiguè admodum hinc iuuatur Hardingus. Nam ex iis, quæ suprà explicata sunt, clarissimè constat, Leonem de sacra communione, non de priuata Missa Hardingi loquutum esse.

Hardingus. 9. Sectio.

SI Concilij huius authoritatē Iuellus cùm Ecclesia tanquam inuiolatam agnoscere voluerit, tum ista omnia approbet est necesse, quæ ipse & sacramentarij pro viribus & facultate sua improbare ac deformare conantur. Primùm, augustissimum sacrificium Missæ, quod patres isti verum & singulare sacrificium nuncupant, sacrificium corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, quod sacerdos in cruce offert: Deinde, veritatem, & realem præsentiam corporis & sanguinis Domini in sacrificio oblati: Tum etiam, Altaria, quæ hoc Concilium diuina seu sancta vocat, propter diuinas sanctásque res in illis oblatas, corpus nempe & sanguinem Christi: Præterea [a] *multitudinem Missarum in vna die celebratarum: loquũtur enim de multis sacrificijs, hoc est, multis Missis:* Plurima, *inquiunt,* sacrificia: *Postremò priuatas Missas, hæc enim verba,* Nec ipse sacrificans, *rectè exposita ac perpensa, hoc ipsum euincunt. Cum enim nullum verbum in hoc decreto reperiatur, vnde appareat, necessarium fuisse, vt populus communicaret, si ipsi sacerdotes in quauis Missa communicassent, nihil fuisset quod reprehendi posset. Sin autem populus communicasset absque Sacerdotibus, tum rationi consentaneum fuisset, vt alio modo exprimeretur hoc decretum. Quare manifestum est, fuisse cum priuatas Missas.*

a Falsum: Hardingus enim suum ipsius librum non intelligit, vt constabit.

Episcopus Sarisburiensis.

DE authoritate, fidéque huius Toletani Concilij nulla quæstio est. Celebratum fuit annis pene septingentis à Christo: neque vllum poterit Hardingus proferre vetustius. Cuius rei æquum prudentémque Lectorem satis fore memorem confido.

1. Quod ad illas quinque animaduersiones attinet, quarum vnica tantùm causam nostram attingit, quemadmodum hoc Concilium asserit, sacerdotem offerre sacrificium in altari, seu sacra Mensa, sic etiam Leo ait, quenque hominē fidelem vel plebeium, idem ipsum sacrificium facere. Idem, inquam ipsum, non aliud, & eodem modo, quo à sacerdote immolatur.

Leo ad Dioscorum epi. 81.

2. Quod autem spectat ad realem præsentiam, perinde facere videtur Hardingus, ac pueri nonnunquam solent, qui equites, & signa, & alia monstra in aëre videre sibi videntur. Nihil enim hoc aliud est, quàm visum quoddam: quandoquidem in Concilio nulla extat huiusmodi vox aut mentio. 3. De altaribus, iā priùs responsum est. 4. Priuatæ Missæ earúmque etiam non exiguæ copiæ, si annorum & temporis habita ratio fuerit, facilè & expeditè concedi possunt. 5. Neque tamen hucusq; Hardingus septingentorum pene annorum spacio, plures in vno templo, in die vno procuratas Missas reperire potuit, quàm duas: quantumuis licèt in ea re magnum studium, laborémque posuerit.

Anno 680.

At perspicua sunt verba Concilij, *Plurima sacrificia*, ideóque inquit Hardingus, plurimæ Missæ. Hinc colligi potest, vel non satis attendere Hardingum, quæ legit, vel non magni æstimare, quid scribat. Sui ipsius libri errorem indicabunt, quãtúmque sit falsus, ostendēt. Etenim hoc loco

loco nomen *Plurima*, nō multa, hoc est, nec sex, nec quinque, nec quatuor, nec tria, sed duo tantùm significat. Quod ita esse ex ipsa Glossa in decreta intelli potest. Verba sic habent. *Nota hic, plurima dici de duobus. Quia plura non licet.*

De conse. dist. 2. Relatum est in Glosa.

Hardingus. 10. Sectio.

QVod si verò Ecclesiæ authoritatem in illo Concilio adumbratam Iuellus recusauerit, atque pro nihilo duxerit, manifestum nobis signum ostenderit, quò, cuius ille notæ sit, intelligamus. Tum Pauli verba ad illum vsurpare licet, Nos talem consuetudinem *(condemnandi Ecclesiam)* non habemus: nec Ecclesia Dei. *In quo nobis veniam dare debet, si iuxta Christi mandatum, quandoquidem auscultare Ecclesiæ non vult, illum pro Ethnico & Publicano habuerimus.*

1. Cor. 11. Matth. 18.

Episcopus Sarisburiensis.

EXilibus hisce *Præmissis*, amplam conclusionem adiunxit Hardingus. Nisi ei eiúsque Ecclesiæ auscultauerimus, Ethnici & Publicani fuerimus. O frigidam nimis, miserámque ostentationē. A Dialecticis *Petitio principij*, seu *Fallacia Accidentis* nominatur: argumentationis genus captiosum, nulla nec ratione, nec ordine conclusum. Non opus est dissoluere: pueris ipsis satis notum est.

Quid autē? num Hardingus Ethnicum esse quemque statuit, qui errorem redarguat, qui hominem illum peccati indicet, ac prodat, qui Dei Ecclesiam reformatam velit? Christus ad Scribas & Pharisæos dixit: *Vos fecistis domum Dei speluncam latronum.* Hieremias ait: *Ipsi operarij conculcarunt, & vexarunt vitem Domini.* Propheta Esaias inquit: *Argentum vestrum in scoriam versum est.* Bernardus ait de Episcopis sua ætate: *Pro mercenariis habemus Diabolos, à vertice ad calcem nihil sani relinquitur in Ecclesia Romana.* Nicolaus de Clauengiis habet: *Calamitosa desolatio est in domo Dei.* Pigghius nonullos in priuata Missa abusus esse confitetur: Latomus vitiosum esse agnoscit, quòd Cœna altera tantùm specie administratur. An hos omnes Hardingus de sua secreta nota cognoscet? Num autem Christus, Hieremias, Esaias, Bernardus, Pigghius, Latomus pro Ethnicis, & Publicanis habendi sunt? Equidem de hac Missarum multitudine, atque impudentissima sacrosanctorum Dei mysteriorum prophanatione ac profusione, & Christus, & Apostoli eius, & vniuersi veteres ac Catholici primitiuæ Ecclesiæ patres profitebuntur, *Nos huiusmodi consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei.* Importunis autem earundem defensoribus Christus dicet: *Frustra colitis me docentes doctrinas, præcepta hominum.*

Matth. 11. Hierem. 12. Esai. 1. Bernard. in Concilio Remensi. Bernard. in cōuersione Pauli. Nicolaus de Clauengiis. Albertus Pigghius de priuata Missa. Latomus contra Bucerum. 1. Cor. 11. Matth. 15. Esai. 29.

Quod autem, Hardinge, Ecclesiæ nomine, ad errores vestros commendandos atque exornandos abuteris, memento illud Ioannis Baptistæ: *Nolite de eo gloriari, quòd Abrahæ filij estis: Potest enim Deus ex istis lapidibus excitare filios Abrahæ.* Angelus etiam in Apocalypsi ait: *Dicunt se esse Iudæos, & non sunt: sed sunt Synagoga Satanæ.*

Matth. 3. Apocalyp. 2.

Iam verò, Christiane Lector, quò faciliùs perspicias, quàm ineptè Hardingus hanc omnem disputationem peruagatus fuerit, repete (quæso) primam nostram de hac re thesin negatiuam, cuius hæc summa est: Probare non possunt, intra sexcentos à Christo annos, quinque Missas, vsquam in toto orbe celebratas fuisse in vllo templo in die vna. In qua thesi duo capita præcipuè tractantur, Missarum, & Annorum numerus. Quò contrarium Hardingus euinceret, Concilium Antisiodorense simul, & Toletanum adduxit, quorum alteruttrum extra illos est sexcentorum annorum fines: Leonem etiam citauit, priscum Romæ pontificem, de sacra tamen duntaxat Communione, non de priuata Missa loquentem. Hæc tria testimonia de vno tantùm sunt sacerdote, & de duabus, quemadmodum ex Glossa vidimus, maximùm communionibus. Itaque lapsus est, cùm in annorum ratione, tum in Missarum numero Hardingus.

Anno. 613. Anno 680. Leo epist. 81. De conse. dist. 2. Relatum est In Glossa.

Quæ quanquam ita sunt, defendi tamen hoc, quicquid est, cum cæteris oportet: quantumuis sit horrendis violatum, profanatúmque modis: qui verò aliquid in eo emendatū cupere ausit, Ethnicis & publicanis comparetur necesse est. Quantò autem fuisset Hardingo consultius, aut rem hanc silentio prætermisisse, aut ingenuè atque apertè errorem agnouisse?

FINIS.

DE ADORATIONE IMAGINVM.

ARTICVLVS DECIMVSQVARTVS.

Episcopus Sarisburiensis.

AVt collocatas in templis fuisse Imagines, vt à populo adorarentur.

Hardingus. 1. Sectio.

Non nominatim vt adorarentur: Ergo, vt adorarentur, licet non nominatim.

QVòd imagines in templis collocatæ fuerint intra sexcentos annos à Christo, certum est, quanquam haud nominatim, vel eo tempore, vel vnquam deinceps, ea de causa, vt illas populus adoraret. Aliud longè institutum fuit, & propositum, sed pium imprimis, vt ostendetur. Itaque hanc mentem ecclesiæ catholicæ ascribere, & falsum est, & contumeliosum. Quandoquidem autem propter adhibitas imagines, noui isti magistri ecclesiam & noui inuenti, & violati Diuini mandati, & idololatriæ crimine accusant: volo hic primùm imaginum antiquitatem docere, & à quibus approbatæ fuerint exponere: deinde quorsum & in quem finem introductæ sint: tertiò, quemadmodum adorari legitimè possint, explicare.

Episcopus Sarisburiensis.

ARTICVLVS iste de Imaginibus facilè percurri atque explicari potest, cùm quòd momenti non magni est, tum etiam quòd & causam ipsam, de qua quæritur, Hardingus, vt semper solet, de industria dissimulauit, & alia quædam introduxit commenta sua, quæ ad quæstionem non pertinerent. In quo quanquam longis vtitur ambagibus, & aliquid dixisse videri vult, ad extremum tamen, vt planum fiet, nihil omnino concludit. Imagines in quibusdam templis intra sexcentos à Christo annos excitatas fuisse, equidem fateor, etsi neque ita celeriter, ac à nonnullis iactatur, neque sine summa piorum hominum reclamatione, maximáque contentione.

Hîc autem Hardingus denuo nos pro sua modestia nouos magistros appellat: qualem profectò vel Mosen, si viueret, vel Deum potiùs ipsum nuncuparet. Hæc enim est ipsius Dei, non nostra doctrina. Quapropter Augustinus ait: *Huiusmodi simulachrũ Deo nefas est in Christiano templo collocare.* Epiphanius autem episcopus Cypri, cùm in templum quoddam iniret, in eoque velum suspensum, in quo depicta esset Christi imago, offenderet, illud discidit & conuulsit, propterea quòd factum esset, vt ipse scribit, *contra authoritatem scripturarum.* Deinde ait: *Huiusmodi vela, contra religionem nostram veniunt.* Præterea: *Hæc scrupulositas indigna est ecclesia Christi, & populis, qui tibi crediti sunt.* Augustinus ait, *Nefas esse:* Epiphanius, *Contra scripturas, contraq́; religionem Christianam, & ecclesia Christi ac Dei populo indignum esse.* Quanquam istos duos forsitan in nouorum magistrorum numero reponi facilè patietur Hardingus.

Auguſt. de fide & symbolo. ca 7. Epist. Epipha. ad Ioãnem episco. Hieros.

Etsi autem ex patrum horum sententia manifestò intelligi potest imaginum cõstitutionem Dei esse præcepto contrariam, multò tamen idipsum dilucidiùs apparebit, si Dei ipsius verbũ, cum Hardingi nostri defensione conferatur. Deus sic ait: *Non facies tibi simulachrum*: Hardingus sic: *Facies tibi simulachra.* Deus sic dicit: *Non te abijcies coram illis, neque veneraberis ea:* Hardingus sic: *Abijcies te coram illis, eáque veneraberis.* Tu nunc iudica lector, hoccine sit Dei præceptum violare.

Hardingus verò in ipso huius disputationis aditu sic loquitur: *Imagines non eo nominatim collocantur, quò eas populus adoret.* Quorum hic sensus sit verborum est necesse: Imagines in templis eriguntur, vt adorentur, etsi non nominatim ea de causa. Verùm, imago creatura est, non Deus: creaturam autẽ eo modo adorare, idololatria est. Itaque ex Hardingi ipsius confessione, collocantur imagines, vt ad idololatriam adhibeantur, etsi non ob eam causam speciatim. Quanquam hac tenui *Generalis* & *Specialis* distinctiones idololatriam facilè defendere licebit.

Hardingus. 2. Sectio.

Imaginum antiquitas.

a Falsum: quod tria falsa in vno continet.

ITaque quod ad imaginum vetustatem & originem attinet, non inuentæ primùm ab homine fuerunt, sed [a] *institutæ à Deo, confirmatæ traditione Apostolorum, approbatæ ipsa sanctorum patrum, omniumq́; Conciliorum authoritate, & seculorum omnium à Christi in terris præsentia, vsu & consuetudine. Cum Deus tabernaculum vnà cum ornamentis eiusdem vniuersis, ad honorem & gloriam suam fabricari iuberet, Mosi dedit in mandatis inter cætera, vt duos Cherubinos faceret ex auro puro, qui vtrumque latus propitiatorij obumbrarent, alas suas expendentes, & se mutuò intuentes, conuersis faciebus in propitiatorium, qua Arca fuit operienda. De quibus Cherubinis Paulus in epistola ad Hæbræos loquitur.*

Exod. 25.

Cap. 9.

Has

Exod 37. Num.21. Reg.6. Paral.3.

Has autem imagines ille eximius opifex Beseleelus ad iussum Mosis fecit, iuxta formam à Deo expressam. Deinde Moses iubente Deo serpentem æneam finxit, eámque in excelso posuit, vt qui à serpentibus in deserto icti fuissent, illam intuerentur, atque ita sanarentur. In Salomonis etiam templo imagines fuerunt Cherubinorum, quemadmodum scriptura declarat. De Cherubinis in multis scripturæ locis mentio reperitur, maximè in Ezechiele propheta, cap.41. De iisdem Iosephus etiam in tertio & octauo libro Antiquitatum Iudaicarum scribit. Imago Cherubinorum angelos adumbrat, estq; hoc nomen Angelicæ cuiusdam dignitatis, id quod constat ex tertio capite Geneseos, in quo legimus Deum collocasse Cherubinos ante Paradisum, postquam Adam inde eiectus fuisset propter violatum Dei mandatum.

Episcopus Sarisburiensis.

NOn dubitat Hardingus Deum ipsum facere primum imaginum ipsius inuentorem atque authorem, perinde quidem verè & simili fide, ad Missam suam à Christo eiusque Apostolis, aut aquam sacram ab Elizeo propheta, aut illum Cardinalitium petasum ad Hieronymo repetunt. Nisi forsan isto modo concludere voluerit: Deus dicit: *Non facies tibi sculptilem imaginem, aut vllius rei simulachrum:* Et, *Maledictus sit, qui imaginem facit:* Et, *Confundantur omnes ij, qui imagines colunt, Ergo, Deus imagines fieri præcepit.* Si huiusmodi firmamentis stabilire suas imagines poterit, tum verò dubium non est, quin Deus imagines primùm inuenerit.

Exod.20. Deut.27. Psal.96.

Docti autem sapientésque homines earum inuentionem ab Ethnicis & fidelibus, qui Deum ignorarunt, primùm profectam esse iudicant. In libro sapientiæ sic habetur: *Vanitas hominum inuenit artes istas, ad tentationem animæ & decipulam insipientium.* Cyprianus ait: *Ad defunctorum vultus per imaginem detinendos expressa sunt simulachra. Inde posteris facta sunt sacra, quæ primitùs fuerant assumpta solatia.* Ideo Ambrosius ait: *Gentes lignum adorant, tanquam imaginem Dei.* Gregorius etiam episcopus Neocæsareensis habet. *Gentilitas inuentrix, & caput est imaginum.* Similiter Eusebius de Christi, & Petri, & Pauli imaginibus loquitur: *Hoc mihi videtur ex Gẽtili cõsuetudine obseruatũ: quòd ita illi soleãt honorare quos honore dignos duxerint.* Itaq; Augustinus scribens contra Adimantũ sic habet: *Simulant se fauere simulachris: quod propterea faciunt, vt miserrimæ & vesanæ suæ sectæ etiam Paganorũ concilient beneuolentiã.* Nã de Paganis sic scribit Lactantius: *Verentur ne religio vana sit, si nihil videant, quod adorent.* Quapropter Daniel Nabucodonozorem Ethnicũ tyrannũ solennẽ instituisse imaginis suæ aureæ dedicationem, atque omnia Musicorum genera adhibuisse scribit. Baruch autem religionis Babylonicæ rationem ad hunc modum exponit: *Sacerdotes barba, capitéque raso, & aperto sedent, & coram Dijs suis rugiunt.* Sic Heliogabalus, Adrianus, Alexander Seuerus, qui Imperatores Ethnici, atque à fide Christiana auersi fuerunt, in sacellis & sacrariis suis Imagines Abrahæ, Mosis, Christi, atque aliorum collocarunt. Ita Hæretici ij, qui Gnostici & Carpocratiani dicti sunt, quòd Ethnicos redolerent, picturas Christi, Pauli, Pythagoræ, Homeri, seruare & colere consueuerunt. Ex hisce paucis testimoniis atque exemplis perspici potest, imagines non à Deo, sed ab Ethnicis, qui Deum ignorabant, inuentas atque constitutas esse. Igitur Athanasius dicit: *Simulachrorum inuentio non à bono, sed à malo extitit.* Iudæi autem, qui legem & prophetas habuerunt, quique propterea Dei hac in parte voluntatem optimè cognitam habere debuerunt, nullum imaginis genus nec pictæ nec sculptæ in templis suis collocarunt, quemadmodum Dion testatur: neque adeo pati potuerunt, vt pictor, sculptórue quisquam in ipsorum regione sedes haberet, sicuti Origenes scribit.

Sapien.14. Cypri. de Idolorũ vanitate. Ambrosi. in Psal.118. Concil. Nicen. 2. acti.6. Euseb. lib.7. cap.18. Ἐθνικῇ συνηθείᾳ. August. contra Adimantum. cap.13. Lactan. lib.2. cap.2. Daniel.3. Baruch.6. Lampridius. Iulius Capitol. Epiphanius. Augustin. ad Quod vultdeum. Irenæus. lib.1. cap 24. Athanasius. ἡ τῶν εἰδώλων εὕρεσις οὐκ ἀπ' ἀγαθοῦ ἀλλ' ἀπὸ κακίας γέγονε. Dion lib.37. Orige. contra Celsum. lib.4.

Verùm Hardingus obijcit, Mosi mandatum esse à Domino, vt Cherubinos, & æneam serpentem faceret. Hæc exempla parum contra nostram defensionem valent. Neque enim præcepit Dominus, vt vel Cherubini, vel serpens eò fingerentur, quò adorari à populo possent: quæ sola res in quæstionẽ adducitur. Idem antiqui idololatrę Tertulliano quondã obiecerunt: Sic enim scribit: *Ait quidem: Cur ergo Moses in Eremo simulachrum serpentis ex ære fecit?* Hinc animaduertimus non primùm excogitasse Hardingũ hoc sophisma. Id veteres idololatræ & inuenerunt, & iactarunt, mille quadringentis, & plùs eo abhinc annis, ab iisque illud accepit ac didicit Hardingus. Tertullianus autem ad hoc respondet isto modo: *Bene, quod idem Deus, & lege vetuit similitudinem fieri, & extraordinario præcepto serpentis similitudinem* [a] *interdixit.* Præterea addit: *Si eundem Deum obseruas, habes legem eius, Ne feceris similitudinem. Et, si præceptũ factæ postea similitudinis respicis, & tu imitare Mosen. Ne facias aduersus legem simulachrum aliquod nisi & tibi Deus iusserit.* Deus enim liber est, nulláque lege obligatur: Deus nobis, non sibi ipsi mandata dedit. Hanc generalem legem instituit, *Non occides*: Abrahæ tamen dixit, *Accipe filium tuum Isaac, & occide eum.* Similiter ait: *Non furaberis:* Populus tamen Israëliticus Dei iussu Ægyptiorum bona sine legis offensione furatus est. Hoc ipsum licet de Cherubinorum imagine vsurpare ac respondere. Quanquam Cherubini non in templo constituti, non oculis aspectuíque hominum expositi fuerunt: sed intra velum in tabernaculo collocati, quò nulli plebeio vel inspicere fas erat. Nullum itaq; fuit ab idololatria periculum. Queadmodum autem cùm ænea serpente homines ad idololatriam abuterentur, insignis pietate princeps Ezechias eam sustulit, ac comminuit: quantumuis Dominus Mosi mandasset vt eam figeret, ita etiamsi legitimum esset imagines in ecclesia Dei collocare, nec Dei præcepta eo facto violarentur, tamen quando ad vsum nefarium adhibentur, atque idola fiunt, quemadmodum per ecclesiam vniuersam Romanam fieri videmus piorum magistrorum officium est, eas conuellere ac demoliri, quemadmodum est etiam à Concilio Maguntinensi constitutum.

Tertul. de Idololatria. a Interdixit vsus videtur pro Edixit. Genes.22. Exod.11. 4.Reg.18. Concil. Maguntinense. ca. 41.

Hardingus. 3. Sectio.

NOn omnino alienum esset hîc commemorare locum illum Ezechielis prophetæ, in quo deus cuidam mandauit, qui lineis indutus erat, & scribæ calamarium habebat in fœmore, vt pertransiret medium Hierusalem, & signum Tau *inscriberet, quod crucis signum est (illa enim litera apud Hebræos crucis imaginem præ se ferebat teste Hieronymo) in frontibus hominum, qui dolerent, & ingemiscerent super omnes abominationes ciuitatis. Crucis autem signum, imaginem, seu figuram tempore noui testamenti, Deus prouidentia sua ac disertis monitis, cùm in varijs reuelationibus, tum in secretis voluntatis suæ significationibus hominibus commendasse videtur, vt eam & magni facerent, & memores mente custodirent. Cum Constantinus imperator bellum contra Maxentium tyrannum instrueret, secúmque reputaret ingentia pericula, quæ euenire inde potuerunt, Diuinam opem implorans, & oculos in cœlum attollens, aspexit (tanquam in viso) crucis signum in cœlo, instar ignis splendens: cúmque eo miraculo obstupesceret, vocem audiuit ei dicentem,* Constantine in hoc vince.

Ezech. 9. In Comment. in Ezec. Crucis signum diuina prouidentia hominibus commendatum. Euseb. Eccles hist. li. 1. cap. 9. Ἐν τούτῳ νίκα.

Postquam Iulianus imperator religionis Christianæ professionem abiecisset, & sacrificium in templis paganorum fecisset, suósque subditos, vt similiter facerent, cohortaretur: cum quodam die excercitum duceret, guttæ pluuiæ quæ ex aëre cum imbre delapsæ sunt, signa ac similitudines crucis reddiderunt, & ostenderunt, tum in tyranni ipsius, tum in militum vestibus.

Sozo. tripart. hist. li. 5. c. 50.

Rufinus cum inauditas & horrendas Dei vindictas narrasset, quibus Iudæi deterriti & prohibiti fuerunt à vano suo reædificandi templi Hierosolymitani conatu, impetrata ab imperatore Iuliano in Christianorum contumeliam licentia: in extremo ait, ne fortè terræmotus illi, & terribiles flammæ, de quibus loquitur, à Deo excitatæ, quibus non modò operariorum officinæ, résque ad ædificationem comparatæ, verumetiam ingentes Iudæorum multitudines deiectæ dissipatæ, atque deletæ fuerunt, casu euenisse putarentur: nocte subsequente signum crucis apparuisse tam aspectabile in vniuscuiusque vestimentis, vt nullus, quantumuis maximè celandæ suæ infidelitatis causa vellet, illud aut eluere, aut vllo modo delere posset. Cùm Paganorum delubra à Christianis in Alexandria euersa essent circiter annum Domini 390. in maximo templo quod Idolo Serapi sacrum erat, sacræ mysticæque literæ, quæ ἱερογλυφικὰ dicuntur, prouidentia diuina repertæ fuerunt in lapidibus insculptæ, crucis imaginem repræsentantes, quarum significatio iuxta illorum interpretationem hæc fuit, Vita futura. *Quæ res à Christianis simul & Paganis qui tum aderant, perspecta, mirificè valuit ad fidẽ Christianam promouendam, non minus quàm Athenis illa inscriptio altaris,* Ignoto Deo, *per Pauli prædicationem eidem proposito inseruijt. Quod omnino antè Diuina prouidentia perfectum est, quemadmodum Socrates Ecclesiasticarum historiarum scriptor refert.*

Eccles hist. l. 10. in fin. Hist. tripart lib. 9. cap. 29. γράμματα ἱερογλυφικά. Act. 17.

Hinc itaque manifestò apparet, vt Diuina prouidentia signũ crucis veris fidei alumnis cõmendarit. Propter quam causam, nostræq́; redemptionis recordationem, & vetusta ætate, & deinceps perpetuò multum vsurpatum honoratúmque fuit. Nam præterquam quòd de eo in Tertulliano, qui prope accessit ad Apostolorum tempora, in Apologetico ipsius legimus, Ecclesiasticarum etiam historiarũ authores scriptis suis mandarunt, Christianos in Alexandria, postquam submouissent atque sustulissent signa ac monumenta Serapis Idoli, quemque Dominicæ crucis signum in eorum locis pingi ac statui curasse, in postibus, in vestibulis, in fenestris, in muris, in columnis: vt quocunque oculus sese cõuerteret, in sacrosanctum Crucis signum incurreret. Constãtinus Imperator adeo amauit, coluitque hoc signũ, vt illud in vexillis suis omnibus & insignibus bellicis pingi, in numismatis incidi, in signis ac scutis describi iusserit. De eo Aurelius Prudentius meminit:

Christus purpurum gemmanti textus in Auro
Signabat labarum; Clypeorum insignia Christus
Scripserat, ardebat summis Crux addita cristis.

Cap. 16. Eccles. hist. lib. 11. c. 29. Authore Rufino. Hist. tripart. lib. 1. cap 9. Lib 1 contra Symmachum.

Quòd autem vexillum coram Imperatore gestari solitum in bello, quod Latinè Labarum *dicebatur, eiusmodi fuerit, ex epistola quadam apparet, quam scripsit ad Theodosium imperatorem Ambrosius. Neque verò tum figura crucis in insignibus tantum & vexillis picta, aut texta, aut artificiosissimè imposita, aut alioqui in auro pretiosisue lapidibus insculpta fuit: sed etiam ex solido auro facta, & in longis palis prælata fuit hominibus,* [a] *(quemadmodum hodie fieri solet in Processionibus) sicuti perspicuè animaduertimus ex his versibus Prudentij.*

Vide hist. tripart. lib. 1. cap. 5. Lib 5. epi. 29.

a Falsum: Non enim de processione ecclesiastica, sed de castrensi acie meminit Prudentius.

Agnoscas regina lubens mea signa necesse est,
In quibus effigies Crucis, aut gemmata refulget,
Aut longis solido ex auro præfertur in hastis.

Hæc collegimus ex antiquorum patrum scriptis de Dominicæ crucis signo, cuius aspectum noui huius Euangelij professores ferre non possunt, vt discrepantiam ostenderemus nostræ ac veteris illius ætatis, ad cuius mores isti præcones in perfecta reformatione instituenda mundum reuocare videri volunt.

Episcopus Sarisburiensis.

CRucis signum in magno honore habitum à Christianis fuisse fateor: eóque magis, cùm propter publicam contumeliam ignominiámque in qua communi omnium mortalium iudicio fuerat, tum etiam propter illud diuinissimum redemptionis nostræ pretium, quod in ea fuisset oblatum. Scriptum est, *Maledicti omnes, qui pendent in ligno.* Et Chrysostomus Ethnicos exprobrare Christianis solitos fuisse scribit, huiusmodi verbis: *Tu adoras crucifixum?* Summũ in eo genere supplicij dedecus inesse iudicarunt: (fuit enim maximè omnium & inuisum & ignominiosum) & insignis etiam amentiæ duxerunt, honorificè de eo sentire. Quapropter Paulus ait: *Verbum crucis pereuntibus stultitia est:* Iterum: *Prædicamus Christum crucifixum Iudæis quidem scandalum: Gentibus*

Gala. 3. Deut 21. Chrys. in epist. ad Rom. ho. 2. 1. Cor. 1. Ibidem.

autem stultitiam. Augustinus etiam crucem vocat, *Ipsam ignominiam, quam Pagani derident.* Similiter Chrysostomus: *Mors Christi apud Iudæos meledicta, apud Gentiles abominanda.*

Eam ob causam, fideles homines, qui Christo nomen dederunt, in cunctis sermonibus, totáque vitæ ratione, illam tantò magis ornare atque extollere consueuerunt, vt inimicos crucis Christi, Iudæos pariter & Gentiles, morderent, eisque dolorem darent. Ideo Paulus dicit: *Non me pudet Euangelii Christi: est siquidem potentia Dei ad salutem.* Et, *Absit, vt glorier vlla in re præterquam in cruce Iesu Christi.* Et alio loco: *Statui me nihil scire, nisi Iesum Christũ, eúmque crucifixum.* Adeo Paulus de eo exultauit, quod vulgò contemptissimum despectissimúmque fuit: quasi diceret, Hæc illa est imbecilitas, quæ mundum debellauit: Hæc illa contumelia atque ignominia est, quæ captiuam duxit captiuitatem, & principatus potestatésque tenebrarum spoliauit. Sic Christiani, quemadmodum Theodoretus scribit, vbique & in publicis conuentibus, & in celeberrimis vrbium locis, crucis victoriam ac triumphum promulgarunt, & prædicarunt. Nec illos puduit, vt Chrysostomus scribit, *Crucis signum, & rebus suis gestis, & facultatibus omnibus tanquam legitimum quoddam insigne ascribere.* Quinetiam quò mundus paulò altiorem de Christi mortem cogitationem susciperet, Deus nonnunquam stupenda miracula per eam edidit, quemadmodum de Pauli semicinctiis, de Elizæi ossibus, de Petri vmbra legimus. Tum primus imperator Christianus Constantinus cum eam tam illustrem atque honorificam esse factam videret, quæ prius inhonesta & dedecoris plenissima visa est, quò eiusdem dignitatem atque existimationem augeret & amplificaret, lege lata cauit, ne quis deinceps nocens in crucem ageretur. Hisce rebus consideratis, facilè concedimus quicquid Hardingus hoc in loco adduxit, de Ezechielis viso, déque inscripta in frontibus hominum Hebraica litera *Tau*: de aspecta in aëre à Constantino crucis imagine: de crucibus, quibus militum vestes notatę Iuliano Apostata imperatore, quibusque vel impressa, vel inusta Iudęorum Hierosolymis vestimenta fuerunt: de sanctæ illius Hieroglyphicæ, literæ quæ crucis imaginem referebat, in templo Serapis in Ægypto inuentione. Denique non negamus homines ad euangelij cognitionem recens adductos, postquam Idoli Serapis insignia, aliáque eiusmodi idololatriæ monumenta detraxissent, in eorum locis mox Christi crucem, tanquam trophæum statuisse, in vestibulis, in parietibus, in fenestris, in postibus, in columnis: denique in insignibus, vexillis, signis, scutis, numis. Hæc, inquam, omnia Hardingo ingenuè liberéque damus. Ita solent hodie principes Christiani eadem cruce in signis, & vexilis suis domi militiæque vti, variis & formis & coloribus expressa, quò se sub Christi vexillo militare testentur. *Labarum* apud Romanos imperatorum fuit vexillum, ex auro magnificentissimè factum, & lapidibus pretiosis intercitum, quod cum non nisi summo geredi belli administratori præferri soleret, ab omnibus militibus vnice cultum obseruatúmque fuit. Sozomenus Græcus author, nec latinæ iccirco satis peritus linguæ *Laborum* illud appellat, vt videtur. Sic enim scribit: θάτερον τῶν σκήπτρων, ὃ λάβωρον ῥωμαῖοι καλοῦσι, nisi forsan in exemplari Græco mendi aliquid insit. Quanquam videri possit imperator Seuerus eo allusisse, cum hoc symboli militibus suis daret, *Laboremus.* Similiter Gregorius scribit: *Christum belli socium habuisti, cuius Labarum insigne gestasti, ipsam dico viuificatricem crucem.* Hoc Labarum Christianus ille imperator Constantinus, sic crucis signo depinxit, vt alij maiores sui, vel *Minotauro*, vel *Aquila* fecerant. Etiamsi autem Eusebius dicat ea vsum esse Constantinum, quasi propugnaculo quodam & præsidio vitæ suæ, certissimum tamen est spem eius atque fiduciam, non in crucis ipsa materia, sed in vnico Christo defixam fuisse. Nicephorus enim scribit Constantinum hæc verba in cruce incidi curasse Ἰησοῦς χριστὸς νικᾷ: *Iesus Christus vincit*, non crux. Nam alioqui sic scribit Ambrosius: *Helena imperatrix*, cuius opera crux inuenta est, *inuenit titulum: regem adorauit, non lignum vtique: quia hic Gentilis est errore, & vanitas impiorum.*

Postremò, quòd Hardingus ait, huiusce noui Euangelij professores Dominicæ crucis signum ferre nullo modo posse: sic habeat, nos neque crucem Christi, neque eiusdem imaginem, sed superstitiosum crucis abusum reprehendere. Deo agantur gratiæ, satis vniuerso orbi perspectum est, eos, quos sic Hardingus damnat, potuisse non ferre modò crucis Dominicæ signum, sed suas etiam cruces tollere & Christum sequi, atque in iis exultare ac triumphare.

Neque verò adhuc allatum quicquam est omnino, quamobrem isti debeant de causæ suæ vetustate tantopere gloriari. Quantumuis enim hîc Hardingus multum olei atque operæ consumpserit, nondum tamen probare & euincere potuit, vel hanc crucem imaginem fuisse, vel in vllo templo collocatam, vel à populo adoratam esse. Equidem verò litera, quam Ezechiel in visione vidit: Crux, quam in aëre Constantinus aspexit: notæ quæ vel aspersæ, vel inustæ operariorum vestibus fuerunt: occultæ illæ mysticæque literæ in templo Serapis repertæ: Crucis signa, vel depicta, vel in sculpta in insignibus, vexillis, scutis, numis, nihil aliud fuerũt, quàm trãsuersæ quędã lineę, non imagines. Deinde eædẽ cruces non in tẽplis, sed foris in aliis locis, in aëre, in agro, in operariorum tunicis, in priuatis ædibus, in crumenis positæ fuerunt, vt manifestum est ex iis, quæ diximus. Denique ex hisce testimoniis minimè constat, quenquam eo tempore edoctum fuisse, vt se ad eas cruces prouolueret, aut diceret, *Aue Crux, spes vnica*: aut diuinũ eis honorem exhiberet. Quod cùm Hardingus non docuerit, quantumuis longam orationem comparauit, nihil tamen omnino effecit.

Quod autem Prudentium facit dicentem, Crucem circunferri in hasta solitam fuisse, tanquam in *Processione* iuxta hodiernum ecclesiæ Romanæ ritum, in eo illius pij patris versibus insigni-

Augustin. in Psal. 141.
Chrysosto. de laudibu. Pauli. hom 4.
Roman. 1.
Gala. 6.
1. Cor. 2.
Ephe. 4.
Coloss. 2.
Theodor. lib. 3. cap. 27.
Chrysosto. in homil. Quod Christus est Deus.
Actor. 19.
4. Reg. 13.
Actor. 5.
Cassiod. lib. 1. cap. 9.
Ezechiel. 9.
Euseb. li. 9. c. 9.
Sozo. lib. 5. c. 15
Rufinus lib. 10.
Socra. lib. 5. cap. 17.
Sozomen. li. 7. cap. 15.
Rufi lib. 2 c. 9.
Cassiod. lib. 1. cap. 9.
Tertul. in Apologet.
Sozo. l. 9. ca. 4.
Aelius Spartia.
Greg. ad German. Patriarc. in conci. Nice. 2. actio. 6.
Euseb. in vita Constantini. Oratio prima. τούτῳ ἀμυντηρίῳ διὰ παντὸς ἐχρῆτο.
Niceph. lib. 8. cap. 32.
Ambros. in Oratione funebri Theodosii.

ter abutitur, eique summam iniuriam facit. Manifestum, est enim Prudentium eo in loco nullum verbum facere, neque de ecclesia, neque de sacerdote, neque de æditu, neque de Processione. De militibus modò instructa acie & ordine composito castra mouentibus, Crucémque tanquam vexillum suum sequentibus loquitur. Sic Eusebius Constantinum crucis signum omnibus exercitibus præferri iussisse scribit. Proximus etiam versus in Prudentio hic sequitur: *Hoc signo inuictus transmissis Alpibus vltor &c.* Quando maximum illud bellum commemorat, quod Maxentio intulit Constantinus. Quare cùm ex hisce cunctis crucibus, quas hîc Hardingus conquisiuit, nulla sit, quæ vel appensam haberet imaginem, vel in templo aliquo figeretur, vel à populo adoraretur, quo pacto hæc tam prolixa oratio ad eius causam confirmandam aliquid omnino conferre possit, non video.

> Euseb. de vita Constant. Oratione. 1. τῶν στρατοπέδων ἁπάντων ἡγεῖσθαι τοῦτο ὁμοιώματα προσέταττε. Pruden. contra Symmachum. lib 1.

Hardingus. 4. Sectio.

QVòd autem imagines Christi, & eius sanctorum, magni æstimatæ, atque in domibus, ecclesiis, aliisque locis precibus destinatis collocatæ fuerint ab Apostolorum hucusque temporibus, ita clarum est vt negari non possit, Athanasius author est, Nicodemum, qui noctu ad Iesum venerat, Christi imaginem sua manu fecisse, eámque Gamalieli Pauli magistro tradidisse, cùm moreretur. Gamalielem, cùm sibi esse moriendum videret Iacobo commisisse, Iacobum, Simoni, & Zachæo. Hæc imago ad manum de manu successione peruenit, & Hierosolymis longo tempore durauit: Hierosolymis autem delata fuit in Syriam, & tandem adducta est in ciuitatem nomine Berytum, non procul à Tyro & Sidone. Vbi quàm contumeliosè tractata fuerit à Iudæis, & quæ inde miracula consequuta sint, qui scire desiderat, abundè narratum leget in libello quodam ab Athanasio ea de re conscripto.

> Imagines ab Apostolis.

> Genealogia & peregrinatio fabulæ.

> Inepta fabula est, nunquam ab Athanasio scripta.

Episcopus Sarisburiensis.

IPse lector, sua sponte, nisi vehementer hebes fuerit, istius fabulæ futilitatem facilè perspexerit. Homo quidam Christianus, alio cum familia concedit, qui cùm domi suæ imaginem Christi haberet, ipsi Christo & longitudine, & latitudine, & cætera magnitudine æqualem, eam in loco quodam occulto obliuione reliquit. Iudæus postea eam domum longo tẽpore habitat, nec imaginem videt: alius quidam peregrinus Iudæus discumbens in prandio, eam statim aspexit apertam, ad parietem inclinatam. Atque hæc isto modo refert Hardingianus Athanasius. Ita & stat aperta, & tamen occulta est, & occulta est, & tamen aperta est. Deinde sacerdotes & magistratus Iudæorum eò conueniunt, & imaginem indignissimis & contumeliosissimis modis tractant, spina coronant, myrrham & fel ad bibendum porrigunt: denique cor lancea perfodiunt. Sanguis abundè effluit: potestates cæli commouentur: sol obscuratur: luna amittit lumen suum. Atque inde fluxit, (inquit iste nouus Athanasius) cùm Halisij, tum alius omnis per orbem terrarum sanguis. Quid multis opus est? Primum illius libri verbum est, *Itaque* Ipsum Hardingum pudet fabulam narrare. Athanasij tamen nomen (si Deo placet) ferat, atque ineptissima licèt fabula, tamen in prima quasi acie inducatur est necesse, ad imaginum adorationem confirmandam. Nominum duntaxat longam repetit genealogiam, Nicodemi, Gamalielis, Iacobi, Simonis & Zachæi, quò lectorem scilicet, obstupefaciat, & existimationis aliquid addat fabulæ. Quanquam vt hæc ita sint, tamen imago ista, neque in templo constituta, neque adorata, neque diuino honore culta vel à sacerdote, vel à populo fuit.

Hardingus. 5. Sectio.

EVsebius Cæsareensis in septimo ecclesiasticæ historiæ libro, de antiqua illa Christi imagine meminit ex ære facta, déque muliere cuius sanguineam fluxionem Dominus sanauit in vrbe Phœnicia, dicta Cæsarea Philippi, in qua illa mulier habitabat. Quam imaginem se vidisse scribit, necnon Petri & Pauli imagines, ab aliquo prisci temporis seruatas. Atque ibi confitetur, Petri, & Pauli, & Domini seruatoris imagines suo tempore factas, ac in tabulis depictas atque propositas fuisse. Eusebio defuncto, Iulianus Apostata hanc Christi imaginem sustulit, suámque in eodem loco posuit: quæ igni violento cælitus delapso defissa fuit in pectore, caput cum parte colli defractum & intra defixum: reliquum sic diu remansit, vt fulminis & diuinæ indignationis signum extaret. Christi autem imago, postquam eam Pagani traxissent, fregissent, ignominiosé que truncassent, à Christianis sublata, compacta & in templo collocata fuit, vbi adhuc (inquit Socrates de sua ætate) seruatur. De herba illa miraculosa, quæ ad huius imaginis basim crescebat, quæque cum fimbriam imaginis attingeret, panchrestum quoddã medicamentum fieret, omnésque morbos sanaret, quandoquidem ad hanc de imaginibus quæstionem propriè non spectat, nihil commemorabo.

> Lib. 6. tri part. hist. c. 41.

Episcopus Sarisburiensis.

EVsebius ipse scribit Phœnices, qui Ethnici erant, cùm inaudita miracula à Christo, suísq; Apostolis edita audissent, ac vidissent, has in illorũ honorem imagines fecisse, Ethnica quadam inanique superstitione commotos. Hæc eius verba sunt: *Nec mirum est veteres Ethnicos beneficio affectos à seruatore nostro, ista fecisse. Nam & Apostolorum Pauli, & Petri, & ipsius Christi imagines coloribus ductas & seruatas vidimus. Et credibile est, priscos illos homines, nondum relicta auita superstitione, ad hunc modum consueuisse colere illos Ethnica consuetudine, tanquam seruatores.* Ex his Eusebij verbis perspicuum est, imagines non à Christo, Apostolísue, quemadmodum Hardingus confirmat

> Euseb. lib. 7. cap. 18. ὡς εἰκὸς τῶν παλαιῶν ἀπαραλλάκτως οἷα σωτῆρας ἐθνικῇ συνηθείᾳ παρ' ἑαυτοῖς τοῦτον τιμᾶν εἰωθότων τὸν τρόπον. Euseb. lib. 7. cap. 18.

confirmat,sed à superstitiosa Ethnicorum consuetudine fluxisse. Neque tamen istas imagines in tẽplo quoquam collocatas fuisse constat. Nam Christi imaginem foris in platea stetisse, manifestum est,& herbam mirifica quadam virtute præditam succreuisse.

Iulianus ille Apostata, qui Christi aliquando religionem fuerat professus, eámque postea malitiosa quadam perfidia incitatus abiecerat, illam Christi imaginem de loco suo mouit, non quò populum ab idololatria abduceret, sed quò odium, & suam in nouam eam religionem contumeliam ostenderet: suamque ipsius imaginem statuit, quò nimirum eam populus coleret, idque in Christi ipsius: dedecus quemadmodum ij nunc faciunt,qui Dei mandata de industria violant,vt suas retineant,tueanturque traditiones. De quibus ad hùc modum scribit Basilius: *Quisquis prohibet,facere,quæ Deus iubet:aut iubet facere,quæ Deus prohibet,maledictus est iis omnibus,qui diligunt Dominum*. Itaque Iuliani imaginem Dominus fulmine de cœlo percussit, eámque in vindictæ suæ monumentum conuulsit: Quemadmodum etiam cùm alter Iulianus præfectus Orientis Antiochenas ecclesias spoliasset,atque in similem Christi contumeliam, in vasis ipsis sacris insedisset: Deus illius partes secretas,tam repentino tetroque morbo afflixit,vt sanari nunquam vllis medicamentis posset.

Matth.15. Basil. Moral. cap.14.

Sozo.lib.5. cap.8.

Hardingus. 6. Sectio.

EX Chrysostomi Missa apparet in Constantinopolitiana ecclesia aliquem imaginum vsum suo tempore extitisse. Nam de imagine Crucifixi mentionem facit. Quisquis autem testimonia patrum pro imaginum confirmatione desiderat, legat Concilium septimum generale Nicææ Bithyniæ oppidi habitum contra Εικονομάχους,*in quo non exiguam copiam reperiet.*

Episcopus Sarisburiensis.

INea Liturgia,quæ Chrysostomi nomine circunfertur,Nicolai pontificis Romani mentio reperitur,qui quingentis pene post demortuum Chrysostomum annis extitit,vt supra ostendimus, & pontifex ordine secundus fuit à *Donna Ioanna* fœmina papa. Ea est Hardingi testimoniorum fides ac vetustas.Secundum illud Nicenum Concilium octingentis pene à Christo annis celebratum fuit: cuius vniuersam persequi & complecti incredibilem futilitatem, longum esset.Irene imperatrix fœmina nefaria,regis Tartarorum filia, genere Ethnica, illud Concilium indici curauit,Constantinopolitiani concilij,quod contra imagines decreuisset, odio permota.Constantino filio suo,quòd is idololatricæ statuendarum colendarúmque imaginum superstitioni assentiri nollet,oculos exculpsit. Episcopi & doctores illius Concilij tum scripturas manifestò adulterarunt, tum patres sanctissimos impudentissimè sunt ementiti. Huiusmodi fuerunt illorum voces.*Imago melior est,quàm oratio*.Et, *Quisquis sanctas Imagines adorare noluerit,anathema sit.*

Anno.855.

Abbas Vrspergen. Carion.

Nicen. Concil 2.actio.4. Nicen.Concil. 2.actio,2.

Hardingus. 7. Sectio.

ALiqua autem hìc recensere non grauabor, quæ ibi,quantum memini, non reperiuntur,vno tantùm excepto de Basilio, quæ omnia luculenta sunt & antiquæ authoritatis.

Simeon Metaphrastes author Græcus, Lucæ Euangelistæ vitam scribens,eum Christi, matrisque ipsius Mariæ imagines fecisse affirmat: Ambrosius Apostolorum imagines in picturis adhibitas ætate sua fuisse testatur.Cùm enim commemorat,quemadmodum sancti Martyres,Geruasius, & Protasius miraculosè illi in visione apparuerint, scribit tertium etiam quendam simul apparuisse, qui locum ei indicauit, vbi eorum corpora iacerent, atque illum Paulo Apostolo similem esse visum, quantum ex picturæ contemplatione faciem eius,agnoscere potuit.

Insulsus nugator, vixit circiter annum Domini. 1350.

In vita Geruasij & Protasij

Gregorius Nyssenus Basilij frater Theodori Martyris, vitam perscribens templum illud,in quo illius reliquiæ seruarentur longa & eloquentissima oratione collaudabat, in qua & figuram rerum animantium à sculptore factam commendat,& marmoris à lapicida politi tanquam argenti leuitatem, & viuam ipsius Martyris effigiem, omniúmque eius præclarissimorum factorum adumbrationem expressam, & oculis propositam excellentissimè à pictore in opere sculptili vnà cum Christi imagine, in quibus imaginibus pugnas Martyris non minùs ad viuum expressas agnoscit, quàm si in libro descriptæ ac commemoratæ essent.

In decimo Natali.

Paulinus Episcopus Nolanus in eo libro,quem de vita Facilis Martyris,versibus composuit, templum laudat in quo Martyris corpus conditum fuit, quod esset in vtroque latere pictis imaginibus vtriusque sexus,& virorum & fœminarum, virilis sexus in altero latere, & muliebris in altero ornatum. In quo disertè meminit imagines & scabiosi Iobi,& cæci Tobiæ, & pulchræ Iudithæ, & potentis reginæ Hesteræ:sic enim eos nominat.

Episcopus Sarisburiensis.

PAulus ait: *Lucas Medicus*, non Lucas pictor. Beatissimam virginem orationis & eloquentiæ suæ,qua cæteris omnibus præstare visus est, coloribus depinxit: alio autem modo eam pingere ne illi haud fuit otium. Verùm enimuerò Theodorus Anagnostes author est, *Eudoxiam misisse eandem imaginem Hierosolymis ad imperatricem Pulcheriam*: qua fide,incertum est. Simeon autem iste Mataphrastes,quem hìc Hardingus suis coloribus exornat,Græcúmque authorem appellat,triuialis fuit Constantinopoli ludimagister, & Sanctorum vitas scripsit, quæ non immeritò,Mendaciorum legendæ dici possunt,vixitque ducentis,non ampliùs abhinc annis. Tantæ nimirum& tam priscæ authoritatis Hardingiana sunt testimonia.

Coloss.4. Lucas Medicus.

Theodor.lib.1.

Volaterranus.

Quod ad Ambrosium, Gregorium Nyssenum, & Paulinum attinet, non nego quin & pictores sculptorésque ea ætate fuerint, & picturæ etiam atque imagines extiterint, non modò in priuatis ædibus, & in foro, sed in ipsis etiam conciliis, frequentissimísque ecclesiis. Eas autem Eusebius ab Ethnicis primùm in ecclesias introductas fuisse scribit: atque Hieronymus de Ethnicorum hac in re superstitione loquens, sic habet: *Argento & auro decorauit illud, vt fulgore vtriusque materiæ decipiat simplices. Qui quidem error ad nos vsque transiuit, vt religionem in diuitiis arbitremur.* Nunquam de eo conquestus fuisse Hieronymus, nisi quibusdam in locis suo tempore, inualuisset. Neque verò aut Epiphanius Cypri sanctissimus episcopus, Christi imaginem in velo quodam depictam concerpere, & superstitionem eam ecclesia Dei indignissimam appellare: neque Serenus ille Massiliensium Episcopus celeberrimus imagines ex ligno & lapide factas confringere potuisset, nisi eiusmodi extitissent imagines atque picturæ. Imagines tum fuisse, non inficiamur: adoratas autem, aut positas & collocatas fuisse, vt adorarentur, id verò pernegamus.

Euse. li. 7. c. 18.
Hiero. in Hieremiá. li. 2. c. 10.
Epiph. ad Ioan. Hierosol.
Gregor. lib. 9. epist. 9.

Hardingus. 8. Sectio.

Athanasius locum vnum insignem, & minimè tritum habet, de seruanda Christi seruatoris imagine, in quo Christum & ecclesiam in dialogo colloquentes facit, In sermone de sanctis patribus & Prophetis. Græcum sic conuerti potest: Age (inquit) dic mihi, cur oppugnaris? Opugnor (inquit ecclesia) propter doctrinam Euangelij, quam diligenter & accurate teneo, & propter verum & firmum Pascha, quod agito, & propter religiosam & puram imaginem tuam, quam mihi Apostoli reliquerunt, vt haberem depictam arram humanitatis tuæ, in qua Mysterium Redemptionis operatus es. Hic Christus, si propter hoc (inquit) te oppugnant, ne grauiter feras, neue animum despondeas, cùm scias, si quis Pascha neget, aut Imaginem, me eum negaturum coram patre meo, & electis angelis. Rursus verò, qui compatitur mecum propter Pascha, conglorificaturum. Annon audisti quid Mosi præceperim? Facies (inquam) mihi duos Cherubinos in Tabernaculo testimonij, scilicet ad præfigurandam meam imaginem &c.

Episcopus Sarisburiensis.

Istuc verò præclarum antiquitatis monumentum Veronæ diu in puluere, & situ iacuisse opinor cum Hardingi Amphilochio. Ecclesia apud Christum lamẽtabiliter, cõquiritur se propter eius imaginem, grauissimè affligi atque vexari. Christus, vt eam consoletur, ait, *Qui meam imaginem negauerit, coram patre meo negabitur.* Ad extremum eiusmodi imagines exemplo Cherubinorum confirmat.

Hic autem Hardingus, vt nouo suo Doctori nonnihil authoritatis & fidei conciliaret, exponere nobis debuit, quonam tempore ecclesia adeo esset acerbè propter Christi imaginem tractata, & à quibus hominibus, & quo genere afflictionis, & quandiu, & qua in regione, & quando tandem liberata fuerit. Ecclesia in monte ædificata est, neque possunt illius occultari conflictationes. Si propter imagines eiusmodi molestiis vnquã affecta fuerit, ante Athanasij (inquam) memoriam, id ignotum esse non potest: si nunquam fuerit, nimis ea quidem delicata & lasciua fuit, quæ sine causa tantopere conquereretur.

Si veræ fuerint istæ minæ, fore, vt qui sculptam Christi imaginem negauerit, is coram Deo patre negetur, tum & Epiphanium Cyprium, & Serenum Massiliensem episcopum, summo vtrumque pietatis studio & amore incensum, magnámque præterea doctissimorum & sanctissimorum patrum multitudinẽ, qui Christi imagines cõciderunt, euerterunt, deformarunt, coram Deo negatum iri est necesse. Denique quod Dominum Mosi mandasse affirmat, vt aureos hosce Cherubinos faceret, *quò imagines has lineas & lapideas præfigurarent,* vanum & puerile commentum est, & firmamento caret, tametsi defendendæ fucandæque puerili sententiæ satis quidẽ conuenit.

Quanquam profectò, si quid vel in obscuro isto Athanasio, vel in eius dictis momenti insit, facile existimare licet eum imaginis nomine in hoc loco vsum esse, non pro vlla eiusmodi forma in materia aliqua aut picta aut sculpta manibus, sed pro vniuersa filij Dei in hac mortali vita πολιτεία, quæ nihil aliud est, quam *Verbum caro factum est*: quæque instar imaginis cuiusdam expressa atque oculis nostris subiecta est, in omni ecclesiæ doctrina ac disciplina, quasi solidissimum Christianæ fidei fundamentum, atque Basis. Sic Paulus: *Christus est imago patris*: non alioqui Deus aspectabilis non est. Sic Ioannes: *Nemo Deum vidit vnquam: filius qui est in sinu patris, patris voluntatẽ reuelauit.* In Christi igitur ἐνανθρωπήσει, tanquã in imagine quadã, Deum patrem intuemur. Similiter in Apocalypsi imago bestiæ, non vlla materialis vel picta, vel sculpta imago dicitur, sed ipsa doctrina, impostura errores, mendacia, blasphemiæ, idololatria, totáque Antichristi πολιτεία. Sic Basilius habet: *Christus carnem sanguinémque suum totam nominauit Euangelij mysticam doctrinam, quam ipse in dispensatione carnis suæ promulgauit.* Sic Augustinus dicere videtur: *Eius passionis imaginem in ecclesia celebrandam dedit.* Pachymeres etiam scriptor Græcus imaginis nomen sic interpretatur: Ἀγάλματα δὲ οὗτοι τὰς εἰκόνας τῶν μυστικῶν, id est, *Statuas vocat imagines (seu intimas, & altas contemplationes) mysteriorum.* Propter hanc imaginem Christi sæpenumero miserrimè iactata fuit ecclesia Dei. Hæc imago, quemadmodum nonnulli ex antiquis patribus affirmant, Cherubinis adumbrata fuit: atque hanc quisquis imaginem negauerit, eum Christus coram patre certissimè negabit. Hæc interpretatio cùm verbi Diuini anologiæ, tum temporis historiæ consentit: ideó-

2. Cor. 4.
Ioan. 1.
Apocal. 13.
Basil. episto. ad Cæsarеenses. σάρκα γάρ ἐκάλεσε πᾶσαν αὐτοῦ τὴν μυστικὴν ἐπιδημίαν αὐτοῦ.
Augu. 80. quæstio. Quæst. 61.
Pachym. in 3. ca. Eccl. Hiera.

tit: ideóque planè statuere licet, si hic verè Athanasius fuerit, eius hanc ipsam fuisse sententiam. Nā cæteroquin Athanasius ipse, quem vulgò omnes agnoscunt, quique extat palam, sic habet: ἡ τῶν εἰδώλων εὕρεσις οὐκ ἀπ' ἀγαθοῦ, ἀλλὰ ἀπὸ κακίας γέγονε. Τὸ δὲ τὴν ἀρχὴν ἔχον κακὴν, ἐν οὐδενί ποτε καλὸν κριθείη ὅλον ὂν φαῦλον, hoc est, *Imaginum inuentio, non de bono, sed de malo extitit. Quod autem principium malum habet in nulla re bonum indicari potest, vtpote totum malum.* Hæc huius est sanctissimi patris clarissima sententia, quæ non aut in angulis proiecta, aut situ abscondita, sed omnium oculis aspectuique exposita est.

Atha. aduersus gentes.

Hardingus. 9. Sectio.

EX omnibus antiquis patribus nullus est, qui illustrius testimonium habeat, de vsu simul & adoratione imaginum, quàm D. Basilius, cuius authoritas, propter eius doctrinam, sapientiam, vitaque sanctitatem, præter vetustatem, tantum habet in omnium iudiciis ponderis, vt omnes nostri noui magistri, si in lance aduersa ponerentur, quauis pluma leuiores deprehenderentur. De hac autem re in epistola quadam, in qua fidei suæ confessionem facit, atque in Iulianum Apostatam inuehitur, sic habet: Quemadmodum à Deo Christianam & inculpabilem nostram fidem veluti hæreditario nostro iure accepimus, sic confiteor, & in eo maneo. Credo autem in vnum Deum patrem omnipotentem, Deum patrem, Deum filium, Deum spiritum sanctum: vnum Deum hæc tria adoro. Confiteor etiam filij incarnatam οἰκονομίαν: deinde sanctam Mariam, quæ secundùm carnem illum peperit, hanc Deiparam vocans. Suspicio etiam sanctos Apostolos, Prophetas, & Martyres, qui pro me apud Deum supplicant, quò per illorum mediationem propitius mihi sit Deus noster benignissimus & remissionem peccatorum mihi gratis largiatur. *Tum sequitur:* Quam ob causam & historias imaginum illorum honoro, & palàm adoro: hoc enim nobis traditū à sanctis Apostolis, non est prohibēdum, sed in omnibus ecclesiis nostris eorum historias erigimus. *Viden' Iuelle luculētissimo testimonio constare, imagines in templis collocatas fuisse, diu ante sexcentorum tuorum annorum exitum, & adoratas cultásque esse, non modò ab indocta Christianorum plebe, sed ab Episcopo Basilio, qui propter eximiam eruditionem ac sapientiam Magni cognomine celebratus fuit?*

Citatur ab Adriano Papa in epistola Synodica ad Constantinū & Irenem.

Hic Basilius non diuus Basilius est.

Episcopus Sarisburiensis.

FAteor verò & Basilium propter doctrinam, sapientiam constantiamque in veritate Diuina suam, Magnum meritissimè fuisse appellatum, & eius authoritatem grauem semper esse visam atque iudicatam. Si quam Hardingus illius in se grauitatis particulam haberet, non tam facilè quouis leuissimæ opinionis flatu à Christo, eiúsque Euangelio abduceretur. Verùm iste Basilius nō est: Basilius: neque ista verba, Basilij verba sunt: Papa duntaxat Adrianus in epistola sua Synodica inter alia ineptissima testimonia, hæc verba citauit tanquam Basilij: quæ in libris Basilij in lucem editis, & lectione omnium tritis, minimè reperiuntur.

Quod autem Basilius iste, se imagines culturum adoraturúmque profitetur, idque palam ad exemplum aliorum, Hardingus ipse nouit, hanc doctrinam, non modò communi rationi, sed suis etiam Conciliis aduersari. Etenim in Cōcilio Moguntinensi scribitur hoc modo: *Imagines non ad id proponuntur, vt adoremus, aut colamus eas.* Neque eas Gregorius Deos, qui adorentur, sed libros qui legantur nuncupat, neque libros reconditæ cuiusdam artis, qui Basilium, aliósue consimiles eruditos episcopos instituant, sed *libros Laicorum.* Quandoquidem autem Hardingus tanti nos huiusce Cōcilij authoritatem facere vult: quò lectoris hac in re desiderio consulamus, necessarium esse arbitramur paucis & tanquam in trāscursu partem aliquam attingere illarum rationum longè grauissimarum, quibus illi episcopi & patres, re diu consulta ac deliberata impulsi fuerunt, vt imaginum fructum adorationémque confirmarent ac stabilirent, eósque qui contradicerent pro blasphemis atque hæreticis condemnarent. Rationum igitur hæc sunt præcipua momenta.

Conci. Mogun. de imaginibus.

Moses scribit: Deum accepisse lutum & fecisse hominē iuxta suam imaginem ac similitudinem: Esaias ait, Erit signum & testimonium Domino in terra Aegypti: Propheta Dauid ait, Confessio & dignitas coram ipso est: Domine dilexi pulchritudinem Domus tuæ: Domine quæsiuit te facies mea: Vultum tuum quæram Domine: cōsignatum est super nos lumen vultus tui: Ex singulis hisce clausulis ac intercisis membris, Adrianus Papa conclusit ad hunc modum: *Ergo, Imagines statuendæ sunt in templis.*

Genes. 2.
Esai. 19.
Psal. 95.
Psal. 25.
Psal. 26.
Adrian. episto. Synod. actio. 2.

Alius hoc modo argumētatur: *Sicut audiuimus, ita vidimus: Ergo, Imagines sint oportet, quas intueamur.* Alter sic concludit: *Mirabilis Deus in sanctis suis: Ergo, templum exornari picturis debet.* Alter sic, *Nemo accendit lucernam, eámque ponit sub modio: Ergo imagines in Altari collocandæ sunt.* Ex hisce vniuersis, aliisque eiusmodi sumptionibus sic ratiocinatur Isidorus: *Ergo templum nihili valet quod non sit imaginibus refertum.*

Psal. 47.
Theodorus.

Ad confirmandam imaginum adorationem atque venerationem his argumentis vtuntur: *Psalmographus ait, Adorate scabellum pedum eius: Adorate in sancto monte eius: Domine omnes diuites templi tui orabunt coram vultu tuo: Ergo, inquiunt, adorandæ sunt imagines.*

Concil. Nicen. 2. actio. 1. Ναοῦ λόγος οὐδεὶς, ὃν οὐ στέφει ἄγαλμα.
Psal. 98.
Psal. 47.
Psal. 44.

Iam verò molestum esset ineptias omnes, ac plus quàm superstitiosas illius Concilij fabulas consectari. Diabolus sanctè promittit, fidémque suam dat se virum sanctum non ampliùs tentaturum, aut infestaturum, si beatæ Mariæ imaginem venerari desisteret. Alius imaginem accersit, quæ aquam ad se domum in cisternam comportet. Alius iturus peregrè, Mariæ mandat, vt eo absente, suam ipsa candelam obseruet: Illa mandata diligenter præstitit, candela arsit, quo-

Concil. Nicen. 2. actio. 1.

usque ille rediisset. Ex his coniecturam de reliquis facere licet.

Hæc nempe egregia sunt longéque grauissima argumenta: quibuscum si nostri conferantur noui magistri, pluma quauis leuiores videantur.

Cæterum cùm isti homines nostram disciplinam, tam sæpe odioso quodam & infami nouitatis crimine arcessant, quasi ante hanc recentem memoriam ne audita quidem fuisset, operæpretium videatur antiquissimorum patrum sententias, & veteris ecclesiæ institutum paucis attingere. Origenes habet: *Dei, vt inuisibilis, & incorporei imaginem nullam effigiamus*. Iterum habet: *Celsus obiicit nobis, quòd non habeamus Altaria & Imagines*. Clemens Alexandrinus, qui ætatæ floruit eadem, sic habet: *Nobis apertè vetitum est, artem fallacem exercere. Non facies enim, inquit propheta, cuiusuis rei similitudinem*. Arnobius, qui Clementem & Origenem proximè ætate subsequutus est, sic ad Ethnicos scribit: *Accusatis nos, quòd non habeamus Imagines & Altaria*. Lanctantius Arnobij discipulus habet: *Non est dubium, quin religio nulla sit, vbi simulachrum est*. Augustinus hoc Varronis dictum vehementer laudat: *Qui primi simulachra deorum populis posuerunt, illi ciuitatibus suis metum dempserunt, errorem verò addiderunt*. Atque hanc adiungit rationem: *Quia dij facilè possunt in simulachrorum stoliditate contemni*. Eleberinum concilium hoc decretum facit: *Placuit picturas in ecclesiis esse non debere, ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur*. De Constantinopolitano Concilio, idipsum affirmare licet. Sanctissimi verò imperatores Valens, & Theodosius orbi Christiano generale huiusmodi mandatum promulgarunt: *Cùm sit nobis cura diligens, in rebus omnibus superni Numinis religionem tueri, signum saluatoris nostri Christi nemini concedimus, coloribus, lapide, aliáue materia fingere, sculpere, aut pingere. Sed quocunque reperitur loco, tolli iubemus, grauissima pœna eos mulctando, qui cõtrarium decretis nostris, & imperio quicquam tentauerint*. Atque hanc deinde sanctionẽ & cõfirmarunt & exercuerũt Philippicus, Leo, Cõstantinus pater, Cõstantinus filius, Nicephorus, Stauratius, Michael, Leo, Armenius, aliique Christiani, & pij imperatores.

Origen. contra Celsum. lib. 7. Orige. contra Celsum lib. 4. Clem. Alexan. in Parænetico. Arnob. contra gentes. lib. 2. pag 214. Tertul. in Apo. Lactan. lib. 2. cap. 2. Augu*s*t. de ciuitate Dei. lib. 4. cap. 31. Concil. Eleberinum. can. 36. Constantino. Concil. P. Crinitus. lib. 9. cap. 9.

Hæc testimonia cùm vetusta & antiqua sunt, tum dilucida: enucleata, omnibus explorata sunt. Itaque facilè præponderabunt & omnes illas de Nicodemi imagine fabulas, & Simeonis Metaphrastæ recentis huiusce Basilij, noui Athanasij, aliorumque eiusmodi infuscatas authoritates, quæ iampridem è tenebris erutæ, atque in lucem extractæ fuerunt. Equidem verò Amphilochius, cuius se pallio ita sæpe texit Hardingus, nullo modo repudiari potest: Manifesta sunt eius verba: *Non est nobis curæ, sanctorum vultus corporales in tabulis coloribus effigiare: quoniam his opus non habemus*.

Concil. Nicen. 2. Act. 6.

Hardingus. 10. Sectio.

CVm itaque de antiquitate, origine & approbatione imaginum satis multa dicta sint, reliquum est, vt ostendamus propter quas causas in templis vsurpatæ fuerint. Itaque imagines tribus de causis in templa introductas fuisse perspicimus. Prima est, fructus scientiæ. Simplex enim & ignarus populus, ac literarum planè rudis, in picturis quasi legit & videt non minùs, quàm alij in libris, Mysteria Christianæ religionis, eximiáque Christi & sanctorum eius facta. Quod scriptura legentibus, hoc, pictura idiotis intuentibus præstat, inquit Gregorius: in eadem enim indocti vident, quid imitari debeant: in eadem legunt, qui literas nesciunt, itaque picturæ (inquit) imperitis Nationibus specialiter inseruiunt, loco scripturarum.

Tres causæ ob quas imagines in templis adhibitæ fuerint.

Huic autem Basilius assentitur, in Homilia sua de quadraginta Martyribus. Nam magnifica (*inquit*) in bello gesta, & oratores sæpenumero & pictores pulcherrimè demonstrant. Hi oratione, illi tabulis describentes: qui ambo multos ad res fortiter gerendas incitarunt. Quæ enim sermo historiæ per inductionem præbet, eadem & pictura tacens per imitationem ostendit. *Atque hoc est quod præstantium poetarum opera picturæ loquentes olim dicta sunt: & pictorum vicissim opera, tacita poemata nuncupata. Itaque scripturæ atque picturæ vsus idẽ est, eadémque vtilitas. Res enim, quæ legũtur, quãdo ad aures perueniunt, tunc ad mentem transmittimus: quásque res in picturis contẽplamur oculis, easdem etiam animis amplectimur. Quare ex pictura ac scriptura, vnum idémque percipimus scientiæ cõmodum.*

Ad Serenũ Episcop. Massiliens. lib. 9. Epist. 9.

Pictura loquens: Poema tacens.

Episcopus Sarisburiensis.

PRima princépsque causa, ob quam Imagines in tẽplis constitutæ fuerunt, ea hoc loco ponitur, vt populus scilicet ex earũ aspectu doctior, atque peritior euaderet. Quamobrem eas Gregorius idiotarum libros nuncupat: & patres Concilij cuiusdam recentis aiunt: *Plus discere breui ex imagine possumus, quàm ex scripturis longo studio atque labore*. Eáque de causa Basilius, pictam imaginem historiæ scriptæ comparat. Quanquam ea, qua Hardingus vtitur, picturæ & poëmatis similitudo proximè verum attingere videtur. Pictores enim atque Poëtæ propter communem mentiendi facultatem pari iamdiu iure fuerunt. Quidam de iis ad hunc modum scripsit: *Pictoribus atque Poetis Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas*. Poëtarum verò licentiam exponens Athenæus, ait: οἷς λέγειν ἅπαντα, καὶ ποιεῖν ἔξεστι μόνοις: hoc est, *Quibus & dicere quiduis, & facere licet solis*. Eáque de causa dixisse Cicero videatur: *Nihil negotii est hæc poetarum, & pictorum portenta conuincere*. Itaque quemadmodum Plato poëtas, propter institutum mentiendi morem è sua republica profligauit, ita etiam Deus Opt. Max. pictores, hanc ipsam ob causam, è regione Israëlitica exterminauit. Quæ cùm ita sint, Hardingiana pictorum & poëtarum comparatio non improbanda videatur.

Gregor. lib. 9. epist. 9. Concil. Senonense. Horatius. Athenæus. Cicero Tusc. Quæst. 1. Plato. Origen. contra Celsum. lib. 4.

Quanquam

Quanquam ista docendi populi via non satis commoda videtur, & expedita. E sacerdotibus imagines fecerunt, & contrà ex imaginibus sacerdotes. Sacerdotes enim illorum maxima ex parte oculos habent, neque vident: aures habent, neque audiunt: corda habent, neque intelligunt: ora habent, nec loquuntur: denique suis imaginibus omni ratione similes sunt. Imagines ipsorum oculos non habent, & tamen finguntur, vt videant: aures non habent, tamen fabricantur, vt audiant: ora non habent, tamen in excelso ponuntur, vt loquantur: in quo sacerdotum propria officia faciunt. Ita nimirum populum ab audiendo Dei sacrosancto verbo arcent ac prohibēt: atq; imagines spectare, cū imaginibus colloqui, imagines audire, ab imaginibus institui iubēt.

Etsi autem contingere aliquando posset, vt populus aliquid hoc modo disceret atque perciperet, non tamen hæc legitima est ac solennis via, quam Deus populo adipiscendæ scientiæ præscripsit. Paulus ait: *Fides ex auditu est.* Multi fuerunt inter Iudæos simplices, idiotæ, imperitique homines plebeij: Deus tamen nullos vnquam huiusmodi libros illis legendos proposuit: sed contrà, semper vetuit, apertè reclamauit, nunquam pati voluit. Si hæc tam explicata sit facilisque instituendi populi ratio, quid est, quòd qui maximè huiusmodi magistrorum copia circunfluunt, ij maximè & ignari, & superstitiosi, & idololatriæ dediti sunt? Verùm, vt concludam: Habacuk, & Ieremias prophetæ aiunt: *Conflatile est demonstratio mendacij: Lignum est doctrina vanitatis.*

Rom. 10.

Habacuk 2. Ierem. 10.

Hardingus. 11. Sectio.

SEcundus imaginum vsus est, vt mentes nostras ad omnem pietatem excitent. Cùm enim affectus & desiderium hominis in diuinis spiritualibúsque rebus hebes sit, quoniam corpus corruptibile mentem aggrauat: quando in imaginibus exprimitur & oculis nostris subiicitur, quid Christus pro nobis, quídque pro Christo sancti præstiterint, tum acuitur, & commouetur ad similem agendi voluntatem, atque ad omne piæ sanctæque vitæ studium. Quemadmodum enim cùm in concione vel oratione verba apta audimus: sic cum imaginum vultus & gestus ad viuum delineatos intuemur, vel ad misericordiam, vel ad lachrymas, vel ac lætitiam, vel ad similes affectiones excitamur. In quo sanè non minùs pictores, quàm aut Oratores, aut poetæ excellere semper sunt iudicati.

Sapient. 9.

Qui exempla desiderat, secundùm Nicenum Concilium consulat, in quo inter alia egregia, quæ ad hanc rem pertinent, vnum reperiet de S. Euphremia Martyre, alterum de Abrahamo Isaacum filium sacrificante, æterna memoria dignum, quorum illud Asterius sanctus episcopus, hoc Gregorius Nissenus elegantissimè descripsit. Virgilius Æneam lachrymantem, meliora sperantem, se colligentem, concilium de subleuandis suis grauissimis calamitatibus capientem facit, occasione picturæ cuiusdam, quam Carthagine viderat, in qua Troianum bellum descriptum fuit. Quod sapiens ille poeta neutiquam fecisset, nisi pictura permagnum haberet in commouendis affectibus momentum.

Actio. 4.

Ouidius etiam in Epistola Laodamiæ ad Protesilaum virum profectum ad militiam, sic eam fingit scribentem de illius imagine, quam ex cera formandam curauit, quò absentis desiderium illo modo leniret, vt facilè intelligamus, imagines mirabilem quandam vim habere, vehementes affectiones excitandi, résque absentes sic quasi præsentes adessent repræsentandi in animis spectantium. Ex omnibus exemplis, quæ in hanc causam adduci possunt, illud mihi longè illustrissimum videtur, quòd Appianus scribit de C. Iulio Cæsare. libro 2. de Bellis Ciuilibus. *Postquam enim Cæsar à senatoribus fuisset in Curia trucidatus, quidam ex amicis eius, vt facinoris huius immanitatem populo ostenderet, Cæsaris lecticam in forum attulit, atque ex ea imaginem illius ex cera factam, quæ viginti tria vulnera, belluino quodam modo in faciem ei, reliquásque corporis partes impressa, hiantia quodammodo adhuc & sanguine fluentia repræsentabat. Quo spectaculo populum ad vehementiorem iracundiam ac furorem accendit, quàm quauis oratione aut gestu potuisset: quod statim apparuit. Cùm primùm enim populus eam videret imaginem, nec dolorem ferre, nec furorem coërcere potuit: quin summa crudelitatis exempla in illius homicidii authores statueret.*

Tertia causa, propter quam imagines erectæ in templis fuerunt, est ad conseruandam rerum memoriam ad salutem nostram necessariarum. Cùm enim oculos in eas coniicimus, memoria nostra, quæ alioqui tenuis ac imbecilla est, colligit atque amplectitur beneficia ac merita Seruatoris Christi: & pia sanctorum exempla, quæ nos imitari debeamus: vt si tales fuerimus, quales ii fuerunt, diuina gratia per Christum consequi possimus fœlicitatem, quam ii sunt adepti, & vnà cum illis vita fruamur æterna. Atque ii sanè qui imagines in honere habent, ita animati esse debent, vt non modò res contemplentur in illis adumbratè, sed eas atiam facto, & diligentissima imitatione præstent.

Episcopus Sarisburiensis.

QVòd ad secundam attinet, quam ex imaginibus percipimus vtilitatem, quæ in commouendis, cōcitandísque animis versatur, Hardingus sibi necessarium esse iudicauit, ad Ethnicorum poëtarum auxilium confugere Virgilium, atque Ouidium, testes doctori Theologiæ sanè nō apertissimos: atque illorum ad confirmandam causam futilissimas fabulas introducere, nec non vetustam Appiani, & prophanam historiam. Itaque iam penè exhaustus, & ad ipsas peruenisse feces videtur. Miror oblitum esse iuuenis illius in Eunucho, qui quod Iouem in tabula pictum videret, statim ad persequendum suum iuuenile propositum penitus est incitatus, ac confirmatus. Imagines sępenumero mentes multis acribúsque affectibus incēdere fateor, cæcúmque duco, qui contrà senserit. Salustius scribit, Quintū Maximū, & P. Scpione, quotiescūque maiorum suorū imagines intuerentur, illico fuisse insitę virtutis nobilitate, ad parē præstantissimorū facinorū laudem

In Eunucho.

inflammatos. Verùm non quòd mentem vel delectare, vel incitare solet, id omne aptum etiam censeri debet ecclesiæ Dei: quæ orandi est, non spectandi domus. Atque vt vni prophanæ historiæ alteram obiiciamus, prisci Lacedæmonij imaginem nullam, aut picturam in Senatu pati voluerunt ne Senatorum mentes eo modo ab instituta deliberatione ad alienas cogitationes abducerentur. Enimuero Sapiens ait: *Aspectus imaginis dat insipienti concupiscentiam.* Tertius fructus de conseruanda rerum memoria, primo par est, ideoque noua refutatione opus non habet.

Plutarchus.

Sapient. 15.

Hardingus. 12. Sectio.

Iam eò peruentum est, vt ostendamus quemadmodum imagines adorari & honorari possint legitimè. Ille diuinus cultus, qui internè in spiritu & veritate consistit, & signis quibusdam externè declaratur, in agnoscendo summo dominatu, qui quidem à Theologis propriè Latria *vocatur, soli sanctissimæ Trinitati defertur. Sanctis autem imaginibus illum cultum nequaquam tribuimus, sed genus quoddam inferius reuerentiæ atque adorationis (sic enim nominatur)* [a] *qui nihil aliud est, quàm recognitio virtutis alicuius aut excellentiæ, externo signo, veluti religiosè osculando, corpus inclinando, genu flectendo, aliísque eiusmodi testata. Quod quidem adorationis genus creaturis sæpenumero tributum in scripturis reperimus, cuius nihilominus tota actio, non ad ipsas imagines* [b] *præcipuè, sed ad res in illis repræsentatas refertur, tanquam ad verum propriúmque illius adorationis obiectum. Quanquam enim imaginis cultus ad ipsam primam principémque formam, quam Archetypum doctiores vocant, transfertur, quemadmodum Basilius docet: ille tamen summus cultus, qui* Latria *dicitur, ad sanctam Trinitatem duntaxat pertinet, non ad reuerendam imaginem, ne fortè creaturarum, materiarúmque vt auri, argenti, lapidum, ligni, aliarúmque eiusmodi rerum cultores videamur.* Imagines non adoramus vt Deum, *(inquit Athanasius)* neque spem in illis salutis nostræ collocamus, neque cultum diuinum illis exhibemus: sic enim Ethnici faciebant: sed hac adoratione, seu reuerentia affectum quendam & pietatem in ipsa Arthetypa testamur. Quare si earum vel deformari vel dirimi figuram acciderit, non dubitamus truncos, vt verum lignum comburere, sique ex alia materia fuerint ad eum vsum, cui maximè inseruire possunt, adhibere.

Quemadmodum imagines legitimè adorari possint.

Sacras imagines Hardingus sine Spiritu & veritate adorari, confitetur.

a Inanis distinctio. Hebraicè enim legitur, *Non incuruabis teipsum.*

b Adorationis actio ad imaginem refertur, licèt non præcipuè.

Libro ad Amphiloc. cap. 18.

In quæst. ad Antiochum principem.

Hic Athanasius, fictus est, non verus Athanasius.

Li. 7. epist. 53.

Gregorius Secundinum quendam laudans, quòd seruatoris imaginem ad se mitti cuperet, quò imaginem propositam videndo, ad Christum *corde diligendum magis inflammaretur, post pauca in eam sententiam verba, sic habet:* Scio quòd Imaginem seruatoris nostri non ideo petis, vt quasi Deum colas, sed ob recordationem Filij Dei in eius sermone recalescas, cuius te imaginem videre consideras. Et nos quidem non quasi ante diuinitatem, ante illam prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut passum, sed & in throno sedentem recordamur. Et dum nobis ipsa pictura, quasi scriptura, ad memoriam filium Dei reducit, animum nostrum aut de resurrectione lætificat, aut de passione demulcet. *Hæc ille.*

Etsi homines coram imagine, aut triumphante sanctæ Crucis signo in genua prouoluti precentur, non lignum lapidéumue figuratum venerantur, sed Deum optimum colunt: quémque sensibus percipere non possunt, eius imaginem & figuram venerantur ac colunt, iuxta antiqua instituta, non in ipsa imagine acquiescentes, sed venerationem omnem, adorationémque ad eum transferentes, qui repræsentatur.

Multa adduci è patribus possent de imaginum cultu: sed hæc sufficiant. Ex quibus omnibus hoc vnum efficitur, quod quæcunque reuerentia, honor, cultus imaginibus defertur, in memoriam & amorem & honorem archetyporum redundat. Veluti, quando librum Euangelij osculamur, eo signo non pergamentum, non chartam, non atramentum, in quo scriptum est, sed ipsum Euangelium veneramur. Quemadmodum etiam cum Iacobus filij sui Iosephi tunicam sanguine hœdino imbutam oscularetur, eámque vlnis suis amplecteretur, & lamentabilem in ea luctum effunderet, amoris eius & doloris affectio non in tunica constitit, sed ad ipsum Iosephum referebatur, cuius infortunatam mortem (vt putabat) illa sanguinolenta tunica declarabat: sic Christiani homines signa reuerentiæ, charitatis: & honoris coràm Christi, vel Apostoli, vel Martyris cuiusquam imagine exhibentes, cum interna sua quadam recognitione, cordiúmque deuotione, non in ipsis quidem imaginibus cogitationes suas defigunt, sed totum deferunt ad Christum, ad Apostolum illum, & Martyrem, tribuentes certa proportione, id quod cuique tribui oportet: & creatorem omnipotentem à creatura secernentes: denique omnem honorem ac gloriam in vnum Deum conferentes, qui mirabilis est in sanctis suis. Huiusmodi imaginum veneratio nec impia haberi nec contemni debet: pro qua [c] *priscorum patrum testemonia Græcorum simul & Latinorum habemus: cuique fidem luculentiorem quædam* [d] *generalia concilia detulerunt, quæ earum euersores atque oppugnatores damnarunt.*

Gen. 27.

c Falsum: nullus enim priscus pater, vel Græcus, vel Latinus vnquam docuit, vt imaginem oscularemur, ad eámue prouolueremur.

d Quæ nempe sexcentorum annorũ lineas transirent.

Episcopus Sarisburiensis.

Amplum admodum vestibulum Hardingus tam paruis ædibus extruxit. Omnis nostra de Adoratione quæstio instituitur & disputatio, quæ hîc paucis verbis leuissimè transigitur. Cætera fuit leuis armaturæ quasi quædam velitatio. Neque tamen ad id disertè respondet, quod quærebatur, hoc est, an imagines olim in templis constitutæ fuissent, vt adorarentur: sed suas tantùm cogitationes proponit, atque in eo contendit, vt quemadmodum ritè adorari possint, doceat: in quo tamen, neque reliquis collegis suis, neque sibiipsi consentire videtur. Tandem in hanc sententiam concedit: *Adorationem huiusmodi, non præcipuè pertinere ad imaginem.* Quorum hic est sensus verborum. Caduca lapidis aut ligni creatura adorari potest, quanquam non præcipuè aut maximè, vt Deus ipse, qui ea repræsentatur. Atque ita mediam quandam ac incertam viam ingreditur: quasi diceret, Imago adorari potest, & tamen adorari non potest: contrà, adorari non potest,

potest,& tamen adorari potest. Ad cuius rei confirmationem ficta quædam & commentitia Basilij, & Athanasij testimonia adducit cùm satis sciat neutrum istorum patrum, vel voces vnquam huiusmodi misisse vel iustam huiusce mentionis causam habuisse: In illo duntaxat puerili Niceno Concilio secundo, inter alia eiusmodi innumera pene mendacia atque fabulas reperiuntur. Lector optime & Christiane, si literis instructus es, intuere & perpende illud Concilium: túque ipse meam orationem ipsa re longè inferiorem esse fateberis. Idem etiam ipse Athanasius vt hìc ad comprobandam imaginum adorationem inducitur, sic alibi in eodem Concilio affirmare fingitur, Christum in reliquiis ossibusque mortuorum habitare.

Concil. Nicen. 2. Act. 3.

Gregorius autē quanquam de imaginibus verba disertè facit, tamen de adorandis imaginibus nihil omnino habet. Ad extremum cùm ne vnum quidem antiquum patrem proferre possit causæ suæ testem Hardingus, exceptis hisce adulterinis & suppositiis astipulatoribus, non tamen erubescit gloriosè iactare se alios citare quàmplurimos potuisse. Istiusmodi ostentatione & inanis copiæ venditatione imperita natio sæpe fallitur. Quid autem opus erat Hardingo, vel ficta illa sua & commentitia diplomata iactare, vel insulso *præcipuæ, & minùs præcipuæ Adorationis* inuento rem ipsam in medio quodammodo dubióque relinquere? Enimuero episcopi illius secundi Niceni Concilij sibi videntur cùm ex scripturis, tum ex antiquitatis monumentis euincere posse imagines certissimè adorandas esse. Etenim, vt antè docuimus istas adhibent scripturas: *Adorate scabellum pedum ipsius: Adorate eum in monte sancto suo: Omnes diuites populi adorabunt faciem tuam.* Ex his concludunt: *Ergo imagines sunt adorandæ.* Theodosius autem Mirensis episcopus in eodem Concilio imaginum adorationem vehementer probat, & vnicè collaudat, propterea quòd archidiaconus suus eum in somno per visum edoctus esset. Iccirco quidam ex iis ait: *Venerandas imagines adoro, & id perpetuò docebo:* Alter, *Historias imaginum honoro: & palàm adoro:* Alius, *Imagines perfectè adoro:* Alius, *Eos qui diuersum statuunt, auersor & anathematizo.* Denique Concilium illud vniuersum sic sanciuit: *Eos qui circa Adorationem imaginum laborant, aut dubitant, nostra Synodus anathematizat.*

Gregor lib. 7. epist 53.

Ex libro Caroli Magni.

Psal. 98.
Psal. 47.
Psal. 44.

Concil. Nicen. 2. Act. 2.

Aiunt se scire *Imagines esse creaturas corruptibiles, ideóque se nec vti, nec habere eas pro Diis affirmāt.* In quo sibi perquam sapientes videntur, qui ea scire possint, quæ volucres puerique cognoscant, Ita de suis Idolis profiteri Ethnici consueuerunt. *Iouem lapidem, non esse Deum* Cicero confitetur. Lactantius hac de re ita scribit: *Non ipsa, inquit adoramus, sed eos ad quorum imagines facta, & quorum nominibus consecrata sunt:* quæ quidem ipsius est Hardingi vox. Similia istis in Augustino, Athanasio, Sozomeno, aliisque reperire licet: atque hæc defensio, tum sufficere, quemadmodum hodie, putabatur.

Aug. in psa. 113.
Athana. contra Gentes.
Sozom. lib 7. cap. 15. De Sophista Olympio.

Augustinus verò ait: *Quis puer interrogatus non hoc certum esse respondeat, quòd simulachra gentium os habent, & non loquuntur, oculos habent & non vident? Cur ergo tantopere spiritus sanctus curat scripturarum plurimis locis hæc insinuare atque inculcare, veluti nescientibus?* Respondet: *Quia species membrorum in eminenti collocata suggestu, cùm honorari, atque adorari cœperit à multitudine, parit in vnoquoque sordidissimum erroris affectum: vt quoniam in illo figmento non inuenit vitalem motum, credat numen occultum: & effigiem viuenti corpori similem, seductus forma, & commotus authoritate, quasi sapientium institutorum, obsequentium turbarum, sine viuo aliquo habitatore esse non putet.* Alio in loco habet: *Cùm in his sedibus locantur, honorabili sublimitate, vt à precantibus atque immolantibus attendantur, ipsa similitudine animatorum membrorum, atque sensuum, quamuis sensu, & anima careant, afficiunt infirmos animos, vt viuere atque spirare videantur.* Iterum ait: *Quis adorat vel orat intuens simulachrum, qui non afficitur, vt ab eo se exaudiri putet, ac ab eo sibi præstari, quod desiderat, speret?*

Augustin. in Psal. 113.
August. in epist. 49.
August. in psal. 13.

Hæc omnia Ethnici tenuerunt, ideóque Hardingiana defensione præclarè muniti fuerunt: tamen Idololatræ extiterunt, & vt Hieremias propheta loquitur, *Trunco dixerunt, Pater meus es tu, & lapidi, tu me genuisti.* Quapropter iræ Diuinæ filij fuerunt: quandoquidem Dei veritatem in mendacium conuerterunt, & res creatas coluerunt, posthabito creatore, qui est Deus benedictus in secula.

Hierem. 2.
Rom. 1.

Atque vt plebem simplicem in his erroribus magis confirmarent, multa instituerunt ficta miracula. Exanimes imagines sudare, lachrymare, ridere, ab vno loco in alium migrare cogebantur: vt enim inter Ethnicos & Paganos Iouis imago hæc verba proloqui clarè potuit: *Christiani omnes procul ablegentur:* vtque Iunonis statua interrogata velletne Romam proficisci, nécne, facilè benignéque annuit, séque velle respondit: sic etiam apud Christianos simulachra eloqui didicerunt, quicquid eorum custos, seu æditimus vellet. Beatæ Mariæ Imago suam ipsa candelam obseruauit: aliæque omni morborum generi mederi potuerunt. Denique Nicolaus Lyra habet: *In ecclesia Dei populus sæpe decipitur à sacerdotibus, fictis miraculis, lucri causa.* Itaque persuasum mortalibus fuit: imagines non tantùm nudas meráśque imagines extitisse, sed etiam diuinæ cuiusdam occultæque virtutis participes fuisse, & dignissimas proinde esse, quæ diuino quodam honore afficerentur.

Euseb. lib. 8. De Theotecno.
Concil. Nicen. 2. Actio 5.
Nicol. Lyra in 14. cap. Daniel.

Magna hìc in adorandi ratione differentia fingitur inter *Latriam & Douliam. Latria cultus ille est, qui ad Deum pertinet* (vt Hardingus loquitur) *in recognoscendo summo dominatu.* De doulia autem, quæ Latinè seruitus dicitur, & creaturæ debetur, nullum verbum facere satiùs duxit. Quare sic nostra ab Hardingo partiuntur officia, vt Deum colere, imaginibus seruire debeamus: atque hanc adorationem non oportet idololatriam, sed idolodouliam appellari. Sic Lyranus ait: *Alterum*

Nicol. Lyra in Hester. 3. ca.

genu honoratæ personæ flectere licet, ambo autem nonnisi Deo. Atque hac ineptissima distinctionis forma rem omnem expediisse videtur. Quid si autem populus imperitus Græcè nesciat, neque tam eruditè possit Latriam à Doulia seiungere, sed alterum genus pro altero sumat? Sic profectò in ecclesia Romana vsu iam venit, vt passim vtrumque & promiscuè vsurpetur.

Quamobrem hæc distinctio hoc modo adhibita persimilis ei videatur, qua Medici vxor vsa aliquando dicitur, *Piper frigidum esse operatione, calidum energia.* Non enim rerum est hæc, sed nominum distinctio. Cicero inquit: *Bonum esse negas, Præpositum dicis, An minuis hoc pacto auaritiam?* Sic Hardingo respondere licet, Imaginum cultum non Latriam esse, sed Douliam statuis: Verùm, an minuis hoc pacto idololatriam?

Cicero de finib. 4.

Enimuero Constantinus episcopus Constantiæ in secundo Niceno Concilio dixit: *Ego Imaginibus cultum honoris exhibeo eundem, qui debetur viuificæ Trinitati: Et si quis nolit idem facere, eum anathematizo, vt Marcionem & Manichæum.* In eodem quoque Concilio ita decretum fuit: *Non sunt duæ adorationes* (altera Latria, altera Doulia, sicuti Hardingus statuit) *sed vna Adoratio, Imaginis, & primi exemplaris, cuius est imago.*

In libro Caroli Magni.

Concil. Nicen. 2. Actio. 4.

Similiter Thomas Aquinas, post diuturnam disceptationem, sic tandem concludit: *Imago & exemplar eodem genere adorationis coli debent*: & exempli causa ait: *Crux, seu Imago Christi adorari debet Latria, quoniam ipse Christus sic adorandus est: & imago Deiparæ honorari debet Doulia, quandoquidem* (inquit) *ille cultus Deiparæ debetur.* Hanc Thomæ definitionem Holcotus reprehendit: atque hac ratione vtitur: *Latria ad Deum solùm pertinet: imago autem Dei Deus non est: Quare Latria non est imagini tribuenda. Alioquin enim* (inquit) *Creator & res Creata, eodem cultu adorarentur.* Quanquam autem Henricus de Gandauo, Petrus de Aquila, Ioannes de Guiuerra, Durandus, aliique Scholastici doctores Holcoto consentiunt, eorúmque ad rationem vehementer accommodatum iudicium videtur: tamen is, qui *Fortalitium Fidei* conscripsit, Communem opinionem, & vsum, ecclesiæ contrà valere affirmat.

Thomas in 3. Sent. dist. 2.

Holcot in lib. Sapient. lect. 158.

Author Fortalitii: *Licèt. hoc rationabiliter dictum videatur, tamen communis opinio tenet oppositum.*

Iacobus quidam Payua magnus illius causæ astipulator, non dubitauit hoc modo scribere, *Non tamen inficiamur, hac nos Latriæ Adoratione Christi præclarissimam Crucem colere, & venerari.* Quòd autem Hardingus vniuersam adorationẽ ad rem ipsam refert, quæ repræsentatur imagine, Iacobus Nanclantus Clugiensis in Italia episcopus docet, imaginem & Archetypum vno eodem cultu adorari oportere. Hæc enim eius verba sunt: *Ergo non solùm fatendum est, fideles in ecclesia adorare corã Imagine, vt nonnulli ad cautelam fortè loquuntur, sed & adorare imaginem, sine quo volueris scrupulo, quin & eo illam venerari cultu, quo & prototypon eius. Propter quod, si illud habet Adorari Latria, & illa habet adorari Latria.* Si dixerit Hardingus, hos errores vetustos esse, atque ab ecclesia sua Romana iam dudum reprobatos, meminerit Nanclantum Venetiis excussum fuisse Anno Domini 1557. Payuam verò Coloniæ anno 1564. ambos egregiè probatos, nec vlla animaduersione notatos.

Iacob. Payua. lib. 9.

Iacob. Nanclãtus in epist. ad Roman. cap. 1.

Cùm hæc ita habeant quorsum Hardingi pertinet illa sua de Latria, & Doulia distinctio? Enimuerò, metuo ne illud Augustini de Ethnicis dictum, ad Hardingum eiúsque suffragatores accommodare iure optimo liceat: *Nemo mihi dicat, Non est numen: non Deus. Vtinam ipsi sic norint quomodo nouimus nos. Sed quid habeant pro qua re habeant, quid ibi faciant, Ara testatur.*

Augst. de verbis Domini secundũ Matthæ. sermo. 6.

Mercellina hæretica multùm eo nomine reprehenditur ab Augustino, quòd inter alia simulachra, Christi etiam imagini suffitum incenderet. Origenes autem habet, *Fieri non potest vt quis & Deum, & simulachrum colat.* Polydorus etiam Vergilius, homo recentis memoriæ inanem abusum ecclesiæ, quem suo tempore inueteratum vidisset, perstringens, inquit, *Nunc de simulachrorum cultu agamus: quem non modò nostræ religionis expertes, sed teste Hieronymo, omnes ferè veteres sancti patres damnabant, ob metum idololatriæ.* Déque hoc ipso vitio quo tum ecclesia vehementissimè laborabat ad hunc modum scribit: *Eo insaniæ deuentum est, vt hæc pars pietatis parum differat ab impietate.* Eo nimirum ecclesiam Dei hæc Hardingiana Latriæ ac Douliæ distinctio perduxit.

Aug. ad Quoduult Deum.

Origen. contra Celsum. lib 4.

Polyd. Vergil. de Inuento. rerum. lib. 6. ca. 13.

Ibidem.

Præstantissimum huius mali Deíque verbo cõuenientissimum remedium erit, ipsam mali causam funditus tollere. Sic pius ille princeps Ezechias serpentem æneam conuulsit atque comminuit, etiamsi ea à Mose ipsius Dei diserto mandato constituta fuisset, etiamsi expressa Christi in cruce pendentis figura esset, etiamsi annis tot constitisset atque durasset, etiamsi tam multa Deus per eam miracula edidisset. Sic sanctitate præstans Episcopus Epiphanius Christi imaginem in velo depictam discerpsit, eámque & contra Dei mandatum introductam, & rem superstitiosam, atque ecclesia, Deíquepopulo indignam esse confirmauit: quamuis Christi imago esset. Sic Theodosius sanctissimus imperator, edictum eiusmodi in vniuersis ditionibus suis promulgauit: *Signum seruatoris nostri, quocunque loco reperitur, tolli iubemus*: etsi seruatoris imago existeret. Sic in recẽte Concilio Moguntinẽsi cauetur, vt si fortè imaginibus populus abusus fuerit, eæ mox vel insigniter immutentur, vel penitus amoueantur. Neque vsquam Dominus in verbo suo imaginum euersores, sed earum cultores ac fabricatores damnat. Deus inquit: *Laquei sunt ad capiendum simplices.* Nouit cordis humani propẽsionem: quare ait: *Maledictus, qui cœcum è via eduxerit.* Et, *Maledictus, qui lapidem offendiculi posuerit, ad euertendum cœcum.*

Epiphanius ad Ioannem episcop. Hierosolymitan.

Petrus Crinit. lib. 9. ca. 9.

Concil. Mogũ. de Imagin.

Sapient. 14.

Deut. 27.

Leuit. 19.

FINIS.

DE SCRIPTVRIS VERNACVLE LEGENDIS,

ARTICVLVS DECIMVSQVINTVS.

Episcopus Sarisburiensis.

VEL laicis tum interdictum fuisse verbi Dei vernacula lectione.

Hardingus. 1. Sectio.

LAICIS tum interdictum fuisse, ne verbum Dei lingua vernacula legerent, sanè non inuenio. Neque verò laicis vel tum, vel vnquam aliàs [a] *præceptum fuisse reperio, vt verbum Dei sua lingua, si vulgaris & barbara esset, legerent. Per vulgarem atque barbaram linguam intelligo, omnes alias, vt antè, præter tres doctas principesque linguas, Hebraicam, Græcam, Latinam. Quæ quidem olim natiuæ & maternæ tribus illis populis fuerunt: nunc autem nullis sunt vulgares ac vernaculæ, sed omnibus communiter addiscendæ, qui in scripturarum, cæterarúmque scientiarum cognitione versari volunt.*

[a] Falsum: nouit enim Hardingus iussum esse populum, vt scripturas legeret.

Episcopus Sarisburiensis.

QVæstionem hanc vniuersam Hardingus vno verbo luculenter expediit. *Non comperio* (inquit) *interdictum laicis fuisse, ne verbum Dei lingua vernacula legerent.* Quanquam hoc alij quidam collegæ sui, se planè sibi visi sunt comperisse, illáque verba vsurpare non dubitarunt, *Nolite sanctum dare canibus*: ex quibus necessariò efficere voluerunt, laicis, quos cum ipsis collatos canes appellarunt, sacras scripturas vel attingere nefas esse. Hardingus autem, istud sibi minimè comparare, ingenuè confitetur. Quæ sanè breuis ad id quod quæritur, responsio sufficeret: si modò quidnam sufficeret, intelligere posset. Cætera verbis duntaxat cumulantur, atque prætexuntur non necessariis, vt manifestum faciam.

Adiungit Hardingus: *Neque verò laicis, aut tum, aut vnquam aliàs præceptum fuisse inuenio, vt verbum Dei sua lingua legerent, si ea communis, & barbara esset.* Primùm, quòd de præcepto intulit, à causa penitus alienum est: Deinde linguæ cæteræ omnes, tribus tantùm exceptis, barbarismi sine causa damnantur: Postremò, illa de populi vernacula lectione exceptio, mera stropha est, & sine sale iniecta litigandi materia. Quanam enim lingua homines plebeij legere aliquid, atque intelligere possunt, præterquam vernacula, ac materna? Quemadmodum autem Tiberius Cæsar, in exteras prouincias & regiones longinquas mittere aliquando consueuit magnates quosdam suos, qui eas tanquam Proreges, & vicarij administrarent, neque tamen eosdem, aut illô proficisci, aut omnino Româ exire passus est: sic etiam Hardingus, quanquam legendi verbi diuini licentiam laicis permittere videri vult, tamen eos ad Hebraicam, vel ad Græcam, vel ad Latinam linguam astringit, in quibus ne posse quidem legere certum habet.

Cornelius Tacitus in Tiberio.

Quòd autem plebs priscis temporibus & legere scripturas iussa sit, & eo sermone legere, quem intelligere posset, liquidò, multísque modis constat. Atque vt ex infinitis testimoniis ac certissimis argumentis pauca quædam delibem atque carpam. Dominus ipse ad populum suum dicit: *Audi Israel: sint verba ista, quæ ego tibi hodiè præcipio in corde tuo: Et inculces ea filiis tuis, & loquêris de eis cùm domi tuæ resides, & cùm in via incedis, cùm cubitum vadis, & cùm surgis. Ligabis denique ea in signum ad manum tuam eruntque monumenta inter oculos tuos. Scribes quoque ea super postes domus tuæ, & in portis tuis.*

Deut. 6.

Recens quidam author in primo Concilio Niceno decretum fuisse tradit, ne quis Christianus Bibliis domi suæ careret. Augustinus ad populum ait: *Nec solum sufficiat quòd in ecclesia diuinas lectiones auditis: sed etiam in domibus vestris, aut ipsi legite, aut alios legentes requirite.* Chrysostomus ad suos ait: *Admoneo & rogo vt libros comparetis.* Rursus ait: *Audite seculares omnes: Comparate vobis Biblia, animæ pharmaca. Si nihil aliud vultis, vel nouum Testamentum acquirite: Apostolum, Euangelia, acta, continuos & sedulos doctores.* Origenes habet: *Vtinam omnes faceremus illud, quod scriptū est, Scrutamini scripturas.* Hieronymus de illo mulierum, qui cum Paula Bethleemæ versatus est, cœtu verba faciens, sic habet: *Non licebat cuiquam sororum ignorare Psalmos, & non de scripturis sanctis quotidie aliquid discere.* Quanquam autem in hisce forsan exemplis nonnihil reperiatur, quod in contrariam sententiam detorqueri posse videatur, tamen vel ipsa ratio Hardingum inducet, vt facilè existimet patres istos hoc voluisse, plebem oportere scripturas vsitato suo

Cornelius Agrippa de vanitate scientiarum.
August. in capite ieiunii.
Chrys. in Ioan.
Chrys. in epist. ad Coloss. hom. 9.
Orige. in Esai. hom. 2.
Hieronym. in epitaph. Paulæ.

Basilius de spiritu sancto Ca.1.

& vernaculo sermone legere. Basilius habet: *Quantum ferre potest humana natura, possumus esse similes Deo: similitudo autem illa sine cognitione nulla est: cognitio autem constat ex Doctrina: initium autem doctrinæ, sermo est: sermonis autem partes syllabæ & voces.* Horum autem hæc est analysis verborum: Homines nisi voces ipsas syllabásque cognoscant, sermonem percipere non possunt: sermone autem minimè perspecto, doctrinæ expertes sint necesse est: sine doctrina verò, Deo similes esse nequeunt.

Hardingus. 2. Sectio.

Tres discrepantes sententiæ de scripturis vernaculè legendis.

1 2 *QVi hanc causam tractant, de scripturis à plebe vernaculè legendis, eorum tres diuersæ feruntur sententiæ. Aliqui planè nefas esse iudicant, Biblia in vernaculam vllam, & plebeiam linguam conuertere. Aliqui consentaneum esse existimant, vt quidem conuertantur, si modò temporis, & loci, & personarum* 3 *ratio habita fuerit. Aliqui scripturas sacras materno & naturali cuiusque gentis idiomate proponendas esse statuunt, sine vlla aut temporis, aut loci, aut personarum ratione.* [a] *Prima opinio à paucis defenditur, & vulgò improbatur.* [b] *Tertia ab omnibus nostri seculi schismaticis propugnatur, exceptis Suenclzfeldianis, qui scripturarum nullam habendam esse rationem contendunt. Secunda maximè placet & probatur iis, qui prudentia ac pietate præstare, & de ecclesiæ salute imprimis soliciti esse videntur, quique se à fide ea, quæ à principio durauit, non remouerunt. Hic autem, vt de prima sententia nihil dicam, quemadmodum qui tertiam amplectuntur, secundæ moderationem reprehendunt, sic qui secundam tuentur, nimis generalem tertiæ rationem probare non possunt.*

a Hoc Romanæ ecclesiæ institutum est.
b Hæc Christi fuit & Apostolorum, & veterum patruum sententia. Hardingus nō est ex hoc numero.

Episcopus Sarisburiensis.

TRes hoc loco proponuntur discrepantes sententiæ: Prima laicis vniuersis, & singulis qualibet scripturarum particula interdicit: Tertia cunctis hominibus quamuis earundem sine exceptione partem legere permittit: Inter hasce duas extremas sententias media est secunda.

Harum prima, inquit Hardingus, ab omnibus ferè improbatur. Quanquam profectò ex iis, quæ ipse in 14. huius Articuli sectione scripsit, apparet, hanc ipsam esse Romanæ ecclesiæ & consuetudinem, & sententiam. Ea enim ecclesia, vt ait, & nouas omnes translationes damnauit, nec veteres tamen approbauit, neque Gothicam illam ab Vlphila, neque Dalmaticam ab Hieronymo editam: nec suam ipsa proposuit vllam. Hinc apertissimè constat ecclesiæ Romanæ vsum atque opinionem à plerisque vituperari, paucis admodum probari. Tertia opinio, quæ cunctis mortalibus licere contendit scripturas promiscuè liberéque legere non nisi quorundam est schismaticorum, (inquit Hardingus) & nimis latè patet. Quanquam hanc ego vtcunque latam rationem, & Christo, & eius, Apostolis, & vniuersæ doctorum antiquitati probatam fuisse conuincam. Quare ex Hardingi decreto efficitur, Christum, Apostolos, omnésque veteres doctores schismaticos, atque hæreticos extitisse.

Secunda sententia, inter vtramque media est, eáque ab Hardingo, nonnullísque aliis, qui fidem nullo tempore suam immutarunt, defenditur. Quanquam Hardingus, fidem, vt aliqui ferunt, sæpius commutauit: quò minùs facilè in eo numero censeri potest. Atqui ea cæteris omnibus imprimis probatur. Equidem cùm verbi diuini hæreditas ad omnes homines communiter, æqualitérque pertineat, eā paucis adiudicare, ídque tanta tēporum ac locorū adhibita cautione, iniquissimū meritò videatur. D. Paulus ait: *Quæcūque scripta sunt, ad nostrā doctrinā scripta sunt: vt per patientiā, & consolationē scripturarū spem habeamus.* Basilius habet: *Scriptura diuinitus inspirata, instar est cuiusdā cōmunis ἰατρείυ, ex quo quisque aptum morbo suo remedium eligere possit.* Augustinus habet: *Deus in scripturis, quasi amicus familiaris, sine fuco loquitur ad cor, doctorum & indoctorū.* Itaque quod Hardingus verbum Dei tam generale, támque omnibus & morbis & ingeniis, & naturis aptum, paucis quibusdam quasi ius suum proprium attribuit, in eo & Deum atrociore ignominia, & fidelem Dei populum grauiore iniuria afficit, quàm si solis radios perinde concluderet, & certis quibusdam personis vendicaret, vt diuites solummodo non pauperes recrearēt: certis tantùm personis, non omnibus hominibus affulgerent. Hæc quidem media via, nulla via est: nec ista vel scripturis, vel sanctis patribus, sed consilij humanæque rationis momento expenduntur.

Rom.15.
Basil.in psal.1.
Augustepist.3. ad Volusianū.

Hardingus. 3. Sectio.

SCripturas autem lingua vernacula proponendas non esse, vt totæ ab omni hominum genere legantur, sine vlla temporis, loci personæue restrictione, hisce considerationibus persuasi videntur. Primò id parum esse necessarium: deinde, minùs esse consentaneum: tertiò, non esse vtile: quartò, periculosum & noxium esse: postremò quanquam de eo conueniret, dandam esse plebi licentiam Biblia vernaculo sermone legendi, tamen translationes recens ab iis compositas, qui se ab ecclesia catholica dissociauerunt, probandas non esse, vtpote falsitatis, & erroris meritò suspectas.

Quinque consideratio res, ob quas scripturæ omnibus promiscuè non debeant proponi.

Episcopus Sarisburiensis.

HÆ tā altè repetitæ causæ, nunquā vel à Mose, vel à Christo, vel ab eius Apostolis, vel ab antiquorum patrum quoquam excogitatæ fuerunt: sed iam demùm introductæ sunt ab iis hominibus, qui orbem terrarum iam longo tempore ignorantia deceperunt, & porro decipere conantur. Christus ait: *Qui male agit, odit lucem.* Atque ipse Hardingianus Amphilochius sic habet: *Naturalis prouidētia est malè errantium, auferre de medio testimonia veritatis.* Sic Philisthei, quò Iudæos arctiore

Ioan 3.
Amphil.in vita Vincentii. 1. Reg.13.

arctiore quodam seruitutis vinculo constringerent, omnibus eos armis bellicísque instrumentis priuarunt ac denudarunt: neque dubium est, quin eis perinde persuaderent, ac nunc Dei populo Hardingus, neque necessarium, neq; consentaneum, neque cōmodum illis esse arma tractare. Chrysostomus verò scripturarum lectionem laicis hominibus magis & necessariam, & conuenientem, & fructuosam esse scribit, quàm vel Monachis, vel sacerdotibus, vel quibusuis aliis. Hæc sunt eius verba: *Hoc est, quod omnia quasi vna quadam peste corrumpit, quòd lectionem diuinarum scripturarum ad solos putatis Monachos pertinere: cùm multo vobis magis, quàm illis, sit necessaria. Itaque multò est grauius atque deterius, rem superfluam esse putare legem Dei, quàm illam omnino non legere. Hæc enim verba sunt, quæ de Diabolica prorsus meditatione promuntur.* Itaque ex Chrysostomo intelligimus, hasce reconditas Hardingi rationes à Diabolica quadam meditatione esse profectas.

Chrysosto. in Matth. hom. 3.

De Diabolica prorsus meditatione promuntur.

Hardingus. 4. Sectio.

PRimùm, quòd promiscua multitudo, & plebs omnium ordinum, ac graduum scripturas sacras vernacula lingua necessariò legere debeat, aiunt nunquam se hactenus in iisdem scripturis reperire potuisse. Irenæus scribit Apostolos alienigenis & Barbaris nationibus fidem prædicasse, etiam iis, qui alieno barbaroq; essent sermone, illósque audito Euangelio in Christum credidisse ait, & traditionum rationem, quam ipsis Apostoli commiserunt, seruantes, salutem ac fidem suam in cordibus scriptam habuisse, sine stylo, aut calamo, & atramento, & omnibus omnino literis. Præterea docet, si nulla nobis Apostoli scripta reliquissent, tamen saluos nos fore per traditionem, quam illis mandarunt Apostoli, quibus ecclesias suas commiserunt, vt multæ alienigenarum gentes per eandem seruantur.

Lib. 3. aduersus hæreses ca. 4.

Hilarius etiam ostendens diuinæ voluntatis mysterium, & beatissimi regni expectationē maximè & præcipuè annunciari tribus illis linguis, quibus Pilatus Dominum Iesum Christum in cruce Iudæorum esse regem scripsit: fatetur nihilominus, multas barbaras nationes verā Dei cognitionem adeptas esse per Apostolorum prædicationem, & fidem ecclesiarum, quæ apud illas ad eam vsque diem permansit. Ex quo animaduertimus, indoctas barbarásque gentes, fidem conseruasse sine literis & scriptis, quippe quorum imperiti essent, per traditionem ac prædicationem, nō minùs, quàm cæteras gentes, quæ doctarum linguarum Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, adiumentis vterentur.

Prolog. in explanationem Psal.

Episcopus Sarisburiensis.

QVod ad primam hanc θεωρίαν attinet, vmbras quasdam Hardingus inanes consectatur, quibuscum acriter dimicat: itaque expedita sit victoria necesse est. Non enim promiscuam atque ex omni genere conflatam multitudinem totas scripturas necessariò legere oportere contendimus Hoc Hardingi duntaxat somnium est. Aliud est, quod dicimus. Multos cæcos, plures indoctos esse nouimus, qui legere non possunt. Sic autem affirmamus, in ecclesia primitiua, qui legere scripturas vellent, atque possent, id tum legitimè facere sine cuiusquam reprehensione potuisse. Itaque Augustinus, vt suprà meminimus, sic habet, *Aut ipsi legite, aut alios legentes requirite.*

August. in capite Ieiunii.

In prima Euangelij promulgatione, & ipsis quasi incunabulis, gentes quasdam Barbaras, quæ Christi religionem amplexæ essent, & libris & literis caruisse fateor: Non tamen aut quid illis tenendum esset ignorarunt, aut liberum iis ac integrum fuit, vt quiduis tenerent. Erant tum in ecclesia munera quædam eorum, qui Catechistæ dicerentur, quorum illud fuit officium, vt perpetuò fidei principia populum docerent, non scriptis sed viua voce. De his mentio fit in Actis Apostolorum, in Concilio Niceno, atque aliis in locis. Istuc muneris Origenes ille antiquissimus & doctissimus pater in ecclesia gessit Alexandrina. Hanc institutionem Dionysius θεοπαράδοτα λόγια vocat, hoc est, *oracula diuinitus edita*: eáque ait ab vno ad alium transiisse non scripto, sed voce, ἐκ νοός εἰς νοῦν, *à mente ad mentem.* Neque verò traditiones istæ, arcana vlla aut recondita hominum instituta & inuenta continebant, sed eandem ipsam doctrinam, quæ sacrarum literarum monumentis consignata esset. Sic ipsum Euangeliū, totáq; Christi religio traditionis nomine appellata est. Sic Tertulianus fidei Articulos *veterem traditionem* vocat: sic fidem de sancta Trinitate Concilium Constantinopolitanum *traditionem* nominauit: & illud de duabus in Christo naturis dogma in eodē concilio vocatur *Apostolorum viua traditio.* Ita in Socrate scribitur: *Credimus in vnum Deum patrem, secundùm Euangelicam & Apostolicam traditionem.* Ita Basilius traditionem appellat, *Credere in patrem, filium & spiritum sanctum.* Quapropter Paulus ait: *Tenete traditiones, quas accepistis, siue per sermonem siue per epistolam.* Hisce verbis Apostolorum doctrina traditio dicitur. Atque hoc est, quod Cyprianus ait: *Vnde est ista traditio? An de Dominica, & Euangelica veritate descendens: an de Apostolorum mandatis, atque literis veniens?*

Actor. 19. Concil. Nicen. 1. can. 14. Origen. Catechista. Euseb. lib. 6. ca. 20. Diony. in eccl. Hierarc. Tertul. de præscripti. aduersus hæreticos Concil. Const. 6. Act. 4. Eadem Actione. Socrates lib. 2. cap. 10. Basil. de spiritu sancto. 2. Thess. 2. Cyprian. ad Pompeium.

Ita populi barbari traditione, vocéque instituti, & omnes fidei partes accuratissimè edocti fuerunt, atque vt Ireneus loquitur, *Scriptam habuerunt salutem per spiritum in cordibus suis*, ad quam peræquè alligati fuerunt, ac ad vlla Apostolorum scripta & literas. De huiusmodi viua euidenteq; doctrina D. Paulus loquitur: *Christus ob oculos Galatis depictus & crucifixus fuit.* De ea etiam ad Philippenses meminit: *Hoc precor, vt charitas vestra adhuc magis ac magis redundet, in cognitione, & in omni sensu.* Itaque Barbari licèt essent, tamen perfectam vniuersæ religionis fideique in Christum rationem reddere potuerunt. Sic enim de illis scribit Irenæus: *Si quis illis annunciaret ea, quæ ab istis hæreticis inuenta sunt, statim clauderent aures.* Similiter, si quis illis commemoraret, sacrorum Christi mysteriorum contaminationem, Transsubstantiationem, realem, & carnalem præsentiam,

Irenæus lib. 3. cap. 4. *Scriptam habentes salutem per spiritum in cordibus suis.* Galat. 3. Philip. 1. 1. Pet. 3. Irenæus. lib. 3. cap. 4.

Irenæus in eodem capite.

aliáque eiuſmodi teterrima flagitia, quæ nunc in eccleſia Romana obtinent, & acerrimè defenduntur, *Fugerent*, vt inquit Irenæus, *Longo longius, ne audire quidem ſuſtinentes blaſphemum colloquium.* Quare nihil illis gentibus ad perfectam & cumulatam ſuis partibus inſtitutionem defuit, quantumuis & barbaræ eſſent, & libris carerent.

Matth.23. Irenæus lib. 3. cap.5. Deut.27.

Hardingi autem collegæ populum nec docere volunt, quod eſt ipſorũ officium, nec ſacras literas legere, & ſe per ſe docere permittunt. Nõ ſine cauſa Chriſtus ad eos dixerit, vt olim ad alios illis ſimillimos: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi: clauditis regnum cælorum coram hominibus, & nec ipſi intratis, nec alios, qui volunt, ſinitis.* De talibus Irenæus in proximo capite loquitur: *Hoc non eſt ſanantium, nec viuificantium, ſed magis grauantium, & augentium ignorantiam. Et multo verior hîc lex inuenitur, Maledictum dicens omnem, qui in errorem mittit cæcum in via.*

Hardingus. 5. Sectio.

Verbum Dei malarum cogitationũ occaſionẽ offert.

QVod autem minimè conſentaneum & decorum ſit, vt omnia hominum genera ſine delectu ſacras literas legere permittantur, non opus eſt, vt aliquid dicam: cauſas per ſe quiſque prudens facilè perſpexerit. Hoc quidem certum eſt, nonnulla capita atque hiſtorias veteris Teſtamenti, eam materiam continere, quæ malarum cogitationum occaſionem præbitura videatur ſi mulieres, virgines, adoleſcentes ea legere ſinantur. Gregorius Nazianzenus, quem Græci Theologũ appellabant, ait, grauiſſimis rationibus commotus, non omnium hominum eſſe officium de Deo rebúſque ſacris diſputare, neque conſentaneum eſſe, vt id in omnibus temporibus atque locis fiat, vel vt res omnes ad Deum pertinentes diſcutiantur. Quæ cautio locum non habet, quando omnibus permiſſa eſt curioſa, & vernacula lectio.

Nazianzenus non de lectione, ſed de contentione & diſputatione loquitur.

Lib.1. Theologia.

Epiſcopus Sariſburienſis.

NEgat eſſe conſentaneum aut honeſtum Hardingus, vt populus ſacras legat ſcripturas: quaſi quidem apertioribus verbis diceret, Neque conſentaneum neque honeſtum eſt, vt Deus ad quemuis ſimplicem & plebeium hominem ſine delectu loquatur. Quãquam aliud Deus, & planè contrariũ dicit. Auguſtinus habet, quemadmodũ ſuprà commemorauimus: *Deus in ſcripturis, quaſi amicus familiaris loquitur ad cor doctorum & indoctorum.* Non enim perſonarum Deus rationẽ & delectum habet. Si Dei populum minimè deceat Dei ſacroſanctam volũtatem legere & cognoſcere, quos tandem deceat? Periculum autem illud, ne imaginationibus, prauiſq; cogitationibus anſa daretur, imaginarium eſt. Dauid propheta inquit: *Eloquia Domini, eloquia caſta.* Rurſum inquit: *In quo corrigat iuuenis vitam ſuam?* Reſpondet, non fugiendo, ſed *ſeruando ſancta eloquia tua.*

Auguſt. ad Voluſianũ epiſt.3. *Loquitur ad cor & doctorum & indoctorum.* Act.10.

Pſalm.11. Pſalm.118.

Hardingum autem ingenuè, & ſimpliciter loquutum quis credat quando eo ſe conſilio, ne iuuenum animi improbis cogitationibus exerceantur, à verbi Diuini, quod peccatum vbique exagitat, lectione illos abduxiſſe profitetur: cùm interim ijs Ouidium, Terentium, Propertium, alioſque conſimiles authores, qui pro maxima parte ſceleris exempla ac magiſtri ſunt, legendi licẽtiam permittat? Enimuero, ſi ſacroſanctum Dei verbũ impiarum cogitationum occaſio quædam & irritamentum fuerit, (quæ verba tantæ blaſphemiæ plena, miror Hardingum, non omnibus artubus cohorruiſſe ſcribentem) vulgò exiſtimatum eſt, nonnullos in eccleſia Romana cœlibes ſacerdotes, ad eas tam eſſe propenſos, quàm vllas mulieres, virgines, iuuenes. Neque enim vel toga, vel pileo animi tolluntur, & trucidantur affectiones.

Nazianzenus. Theologiæ. lib.1. 2.Timoth. 2. Cyprian.

Nazianzenus non de ſcripturarum lectione, ſed de contentioſa quadam de Deo, rebúſque ſacris diſceptatione ac diſputatione verba facit: qua Paulus audientes ſæpenumero ſupplantari teſtatur. Atque hoc eſſe videtur, quod Cyprianus habet: *De Deo etiam vera dicere periculoſum eſt.* Ex his Hardingus ineptè concludit: *Non decet quenquam de Deo concertare ac diſſerere: Ergo laicos non decet ſcripturas legere. Rabbini*, fateor, iuſtis de cauſis, homines plebeios à quorundam veteris Teſtamenti capitum lectione prohibuerunt, quouſq; ætate ſimul & iudicio maturuiſſent. Non enim ſcripturæ Dei eiuſdẽ ſunt vniuerſæ rationis. Quædã partes faciles ſunt, quædã obſcuræ quædã rudibus quædã doctioribus, omnes populo aptæ, eiúſque cauſa inſtitutæ. Summæ verò incogitantiæ ac imprudentiæ eſſet, ab obſcuriſſimis ordiri. Sic Iuſtinianus viam ac rationem legendi iuris proponit: quos nempe libros ac titulos primo anno, quos ſecundo, quos deinde ſequentibus legi velit. Nam alioquin, qui in legendis authoribus verſari nullo ordine voluerit, operam & oleum perdiderit.

In Prooemio Pandect.

Quòd autem Hardingus minimè conſentaneum eſſe affirmat, *vt ſcripturæ ab omnibus omnino hominibus legantur ſine exceptione*, & apertiùs & cauſæ ſuæ conſultiùs feciſſet, ſi nobis disertè expoſuiſſet ex omni populo quas perſonas excipiendas eſſe iudicaſſet. Si ſenes reſponderit: id verò conſentaneum minimè eſſet. Si pueros: Paulus Timotheum à puero in ſcripturis educatum atque enutrium fuiſſe ſcribit: neque id minùs conſentaneum vnquam iudicauit. Si indoctos, Chryſoſtomus habet: *Nihil opus eſt ſyllogiſmis: Ruſtici, aniculæq; intelligunt.* Si mulieres, hoc nimirum illud erat, quod Iulianus ſceleratiſſimus Imperator Chriſtianis obiiciebat, fœminas Chriſtianas adeo eſſe ſcripturarum peritas. Nazianzenus autem pro ſorore ſua Gorgonia reſpondet, eam cùm in vetere, tum in nouo Teſtamento exercitatiſſimam & eruditiſſimam fuiſſe. Si virgines, Hieronymus teſtatur eas virgines, quæ cùm Paula degerent, coactas fuiſſe ſcripturas diſcere. Si iuuenes, aut adoleſcentes, Cyrillus habet: *In ſacris literis educati fiunt poſtea religioſiſſimi, quamuis non æquè eloquentes.* Si pauperes: Paulus ait: *Non multi genere nobiles* fuerunt Corinthi inter eos, qui primi Euangelium amplexi ſunt. Si hæreticos, Auguſtinus Manichæorum hæreſi deditus, legendis ſcripturis ad fidem

2.Timoth.3.

Cyrill. contra Iulian.lib.6. Nazianzen. in funebri oratione de Gorgonia. Hieronym. in Epitaphio Paulæ. Cyrill. contra Iulian.lib. 7. 1.Corinth. 1. Confeſſ.lib. 8. cap.12.

ad fidem orthodoxam perductus est. Si Ethnicos, D. Lucas Eunuchum reginæ Candaces dynasten, hominem Ethnicum, scripturas legisse, nec reprehensum esse scribit. Act. 8.

Iam verò si nec senes, nec pueri, nec eruditi, nec indocti, nec mulieres, nec virgines, nec iuuenes, nec adolescentes, nec pauperes, nec diuites, nec hæretici, nec Ethnici à verbi diuini lectione repellantur, quod tum genus reliquum est hominum, cui interdictum velit Hardingus? Si hisce singulis scripturarum lectio conueniat, quibus quæso non conueniat?

Hardingus. 6. Sectio.

Luca. 8. *Scriptura etiam ipsa (inquiunt) ostendit non esse consentaneum vt scripturæ omnibus personis communes ac vulgares fiant. Hoc enim ipse Christus suis verbis affirmat, in quibus ad Apostolos ait.* Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum:[a] reliquis autem per parabolas, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. [b] *Ii quibus est datum nosse hæc mysteria, nulli sunt alij, nisi Apostoli, eorumq́; successores, seu discipuli: ij verò, quibus hoc minimè datum est, & quos parabolas discere oportet, sunt eiusmodi, quibus potius sit non nosse ista mysteria, quàm nosse, ne fortè ijs abutantur & grauius condemnentur, si ea parui faciant, quod hominibus plebeys vsu venire animaduertimus.*

a Hi reliqui fuerunt Scribæ & Pharisæi, & eiusdem ordinis alii.
b Falsum: Christus enim ait, *Hæc mysteria abscondita sunt à sapientibus, & patefacta paruulis.* Matth. 11.

Episcopus Sarisburiensis.

Ignorare Dei verbum multò præstaret Hardingo, quàm eo sic nefariè abuti. Illi quibus Christus regni cœlorum mysteria enunciare noluit nō laici plebeiiue homines fuerunt, quemadmodum Hardingus opinatur, sed episcopi, Pontifices, Doctores, Scribæ, Pharisæi, cæterique consimiles perditissimi homines, quos Dominus in cordium suorum duritiem tradiderat, id quod ex ijs verbis apparet, quæ Christus è propheta Esaia recitauit: *Domine indura cor huius populi: obstrue aures: occæca oculos: ne fortè conuertantur, & seruentur.* Atque ita antiquus ille Pater Irenæus, qui mox Apostolorū ætati successit, ea interpretatur, eóque hæc Pauli verba refert: *In quibus Deus huius seculi excæcauit corda infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij Gloriæ Dei:* Similiter etiam hæc verba: *Tradidit illos Deus in reprobum sensum.* Et ad extremum eos Pharaoni atque Antichristo confert. Itidem Dionysius Carthusianus, cuius authoritatem (scio) non respuet Hardingus de illis habet: *Iusto Dei iudicio negata est illis prædicatio Euangelij, tanquam indignis intelligentia spirituali.*

Esai 6. Irenæus lib. 4. cap. 48. 2. Corinth. 4. Rom. 1. Dionys. Carth. in Lucam ca. 8.

Ita nimirum Hardingus, quò causam suam faciliùs obtineat, dicere non erubescit, vniuersum Dei populum, seipso duntaxat, paucísque alijs exceptis, cæcum esse, reprobum esse, à Deo maledictum esse, abiectum esse, cordium suorum duritiæ permissum esse, spirituali intelligentia indignum esse, à mente scelerata oppressum & constrictum esse, Pharaoni atque Antichristo similem esse. Vsque adeo de laicis hominibus meritus est Hardingus. Gerson autem ex Hardingi cohorte doctor, habet: *Licet iudicium & conclusiones fidei authoritatiuè spectent ad Prælatos, & doctores, tamen ad alios, quàm ad Theologos potest deliberatio pertinere: sicut & cognitio super his, quæ fidem respiciunt: ita etiam, vt ad laicos hoc possit extendi, & plus aliquando, quàm ad multos clericorum.* Sic Panormitanus ait: *Magis credendum est laico afferenti scripturas, quàm Papæ & Concilio generali.*

Guilielm. Gerson. *Quæ veritates de necessitate salutis credendæ.* Corollar 4. Abbas Panormitanus.

Ex his cognoscimus Deum populo fideli sacrorum mysteriorum cognitionem nequaquam præclusisse. Hugo Cardinalis ad hunc modum illa verba exponit: *Vobis datum est: Vobis, qui libenter auditis, & fidem habetis.* Atque ipsa Glossa ordinaria sic habet: *vobis, qui fideles estis: sed Pharisæis incredulis sancta non sunt danda.* Quòd autem Hardingus ait, *Mysteriorum scientiam ad Christi solos Apostolos, eorumq́; successores pertinere*, Scito, Christiane lector, ex ipsius Hardingi decreto Apostolorū successores neque sacerdotes esse, neque Diaconos, neque Monachos, neque fratres, neque Cardinales, sed tantùm episcopos. Sic enim est ab Anacleto definitum: *Episcopi Apostolorum Domini, Presbyteri verò septuaginta duorum discipulorum locum tenent.* Tanto conatu Hardingus, & seipsum, & maximam ecclesiastici sui ordinis partem, & vniuersam plebem à cœlestis regni mysteriis repellere atque arcere contendit.

Hugo Cardin. in Luc. ca. 8. Glosa ordinaria. Anacleti epist. 3. dist. 21. In Nono.

Hardingus. 7. Sectio.

Vide Hilarium in Psalm. 2. *A Multis [c] antiquis, & fide dignissimis authoribus proditum est, in gente Israëlitica, septuaginta duntaxat seniores legere ac intelligere potuisse mysteria sacrorum librorum, quos Biblia vocamus. Cùm enim literæ Hebraicæ vocalibus careant, illi soli scripturam per cōsonantes legere potuerunt: eoq́; modo vulgus ab eiusdem lectione exclusum fuit, Dei quadam [d] speciali prouidentia, vt existimatur, ne Margaritæ proijcerentur ante porcos, hoc est, eos, quibus illud munus non sit commissum, vtpote propter immodestam curiositatem, & vitam impuram indignis.*

c Falsum: nihil enim Hilarius tale habet.
d Falsum: à peruersa diuinæ prouidentiæ interpretatione natum. Populus porci.

Episcopus Sarisburiensis.

Vt vera essent, quæ Hardingus adduxit, tamē Hilarij de lingua Hebraica iudicium parui momenti videatur esse necesse. Nam in eundem psalmum scribens, vehementer labitur in Hebraico vocabulo *Bereschith*, vtpote illius linguæ penitus imperitus: eúmque etiam Hieronymus eo nomine reprehendit, quòd Hebraicum hoc verbum *Osanna* non rectè interpretetur. Verùm Hardingus vt sæpe solet, authorem suum corrumpit, & ementitur. Nihil enim Hilarius habet eiusmodi. Id modò ait, Hosce septuaginta duos doctores seu seniores, viros fuisse insigni eruditione præcellentes, ideoque illorum iudicium ipsi vehementer probari.

Hilarius in Psal. 2. Hieronym. ad Damasum.

De prima punctorum inuentione ac vsu Rabbini ipsi minimè consentire existimantur. Alij

Mosi in monte tradita: alij ab Esdra inuenta: alij à Tabaritis, qui Iudæorum Canonistæ, & traditionum Magistri fuerunt, excogitata ea fuisse scribunt. Vtcunque verò fuerit, haud magni refert. Quòd autem Hardingus in omni Iudaica gente nullum, paucis admodum exceptis, linguam Hebraicam legere potuisse, confirmat, ipse eiusdem tam peritus, in eo vel non satis attendisse quid diceret, vel grauius aliquid commisisse censeatur est necesse.

Deut. 11. Deut. 24.

Neque enim ignorat, Dominum toti plebi mandasse, vt verba legis in postibus ostiorum, & tunicarum fimbriis describeret. Præcepit etiam Dominus, vt qui in animo haberet vxorem suam dimittere, priùs diuortij libellum scriberet, quàm nuncium ei mitteret. Quòd si autem Hardingus responderit, aliquem ex hisce eruditis senioribus seu doctoribus scribere pro illis potuisse, tamen in Machabæorum libro sic habetur: *Cœpit populus Israel scribere in tabulis.* Mardochæus rerum euēta ac casus omnes, Hieremias plagas imminentes, Baruchus verba Hieremiæ scripsisse traduntur. In Euangelio sceleratus œconomus debitori dicit, *Accipe tabulas tuas, sede, & scribe.* Videat autem Hardingus, quemadmodum isti omnes scribere potuissent, si legere nescirent: aut quorsum scripsissent, si ne legere potuissent. Horum sanè nullus ex septuaginta duorum seniorum numero fuisse videtur. Perinde est quod Iosias rex legis volumen in muro reperit, & legit. Cùm Christus Esaiam prophetam in synagoga legeret, & interpretaretur, populus non lectionem (nam legere omnes pene potuerunt) sed interpretationem duntaxat miratus est, Philippus Eunucho dixit: *Intelligis ea, quæ legis?* Cùm Christus in crucem sublatus esset, D. Ioannes ait, *Hunc titulum multi Iudæorum legerunt.* Quorsum autem Rabbini cauerunt, ne quis plebeius, antequam ad certam ætatis metam peruenisset, vel caput primū Geneseos, vel librum Canticorū, vel quædā Ezechielis prophetæ capitula legeret, si nullus è plebe puncta seu vocales agnosceret, aut omnino legere aliquid potuisset? Si nihil aliud nobis suppeteret, istuc tamen satis ad redarguendū Hardingi errorē valeret. Rabbini in quauis Israëliticæ prouinciæ vrbe Scholam, Hierosolymis verò quadringentas fuisse prodiderunt. Itáne verò persuasum esse nobis vult Hardingus, in tanta Scholarum multitudine, nullum omnino discipulum fuisse, qui vel literas, & prima elementa didicisset? Quanquam ei nihil alienum videtur, quod quouis modo illius causæ inseruire possit.

Machab. 13. Esther. 9. Hierem. 51. Baruch. 1. Lucæ. 16.

2. Reg. 23. Luc. 4.

Actor 8. Ioan. 19.

Orige. in Cantica in prolog.

Paulus Phagius in Leuiticum. ca. 23.

Verùm enimuero puncta illa seu vocales inuenta aliquando non fuerunt. Ergo populus (inquit) legere nihil potuit. Sic etiam antiquis tēporibus Græca sine Accentibus scribebantur, queādmodū hodie ex nōnullis monumētis, & marmoreis lapidibus illo modo inscriptis apparet. Legere tamē Græca homines absque accētibus potuerūt. Equidē Hardingus non modò eruditos Iudæos, sed pueros etiam decennarios hodie legere Hebraica sine punctis atque vocalibus posse intelligit.

Geraldus Lilius in Historia Poetarum.

Tamen Hardingus ait, *Istud occulta Dei prouidentia euenisse, ne laici verbum Dei legerent, atque eo modo margaritæ porcis proijcerentur.* Istud verò diuino consilio atque prouidentia contigit, vt omnes perspicerent, quanti æstimet Dei populum Hardingus, hoc est, sua ipsius confessione, quanti turpissimas bestias, & porcos impurissimos.

Hardingus. 8. Sectio.

Hic me longa oratione multiplices sacrarum literarum difficultates commemorare non est necesse, quæ lectionem imperitorum & rudium, quorum ingenia nullo literarum genere exculta, mentes mundanis curis occupatæ, corda rerū, quas expetunt, desiderio abducta sunt, minimè fructuosam reddunt. Queādmodū lumen cæcis oculis frustra illucet (inquit sanctus quidam pater) sic hominis animalis superuacaneus & inutilis labor est, in rebus spiritualibus assequendis consumptus. Equidem inter alia, hoc quotidiana experientia videmus inde manare incommodi, quod è populo, ij, quos minimum sibi assumere iure oportuit, omniū nunc censores & iudices, plurimorum contemptores, quodq̧ omnibus hæreticis commune est, [a] irrisores totius simplicitatis ecclesiæ, earúmque rerum omnium euaserint, quibus ecclesia tanquam lactariis quibusdā eduliis teneros suos alumnos enutrit, vt multò satius illis esset, nō legere, quàm lectione adeo intumescere ac insolescere. Quod quidem malum, non è scriptura, sed ex ipsorum malitia & improba mente proficiscitur.

Bernardus eum mundanum & animalum hominem vocat, qui vacuus est à spiritu Dei. a Nihil irridēt, nisi quod irridendum sit.

Bernard. super Cantica. 3.

Episcopus Sarisburiensis.

Homines plebeij negotijs mundanis occupantur: *Ergo*, inquit Hardingus, *scripturarum ijs lectio permittenda non est.* Quasi diceret, *Morbis periculosissimis conflictantur. Ergo medicum adhibere non debent. In mediis hostium castris versantur: Ergo armis denudandi spoliandique sunt.* Hanc autem rationē pij doctique patres semper improbarunt, atque puerilem esse iudicarunt. Chrysostomus ad laicos homines ait: *Lectio diuinarum scripturarum, vobis magis necessaria est, quàm Monachis.* Quod ad curas verò mundanas attinet, mundus ipse testis est, episcopum Romanum, eiúsque Cardinales, & ceteros eiusdē religionis magistros, curis eiusmodi non minùs distineri, quàm qui se in profundissimū mundum immerserunt. Gregorius ad episcopatum Romanum ab imperatore euectus, sic de se scripsit ipse: *Sub colore Episcopatus, ad seculum retractus sum: in quo tantis terræ curis inseruio, quantis me in vita laica nequaquam deseruisse reminiscor.* Rursum habet: *Tanta me occupationum onera deprimunt, vt ad superna animus nullatenus erigatur.* Gregorius autem si cum successoribus suis conferatur vel Deus aliquis procul dubio videatur. Nunc enim alterum pedem in ecclesia, alterum in mundo defixerunt: seu potiùs ne alterum quidem in ecclesia, sed & cor, & corpus totum in mundo posuerūt. Quæ etsi ita sunt, tamen istis solis & summum iudicium, & interpretationem verbi diuini permittendam esse defendit Hardingus: quódque ij statuerint, plus habere momenti debet, quàm vel Concilij generalis iudicium, vel totius mundi sententia.

Chrysosto. in Matth. hom. 3.

Grego. lib. 1. epist. 5.

Grego. lib. 1. epistol. 7. & ist. 25.

Albertus Pighius lib. 6. cap. 13.

Deinde

Deinde ait: *Scientia mentem inflat,& superbiam auget:* Sic loquitur Hardingus,ipse doctus, scientiáque cumulatus: Non vtar ipsius conclusione,Ergo,superbiæ plenus.Ita tamen dicit, vt Epimenides olim poëta,*Cretenses semper mendaces esse scripsit*,cum ipse homo Cretensis esset, ideóque suo iudicio mendax,vt cæteri fuerunt.

1.Corinth.8. Ad Titum. ca.1.

Hoc inertissimum crimen, quod contra Dei cognitionem torquetur, insigni vetustate defendi potuit. Etenim Hieronymus atque Augustinus nonnullos sua memoria eiusdem fuisse sententiæ scribunt,quam nunc tuetur Hardingus.Hieronymus habet: *Inertiæ se, & otio, & somno dantes, putant peccatum esse, si scripturas legerint: & eos qui in lege Domini meditantur die ac nocte, quasi garrulos, inutilésque contemnunt.* Similiter Augustinus: *Sunt quidam homines, qui cùm audierint, quod humiles esse debent, demittunt se, & nihil volunt discere, putantes, quòd, si aliquid didicerint, superbi futuri sint, & remanent in solo lacte, quos scriptura reprehendit.*

Hiero.in epist. ad Titum 1.

Augu.in psal. 131.

Vetustus ille,& doctus pater Irenæus hęc Pauli verba interpretans,*Scientia inflat* sic scribit: *Paulus ait, scientia inflat, Non quòd veram scientiam de Deo culparet: Alioqui, se ipsum primum accusaret:* Fuit enim eruditus Chrysostomus autem ait: *Hoc omnium malorũ causa est, quòd scripturæ ignorantur.*

Irenæus lib.2. cap.45.

At verò qui scripturas legunt, superstitiosas illas ceremonias, idololatricosq; ac deformissimos ritus contemnunt, quos Hardingus ecclesiæ lac & simplicitatem vocat. Sanè & qui lucem aspiciunt, tenebras aspernantur: & qui veritatem perceperunt, falsitatem abijciunt. D.Paulus cùm primùm Christum cognosceret, ea vniuersa, quibus ante delectaretur, tanquam stercora contempsit. Itaque ait: *Cùm puer essem, loquebar vt puer, intelligebam vt puer: cùm autem vir factus essem, aboleui* (ac contempsi) *quæ pueri erant.* Qui superstitionem & idololatriam contemnit, is ea contemnit, quæ omnino contemni debent: & periculorum recordatione, quæ effugit, cum Dauide canit, *Anima nostra sicut passer, erepta est è laqueo venantium.*

Chrys. in epist. ad Coloss.ho.9.

Philippen.3. 1.Corinth.13

Psal.123.

De periculo autem,quod hîc somniatur, ipsa quidem Dei cognitio, neque cor inflammat, neque inflat, sed potiùs restinguit & demissum humiléque reddit. Qua de causa Dominus ad Mosen inquit: *Legat rex legem omnibus diebus vitæ suæ: vt discat timere Dominum Deum suum, &c. & ne eleuetur cor eius in superbiam.* Verbi enim diuini ea vis est, vt cor commutet: *Lex Domini conuertens animas.* Proinde Cyrillus habet: *Adolescentes, qui in sacris literis educati sunt, fiunt postea* (non superbi & insolentes) *sed religiosissimi.* Sic Theodoretus ad Iouinianum Imperatorem ait: *Rerum cœlestium cognitio pio principi conuenit. Ita enim cor tuum* (non superbia inflabitur, sed) *verè in Dei manu erit.* Perinde Augustinus habet: *Lectio assidua purificat omnia, &c. & qui vult cùm Deo semper esse, semper debet orare, & legere.* Quapropter Chrysostomus ait: *Fieri non potest, vt qui iugiter cœlestis doctrinæ verba excipit, nihil patiatur.*

Deut.17.

Psalm.18. Contra Iulian. lib.7.

Aug.de Tempore serm.1. Chrys.in 2. ad Timoth.hom.5.

Hardingus. 9. Sectio.

Pericula & incommoda, quæ vulgaris & vernacula scripturarum lectio secum affert, iuxta eorum iudicium, qui eadem improbant, magna, varia, multáque sunt. Hîc pauca duntaxat quasi attingam, rémque ipsam totam ecclesiæ iudicio permittam. Primùm cum hæreticorum venenum plebem imprimis inficiat, omnésque hæretici ex Bibliis venenum suum prætextu verbi Dei hauriant: illis hominibus minimè consentaneum videtur, vt quisque curiosus & putidus idiota Biblia suo sermone legat atque excutiat. Verùtamen, [a] erudito, prudenti, sobrióque laico eam licentiam ereptam esse nolunt.

Curiosus & putidus Idiota.

a Pugnãtia: qui enim possunt: sobrii laici. scripturas legere, nisi in barbaras vernculasque linguas transferantur?

Deinde, si hæresis à peruersa intelligentia, non è scriptura oriatur (quemadmodum Hilarius ait, Heresis ex intellectu nascitur, non ex scriptura, & sensus, non verbum crimen est) *quinam in hæresin procliuiùs incident, quàm homines plebeij, qui intelligere quæ legunt minimè possunt? Incredibile verò virò videatur, vt plebs indocta ea percipiat, quæ doctissimus quisque diuturno studio, summóque labore vix tandem assequi potest.*

De Trinit. lib.2.

Episcopus Sarisburiensis.

Qvantum hîc verò periculorum inanem metum ostendit Hardingus, quo plebem à verbi diuini lectione deterreat? *Si rudes scripturas legerint* (inquit Hardingus) *hæretici euaserint: siquidem hæretici venena è scripturis sua hauriunt:* Inde nimirum concluditur, cuius plebeio fas esse Hardingi scripta legere, Dei verbum nulli attingere licere. In Hardingi libro nullum periculum latere: diuinos autem libros, periculorum plenos esse. Cuius non facilè quis causam diuinauerit, nisi forsan illa fuerit, quòd sacri libri veritatis pleni, Hardingi verò liber erroribus refertus sit.

Quam hîc hæresin appellat, est ea æterna Dei, certáque veritas: quæ cùm à Paulo primùm annuntiaretur, atque promulgaretur, tum etiam dicta fuit hæresis. Sic enim hæreseos sibi inflictum crimen Paulus repellit, *Secundùm hanc sectam, quam vocant hæresin, colo patrium Deum.*

Act.24.

Quòd si autem homines plebeij, quos Hardingo curiosos, putidósque idiotas nũcupare collibuit, scripturis legendis facilè in hæreses inducantur, propterea quòd imperiti atque ignari sunt qui tum contigit, vt Hardingus ipse, homo in omni literarum vel retrusissimarum genere versatus in eam ita leuiter inciderit? Non tum fuit, opinor, curiosus & putidus: idiota verò hercle non fuit.

In ecclesia primitiua, longóque post Apostolorum ætatem tempore varia fuerunt sectarum, hæresiúmque genera, quemadmodum ex Augustino, Epiphanio, Theodoreto, atque aliis apparet. Quod cùm ita esset plebem tamen antiqui patres, vt scripturas legeret, vehementer hortari atque vrgere perstiterunt, quò faciliùs ac commodiùs hæreses vitaret. Etenim Irenæus contra Valen-

Irenæus.lib.3. cap.12. Matth.22. Hieronym. in epist. ad Ephes. lib.3.cap.4. Chrys. ad Hebræ.hom.8. Theophylact. de Lazaro.

tianos sic habet, *Hæc omnia contulit eis scripturarum Dei ignorantia:* Quemadmodum etiam Christus Sadducæis dixit: *Erratis nescientes scripturas.* Sic Hieronymus habet: *Omni studio legendæ nobis sunt scripturæ, vt probati trapezitæ sciamus, quis nũmus probus sit, quis adulter.* Sic Chrysostomus: *Manichæi: & omnes hæreses decipiunt simplices. Sed si habuerimus sensus animæ exercitatos ad discretionem boni, & mali, poterimus huiusmodi discernere. Quomodo autem fiũt sensus nostri exercitati? Ex vsu scripturarũ, & frequenti auditione.* Similiter Theophylactus: *Illis, qui scrutantur diuinas scripturas, nihil potest illudere: illæ enim sunt lucerna, qua fur deprehenditur.* Hoc modo prisci Catholicique patres de sacrarum scripturarum lectione iudicarunt. Quod autem cæcus pericula meliùs, quàm qui oculis præditus est, cauere, aut homo inermis in medijs hostibus constitutus vitam suam faciliùs, quàm armatus, defendere, & propugnare queat, id verò incredibile atque inauditum videatur.

Hardingus. 10. Sectio.

2.Pet.3. 1.Tim.1. 1.Cor.4.

QVód Lutherus scripturas in vernaculam quamque linguam transferẽdas esse censet, eo quòd planæ ac faciles intellectu sunt, ipsa scripturarum voce refellitur. Nam & Petrus & Paulus, summam in illis difficultatem agnoscit, cuius gratiâ eas nonnulli detorquent suo ipsorum exitio: aliqui non intelligunt, nec quæ loquantur, nec de quibus affirment: & quibusdam Euangelium, quòd Paulus prædicabat, absconditum est, ijs nempe qui pereunt. Si scripturæ perspicuæ essent, quomodo errauit Arius, Macedonius, Eunomius, Nestorius, atque innumeri eximia eruditione viri, præsertim cùm ij omnes, errorum suorum occasionem è scripturis perperam intellectis arriperent?

Lutherus Hieronymum in scripturarum intellectu falsum: Augustinum, Ambrosium, Cyprianum, Hilarium, Basilium, & Chrysostomum eruditissimos ecclesiæ Christi doctores in illis interpretandis deceptos sæpenumero fuisse scribit. Tamen in exordio libri sui de captiuitate Babylonica perhonorificè de illis loquitur, eósque in vinea Domini egregiè laborasse, & summam in aperiendis scripturis diligentiam adhibuisse confitetur. Si isti, tanta doctrina præcellentes patres, post diuturnam in sacris literis exercitationem, post longa studia, ac vigilias, post continuas & ardẽtes preces, post sui ipsorum mortificationem, & carnalium affectuum purgationem lapsi sunt, vt ipse testatur: qua ratione eas claras, planas, & intellectu faciles esse defenderit? Síque hi dignissimi patres, in vno alteróue capite errarunt, nónne verisimile est, plebeios homines in multis errare posse, maximè cùm horum diligentia ac industria impar sit, & vitæ ratio eiusmodi non fuerit, vt internarum affectionum puritas intelligentiam illuminaret, & vnctio Dei eos institueret?

Episcopus Sarisburiensis.

Ioan.12. Rom.11. Ioan.3. Oseas.14. Cyrill.in Ioan. lib.14.

QVædam scripturæ loca semper visa sunt obscura, cum propter alias nonnullas causas, tum propter ipsam materiam & recondita, quæ in eis latent, mysteria: quod ipse etiam Lutherus sæpissime est confessus. Ijs autem, qui oculos habent, nec videre possunt, quíque tenebris magis, quàm luce delectantur, vel ipsi solis radij obscuri videantur. Oseas propheta ait: *Rectæ viæ Domini: Præuaricatores autẽ corruent in eis.* Quare Cyrillus habet: *Ea quæ perspicua sunt: difficilia fiũt hæreticis.*

Matth.11.

Epiphan.lib.2.

Quanquam hisce in rebus spiritus Dei, nec ingenij acumine, nec eruditionis magnitudine alligatur, fitque nonnunquam, vt indoctus ea videat, quæ videre docti nequeunt. Christus ait: *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quòd absconderis hæc à sapientibus, & intelligentibus, & ea detexeris infantibus.* Iccirco Epiphanius habet: *Solis spiritus sancti filijs, facilis est omnis scriptura & dilucida.*

Albertus Pighius de priuata Missa. In cõcilio Selector. Cardinalium Psalm.118. Chrysost. in 2. Thessal.hom.3. Clemens Alexandrinus in oratione adhortatoria ad Gentes. Irenæus lib.1. cap.31. Orige.in Exodum.hom. 9. Hieronym. in Psal.86. Fulgentius in Sermone de Confessoribus. Greg.in epist. ad Leandrum.

Ex his hoc pacto concludere videtur Hardingus: Sunt nonnullæ in scripturis obscuræ sententiæ: Ergo scripturæ totæ obscuræ sunt. Hoc captiosum argumẽtandi genus est, pueris ipsis tritum, dicitúrque *Fallacia à secundùm quid, ad simpliciter.* Similiter verò concludere licuisset ad hunc modum, *Albertus Pighius nonnullos in Missa errores agnoscit: Ergo, referta est errorum Missa.* Vel ita: *Cardinales ipsi nonnulla in ecclesia Romana esse vitia confitentur: Ergo Romana ecclesia vitiis abundat.* Quanquam verò pauca quædam occurrant in sacris scripturis obscura loca, tamen pro generali ratione scripturæ *Candelæ instar sunt ad dirigenda vestigia: Dei præceptum lux est, & oculos illuminat:* ideóque in vniuersum Dei verbum summæ consolationis plenum est. Quapropter Chrysostomus habet: *Omnia clara, & plana sunt in scripturis Diuinis: quæcunque necessaria sunt, manifesta sunt.* Sic Clemens Alexandrinus: *Audite qui estis longè: Audite qui prope. Nullis celatum est verbum: Lux est communis: omnibus illucescit hominibus: nullus est in verbo Cymmerius.* Sic Irenæus, *Scripturæ in aperto sunt, & sine ambiguitate: & similiter ab omnibus audiri possunt.* Sic antiquus ille Origenes: *Clausum est negligentibus, inuenitur autem à quærentibus, & pulsantibus.* Sic Hieronymus: *Dominus per Euangelium suum loquutus est, non vt pauci intelligerent, sed vt omnes.* Sic Fulgentius: *In scripturis Diuinis abundat, & quod robustus comedat, & quod paruulus sugat.* Denique sic Gregorius: *Est flumen in quo agnus ambulet, & elephas natet.*

Itaque licèt nonnullæ sacrarum literarum clausulæ ac sententiæ difficiles obscuræque reperiantur, tamen horum sanctissimorum patrum iudicio, Scripturæ pro maxima parte faciles sunt & apertæ.

Hardingus autẽ è falso falsum efficit ac concludit. Sic enim rationẽ instituit: *Scripturæ obscuræ sunt: Ergo, eas plebs legere non debet.* Equidem, vt imperitis scripturas è manibus excutere per vim conatur, eò quòd eas, inquit, nõ intelligunt: sic eodem etiam modo omnibus antiquis Doctoribus, eruditissimisque patribus easdem eripere possit, quandoquidem eas illi non intellexerunt, id quod cum ex eorum discrepantibus sententiis, tum ex Hardingi confessione liquet.

Hardingus.

Hardingus. 11. Sectio.

Psal. 72.

VErùm ne fortè omnes indocti, plebeiique homines penitus ab omni spe intelligendi verbum Dei deserti esse viderentur, nisi ab aliis instituti fuerint, fateri licet, hominem quantumuis indoctum, modò in diuturna precatione exercitatum, ardente contemplatione incensum, atque à Deo in intimas eius cellas introductum, inde posse verum intellectum atque interpretationem sacrarum scripturarum haurire, non minus quàm alium quemuis semper in literis à puero versatum. E quo genere fuit ille sanctus & perfectus vir, D. Antonius Eremita Ægyptius, qui, vt Augustinus scribit, sine vlla literarum scientia. Scripturas & memoriter audiendo didicit, & prudenter cogitando intellexit. Qualis etiam ille vir sanctus fuit, cuius mentionem facit Gregorius, qui in lecto multos annos propter corporis imbecillitatem decumbens, & literarum planè rudis, precando, & deuotè meditando, mentis sanitatem, & scripturarum cognitionem adeptus est, adeo quidem vt eas interpretari posset illis, qui eum inuiserent: qui cum eo animo ad illum accederent, vt consolationem illi aliquam afferrent, ipsi ex diuina eius scientia consolationem maximam ceperunt. E plebe autem, quàm multi sunt nebulones, gulosi, ebriosi, quorum Deus venter est, quique suis effrænatis voluptatibus obsequuntur? Nũ credibile est posse hoc hominum genus, sine vlla meditatione & precandi consuetudine, sensum penetrare scripturarum, & illorum sanctissimorum mysteriorum, quæ Deus (vt Christus confitetur) à doctis & prudentibus abscondit, & infantibus detexit?

Prologo. in lib. de doctrina Christiana.

Episcopus Sarisburiensis.

CVriosis hisce & putidis idiotis permittit Hardingus vt verbi Diuini scientiam assequantur, nõ lectione, sed singulari quodam spiritus instinctu, & miraculo duntaxat, idque intra mille annorum spacium, vni, aut maximùm duobus. Sic enim D. Antonius easdem tenuisse scribitur, nullus vel libris, vel lectione, vel literarum scientia adiutus. Sic infirmus ille κλινήρης, de quo Gregorius honorificam illam mentionem facit. Sic ille Barbarus penitúsque illiteratus seruulus, qui repentinò literas sine magistro diuinitus didicit. Sic ipse forsan Hardingus, qui cùm eius euãgelij veritatísque Diuinæ præco acerrimus tam longo tempore fuisset, cuius nunc aduersarius malitiosus esse cœpit, sine & literis, & lectione, & vlla animæ adhibita consultatione, principis solummodo mutatione peritior factus eá statim percepit atque intellexit, quæ priùs assequi nullo modo potuit, & mirifica quadam reuelatione edoctus subitò se totum conuertit in contrarium.

Augu. in prologo de doctr. Christiana. August. in eodem prologo.

Id verò certissimum est carnem & sanguinem sacrosanctam Dei voluntatem cognitam habere sine spiritus afflatu non posse, ideóque Christus patri gratias egit, *Quòd mysteria sua paruulis declarasset:* ipséque discipulorum suorum corda aperuit, vt scripturas intelligere possent. Sine hoc singulari Dei munere & sacra Diuini spiritus informatione verbum Dei lectori quantumuis prudenti & erudito quasi quoddam est obsignati codicis visum. Hæc autem reuelatio non vni aut alteri peculiaris, sed iis vniuersis communis est, qui Christi membra sunt, Deíque spiritu donantur. Itaque Chrysostomus promiscuè ad omnem populum dicit: *Audite quotquot estis mundani, & vxoribus præestis ac liberis, quemadmodum vobis Apostolus Paulus præcipiat legere scripturas, idque non simpliciter, neque obiter, sed magna cum diligentia.* Rursum habet: *Domi Biblia in manus sumite: Domi vacemus diuinarum scripturarum lectioni.* Sic Hieronymus etiam inquit: *Hic ostenditur, verbum Christi non sufficiẽter, sed abundanter Laicos habere debere, & docere se inuicem, vel monere.* In his autem curiosis idiotis magnam Hardingus hominum impurissimorum, gulæ, vinóque deditorum multitudinem reperit, quorum Deus venter est. Sic ille partem quidem appellat, sed totum omnino sentit. Ita enim Hosius vir ex illo cœtu primarius scribit: *Non est consilium in vulgo, non ratio, non discrimen.* Deinde Christi gregem vocat *belluam multorum capitum.* Paulò antè Hardingus ipse porcos dixit, aliíque impuros canes nominarũt. Sic Pharisæi de simplice multitudine, quæ Christum sequuta est, iudicarũt atque prædicarunt: *Turba ista, quæ non nouit legem, maledicti sunt.* Tanti nimirum faciunt, æstimántque eos, quos Paulus *Ciues sanctorum, & domesticos Dei* vocat.

Matthæi, 16. Matthæi, 11. Lucæ 24.

Chrysostom. in Epist. ad Colos. Hom 9. Chrysostom in Genesim. hom. 28. Hieronym. in epist. ad Coloss. cap. 3.

Hosius lib. 2 contra Brentium.

Ioan. 7.

Ephes 2.

Si vitæ dissoluta ratio satis iusta causa sit, quamobrem populus à Dei verbo arceri debeat, vulgò quidem Cardinales, Sacerdotésque Romani laxissimè viuere putantur. Bernardus de sacerdotibus sui seculi sic scribit: *Non est iam dicere, vt populus sic sacerdos: quia nec sic populus vt sacerdos.* Itaque Hardingi iudicio non minùs sacerdotes, quàm vulgus cæterum, à verbi Diuini lectione prohibendi sunt.

Bernardus in Conuers. Pauli.

Hardingus. 12. Sectio.

Euangelici in contrarias sectas diuisi.

CVmque nostrorum temporum docti in sectas contrarias distracti sint, & alteri contra alteros acriter scribant, & quique sibi inuicem falsam scripturarum interpretationem obiiciant, si inter eos, qui populi duces videri volunt controuersiæ atque contentiones sint de scripturarum sensu, quo pacto vulgus in tuto esse ab erroribus existimari possit, si legendis vernaculo sermone Biblijs aliquid sibi assumpserint? Si quis fortè existimet me illis cõuicium facere, quòd eos in sectas contrarias diuulsos esse affirmem, is sciat populares ipsos suos (Germanos inquam) & singulares huiusce nouæ doctrinæ authores idipsum suis libris testari, & miserum in modum conqueri. Nominatim Nicolaus Amsdorffius in eo libro, quem sic inscripsit: Publica confessio puræ doctrinæ Euangelij, &c. *Necnon Nicolaus Gallus in libro de Thesibus, & Hypotyposibus: qui lites & controuersias suas non de leuibus esse rebus, sed de summis doctrinæ Christianæ articulis cõfitetur. Sic enim eius verba habẽt:* Nõ sunt leues inter nos cõcertationes de rebus leuibus, sed

de sublimibus doctrinæ Christianæ articulis, de lege & Euangelio, &c. *Idem in postrema eiusdem libri pagina verbis paulo vehementioribus scribit,* Hæreses permultas esse præ manibus, plerasque etiamnum hærere in calamo.

Paucis abhinc annis edita fuerunt duo magna volumina, alterum à principibus Saxoniæ, alterum à comitibus Mansfeldiensibus, summis Lutheranarum partium defensoribus, in quibus recensentur vndecim sectæ, eædémque tanquam hæreses detestandæ damnantur, quæ hoc Catologo seu censu continentur: Anabaptistæ, Seruetiani, Stancariani, Antinomi, Iesuitæ, Osiandriani, Melancthonici, Maioristæ, Adiaphoristæ, Suenckfeldiani, Sacramentarij. *Quanquam Iesuitæ immeritò in hoc numero ponuntur. Tantum de nouorum Euangelicorum sectis & controuersiis, tum principum suorum, qui confessionem Augustanam tuentur tum duorum Lutheranorum Superintendentium confessione proditum est.*

Impur⁹ & sceleratus Apostata.

Nemo est omnium, qui tam accuratè sectarum nostræ ætatis, quæ à Martino Luthero fluxerunt, multitudinem ac varietatem, mundo cognitam fecit, quàm Fredericus Staphylus, vir insigni eruditione, vnus ex imperatoris huius consiliariis, cui hæc omnia eò potuerunt esse notiora & certiora, quòd decem annos VVittembergæ literis diligentissimè inter primarios illius sectæ doctores studeret, & tunc quidem cum illis sentiret: qui tamen postea multiplices ipsorum inter se dissensiones, contentionésque reputans, inductus est vt eis diffideret, Deique gratia ad sanam mentem & fidem Catholicam reductus fuit, atque nunc perfectum ecclesiæ membrum remanet. Hic vir doctissimus in Apologia sua ostendit è Luthero manasse tres diuersas hæreses, seu sectas,[a] Anabaptistas, Sacramentarios, Protestantes, *qui fidei suæ confessionem ediderunt in publica diæta coram imperatore Carolo, principibus, & ordinibus Germaniæ apud Augustam, anno Domini* 1530. *proptérque protestationem eam quam illic fecerunt,* Protestantes *nuncupantur. Deinde probat testimonio ipsorum scriptorum, Anabaptistas diuisos esse in sex sectas:*[b] *Sacramentarios in octo:*[b] *Protestantes in viginti, quarum vnaquæque suo & proprio nomine censetur. Hæc luctuosa doctorum hominum in tot sectas diuisio, iis in regionibus, in quibus Euãgelium (vt vocant) quadraginta hisce annis, & hodie etiamnum iactatur plurimum documento esse potest Christianitatis rectoribus, vt diligenter prospiciant quemadmodum imperitum atque inconsideratum vulgus scripturas lingua vernacula terere permittant.*

Fredericus Staphylus.

Protestãtes.

Protestãtes in sectas viginti distracti.

[a] Falsum: non enim à Luthero orti, sed à Luthero improbati & damnati sunt Anabaptistæ.
[b] Falsum: calumnia & conuicio incensum.

Episcopus Sarisburiensis.

HOc loco Hardingus Staphyli cuiusdam impudentissimi Apostatæ ope adiutus, multis verbis eas opinionum dissensiones persequutus est, quibus conflictari Euangelij professores suspicatur. Atque sanè vt homines pro naturæ suæ imbecillitate, sponte ad dissidia atque contentiones spectant, in iis adeo nonnunquam rebus, in quibus maxima consensio requiritur: ita quidem hęretici & veritatis inimici occasiones inde arripere causam ipsam omnem criminandi, atque in odium vocandi consueuerunt. Primæ Euangelij promulgationi, in qua Apostoli Christi, aliique sancti patres elaborarunt varia mox sectarum genera succreuerunt, numero nonaginta iuxta Augustini sẽsum, quæ quidem & ex eodem omnes fluxerunt fonte, & idem omnes Euangelium coluerunt, & Christo omnes nomen dederunt. Aliquando verò contingit, vt ipsa orbis lumina, & ecclesiæ columnæ à se dissensione quadam dissedisse videantur: Petrus à Paulo, Paulus à Barnaba, Cyprianus à Cornelio, Augustinus ab Hieronymo, Chrysostomus ab Epiphanio, orbis Orientalis ab Occidentali, Doctores à Doctoribus, Patres à Patribus, Ecclesia ab Ecclesia, Sancti à Sanctis. Hinc autem Hæretici olim, cæterique Dei iurati hostes, ansam, vt nunc Hardingus, arripuerunt, qua vniuersam Euangelij professionem luderent, eámque dissensionum sentinam appellarent. Has ob causas Ethnici, Christianos riserũt, atque digitis suis in foro monstrarũt. Sic Iulianus Apostata, vt suæ perfidiæ laruam obduceret, inter Petrum & Paulum minimè conuenisse dixit: Lucam verò atque Matthæum de Christi natiuitate non consentire, ideóque totum Christi Euangelium falsissimum esse.

Aug. ad Quoduult deum.

Galat. 2. Actor. 15.

Socrates lib. 1. cap. 6.
Socrates lib. 3. cap. 23.

Nonnunquam etiam, quodam in Deum odio, dissensionem iactabant, quæ nulla omnino erat. Ita enim Marcion Apostata magnum volumen de noui veterísque testamenti pugnantibus composuit. Pseudoapostoli Paulum, & cæteris fratribus, & sibiipsi nonnunquam dissensisse calumniabantur: Ita nunc etiam, nec minùs verè Hardingus, Christi Euangelio similem videtur dissensionẽ obiicere, in quo tum exemplum, tum doctrinam imitatur Staphyli Apostatæ, qui Christo malitiosè deserto ad suum ipsius vomitum est reuersus, quique cùm acerrimè perspiceret, quemadmodum alter aliquis ab altero de re aliqua dissenserit, quãtum ipse à se dissederit, videre nullo modo potuit. Cùm autem ea fuerit eloquentia & facultate præditus, vt hæc tam leuia tamque exigua crimina tantopere exaggeraret, quid ille verò fecisset, si in ecclesia primitiua vixisset, illásque turbulentas & odiis incensas dissensiones vidisset, quæ mundum pene ipsum conuulserunt? Quas ille nebulas iactasset, quibus pigmentis vsus fuisset, vt Christum eiusque Euangelium suspectum redderet? Dubiũ hercle non est, quin vt nunc hasce omnes à Luthero solo emanasse varietates confirmat, ita illas omnes superiores sectas, & discrepantes hęresium species ab vno Christo fluxisse contendisset, ex eóque conclusisset, vt nunc facit, rudem & inconsideratam plebem à scripturis omni modo esse deterrendam.

Tertull. contra Marcionem lib. 1. & deinceps.

2. Petri 2.

Quanquam quo ad has triginta quatuor diuersas sectas attinet, quas Staphylus sua industria ac solertia indagauit in Germania, necessariò quidem fatendum est eas admodum esse exiles atque tenues. Etenim in illa omni regione, in qua habitare existimantur, neque nomen habent, quo internoscantur, duabus tribúsve exceptis: neque ecclesiam, in qua doceant: neque ædes, quas incolãt. Staphylo autem venia sit, quantumuis falsa dicendi, quandoquidem nondum loqui vera didicit.

Ex

Ex his sic poterit Hardingus argumentari: Doctissimi quique scripturas aliquando perperam interpretantur, & falluntur: Ergo, à scripturarum lectione fugandi sunt. Hæ enim omnes opinionum & sectarum conceptæ notiones, non ad multitudinem plebeiam, sed ad eruditorum cœtum pertinent.

Quòd autem doctiores vel ignorantia, vel præiudicio æquè possunt errare, atque alij, facilè cũ ex his omnibus superioribus exemplis, tum ex hac Dei ipsius in Exodo voce costabit: *Nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ.* Quæ verba sic Lyranus interpretatur: *Plurimorum, id est, doctorum.*

Exod.23.

Sanè verò, doctissimi patres plebi semper consultissimum esse iudicarunt, vt in huiusmodi periculosis dissentientium iudiciorum tempestatibus ad scripturas confugerent. Cùm Paulus & Sylas Berrhœæ Euangelium annunciarent, populus Berrhœensis scripturas assiduè scrutari atque examinare cœpit, vt veráne, an falsa prædicarent, pro certo cognosceret. Chrysostomus quando interpretatur hæc verba: (*Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto*) sic habet: *Ideo mandat vt Christiani volentes firmitatem accipere fidei veræ ad nullam rem fugiant, nisi ad scripturas. Alioqui si ad alia respexerint, scandalizabuntur, & peribunt, non intelligentes quæ sit vera ecclesia, & per hoc incident in abominationem desolationis, quæ stat in sanctis ecclesiæ locis.* Similiter Origenes in eundem locum scribit: *Animæ imperitæ verbi iustitiæ, quia facilè seducuntur, non possunt inseducibiliter permanere in conspectu abominationis desolationis stantis in loco sancto.* Hieronymus ait: *In aduentu Messiæ populus, qui sub magistris fuerat consopitus, ibit ad montes scripturarum, ibique inuenient montes Mosen, montes Prophetas, montes Noui testamenti. Et in talium montium lectione versatus si non inuenerit, qui doceat, tamẽ illius studium comprobabitur, quòd confugerit ad Montes.* Sic Basilius inquit: *Diuinæ scripturæ faciunt ad certitudinem bonorum, & confusionem malorum.* Sic Chrysostomus: *Nec ipsis omnino ecclesiis credendum est, nisi ea dicant, vel faciant, quæ conuenientia sunt scripturis.*

Actorum 17. Chrysost. in opere imperfecto. Hom. 49.

Orig. in Matth. cap. 24.

Hieronym. in prophetam. Nahum cap. 3.

Basilius Moralium 26. cap. 3. Chrysostom. in Mat. Homil. 49

Hardingus. 13. Sectio.

QVantum ab ea re periculi sit, ex multis exemplis tum præteritæ tum præsentis etiam memoriæ liquet. Ex hac enim radice, nata est illa secta Valdensium, qui pauperes de Lugduno vocari solent. Etenim Valdo mercator Lugdunensis primus illius sectæ author, à quo Valdenses illi nominati sunt, homo indoctus & plebeius, quosdam scripturæ libros, in linguam vernaculam transferendos curauit, quos cùm legeret, nec intelligeret, in multos errores incidit. Ex eodem fonte deriuatæ sunt impurissimæ Adamitarum, seu Picardorum, Bogardorum, & Turelupinorum sentinæ. Et nuper etiam, præter Adamitarum illam sectam, Anabaptistæ, Suenckfeldiani reuixerunt. Quapropter illud nobilissimorum principum Ferdinandi & Elizabethæ regis & reginæ Hispanorum edictum à multis magnopere laudatur, qui seuerissimè vetuerunt, ne quis Biblia in Hispanicam linguam transferret, néue quis ea translata seruaret. Hæ atque aliæ huiusmodi rationes ac causæ sunt, quibus permulti inducti fuerunt vt crederent Bibliorum & cuiusuis scripturarum partis vernaculam editionem ab omnibus hominibus promiscuè sine vlla exceptione vel cautione legendam, esse non modò saluti non necessariam, aut omnino consentaneam, vel vtilem, sed etiam contrà periculosam, atque perniciosam.

Episcopus Sarisburiensis.

QVæ hìc de Valdone narrantur, Fratris Alphonsi authoritate & fide nituntur. Neque verò doctúsne Valdo, an indoctus fuerit, magni refert. Origenes inquit: *Vide quàm prope periculis sint hi, qui negligunt exerceri in diuinis literis: ex quibus solis huiusmodi examinationis agnoscenda discretio est.* Si doctus fuerit, tum hæc calumnia est: si indoctus, tanto Dei admirabilius videri debet opus, qui, vt Paulus ait, infirma mundi eligit nonnunquam, vt potentes vincat, & stulta mundi, vt sapientes redarguat. Grauissimæ hæreses, quas ille defendebat, in eo fuerunt, quòd nefandam imaginum adorationem reprehenderet, quòd extremam vnctionem, exorcismos, & coniurationes damnaret, quòd confessionem auricularem, quòd indecoros in ecclesia cantus, quòd ficta miracula rideret, quòd otiosam & probrosam Sacerdotum, Episcoporúmque vitam, quòd ecclesiæ Romanæ acta & mores, quòd Papæ immanitatem, & tyrannidem insectaretur, denique quod Monachos, Fratres, Indulgentias, Peregrinationes, Purgatorium improbaret. Quanquam autem harum rerum reprehẽsio ea ætate hæresis esse visa est, ex illo tamen tempore, innumerabilis piorum hominum multitudo, eam, vt certissimam Dei veritatem, amplexa est, eidémque Hardingus ipse quadam ex parte concessit.

Alphonsus de hæresibus lib. 1. cap. 13. Ad Roman. lib. 10. cap. 16. 1. Corinth. 1. Alphonsus de hæresibus. Bartholomæus Abrahamus Creten. in Concil. Ferrarien.

Porro adiungit: *Ex hoc Valdensium fonte Anabaptistæ, & Suenckfeldiani manarunt.* Hardingum vel tam inconsideratè loqui, vel tam citò, quid loquutus fuerit, obliuisci potuisse demiror. Mox enim antè dixerat, *E Luthero tres diuersæ hæreses profluxerunt, Anabaptistarum, Sacramentariorum, & Protestantium.* Si è Valdone fluxerint Anabaptistæ, & tantò Lutherum ætate anteirent: quî tum postea è Luthero manauerunt? Si è Luthero primùm prodierint, qua ratione ante Lutherum extiterunt? Si vera narrat Hardingus, pater filio erit natu minor, & filius ætate patrem superabit. Hæc & orationis mera monstra sunt, & cum natura ipsa pugnant. Si alterum verum sit, falsum esse alterum est necesse. Nihil autem Hardingus magnopere absurdum ducit, quòd veritatem quouis modo obscurare posse videatur.

Ferdinandi & Elizabethæ principum Hiſpaniæ edictum de Bibliis in linguam Hiſpanicam non transferendis, cùm exiguæ admodum authoritatis eſt, quippe quòd intra hoſce ſeptuaginta annos, hoc eſt mille & quingentis prope à Chriſto annis conditum fuerit, tum primò factum exiſtimare licet non contra Chriſtianos illius gentis homines, ſed contra duntaxat Apoſtatas Iudæos, qui cùm fictè, & legis ſolo metu Chriſto nomen dediſſent, pòſt & ipſi in ſuperiores errores reciderunt, & tũ exemplo, tum falſa quorundam ſcripturæ locorum interpretatione alios in eiſdem confirmarunt, obſtinatioréſque reddiderunt. In quos etiam inſtituta fuit Hiſpanica illa Inquiſitio, ab iis ipſis principibus, eodem etiam tempore. Sic Iulianus Apoſtata imperator, ſapienter, vt ſibi viſus eſt, cauit, ne Chriſtiani cuiuſquam puer literas diſceret. Sic nefarij reges Antiochus, & Maximinus eodem conſilio commoti, ſacros libros cremauerunt, ne populus eos legeret. Cõſtãtinus autem ille ſanctiſſimus, primúſque Chriſtianus imperator Biblia deſcribi, atque in omnia regna, & regiones, & ciuitates imperij ſui diuulgari ac diſtrahi curauit. Athelſtanus Anglorum rex Biblia in ſermonem Anglicum conuerti iuſſit. Hieronymus, eadem in Dalmaticam, Vlphilas in Gothicam linguam trãſtulit. Quem etiam Socrates inſuper, *Barbaros inſtituiſſe, vt diſcerent ſacra eloquia,* tradit.

Furius Bononia de transferendis ſcripturis. Sozom. lib. 5. ca. 18. I. Machabæorũ. cap. 1. Alphonſus de hæreſibus. lib. 1. cap. 13. Socrates lib. 4. cap. 33.

Hardingus. 14. Sectio.

NOn tamen id volunt: plebem à ſcripturis penitus arcendam eſſe, vt nullam omnino legat partem ſcripturarum. Vt enim totæ, eorum iudicio, nimis ſunt robuſtius cibus infirmis laicorum ſtomachis, ita tantum de iis carpere ſalubriter, & digerere poſſunt, quantum ad pietatem & neceſſariam hominis Chriſtiani cognitionem pertinet: In quo veterum ſanctorum patrum exempla imitanda eſſe cenſent. D. Auguſtinus in vnum volumen contulit quicquid è ſcripturis ad bonos mores facit, quem ille librum Speculum *inſcripſit, quẽadmodum Poſſidonius in eius vita teſtatur. D. Baſilius idem ferè argumentum perſequutus eſt in octoginta ſuis Ethicis regulis, quæ omnes ad mores referuntur. D. Cyprianus idem præſtitit in tribus ſuis ad Quirinũ libris. Huiuſmodi libros pietatis plenos indoctæ plebi vtiliſſimos eſſe lectu iudicant.*

Quæ ſcripturarum partes ad popularem ſcientiam pertineant.

Epiſcopus Sariſburienſis.

LEgere quidem ſcripturas permittit Hardingus plebeiis, non tamen vniuerſas pro ipſorum libito euoluere, ſed exceptione adhibita, quaſdam ipſis conceſſas atque in manus traditas particulas conſectari, id eſt, minimè controuerſas, aut poſitas in diſquiſitione quæſtiones tractare, ſed ea tantùm, quæ ad mores vitæque rationem conducunt, tenere. Itaque ſibi ſuíſque collegis ſcientiam reſeruauit, vitæ honeſtatem plebi conceſſit. De libris autem Auguſtini, Baſilij, Cypriani, falſum eſt eos imperitorum gratiâ nominatim atque de induſtria conſcriptos fuiſſe: Si enim fuerint, quid eſt quamobrem vernaculè non transferuntur, & populo, cuius cauſa editi ſunt, traduntur. Neque verò quicquid hiſce libris continetur, ad mores duntaxat informandos vitámque rectè inſtituendam pertinet, atque penitus à religione diſiungitur. Etenim prima ſententia libri illius Auguſtini, quem *ſpeculum* inſcripſit, ſic habet: *Non facies tibi ſculptile.* Iſtuc verò hodie diſſeritur, eſtque non minimum religionis caput. Maxima autem pars illius libri, quem Cyprianus ad Quirinum ſcripſit, copioſa quadam de Chriſti incarnatione, natiuitate, morte, aliíſque de religione contra Iudæos cõtrouerſiis diſputatione continetur.

Baſilius autem cùm hunc de Ethicis libellum compoſuit, tum antè de fide alterum ſcripſerat, & vtrumque plebi Ethica ſua ab hiſce verbis orditur, *Cum de ſana fide in præcedẽtibus ſufficiẽter ad præſens dictum eſſe putemus &c.* Hoc itaque falsò poſuit Hardingus, nec dum locum nactus eſt firmum ac ſtabilem, in quo conſiſtat. Nemo autem vnquam antiquorum patrum plebem à liberrima vniuerſæ ſcripturæ lectione deterruit, atque ad illa minuta, & collectitia ſcripta relegauit. Baſilius habet: *Scriptura ſimilis eſt medici officinæ, è qua quiſque petere poſſit aptum ſuo morbo remedium.* Irenæus autem inquit: *De omni ligno paradiſi manducate, id eſt, ab omni ſcriptura diuina manducate.* Quanquam Hardingi iudicio, plebi Decalogum ediſcere licet, Symbolum autem attingere nefas eſt.

Baſilius in pſalmum primum. Irenæus lib 5.

Hardingus. 15. Sectio.

QVouſque autem progredi, & quam ſcripturæ partem legere plebs ad conſolationem, neceſſariámque ſuam inſtitutionem poſſit, & à quibus eadem trãsferenda ſit, id verò ad eccleſiæ iudicium pertinet, quæ iamdudum vernaculas omnes recentiores Bibliorum tralationes damnauit, propterea quòd [a] *multis in locis falſæ deprehenduntur, atque ad eas hæreſes accommodatæ, quas ipſi interpretes tuentur. Neque verò noſtra memoria recentes duntaxat haſce verſiones damnauit, ſed etiam paucas illas vetuſtiores nunquam hucuſque comprobauit: Hieronymi (inquam) Dalmaticam illam, ſi talis vnquam ab illo edita fuerit, id quod nonnullis parum luculentè probatur: atque illum, quam ante Hieronymum Vlphilas epiſcopus Arianus edidit, & Gothorum genti commendauit, qui literas illis primus inuenit, atque ſcripturas vernaculè conuerſas propoſuit, quique quò facilius legationem ad Imperatorem Valentem ſuam conficeret, ab hæreticis & Aulicis Conſtãtinopolitanis inductus eſt, vt fidem Catholicam abiiceret, & cum Arianis communicaret, fidémque daret, ſe operam daturum, vt Gentiles ſuos ad eandem ſectam perduceret: quod tandem etiam nefariè præſtitit.*

a Falſum: è malitia duntaxat & calumnia natũ.

Epiſcopus Sariſburienſis.

NOn pugnat Hardingus, quominùs plebs, vt ſuæ conſolationi inſeruiat, quædam ſcripturæ τεμμάχια legat, neque tamen vernaculam verſionem vllo modo permittit. Id quidem perinde

eſt,

est,ac si nuclei comedendi, at non frangendæ nucis licentiam daret. Ex his liquet imperito & rudi vulgo Ecclesiæ permissu ac beneficio licere Dei verbum Latinè, Græcè, Hebraicéue legere, sed nullo præterea linguæ genere. Ecclesia (inquit Hardingus) per annos pene mille sexcentos nullam hactenus comprobauit vernaculam conuersionem. Tamen certissimè constat Ecclesiam non modò primis ipsis Apostolorum patrúmque sanctorum temporibus, sed pòst etiam longo interuallo & permisisse, & vsam esse vernaculis multarum linguarum versionibus: quas tum Ecclesiam comprobasse facilè licet existimare. Quòd autem scripturæ non modò tribus hisce linguis Latinæ, Græcæ, Hebraicæ mandarentur, ex Hieronymo constat, qui Psalmos conuersos, & lingua Syriaca cani solitos fuisse scribit: è Basilio, qui idipsum de Palæstina, Thebana, Phænicia, Arabica & Lybica lingua prodidit: è Sulpitio in vita D. Martini, qui Lectiones, & capita conuersa atque apertè in Ecclesiis Gallicis Gallicè recitata fuisse tradit, vt videtur: ex Isidoro, qui hoc idem de omnibus omnino Christianis linguis affirmat.

Hierony. in epitaph. Paulæ. Basil. in epist. ad Neocæsarien. Sulpitius in vita Martini lib. 1. Isidorus de ecclesiasticis offi. ciis ca. 10.

Vlphilæ Gothicam tralationem eo nomine reprehendit Hardingus, quòd interpres ipse Arianus esset. Quanquam Ecclesiæ illam vnquam displicuisse haud constat. Atque hoc pacto licet Gręcas vniuersas translationes siue Symmachi, siue Aquilæ, siue Theodotionis, siue Septuaginta, ipsúmque adeo Origenis integrum ἑξαπλῶν damnare. Istarum enim nulla est, quæ non huiusmodi crimine tentari possit. De Hieronymi Bibliorum in linguam Dalmaticam versione nonnihil dubitare videtur Hardingus. Quanquã Hosius astipulator eius disertè habet: *In Dalmaticã linguã sacros libros Hieronymum vertisse constat.* Idem habet Alphonsus: Neque verò illam Hieronymi conuersionem Hardingus vel falsitatis, vel erroris cuiusquam conuincere potest: quare illum sanctissimum patrem damnare videtur, neque tamen causam, quamobrem id faciat, vllam ostendit.

Hosius de sacro vernacule legendo. Alphonsus de hæresibus lib. 1. ca. 13.

Recentes omnes (inquit) *versiones hæresium studio editæ fuerunt, ac proinde meritò suspectæ esse debent.* Nunquàm ne isti homines fucum facere desinent, & bonam fidem præstabunt? Si sint errata, & tanta quidem errata in hisce recentibus versionibus, quin illi ea indicant, ac redarguunt? Si nulla sint, quid sine causa damnant? Atrocissima autem omnium, quæ vnquam nata est, hæresis, quæque istos attingit proximè, ea est, quòd iniquissimam Ecclesię Romanæ potentiam atque tyrannidem prodimus, & enunciamus. Sic enim est à Nicolao Papa cautum: *Qui Romanæ Ecclesiæ priuilegium auferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur, & est dicendus hæreticus.*

Distin. 22. Omnes.

Hardingus. 16. Sectio.

QVOD autem ad Ecclesiam nostram Britannicam attinet, fides in ea durauit mille trecentis annis vsque ad hanc recentem memoriam, [a] *sine vlla Bibliorum vernacula tralatione, ab omnibus promiscuè legenda. Faxit Deus, vt nos animas Deo deteriores non reddamus, qui scripturas vernaculè legimus, & tantopere de Euangelio prædicamus, quàm nostri maiores reddiderunt. Hæc insula* (*inquit Beda loquens de Ecclesiæ illius temporis statu*) *in præsentia iuxta numerum librorum, in quibus Dei lex scripta fuit, scrutatur & confitetur vnam eandémque scientiam sublimis veritatis, & veræ sublimitatis, linguis quinque populorum, Anglorum, Brytannorum, Scotorum, Pictorũ, & Latinorũ quæ* (*lingua Latinorũ*) meditatione scripturarũ cæteris omnibus est facta cõmunis. *Equidẽ, vt Latina lingua cũctis tũc huius insulæ nationibus, quæ distinctis erãt linguis, communis fuit propter meditationẽ scripturarũ, vt Beda author est, eadẽ semper sola vsque ad ætatem nostram omnibus regionibus, seu nationibus Occidentalis Ecclesiæ communis fuit, propter eandem causam, atque inde Latina Ecclesia nominata fuit.*

Ecclesiast. historiæ. li. 1

a Falsum: multæ enim Bibliorum partes in Brytannicum conuersæ fuerunt à rege Aluredo, Cedmanno, & Beda, vt docebo.

Quare vt concludam, qui tam acriter & tanta contentionis acerbitate scripturarum in omnes vernaculas & Barbaras linguas conuersionem vrgent, eos oportere sapientes existimant primùm prospicere, nequa reperiãtur, in suis versionibus errata, [b] *cuiusmodi hucusq; permulta extiterũt. Exiguũ autẽ erratũ in verbi Diuini tractatione commissum pro atroce crimine habendum est. Deinde quandoquidem huiusmodi translationes ad vniuersos Christianos homines pertinent, vt iudicio totius Ecclesiæ omnium linguarum permittantur, & Laicis sapientia atque authoritate Cleri, qui illorum animarum curam habent, commendentur. Porro, vt aliquis sit delectus, exceptio, & præscriptio temporis, loci, ac personarum: atque etiam partium scripturarum, iuxta prudentissima Iudæorum instituta, apud quos nefas fuit cuiquam certas quasdam Bibliorum partes legere, priusquam tempus sacerdotalis ministerij expleuisset, quod triginta annorum ætate continebatur, quemadmodum Hieronymus testatur. Postremò, ne vernacula scripturarum editio sic plebi mandetur, quasi sit omnino ad salutem necessaria, ne damnare videantur Ecclesias, quæ huiusmodi Tralationibus hactenus caruerunt, & tot doctos piósque patres, qui eas suis gregibus non curarunt, & omnes denique, qui nos antecesserunt, quibus neque virtute, neque innocentia, & sanctimonia vitæ conferendi sumus. Ego autem, quandoquidem nondum Ecclesia decreuit, debeátne plebs scripturas suo sermone legere atque audire, an secus, nihil statuo. Vt magni facio piam omnem & salutarem scientiam, optóque eam plebi multò vberrimam, charitate & modestia conditam, ita vellem isti, qui tam importunè de verbo Dei garriunt, minus haberent illius scientiæ, quæ hominem intumescere ac sua opinione superbire facit, secúmque diligentius ipsi reputarent, num dicti illius Pauli ad Corinthios cancellis includantur:* Si quis sibi videtur aliquid scire, nondum quicquam nouit, sicut oportet nosse.

b Falsum, & maledicum: si qua fuissent huiusmodi errata, ea Hardingus singulatim notasset.

Præfatione in Ezechielem.

1. Cor. 1.

Faxit Deus, vt omnis nostra scientia ita cum modestia, humilitate, charitate copuletur, vt ne illa Augustini in simili genere formidolosa ad suum charissimum Alypium oratio nobis verissimè congruat. Surgunt indocti & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce vbi volutamur in carne & sanguine?

Confess. lib. 8. cap. 8.

Episcopus Sarisburiensis.

OCcultè id fateri videtur Hardingus, quod nemo sine rubore inficiari potest: hoc est, scripturas longo abhinc tempore in patrium huiusce regionis sermonem fuisse conuersas. Eam autem exceptionem adiungit, quòd quanquam Anglicè conuersæ essent, Anglis tamen hominibus neutiquam inseruirent: quanquam quibus tum aliis inseruierint, nemo facilè suspicari poterit. Equidem verò si Anglorum vulgus à scripturis repellendum esse statuissent, quemadmodum isti faciunt, eas in Latina, Græca, Hebraicáue lingua, vt priùs, seruassent, nec istiusmodi versiones tulissent.

Beda historia Anglorum lib. 1. cap. 1.

Beda autem ipse, qui huius insulæ scripsit historiam, his ipsis verbis, quorum hîc Hardingus meminit, testari ac prodere videtur, scripturas eo tempore in varia fuisse idiomata traductas, & quidem vt populari institutioni conuenirent. Sic enim scribit: *Hæc insula quinque gentium linguis scrutatur vnam, eandémque scientiam veritatis.* Minimè credibile videatur sic eum fuisse de quinque linguis scripturum, si vnica duntaxat lingua æditæ tum essent scripturæ. Perinde est, atque eodem refertur, quod ait: *Quicunque Gentium linguis vnam, eandémque veritatis scientiam scrutantur*, non, vt Hardingus loquitur, Latina solùm lingua. Nemo autem, quemadmodum opinor, dixerit hominem genere aut Scotum, aut Pictum, aut Brytannum, qui Latinè nesciebat, tamen scripturas legere, scrutaríque Latina lingua potuisse.

Beda in hist. Angiorum. libr. 5. cap. 22. Athelstanus. Ioan. Treuisa. lib. 5. cap. 24. Ioan. Treuisa. lib. 6. cap. 1.

Verùm vt coniecturas mittamus, Beda discertissimis, dilucidissimísque verbis scribit, Cedmannum quendam Poetam Anglum, & mundi fabricationem, & vniuersam Genesim, & Exodum, & permultas alias Bibliorum historias Anglico carmine transtulisse. Deinde Rex Athelstanus, vt suprà dictum est, circiter annos abhinc nongentos integra Biblia in Anglicum vertenda curauit. Et Ioannes Treuisa eques ipsum Bedam Euangelium D. Ioannis vertisse tradit, atque in alio loco Psalterium mandato Aluredi Anglicè conuersum fuisse testatur. Ad hodiernum verò diem nonnullæ huiuscemodi versiones remanserunt, quæ multis de causis magnam meritò habent antiquitatis fidem. Itaque insulam hanc mille trecentis annis sine vlla scripturarum vernacula cõuersione floruisse nullo modo verum videatur.

Quanquam vt hoc ita esse demus, si defectus præscriptum satis in hac causa magno argumento esse possit, quid ni dicamus, stetisse quidem & floruisse insulam hanc totis quater mille annis, non modò sine Bibliis Anglicis, sed etiam sine omni Dei, Christique cognitione? Quid ni etiam verè affirmemus Dei Euangelium atque veritatem in hac insula multis centenis annis obtinuisse, sine vel Romani Pontificis primatu, vel Transsubstantiatione, vel Missis priuatis, vel cæteris delirátium Papistarum insomniis?

Id profectò verum est patres nostros recentibus seculis in summam ignorantiam impulsos, atque à scripturis violenter abductos fuisse. Maiorum autem exempla atque vitia non semper idonea sunt fidei præcepta. Eutiches hæreticus dixit: *Sic à progenitoribus meis accipiens credidi, in hac fide genitus sum, & consecratus Deo, & in ea opto mori.* Ea tamen fides hæresis fuit, non fides.

Concil. Calchedonen. Action. 1.

Hilarius in epis. Auxentii. Hieremi. 44.

Ezechiel. 20.

Sic Auxentius Arianus ait: *Quemadmodum ab infantia edoctus sum, ita credidi, & credo.* Sic etiam Iudæi idololatræ ad Hieremiam Prophetam dixerunt: *Sic fecimus nos, & patres nostri, Reges nostri, & principes nostri, & saturati sumus panibus, & bene nobis erat.* Deus autem ad illos inquit: *In statutis patrum vestrorum nolite ambulare, &c. Ego Dominus Deus vester.*

2. Timoth. 2. Exod. 3. Daniel. 6. Daniel. 3 Exod. 14.

Nos verò de patribus nostris minimè iudicamus, nedum eos damnamus. Deus illorum vnicus est iudex. Paulus ait: *Solidum Dei fundamentum stat, habens hoc signaculum, Nouit Dominus, qui sint sui.* Potuit Deus & rubum in mediis flammis, & Danielem in spelunca, in medio leonum, & tres pueros in medio ardentis fornacis, & populum suum Israeliticum, in medio maris rubri vindicare, atque tueri. Ita etiam suos in mediis illis funestissimis tenebris incolumes conseruare potuit.

Cyprianus habet: *Ignscio potuit simpliciter erranti: post inspirationem verò & reuelationem factam, qui in eo, quod errauerat, perseuerat, sine venia ignorantiæ peccat. Præsumptione enim atque obstinatione superatur.*

Ex hisce Bedæ verbis sic concludit Hardingus: *Lingua Latina meditatione scripturarum facta est communis omnibus huius insulæ nationibus: Ergo, Scripturæ non fuerunt Anglicè conuersæ.* Huiusce quidem rationis vel puer quiuis futilitatem atque imbecillitatem facilè perspexerit. Etenim etiam nũc quanquam tota Biblia in sermonem Anglicum vertuntur, & in quauis Ecclesia leguntur, totique plebi communia sunt, tamen Latina lingua cunctis huius insulæ nationibus, ad veterum commentariorum, & patrum antiquorum lectionem, atque ad scripturarum meditationem inseruit.

1 Nunc Hardingi hac de re cautiones perpendamus. Primùm, si quæ in Anglica versione contigissent errata, qualia contigisse permulta falsò obiicit, non ea tam tacitus dimisisset Hardingus. Neque enim eum vel eloquentia, vel voluntas ad dicendum, sed res duntaxat, de qua dicat, & materia deficit.

2 Deinde, scripturæ Anglicè conuersæ, plebi fuerunt ab iis Episcopis, ducibúsque spiritualibus traditæ, qui de ipsius salute verè curam summam habuerunt, quíque vitam & sanguinem pro grege suum profuderunt. Episcopi autem, à quorum partibus Hardingus stat, versionem duntaxat animaduertere errata, corrigere ne vnum possunt. Multa quidem exusserunt Biblia, nulla hactenus transtu-

transtulerunt. Christi verba illis verissimè conueniunt: *Neque vos ipsi intratis, neque alios, qui volunt sinitis.* Summum enim illorum religionis principium hoc est, *Ignorantia veræ religionis mater est.*

Præcipere autem atque præscribere plebi, quos libros legere, & à quibus cauere debeat, ea verò superstitiosa quondam fuit Rabbinorum prudentia. Dicere cum Hilario liceat, *Archangeli nesciunt, Angeli non audiuerunt, Propheta non sensit, Filius ipse non edidit.* Equidem nūc diducto velo, facieque nostra ad contemplandam Dei gloriam aperta, Paulus inquit: Non tantùm vna pars scripturæ, sed, *omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est, &c.* Rursum, *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Iccirco Irenæus habet, vt antea monuimus, *Ex omni scriptura diuina manducate.*

3 Origen. in prologo in cantica cantic. Nazianz. in Apologetico. Hilarius de vnitate patris & filii. 2. Corinth 3. 2. Timoth. 3. Rom. 15. Irenæus lib. 5. cap. Omnes. Chrysost. de Lazaro conci. 3.

Humilitas, vitæque probitas, cuius habere rationem aliquam videri vult Hardingus, faciliùs ex scientia, quàm ignorātia addiscitur. Chrysostomus habet: *Magna aduersus peccatum munitio est scripturarum lectio. Magnum præcipitium, & profundum Barathrum scripturarum ignoratio. Nihil scire de diuinis legibus magna salutis perditio. Ea res & hæreses peperit, & vitam corruptam inuexit. Hoc sursum deorsum miscuit omnia.*

Quapropter Apostoli Christi, cæterique omnes pij patres populum semper ad scripturas legendas cohortati sunt, & tum optimè cum Ecclesia actum esse iudicarunt, cùm populus esset quàm optimè institutus. Paulus inquit: *Verbum Dei habitet in vobis abundanter.* Polycarpus ad populum ait: *Confido vos bene exercitatos esse in sacris literis.* Origenes ad populum habet: *Optamus vt operam detis non solùm in Ecclesia audire verba Dei, sed & in domibus vestris exerceri & meditari in lege Domini die ac nocte.* Augustinus habet: *Legite sacras scripturas: ideo enim eas scribi Deus voluit, vt consolationem ex ijs perciperetis.* Hieronymus inquit, vt prius commemorauimus: *Laici non tantùm sufficienter, sed etiam abundanter verbum Dei habere debent, & se inuicem docere.* Chrysostomus hortatur, vt pater cum filio, vir cum vxore, domi de verbo Dei sermonem conferant. Theodoretus scribit: *Passim videas hæc nostra dogmata non ab ijs solùm teneri, qui sunt Ecclesiæ Magistri populorúmque Præceptores, sed ab ipsis quoque sutoribus, fabrísque ferrariis, lanificibus præterea, cunctísque artificibus, quin & à fœminis item omnibus, non ijs modò, quæ literas didicerunt, siquæ demum illæ sunt, sed quæstuariis ac sartricibus, ancillísque adeo, ac pedissequis. Neque ij solùm, qui vrbes incolunt, homines, sed ipsi quoque agricolæ probè eadem sciunt: fossorésque adeo & bubulcos inuenias, plantarúmque consitores de diuina Trinitate, rerúmque omnium creatione discertantes, humanæ item naturæ magis conscios esse, quàm Plato, Stagiritésque fuerint.* Itaque Origenes ad suos de plebe auditores ait: *Me dicente, quod sentio, vos decernite, & examinate, siquid rectum est, aut minùs rectum.* Ita nempe plebeij homines, quos Hardingus porcos, & rudes, atque inconsideratos curiosósque idiotas nuncupat, nō modò scripturas intelligere, sed de suis etiam doctoribus iudicare potuerunt: eóque nomine Christianos Iulianus Imperator Apostata reprehendere solebat, sicuti nos nunc Hardingus, quòd mulieres puerósque Scripturas legere paterentur.

Colos. 3. Polycarpus ad Philippenses. Origen. in Leuit hom. 9. August. in Psal. 33. Hierony. in epist. ad Coloss. cap. 3. Chrysost. in Io. hom. 1. Theodoretus de natura hominis. Origen. in Iosu. hom. 20. Cyrillus contra Iulianum lib. 6. & lib. 7.

Hostes autem diuinæ veritatis, metu atque conscientia imbicillitatis suæ permoti, verbum Dei semper non tantùm fœminis, & pueris, sed toti etiam plebi per vim eripere consueuerunt. Chrysostomus habet: *Hæretici sacerdotes claudunt ianuas veritatis. Sciunt enim si manifestata fuerit veritas Ecclesiam suam esse relinquendam, & se de sacerdotali dignitate ad humilitatem venturos popularem.* Tertullianus enim inquit: *Scriptura diuina hæreticorum fraudes, & furta facile conuincit & detegit.* Christus ait: *Qui malè agit, odit lucem.* Itaque vsurpare solent quod in Propheta Amos scriptum est: *Tace, & ne recorderis nominis Domini.* Verùm ea demum miserabilis est & deplorata religio, quæ nisi celata & obruta Dei veritate consistere nequit.

Chrysost. in opere imperfecto hom. 44. Tertullian. in libro de Trinitate. Ioan 3. Amos 6.

FINIS.

DE TACITA CONSECRATIONE.

ARTICVLVS DECIMVSSEXTVS.

Episcopus Sarisburiensis.

VEl tum licuisse sacerdoti verba consecrandi tacite, & silentio sibi demurmurare.

Hardingus. 1. Sectio.

I*PSA huiusce articuli res ac materia neque è summis est mysteriis, neque è maximis religionis nostræ clauibus, quantumuis eam in hoc numero ponere Iuello visum fuerit, quò inde sanctissimam Ecclesiæ catholicæ existimationem imminueret. Diuersa huius rationis obseruatio ipsam rei indifferentem naturam arguit. Si enim vnica & simplex verborum, quæ consecrationem perficiunt, pronunciatio pro*

necessario religionis momento fuisset habita, eadem apud omnes immutabilis extitisset. Quod panis, & vinum consecrantur, verbis Domini à sacerdote pronunciatis, veluti in persona Christi, quorum vi, sanctique spiritus gratia panis, & vinum in corpus & sanguinem Domini mutantur, [a] *istuc in omnibus temporibus ac locis, summáque omnium consensione ita inuiolabiliter & factitatum, & creditum fuit. Ipsa autem pronunciandorum verborum ratio seu tacita, seu aperta, pro locorum varietate multiplex variáque fuit.*

a Falsum: sæpius affirmatũ, nunquam probatum.

Episcopus Sarisburiensis.

HAEC *est*, inquit Hardingus, *perexigua religionis nostræ clauis.* Quod quidem ita esse cùm aliunde, tum ex ipsa confirmationum, quibus vtitur, tenuitate, ac leuissimo momẽto animaduerti potest. Quanquam in officiis ad religionem Deíque cultum pertinentibus, nihil debet exiguum videri, præsertim quod populum in fraudem inducere possit. Sanè verò, vtcunque nunc exiguam hanc videri clauem volunt, ea hactenus cùm superstitionis non exiguæ causa fuit, tum Dei populum ab aspectu, intellectúque summorum fidei nostræ mysteriorum seclusit.

Id quidem certissimum est, Christi religionem, & sine mystico hoc silentij genere, & sine etiam Transsubstantiatione, aut Missa priuata, similibúsque cæteris ipsorum ineptiis optimè constare posse. Verùm si tam exigua res hæc sit, cur eam Hardingus tanto conatu comprobare contendit, adhibitis tot & manifestis mendaciis, & futilissimis fabulis? Cur eos affirmare non puduit, Christum ipsum in cœna vltima silentio, & tacitè consecrasse, eodem penitus modò, quo nunc illi solent? aut quæ tandem fuit tam proiecta Episcoporum Tridentinensium impudentia, vt illos omnes solennibus diris deuouerent, qui eum morem reprehendere auderent? Res tam exilis, quàm hæc esse fingitur, tam multis minimè opus habuit. Siue autem hæc verba tacitè, siue clarè pronuncientur, eorum diuina virtute panis viníque substantiam ac naturam reipsa & penitus in corporis & sanguinis Christi substantiam mutari comminiscitur. Quod esse falsissimum ex Augustino, Chrysostomo, Theodoreto, Gelasio, atq; priscorum omnium patrũ consentientibus sententiis planissimè euincitur, & luculentiùs in decimo huiusce libri articulo refutatur. Hic quidem error neque in Latina vnquam Ecclesia ante Lateranum Concilium Romæ habitum circiter mille ducentos à Christo annos confirmatus, neque in Ecclesia Græca ab ipsa Christi ad hodiernum vsque diem natiuitate receptus fuit.

Thom. in 3. par. summæ, quæ. 78. ar. 8. Concil. Triden. session. 2.

D. Tonstal. De Eucharist. lib. 1. Concil. Laterã. anno 1215.

Hardingus. 2. Sectio.

GRæci in Ecclesia Orientali, optimũ iudicant verba consecrandi clara voce, sicuti in Chrysostomi Missa legimus, atque vt Bessarion scribit, Alta voce pronunciare. Sacerdos *(inquit)* alta voce iuxta Orientalis Ecclesiæ ritum verba illa pronunciat, Hoc est corpus meum. *Quæ ratio clara voce pronunciandi in Ecclesia Græca ideo vsurpata est, (quemadmodum colligere licet ex eo, quod Bessarion scribit, qui quòd genere Græcus esset, & inter Græcos educaretur & erudiretur, illius Ecclesiæ morem optimè nouit) quò inde populus ad fidei suæ confirmationem excitaretur, & admoneretur, vt se ijs, quæ pronunciarentur, assentiri atque fidem adhibere testificetur. Quando sacerdos, inquit ille, hæc verba alta voce pronunciat, populus astans* in vtraque parte, *id est primum in consecratione corporis, deinde in consecratione sanguinis respondet, Amen: quasi diceret, Verum est. Etenim cum Amen Hebraicè aduerbium sit affirmandi, Græcè perinde valet, ac Verè: ideóque populus respondens Amen istis verbis, verè, inquit, hæc dona proposita sunt corpus & sanguis Christi: sic credimus: sic confitemur. Hucusque Bessarion. Constat ex Clemente lib.* 8. *constitutionum Apostolicarum populum respondisse Amen, postquam verba consecrandi pronunciata essent: ex quo intelligimus eam ab Apostolis manasse consuetudinem. Eadem etiam consuetudo ex Ambrosio colligi potest, cuius hæc sunt verba:* Dicit tibi sacerdos corpus Christi, & tu dicis, Amen, hoc est, Verum: Quod confitetur lingua, teneat affectus. De sacram. lib. 4. cap. 5. *Similiter habet in libro,* De iis qui initiantur mysteriis, cap. 9. Frustra, *inquit Leo,* ab illis respondetur, Amen, qui cõtra id disputant quod accipitur. Ser. 6. de Ieiun. 7. Mensis.

Bessarion recẽs doctor: vixit Anno 1439.

Episcopus Sarisburiensis.

OMnes isti doctores, contra Hardingum atque Ecclesiæ Romanæ consuetudinem, disertè testantur, verba consecrandi clara apertáque voce pronunciata fuisse, neque modò ea populum & exaudiuisse atque intellexisse, sed etiam iis respondere consueuisse. Itaque hisce testimoniis non multum adiuuatur Hardingus. In ipsius verò Ecclesia, quam is ita sæpe & antiquam, & vnicè Catholicam appellat, populus nec respondet quicquam, nec intelligit, nec audit ea verba, quibus consecratio continetur. Quare ex his perspicimus, hos quinque doctores ab eo citatos ipsi non obscurè tribus nominibus aduersari.

His adiungit Hardingus, *Amen perinde valet, atque verum est: ideóque populus respondens Amen, in eo confitebatur se realem atque substantialem panis in Christi corpus mutationem credere.* Superuacaneũ fuit ac intempestiuum hanc causam isto loco repetere. Quanquam ei satius visum est aliena dicere, quàm penitus tacere, atque obmutescere.

Primùm, vt antea meminimus, Ecclesia Latina nouum hoc dogma nunquam ante Concilium Lateranum Romæ celebratum probauit. Græca verò Ecclesia nunquam hactenus adduci potuit, vt ei acquiesceret. Quare Hardingi sententia populus respondit Amen ad id, quod minimè credidit, itaque puerum octingentis antè annis confirmauit, quàm in lucem ederetur.

Anno Domini 1215.

Respondit quidem populus Amen ad ea, quæ pronunciantem audiebat sacerdotem: sacerdos autem

autem nullum omnino neque de Reali præsentia, neque de Transsubstantiatione, neque de Accidētibus absque subiecto verbum fecit: itaque non est verisimile eò spectasse populi responsum. Alioquin enim ad id respondere videretur, quod omnino dictum non est. Sacerdos hæc modò Christi verba pronunciauit, *Hoc est corpus meum*: quibus Græci ad hunc modum responderunt, quemadmodum in Concilio Florentino testatum est, *Firmiter credimus verbis illis Dominicis sacramentum fieri.* Similiter Ambrosius habet: *post consecrationem corpus Christi significatur.* Deinde, *Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis Amen, hoc est verum est.* Sic Dionysius ad Sixtum Episcopum Romanum de quodam scribit, qui cum hæreticis baptizatus fuerat: *Gratiarum actionem in Ecclesia audiuit, & ad illam vnà cum alijs respondit Amen.* Sic Augustinus: *Fratres nostri eadem sacramenta celebrantes, & vnum Amen respondentes.* Ista responsio, *Amen*, non repentinam aliquam Transsubstantiationem, sed gratiarum actionem Deo pro nostra per Christi mortem liberatione indicabat.

Concil. Florēt. sesſion. vltim. Ambros. de iis qui initiantur. Cap. 9. Euseb. lib. 7. Cap. 9. Εὐχαριστίας ἐπακούσαντα καὶ συνεπιφθεγξάμενον τὸ Ἀμήν. August. in Psal. 33.

Leo de ieiunio 7. mensis, sermon. 6.

At Leo habet, *Frustra ab illis respondetur, Amen, qui contra illud disputant, quod accipiunt.* Vt hæc verba clarè intelligas, Lector, memoria tibi repetendum est Leonem cùm in hoc, tum in aliis permultis locis vniuersum falcultatis suæ ingeniique impetum in Eutychem hæreticum intendere, cuius ea fuit hæresis, communi atque à multis hodie defenso errori persimilis, Christi corpus post eius in cœlos ascensum fuisse penitus in Diuinitatem conuersum, neque pristinam corporis humani naturam retinuisse. Hanc autem peruersissimam sententiam Leo argumento conuellit à sacris mysteriis sumpto, in quibus homines fide vera prædito, quemadmodum faucibus & ore panē vinúmque mysticum percipiunt, ita spiritu & fide corpus ac sanguinem Christi sumunt, idque reipsa ac verè, cóque dicunt, *Amen.* At enim frustra, inquit Leo, respondet *Amen*, qui negat idipsum, quod accipit, hoc est, qui corporis Christi sacramentum percipit, & tamen cum hæretico Eutyche persuasum habet, Christum re quidem vera nullum habere corpus. Atque in hác sententiam Augustinus dicere videtur, *Mors illi erit, non vita, qui mendacem putauerit vitam,* quasi nimirum hæc sacrosancta mysteria tanquam corporis sui sacramenta atque pignora tradiderit, nec interim ipse corpus habuerit: Sic etiam Prosper Aquitanus habet: *Christum à populo Iudaico fuisse occisum, nullus iam ambigit Christianus, cuius sacrum sanguinem omnis nunc terra accipiens clamat, Amen, vt neganti Iudæo quòd occiderit Christum, rectè dicatur à Deo, Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Similiter Chrysostomus: *Hæc afferentes mysteria, ora ipsorum consuimus: Si enim mortuus Christus non est, cuius symbolum ac signum hoc sacrificium est.* Sic itaque hi doctissimi patres senserunt, Eutychem simul & alios vniuersos, qui Christi vel corpus, vel mortem sustulerunt, ex ipsa horum mysteriorum perceptione facilè reuinci posse. Nam & sacramentum sumunt, nec tamen quod sacramento significatur, agnoscunt: Ideóque, vt Leo ait, contra rem ipsam disputant, quam accipiunt. Atque hoc modo suam Leo ipse sententiam clarissimè, luculentissiméque explicat: *Quam sibi in huius sacramenti præsidio spē relinquunt, qui in saluatoris nostri corpore negant humanæ substantiæ veritatem? Dicant quo sacrificio sint reconciliati: Dicant quo sanguine sint redempti.*

Beda. 1. Cor. 10.

Prosper de promis. Dei. parte 1. cap. 7.

Chrysostom. in Matt. hom. 83.

Leo epist. 8. ad Palæstinos.

Ex his sanctissimis patribus liquet, qui sacrosancto corporis Christi mysterio communicant, nec Christum tamen vero corpore præditum esse statuunt, quemadmodum Eutyches hæreticus contendit, eos contra hoc ipsum disserere, quod accipiunt. Etenim Gelasius habet: *Hoc nobis in ipso Domino Christo sentiendum est, quod in eius imagine,* hoc est, *in sacramento profitemur.* Itaque in ea Liturgia, quæ Iacobo vulgò ascribitur, sic habetur: *Quotiescunque comederitis hunc panem, & hunc calicem biberitis, mortem filij hominis annunciatis, donec veniat: Populus respondet, Credimus, & confitemur.* Hoc nempe est quod Ambrosius, Chrysostomus, Leo, Clemens, vocant, *Amen*: atque hæc ea est explorata corporis Christi veritas, non quæ sacramento, vt Hardingus fingit sed quæ personæ vnitate continetur, pro qua Leo contra Eutychem hæreticum propugnat. Bessarionis haud magni esse potest in hisce causis momenti nomen, cum quòd recente memoria viueret, ideóque parum sit idoneus huius controuersiæ iudex, tum quòd Episcopus institutus Tusculanus, Romanúsque Cardinalis inauguratus in recenti Concilio Florentiæ habito reclamantibus ac repugnantibus reliquis suis è Græcia gentilibus Romanum Pontificem apertè ac turpiter adularetur, eique se dederet atque addiceret.

Gelasius contra Eutychem. Liturgia Iacobi.

Anno Domini 1439.

Hardingus. 3. Sectio.

ATque vt populus assensum præberet, suámque fidem huic veritati conformaret, sine errore ac fraude, vtque respondendo, Amen, tunc crederet & confiteretur panem & vinum fieri corpus & sanguinem Christi, [a]*cùm ita reuera fieret, non aliâs (nam alioqui ingens error esset) proinde Iustinianus Imperator decreuit, vt Episcopi, & presbyteri eam ob causam sacras Liturgias pronuntiarent clara, & distincta voce, quæ intelligi posset ab omnibus, vt populus responderet,* Amen: *(Quod quidem cùm ad omnes Liturgiæ partes, tum præcipuè ad consecrationem pertinet,) vtque crederet & confiteretur esse corpus, & sanguinem Christi, cùm ita*[b]*re ipsa esset, non sic confiteretur, cùm non esset, quod incidere potuit, si verba consecrandi minus apertè pronunciata audiret. Atque hæc præcipuè Iustiniani constitutio restringi debet, vtpote quæ ad Græcam Ecclesiam, in qua ille vixit, referatur solummodo, minimè autem longiùs*[c]*sit torquenda, vt inde nimirum, omnia omnino diuina officia vernaculo sermone in Ecclesia Occidentali procuranda esse euincatur, quemadmodum in eum finem à nostris nouis Doctoribus falsò & ineptè adhibetur.*

a Falsum nihil enim eiusmodi sensit Iustinianus. Hardingo data est Louanii licentia quiduis pro libito fingēdi.

b Falsum: ineptum, nugatorium: id quid enim responderet populus *Amen*, cùm nullā precum partem exaudiret?

c Falsum: hæc enim lex non minùs Romanam Ecclesiā, quàm Græcam astrinxit, vt manifestum erit.

Episcopus Sarisburiensis.

TAm multa vt quisquam falsa, tam exiguo ambitu, tam confidenter, sine rubore enunciaret? Vbi est timor Dei? vbi est lectoris reuerentia? vbi est pudor,& verecundia? Primùm neque Imperator ille præstantissimus Iustinianus, vllum omnino de hoc ridiculo,& commentitio Hardingi dogmate verbum habet, neque Ecclesia Græca vnquam hactenus persuaderi potuit, vt eidem assentiretur, quemadmodum iam antè clarissimè docuimus. Quid autem est? num eam cunctis mortalibus opinionem iniiciet Hardingus, populum publicè in Ecclesia id assensu suo comprobasse, quod nec vnquam credidit,& falsissimum esse pro certo habuit? non iam vnum Concilium, non vnum patrem, non vnum Doctorem proferre potest, qui *Amen* isto modo fuerit interpretatus? Támne deplorata est hæc,& nuda causa, vt nullus reperiatur honestus testis, qui vocem pro ea mittat vllam? An Hardingi verò dictum, nulla ratione, scriptura, Concilio, Doctore, Patre subnixum tantum valere debet, vt pro Ecclesiastico dogmate habeatur?

De Ecclesiasticis diuer. capitulis constit. 123. εἰς πλείονα κατάνυξιν.

Verba Imperatoris satis dilucida sunt: *Præcipimus omnibus sanctis Episcopis & presbyteris ministrare sacram oblationem,& sacramentum Baptismatis,& cæteras preces,* (non tacitè,& silentio, quemadmodum nunc in Ecclesia Romana fit, sed) *alta voce, quæ exaudiatur à fideli populo,* (non vt Trāssubstantiationi Hardingianæ testimonio esset, sed) *vt corda auditorum eo vehementiùs,& ad pœnitentiam pungantur,& ad Deum laudandum excitentur.* Si ex eo semper & necessitate concluditur Transsubstantiatio, quòd hæ duæ syllabæ, *Amen,* pronunciantur, tum eandem non modò in sacramento corporis Christi, sed etiam in sacramento Baptismatis, cæterisque omnibus publicis precibus licebit agnoscere. In hisce enim singulis iussus fuit populus, vt responderet *Amen.*

Deinde, Hardingus affirmat (& solus quidem affirmat, nemo enim idipsum vnquam præter Hardingum affirmauit) Episcopo atque Presbytero vt clara voce pronunciarent ideo fuisse præceptum ne populus fortè tempus ipsum præuerteret,& intempestiuè responderet, *Amen,* priusquam consecratum esset sacramentum. Atque hoc nimirum sic accipiendum est, quasi grauissimum,& prudētissimum,& orbis imperatore dignissimum consilium. Sed ô incredibiles vanorum hominum ineptias! Ad quæ enim verba responderit populus *Amen,* qui nullam precationum partem exaudiuerit? Quíue, id quod est à sacerdote pronunciatum confirmarit, atque comprobarit, qui ne verbum quidem vllum à sacerdote editum intellexerit? Enimuero non tam præproperam populi responsionem timuisse Iustinianus videtur, quàm planè secum statuisse, ni sacerdotis exaudiretur oratio, nihil omnino esse posse, quod populus responderet. Eo enim adducit hæc Pauli verba: *Qui implet locū Idiotæ quo modo respondebit Amen ad tuam gratiarum actionem? Nam quid dicas nescit.*

1. Cor. 14.

Postremò hanc imperatoris Iustiniani sanctionem ad Græcam duntaxat, non ad Romanam pertinuisse Ecclesiam contendit, *eámque insuper aliò esse à nouis hisce magistris falso detortam* scribit. Hæc Hardingus sua solummodo, nec vlla alia, aut vetusta, aut noua confisus authoritate ponit. Forsan persuasum esse nobis cupit Constantinum Imperatorem, quemadmodum illa puerilis fictæ Donationis suæ fabula narrat, vniuersam orbis Occidentalis administrationem Papæ detulisse: nec Iustiniano proinde quicquam in Ecclesia Romana moliri licuisse. Verùm ipse Iustinianus contrà, atque Hardingus commentatur, sua decreta generatim ab omnibus in toto terrarum orbe capessi iubet atque seruari. Sic namque scribit: *Visum est præsentem legem omni terrarum orbi ponendam, nullis locorum vel temporum angustiis coarctandam.* Atque legem Ecclesiasticam his verbis sancit: *Et hoc non solùm in veteri Roma, vel in hac Regia ciuitate, sed in omni terra vbicunque Christianorum nomen colitur, obtinere sancimus.* Præterea Eusebius Constantini Imperatoris de celebranda die Dominica edictum commemorat huiusmodi: *Eo die iussit non modò Græcos, sed gentes etiam cæteras omnes, quæ Romanorum imperio subiectæ fuerunt à laboribus corporeis cessare.* De rebus autem iis, quæ ciuitatem Constantinopolitanam nominatim attingebant, in eadem constitutione, quam hîc Hardingus meminit, sic habet: *Quæ ad Ecclesiam huius regiæ ciuitatis Constantinopolitanæ pertinebant, ea sumus particulari lege complexi.* Tamen Hardingus iure quodam suo affirmat *Imperatoris eam non fuisse mentem, vt ista lex Romanam Ecclesiam astringeret,* nósque ei vel verbo dicenti fidem adhibeamus necesse est, ipse licèt imperator contrarium palàm testetur.

Donatio Constantini in 1. tomo. Concil.

Cod. de iudiciis cap. properandum. Cod. de episc. & Cleri. ca. generaliter. Euseb. in vita Cōstantini oratione 4. πᾶσι τοῖς ὑπὸ τὴν τῶν ῥωμαίων ἀρχὴν πολιτευομένοις Ταῦτα εἰδικῶς ὁμοῦ περιελάβομεν.

Quorsum autem Latinam Hardingus Ecclesiam in hac causa voluit exceptam? Nónne Mediolani Ambrosius, Romæ Clemens,& Leo, Latinarum omnes Ecclesiarum Episcopi fuerunt? Annon autem Hardingus ipse horum trium quemque consecrationis verba apertè pronunciasse, non tacitè susurrasse,& hanc insuper Apostolicam fuisse traditionem scribit? Quid itaque Romanam Ecclesiam Hardingus tam ineptè secernit, quasi ei fuisset nominatim cautum, vt Apostolorum violare traditiones impunè posset? Equidem Clemens Alexandrinus, Apostolorum omnium tam in Occidentali, quàm in Orientali Ecclesia vnam fuisse & doctrinam,& traditionem testatur. Itaque sibi Hardingus confessione sua & Apostolorum traditionem,& priscos doctores, Ambrosium, Clemētem, Leonem,& Ecclesias Dei tum Græcas, tum Latinas contrarias atque aduersarias inuenit.

Hardingus sibi ipsi contrarius Clemens Stron. lib. 7.

Hardingus. 4. Sectio.

IAm verò in Ecclesia Occidentali, id est, Latina cùm populus abundè edoctus fuerit fidem de corpore & sanguine Domini in sacramento, consentaneum visum est [a] patribus, vt consecrationis verba à sacerdote tacitè potiùs,& silentio, quàm clara voce pronunciarentur. In quo quidem singularem dignitatis summi illius mysterij rationem habuerunt. Atque sanè hinc animaduerterunt, quemadmodū scribit Basilius, Apostolos

a Falsum: nihil enim patres huiuscemodi sanxerunt.

&

& patres,qui initiò Ecclesiasticas leges sanxerunt, mysteriorum existimationem illibatam conseruasse, dum ea occultarent,& celarent. Non enim est*(inquit)*omnino mysterium, quod ad aures populares profertur:*de quo priùs verissimè scripsit:* Ei quod publicatum est, & per se apprehendi potest imminere contemptum: ei verò, quod remotum est ac rarum, etiam naturaliter quodammodo esse coniunctam admirationem.*Atque hoc est,quod Christus prohibuit,ne Margaritæ porcis proijcerentur.*

Hæc Basilii verba ad sacramētum minimè referuntur.

Episcopus Sarisburiensis.

EST profectò certissimum,eóque magis miserandum,quemadmodum nunc res it in Ecclesia Romana,populum sacramenti neque ὀσίαν,neque sententiam,neque vsum, neque effectum, neque finem,neque consecrationem,neque verbum vllum, quod eò pertineat,intelligere. Nihil audit,nihil videt,nihil intelligit,nihil discit:Papa, Cardinales, Episcopi,sacerdotes eum nihil docent. Firmissimum ipsorum religionis præsidium atque propugnaculum,in populi cæca ignorantia constitutum esse du.unt:Hardingus & hîc,& antè vniuersum populum porcos appellat,tanquam bellua esset sensus & rationis expers,quæ nihil iudicare,nihil percipere posset. Non tamen erubuit affirmare populum Ecclesiæ Latinæ luculenter edoctum esse, quid de sacramento sentire debeat, & multò quidem, vt videtur luculentiùs, quàm vnquam in Ecclesia primitiua aut veterum doctissimorum patrum memoria.Ignorantia nimirum facilè addiscitur, & nihil scire statim docetur. Doctrina verò,de qua loquitur, Transsubstantiatione,& Reali præsentia, aliisque ad eandem causam pertinentibus institutis continetur,quæ pius populus priscis temporibus nunquam didicit. Quanquam vt populus omnia perfectè teneret,omniúmque mysteriorum sensum perciperet, num hinc Hardingus efficeret,proinde minime oportere verba consecrationis audire? Hæccine est Dialectica Louaniensis?Quis eum docuit huiusmodi syllogismum contexere? Qua in figura,quo in modo concluditur?Quo pacto huius rationis consequentia deuincitur?

Articul.15. Sect.7.

Quod autem adiungit,huius rei gratia patribus visum esse consentaneum,vt verba consecrationis silentio recitarentur,hoc quidem neque satis luculentè dicitur,& est omnino falsissimum,vt optimè deplorato ipsius syllogismo conueniat.Quinam enim isti patres extiterunt? quibus nominibus appellati fuerunt?vbi vixerunt?in quo Concilio,in qua regione conuenerunt? Per quidem hoc mirum videri possit tantos patres,qui & Apostolorum traditionem,& vniuersum Ecclesiæ statum immutare potuerunt,nulli vnquam,præterquam vni Hardingo, cognitos fuisse.Basilium autem, cuius ad hanc defensionem nomine vehementer abutitur, vel de sacramento, vel de verbis iis, quibus consecratio perficitur,nullam facere mentionem constat. Atque hoc loco, Christiane Lector, animaduerte,obsecro,Hardingi summam siue cautionem,siue constantiam.Quo recens institutum latinæ Ecclesiæ morem confirmet,exempla nobis Ecclesiæ Græcæ proponit,quóque tacitam suam consecrationem euincat, Basilij testimonium repetit, qui eandem semper vel ipso confitente alta claráque voce pronunciauit, silentio nunquam confecit. Næ illum patrum antiquorum nomina tam inconsideratè venditare,támque nullam sui lectoris rationem habere non oportuit. Verissimè quidem Basilius scribit,*Quod tritum est,plerumque contemni solere*:eámque ob causam consecrationis verba silentio pronunciari fuisse iussa scribit Innocentius Papa,*ne sacrosancta verba vilescerent.* Perinde etiam est,quod Ioannes Billettus suspicatur.Thomas Aquinas oblationem, & consecrationem duntaxat ad sacerdotem pertinere scribit, ideóque verba tacitè percurri debere, quandoquidem ea nihil ad plebem spectant.Verùm si ita plebs sit natura comparata, vt quanto quódque minùs audierit,atq; intellexerit,tantò magis suspexerit,& in admiratione habuerit, esset tum meo iudicio illi consultissimum,vt nunquam vel verba baptismatis,vel vllam Euangelij partem, vel orationem Dominicam,vel Dei Christíue nomen,vel ipsam adeo Missam audiret. Quemadmodū autem nunc populi obstruuntur aures,ne verba exaudire possint,quibus sacramentū perficitur,ita rationi & prudentiæ consentaneum videatur,vt oculi etiam præcludantur, ne sacramentū aspiciant. Etenim ex aspectu non minùs,aut etiam magis, quàm ex auditu nasci solet contemptus. Hardingi enim iudicio atque opinione hæ mirificæ sunt rei ipsius apud populū reuerentiæ conciliandæ & pietatis augendæ occasiones. Sed & hæc superstitiosa est populi reuerentia, & hic perturbatus Dei cultus.Dei populus non sacramentis, sed sacramenta populo inseruire debent. Verùm hæc Satanæ strategemata sunt,atquetechnæ,quibus imperitæ multitudini persuadere conatur, illā sacramenta religiosissimè uereri,nec interim tamen quicquam aut de sensu,aut de vsu sacramentorum percipere.Lactantius habet:*Hinc fida silentia instituta sunt ab hominibus callidis, vt nesciret populus, quid coleret.*

Basilius de spiritu sancto cap. 17.
Τῷ περιειλημμένῳ πρὸ χειρος ἡ καλα φρόνησις
Innocentius de sacro Altaris myst.lib.3.ca.1.
Io. Billet de diuinis officiis
Thomas par.3. quæ.183.

Lactan. lib. 5. cap.20.

Hardingus. 5. Sectio.

SI in vetere lege sacerdotes designarentur,(quemadmodum scribit Ambrosius) qui arcam testamenti tegerent,quia minimè liceret cuiuis homini mysteria abditissima intueri:Si filij Caath, Dei iussu Arcam, cæteráque Tabernaculi sacra instrumenta soli suis humeris gestarent, quandocunque Israelitæ castra mouerent in deserto,velis,& cadurcis, & pallis inuoluta,& tectè à sacerdotibus implicata, nec ea vnquam vel tangere,vel videre,nisi certo interitu possent, quæ tantùm huius mysterij figuræ fuerunt: quanto magis hoc summum & augustissimum mysterium cauto & religioso silentio colendum sit?

Episcopus Sarisburiensis.

HOc in loco sic videtur Hardingus argumentationem instituere: *In vetere Testamento, cuiuis è plebe Dei arcam,quæque in ea inerant,inspicere minimè licuit:Ergo sacerdotis officiū est verba conse-*

crationis silentio sibi, & tacitè susurrare. Hæc inepta ratio concluditur à Mose ad Christum, à vetere testamento ad nouum, à visione ad auditionem, denique ab aliquo ad nihil, eóque solummodo spectat, vt veteres Ecclesiæ doctores redarguat: qui, quemadmodum Hardingus ipse nouit, & iam etiam quadam ex parte ingenuè est confessus, ea verba silentio nunquam pronunciarunt, nec hisce excitandæ amplificandæque reuerentiæ artibus vsi sunt. Verùm Hardingus vt simplicem Lectorem faciliùs longo spacio seduceret, duorum veterum patrum nomina callidè inuexit, Ambrosij, atque Origenis, quò ipsius disputatio, illorum esse videretur. Ita nempe pictis eloquentiæ suæ integumẽtis non ille quidem arcam Dei, sed multas pro more suo falsitates inuoluit.

Hardingus. 6. Sectio.

Hanc ob causam, quemadmodum referunt, inquit Carolus Magnus ille nobilissimus, & sanctissimus, & doctissimus imperator, scribens ad magistrum suum Alcuinum nostrum conterraneum, & primum philosophiæ Parisiis magistrum, more receptum est in Ecclesia, vt Canon, & consecratio à sacerdote silentio recitarentur, ne illa tam sancta, & tanti mysterij propria verba vilescerent, dum ea ferè quisque communi consuetudine trita in viis, in plateis, atque in aliis locis, in quibus minimè deceret, decantaret. Vnde fertur, anteaquam hæc inualuisset consuetudo, pastores qui in agris eadem vsurparent, diuina manu percussos fuisse. Lutherus ipse in præceptorio *suo in eos acriter inuehitur, qui Missæ canonem, alta voce ideo pronunciandum esse contendunt, quò meliùs intelligi possit.*

Episcopus Sarisburiensis.

EQuidem Hardingum verarum authoritatum vehementer inopem esse video, qui nunc contra Apostolorum traditionem nugis atque fabulis contendat, & talibus etiam fabulis, quales integras, vt res gesta esse fingitur, narrare vel puduit. Quanquam nihil alienum occurrit, quod lectorem quoquo modo percellere posse videatur. Huic nimirum tecto hæc conueniunt fundamenta. Fabulam hanc inter alias multas sic Innocentius & Durandus referunt. Pastores quidam consecrationis verba crebra auditione edocti, eadem in agro ipsi de pane in lapidem posito vsurpare cœperunt. Repentè panis caro extitit: Miseri homines obstupuerunt: Deus grauiter commotus est: ignis de cœlo decidit, illósque absumpsit: nullus tantæ cladis relictus est nuncius. Hinc Hardingus hanc legem perlatam esse scribit. Itaque vt huius narrationis probabilitatem paucis excutiamus, sic illi statuunt, vel sacerdotem quidem ipsum, quantumuis alioqui sanctum, nisi & altare, & superaltare, & calicem, & corporale, & candelas, & vestimenta, & cætera omnia necessaria supplementa adhibuerit, nisi panem fixo obtutu inspexerit, nisi integra quinque verba vno spiritu pronunciauerit, nisi mẽtem etiam voluntatémque consecrandi singularem attulerit, frustra laborem insumere, nec quicquam omnino consecrare. Isti tamen perditissimi pastores, qui neque sacerdotes, quod quisquam sciat, fuerunt, & altari, superaltari, vestimentísque caruerunt, quíque nec cautionum istarum peritiam, nec animũ consecrãdi habuerunt, subitò atque nec opinantes consecrarũt. Ex hoc itaque licèt animaduertere faciliorem esse pastori, quàm sacerdoti cõsecrationem. Verùm hisce omnibus pastoribus in eodem loco, in quo constiterunt, deletis, nec vllo, qui casum nunciaret, relicto superstite, debuit nos Hardingus facere certiores, quis eam pastorum calamitatem vel Angelus, vel Archangelus, vel quod oraculum euulgarit, & in lucem eduxerit. Libenter etiam audierit Lector, quo in regno, qua in regione, quo rege, quo Papa ista acciderint, cuius Chronici, cuius historiæ monumentis mandata fuerint: Cæteroquin Hardingum ea in pastoris calendario reperisse existimarit. Quod autem ad hoc nouum de silentio decretum attinet, oportuit quidem Hardingum apertè nobis indicare in quo Concilio, in qua Synodo, in quo conuentu, in qua Diæta, in qua patria, in quo tempore factum fuerit. Quis tum legatus, quis Referendarius, quis Præses, quis præsens fuerit: si nihil horum explicare possit, inepta videbitur, & pastoritiæ fabulæ similis narratio.

Hinc tamen Hardingus duo doceri potuit: Primùm ante temerarium hoc inauditorum pastorum facinus consecrationem vbique palam fuisse pronunciatam: Deinde vernacula cuiusque regionis lingua editam, quam pastores & discere, & intelligere potuerunt, nisi illos forsan Hardingus aut Græcos, aut Latinos fuisse pastores contenderit.

Hardingus. 7. Sectio.

Patres Ecclesiæ primitiuæ hoc sacramentum tanto in honore habuerunt, itáque sunt venerati, vt quosdam etiam fideles eiusdem celebrationi interesse minimè paterentur, indignos eos iudicantes, non modò qui mystica consecrationis verba pronunciata audirent, sed etiam, qui vel formas externorum elementorum viderent, atque in Ecclesia remanerent, dum illud sanctissimum sacrificium offerretur. Hi autem fuerũt, Catechumeni, Energumeni, Pœnitentes. *Primi fuerunt religionis nostræ auditores, qui vt quotidie instituti sunt, in Christum crediderunt, atque quemadmodum Augustinus scribit, Christi crucem in frontibus gestarunt, eáque se signarunt.* (Tractat. in Ioan. 11.) *Secundi fuerunt ij, qui, quanquam baptizati fuissent, tamen propter mentis suæ inconstantiam immundis spiritibus vexabantur. Tertij fuerunt, qui propter commissa scelera publicæ pœnitentiæ nondum satisfecissent. Hi omnes initiò ab ecclesiæ rectoribus indigni iudicati sunt, qui hisce sacris mysterijs interessent. Iam verò, si hæc summa sacrarum rerũ reuerẽtia in illis hominibus meritò laudata fuit: vt cuiuis homini permittatur, non modò adesse atque spectare, sed etiam audire atq; intelligere verba consecrationis (a quæ semper vsque adeo fuit silẽtio culta) viris sapiẽtibus & piis minimè potest videri laudabile,* (a Falsum: Etenim contrariũ liquidò cõstat.)

præser-

præsertim hac ætate, in qua sacra & Christiana ecclesiæ disciplina dissoluta & penitus discussa est, neque discrimen vllũ ratióque statuitur inter perfectos piósque homines, & eos, qui pœnitentiam publicam agere merentur, qui à dæmonibus obsidentur, quíque propter atrocia flagitia, quæ commiserunt, infames habentur.

Episcopus Sarisburiensis.

QVem huic duntaxat sacramento delatum fuisse cultum fingit Hardingus, is Baptismatis etiam sacramento fuit æqualiter tributus. Catechumeni autem non minus fuerunt ab huius, quàm ab illius aspectu prohibiti. In Concilio Arausicano sic habetur: *Catechumini ad Baptisterium nunquam admittendi sunt.* Chrysostomus de verbis Baptismatis sic habet: *Verba Dei quæ norunt fideles in aquæ lauacro per sacerdotem pronunciata, tanquam in vtero quodam formant ac regenerant eum, qui baptizatur,* Rursum habet: *Cupiam sanè clarè proferre verba, si per profanos illos liceret, nam hi difficiliorem nobis interpretationem reddunt. Cogunt enim aut non clarè dicere nos, aut mysteria vulgare.* Similiter Cyrillus: *Dicerem de Baptismo alia, nisi vererer non initiatorum aures.* Perinde dixit Augustinus: *Opera nostra bona vident etiam Pagani: sacramenta verò nostra occultantur illis.* Idem affirmare liceat cùm de publicis solennibúsque precibus, tum de scripturarum scientia. Chrysostomus habet: *Quid hac sit oratione potentius? & Catechumenis, hoc quidem nondum permissum est, quoniam nondum ad hanc peruenere fiduciam. Vobis autem,* qui baptizati estis, *& pro terrarum orbe, & pro ecclesia iubetur orationes emittete.* Itaque quemadmodũ Catechumenis propter mysterij reuerentiam, sacramenti corporis Dominici procurationi interesse minimè concessum fuit, ita propter hanc ipsam reuerentiam neque in sacramento Baptismi, neque in publicis ecclesiæ precibus esse præsentibus licuit.

Conci. Arausicanum ca. 19. Chrys. in epist. ad Gala. ca. 4. Chryso. in. 1. ad Corint ho. 40. Cyril. contra Iulian. lib. 7. Augustin. in Psal. 104. Chrysost. ad popul. Antio. homi. 9.

Nunc verò Hardingi rationes excutiamus: *Vetere memoria (*inquit*) Catechumenis, qui nouitij in fide, nec dum baptizati fuerunt, & Apostatis, & ecstaticis, & prophanis hominibus nefas fuit sacris interesse mysterijs: Ergo, nunc ne pijs quidem licet verba consecrationis audire.* Quis, nisi Hardingus, huiusmodi Dialectica vteretur? Atque istuc tamen sapientibus, piisque viris sufficere oportere iudicat. In cæteris Hardingus, quasi qui Romam vsq; profectus, episcopos & Cardinales belli administratores viderit, pueros in summis ecclesiæ honoribus, atque gradibus constitutos: lupanaria tanti elocata: tot Cortegianarum millia in tanto honore habita: Sacerdotes tam licètet permissos alere concubinas: ecclesiam Dei conuersam in latronum cauernam: tantam in Clero, tantam in populo corruptelam, tam exiguam vxoris & scorti, honesti atque inhonesti, pij ac impij discrimen, &, vt Bernardus scribit, *Seruos Christi, inseruientes Antichristo:* atque hæc omnia impunè admissa, vnicè approbata, & Catholica habita: qui sic (inquam) Dei ecclesiam Romæ acceptam viderit, meritò contaminatam vitam, disciplinámque dissolutam deplorauerit. Quanquam ex his non facilè concluserit, nemini proinde licitum esse verba consecrationis exaudire. Fœneratoribus quidem, & furibus, & meretricibus, & homicidis, & proditoribus, & cæteris eiusmodi nefariis hominibus Missę procurandæ interesse liberum semper licitúmque fuit.

Hardingus. 8. Sectio.

ANtiquitus quidem cùm populum fidelem salubris disciplina in officio & obedientia, contineret, illa etiam oratio, quæ super hostia ante consecrationem fiebat [a] *secretò & silentio recitata fuit, ideóque à Latinis* Secreta, *à Græcis* Mystica oratio *dicta est, vnde ostenditur eam apertè pronuntiari, ac vulgari minimè oportere.*

a Falsum: Ea enim secreta oratio aperte pronunciabatur, vt planum faciam.

Episcopus Sarisburiensis.

NVnc à melioribus Hardingus argumentis desertus sibi iure suo assumit priscis tẽporibus precationem illam, quæ consecrationem antecessit, fuisse tacita, & submissa voce peroratam. Coniecturam autem ex vocabulo, *Secreta*, petit, quod in Missali solummodo reperitur, à vetustis verò Catholicísque patribus nunquam vsurpatur. Neque tamen eam occultam atque secretam ratione arguit, quam Hardingus fingit Gerardus Lorichius ad hunc modum scribit: *Non arbitrandum est, orationem eam dici secretam, quasi non liceat laicis illam vel nosse vel audire: sed quod iuxta atque canon non cantetur voce altiori.* Quare hanc causam Hardingus duobus falsis conclusit.

Gerard. Lorichius. lib. 2.

Iam itaque quanquam noua hæc mutáque ceremonia in Romana duntaxat ecclesia, nec vspiã alibi obtinuit, eáque non ab initio, sed tantùm ad certum tempus valuit, atque iccirco planè particularis, nedum vniuersalis aut Catholica censeri debet: omníque etiam vel scripturarum, vel veterum Conciliorum, vel priscorum patrum, vel cuiusquam omnino vetustatis fuco caret, eam tamen Hardingus se posse, vt cætera, contra Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum, Leonem, Clementem suum, vniuersam ecclesiam primitiuam, Latinam pariter, & Græcam, contra denique Apostolorum decreta, ac traditiones, suámque ipsius scientiam, ne dicam conscientiam, defendere arbitratur.

FINIS.

DE SACRIFICIO

ARTICVLVS DECIMVSSEPTIMVS.

Episcopus Sarisburiensis.

VEl Sacerdotem Christi Deo patri in sacrificium offerendi potestatem habuisse.

Hardingus. 1. Sectio.

Triplex oblatio Christi.

Agnus occisus ab origine mūdi.

Apoc. 13. Hebr. 10. Lib. 6. c. 5.

Hunc locum Augustini Hardingus de industria truncauit, quemadmodum docebo.

De fide ad Pet. Diaco num. c. 16.

CHRISTVS *patri suo offertur tribus modis: Typicè: Verè, id est, cùm sanguinis effusione: & Sacramentaliter, seu mysticè. Typicè, vel significatiuè offerebatur in sacrificiis, quæ Deo tum sub lege naturæ, tum post legem scriptam fiebat. Et proinde D. Ioannes Christum vocat* agnum ab origine mundi occisum, *nempe per figuram. Abeli, Nohæ, & Abrahæ, cæteraq́ populi Israëlitici sacrificia, quæ Mosaica lege imperabantur, Christum adumbrabant ac significabant. Cuius imprimis rei gratia lex à diuo Paulo, umbram bonorum futurorum obtinere prædicatur. Augustinus contra Faustum Manichæum habet:* Testamenti veteris sacrificia omnia, multis & varijs modis vnum sacrificium, cuius nunc memoriam celebramus, significauerunt. *Et alio in loco dicit, in illis carnalibus sacrificijs significationem fuisse carnis Christi, quam pro peccatis immolaturus, & sanguinis eius, quem in peccatorum nostrorum remissionem effusurus erat.*

Tit. 2. Ephe. 5.

Verè autem, & cum sanguinis effusione Christus in cruce fuit sua ipse persona oblatus: vnde Paulus ait, Christus semet ipsum pro nobis tradidit, vt nos ab omni iniquitate redimeret. Et iterum, Christus dilexit nos, & tradidit seipsum pro nobis in oblationem, & sacrificium Deo in suauem odorem.

Christus oblatus, sed non respectu modi oblationis.

Sacramentaliter verò, seu in mysterio Christus patri suo offertur in quotidiano ecclesiæ sacrificio sub panis ac vini formis, verè atque reipsa, non respectu modi oblationis, sed veri corporis sanguinisque sui ratione, realiter hoc est, reuera præsens, sicuti luculenter in superioribus demonstrauimus.

Episcopus Sarisburiensis.

Hebræ. 5.

Theophyla. in Matth. cap. 21.

QVANTO est ea res sublimior, atque excellentior, quàm aduersarij nostri finxerunt, nimirum vt homo quisquam mortalis ac planè miser, immortalem Dei filium patri in sacrificium offerret, idque reipsa & reuera, tantò magis vel disertis verbis, vel necessaria saltem argumentatione apertè & dilucidè confirmari debuit. Nemo enim honorem sibi aut munus aliquod assumit, nisi qui à Deo euocatus, atque ad illud designatus fuerit: at quantū ex vlla vel Noui, vel veteris Testamenti clausula, ac sententia constare videatur, Deus nullum vnquam istiusmodi sacrificium à mortali quoquam homine procurandum instituit. Theophylactus autem ait: *Iesus eijciendo boues & columbas, præsignauit nō vltra opus esse animalium sacrificio, sed oratione.*

Quanquam veteres doctissimi patres, sicuti istis vocabulis, *Sabbati, Parasceues, Paschatis, Pentecostes*, aliisque nonnullis à vetere lege traductis desumptísque nominibus plurimùm sæpe delectati sunt, etiamsi eorum vsus atque ceremonia obsoluerat iam & euanuerat, ita nonnunquam his quoque vocibus libenter vsi sunt, nempe, *Sacerdotis, Altaris, Sacrificij*, licèt ea pristinam vim atque significationem amisissent: quod sanè non alia de causa ab illis factitatum est, quàm quòd ea Iudæorum simul, & Ethnicorum hominem diuturno vsu atque sermone trita fuissent.

Pachymer. pag. 401. καὶ ἡ συνήθεια ἐκράτησε. Rom. 15. Orige. in epist. ad Rom. li. 10. Nazia. in Oratione ad Plebē Chrys. in epist. ad Ro. ho 29.

Propterea Pachymeres Paraphrastes in suis in Dionysium scholiis habet: *Presbyterum appellat Sacerdotem, vt etiam in cœlesti Hierarchia, idque vsus iam obtinuit.* Eadem sententia Paulus de se loquutus est: *Sacrifico Euangelium Dei.* Et Origenes habet: *Sacrificale opus est annunciare Euangelium.* Ita quoque insignis ille episcopus Nazianzenus ad suos dicit, *Hostiam vos ipsos obtuli.* Idem Chrysostomus inquit: *Ipsum mihi Sacerdotium est prædicare & Euangelizare. Hanc offero oblationem.* Ita sancti patres ad Mosaicæ legis ritus atque ceremonias intuentes, Euangelij præconiū sacrificij nomine appellarunt: etsi reuera pro sacrificio minimè haberi debet.

Nunc ad Hardingi verba veniamus: *Tribus modis* (inquit) *Christus patri suo offertur: Typicè, quemadmodū in vetere lege: Verè, & cum effusione sanguinis, vt in cruce: Sacramentaliter & mysticè, sicuti in Nouo Testamento.* Quorum certè modorū illa sanguinaria Christus oblatio in cruce peracta verū est atque vnicum sacrificium pro mundi peccatis propitiatorium: cæteri duo cum respectu quodam, & significandi modo aliquo discrepant, ītū re atque substantia ijdē prorsus sunt. Nam vt in veteris legis sacramētis futura Christi mors declarata fuit, sic in nouæ legis, hoc est, Euangelj sacramentis,

eadem Christi mors iam antè oppetita demonstratur. Sicut nos mysteria habemus, sic illi quoque habuerunt: sicut nos Christum immolamus, sic illi Christum immolauerunt: sicut nobis agnus Dei occisus est, sic illis etiam fuerat.

Augustinus habet: *Tunc Christus venturus, modò Christus venit: venturus, & venit, diuersa verba sunt, sed idem Christus.* Alibi etiam in simili legis à Mose latæ, & Euangelij à Christo promulgati collatione hæc verba habet: *Videte, fide manente signa variata. In signis diuersis eadem fides.*

August. de vtilitate pœnite. Augu. in Ioan. tract. 26.

Cæterùm hîc Hardingus Augustinum insigni, & manifesta iniuria afficit, quando ipsius de industria celat & occultat verba, eique in medio sermone silentium minùs modestè imperat: in quo nonnullam doli fraudísque suspicionem ostendit. Augustini verba de omni ista re sic habent: *In illis carnalibus victimis figuratio fuit carnis Christi, quam pro nobis fuerat oblaturus, & sanguinis quem erat effusurus in remissionem peccatorum: in isto autem sacrificio gratiarum actio est, & commemoratio carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & sanguinis, quem pro nobis idem Deus effudit. In illis sacrificijs quid nobis esset donandum figuratè significabatur: in hoc autem sacrificio quid nobis sit iam donatum euidenter ostenditur. In illis sacrificijs pronunciabatur filius Dei pro impiis occidendus: in hoc autem pro impiis annuntiatur occisus.* Iterum etiam ait: *Huius sacrificij caro & sanguis ante aduentum Christi per victimas similitudinum promittebatur: in passione per ipsam veritatem reddebatur: post ascensum verò Christi per sacramentum memoriæ celebratur.* Hoc illud est inter veteris nouæque legis sacramenta discrimen ab Augustino obseruatum. Proinde quæ Hardingus istis adiunxit, *Christum patri suo offerri sub panis & vini formis, idq; verè & reipsa,* sua sunt ipsius verba per summam audaciam assumpta, nunquam vel ab Augustino, vel ab alio quopiam antiquo & pio patre vsurpata.

August. de fide ad Petrũ Diaconum. ca. 19.

August. contra Faustum. li. 20. cap. 21.

Quòd autem insuper addit, *Christum reuera à sacerdote offerri, quanquam* (vt inquit) *non respectu modi oblationis, sed tantùm respectu præsentiæ corporis,* aut ipse profectò ignorat, quid sibi velit, aut inani quadam obtenta obscurorum & ineptorum vocabulorum distinctione, lectorum oculis caliginem offundere conatur. Cuiusmodi enim est hoc commentum, *Christum reuera & reipsa offerri, non tamen, si oblationis modum spectes.* Quem tu mihi respectum, quem modum dicis? aut cur ista tam cæca nobis mysteria obtrudis, absque glossa? Quis doctor, quis pater ex vniuersa antiquitate, nos ad hunc modum loqui docuit? Equidem cùm dicit, *Christum realiter fuisse oblatum, non tamen, si modum offerendi respicias:* perinde ei quoque affirmare liceat Christum in cruce mortem oppetiisse, non tamen quoad modum moriendi. Si ei integrum erit huiusmodi modos atque respectus comminisci, è Christiana religione quiduis confingere licebit.

Quòd si fortè istis Concilij Niceni verbis *(Sine sacrificio oblatus)* quasi fuco quodam causam nonnihil oblinere posse se confidat, hanc illius inanem fore spem præmoneo atque prædico. Etenim sanctissimi illius Concilij patres, neque Christum realiter à Sacerdote oblatum esse dicunt, neque nouos hos & peregrinos respectus ac modos offerendi agnoscunt. Cùm eo autem, quod suprà ex Augustino adduximus, planè consentiunt: *In hoc sacrificio mors Christi per sacramentum memoriæ celebratur:* & cùm illo Chrysostomi, *Hoc sacrificium exemplar illius est.* Sic Christi mors sub oculis nostris renouatur. Neque tamen Christus verè vel cruci affigitur, vel moritur, vel sanguinem effundit, vel substantia præsens adest, vel reipsa à sacerdote immolatur. Hoc sentit Synodus illa, cùm diceret, Christũ ἀθύτως, hoc est, *sine sacrificio offerri.* Sic Augustin⁹ ait: *Quod ab omnibus appellatur sacrificiũ, signũ est veri sacrificij.* Rursum ait: *Vocatur ipsa immolatio, quæ sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, non rei veritate, sed significante mysterio.* Quod etiam Hardingus præterea affirmat, *Christum offerri respectu tantùm præsentiæ corporis sui:* neque vt realem præsentiam daremus, ex eo sacrificium euincitur: Christus enim præsens in matris vtero, & in præsepi reipsa fuit, in quibus tamen locis sacrificij rationem minimè habuit: neque hactenus realem suam illam præsentiam comprobauit.

Concil. Nicen. Ἀθύτως θυόμενος.

Contra Faust. lib. 20. cap. 21. Chrysost. in epist. ad Hebr. hom. 17.

August. de ciuitate Dei. lib. 10. cap. 5. De conse. dist. 2. Hoc est.

Hardingus. 2. Sectio.

DVos illos priores offerendi Christi modos aduersarij nostri agnoscunt & fatentur, tertium verò negant. Atque ita Ecclesiam maximo thesauro, quem vel habet, vel habere potest, spoliant, nimirum corpore & sanguine Christi seruatoris semel in cruce, in qua acerbissimas pœnas pro nostra redemptione luit, & nunc etiam quotidie in sacramento per commemorationem oblato. Cuius sanè rei tot nobis suppetunt probationes, quot nullius præterea Christianæ religionis articuli, in quo plus copia distrahor, quàm inopia constringor, neque tam mihi dubium est quid relinquam, quàm quid sumam. Quocirca, cùm prudenti lectori operam me probaturum existimem, si in locorum potiùs delectu iudicium ostendam, quàm in enumeratione multam lectionem prodam, quantumuis importuna & insolentissima Iuelli proclamatione sim prouocatus: breuis esse in hac parte constitui, & multo breuior quàm res tam ampla postulat, & pauca eiusmodi testimonia in confirmationem adducam (pauca autem dico tantæ multitudinis respectu, quantam proferre potui) quæ meritò debent ab omnibus grauissima & fide dignissima iudicari.

Episcopus Sarisburiensis.

QVòd ad corporis Christi immolationem attinet, nos tantum credimus & confitemur, quantum in scripturis Spiritus sanctus nobis enarrauit. In eo autem, quod Hardingus ait, Christi corpus Deo patri à sacerdote offerri, in memoriam eius corporis, quod

Christus in cruce obtulit, parum videtur leuitatem, atque futilitatem orationis suæ attendere. Omnibus enim omnino mortalibus non modò Christianis, sed Iudæis quoque, & Turcis, atque Saracenis constat, Christum fuisse cruci suffixum: quòd autem ab homine mortali in sacrificium offeratur occultè, &, vt ipsi loquuntur, sub panis & vini formis, idque reuera ac reipsa, adeo à communi Christianæ cognitionis iudicio abhorret, vt eruditissimi & sapientissimi veteribus doctrina præcellentibus Christianis patribus eam nunquam animo concipere potuissent.

Quamobrem est hoc quidem non solùm rei cognitæ confirmationem ex incognita, certissimæ ex incerta petere, sed etiam veritatem haud obscuram ex manifesta falsitate concludere.

Esai. 53. 1. Pet. 2. Hebr. 9. Actor. 4.

Neque verò nos Dei ecclesiam illo cœlesti & solatij plenissimo corporis Christi sacrificio spoliamus, sed errores aperimus atque edimus, quibus nonnulli his posterioribus seculis ecclesiæ Dei scientes imposuerunt. Nos nouimus Christi corpus pro peccatis nostris fuisse laceratum, & nos illius vulneribus sanatos esse: Christum corpore suo nostra tulisse peccata in ligno, & oblatione semel facta in cruce, nos in perpetuum sanctificasse, & æternam nobis redemptionem comparasse: neque aliud esse nomen seu sacrificium sub cœlo, in quo seruari possimus, nisi in nomine, & sacrificio Iesu Christi. Qui sic ecclesiam docet, ne ego illum ecclesiam sacrificio priuare haud puto.

Quòd ad authoritatum multitudinem spectat, qua se tantopere conflictari dicit Hardingus, quantò est ipsi vberior copia, tantò magis sapientibus debet suam in delectu prudentiam & iudicium probare. Etenim in deligendis testimoniis imprudens cēsebitur, si ea frustra recitauerit. Hoc est quod ille in se probandum recepit, sacerdoti mandatum esse, vt Christum Dei filium patri suo immolet. Hoc si ille nunquam attingat, sed ad res ab ista causa disiunctas, & prorsus alienas, vt hactenus consueuit, discurrat ac profusè vagetur, tum negare non potest, quin suam ipse penuriam prodat, & summam illam, quam iactat, copiam suspectam reddat. Atque ita ea, quæ illi prolixè oblata fuit conditio, & veritate, & modestia niti videbitur: ostentatio autem illa copiæ magnifica verbis, sed re iners, à sapientibus importuna (vt eius verbis vtar) & insolens iudicabitur.

Hardingus. 3. Sectio.

CVm ipsa scriptura luculentam in sacramenti institutione, in typo Melchisedechi, & in vaticinio Malachiæ prophetæ, confirmationem nobis suppeditet, Christum patri suo à noui Testamenti sacerdotibus offerri: Superuacaneum esset patrum testimonia adhibere, nisi eadem scriptura fuisset præpostera quadam, & falsa aduersariorum nostrorum interpretatione in contrarium sensum detorta, ad horribilem indoctorum hominum fraudem.

Episcopus Sarisburiensis.

Psal. 110. Mala. 1.

HVi, vllúmne est telum tam ineptum ac inutile, quod Hardingus repudiare atq; aspernari velit? Ad comprobandum commentitium illud suum sacrificij genus nobis è mira sua copia desumptum Melchisedechi exemplum, & Malachiæ vaticinium proposuit, acsi ad hunc modum argumentari vellet: *Deus Christo ait, Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedechi:* Aut sic, *Deus per Malachiam prophetam ait, Pura victima offeretur mihi in omni loco: Ergo, sacerdos potestatem habet Christum Deo offerendi.* Incredibili scilicet quadam testimoniorum copia instructum esse necesse est, quando ab istis ordiri voluit. Verùm his adiungit calumniam, *hæc perspicua Scripturæ testimonia præpostera atque falsa aduersariorū interpretatione in contrariam sententiam detorta esse, idque* (vt ait) *ad horribilem indoctæ multitudinis fraudem.* Horribile profectò crimen: quanquam vt illos locos malè à nobis intellectos esse, & nos errasse planè constaret omnibus, minimè tamen debuit Hardingus, nos tam horribili quodam accusandi genere eius facti semel admissi reos egisse, in quo & ipse & eius collegæ toties peccarunt. Sed quibus tandem verbis, qua falsa interpretatione, aut in quam peruersam atque hæreticam sententiam fuerunt à nobis hæ scripturę tam horribiliter coactæ? Hardingus iudicio, eloquentia, diligentia, circunspecta prudentia præcellit: causæ totus addictus est, nihil celat, nihil prætermittit, quod quoquo modo possit ipsius rei inseruire. Si nostra errata tam sint horrenda, non debuit eis pepercisse: si nulla sint, intacta reliquisse oportuit. Si Hardingus in eis conniueat, quis ea videat? Si Hardingus illa nesciat, quis tandem scire possit?

Fortè autem obijciet, vos Malachiæ oraculum nunc de precibus, nunc de Euangelij præconio interpretamini: Ista nunquam fuit Prophetæ sententia: horribilis est hæc scripturarum deprauatio. Sic sanè Hardingus dicet, aut nihil profectò, quod dicat, habet. Quanquam nouit ipse, neque potest, cùm ea sit doctrina, nescius esse istam horum Malachiæ prophetæ verborum interpretationem, non nostram esse, sed ab antiquis & catholicis patribus traditam fuisse.

Tert. contra Iudæos. Tertul. contra Marcion. li. 4. Hiero. in 1. cap. Malachiæ. Euseb. de demonst. lib. 1. τὸ δι εὐχῶν θυμίαμα.

Non ignorat perantiquum patrem Tertullianum sic habere: Pura victima, de qua Malachias meminit, quæque est omni loco offerenda, *Est prædicatio Euangelij vsque ad finem mundi:* Et alibi, *Simplex est oratio de conscientia pura.* Non latet eum eadem verba ab Hieronymo esse eodem modo exposita: *Dicit orationes sanctorum Domino offerendas esse, non in vna orbis prouincia Iudæa, sed in omni loco.* Optimè nouit Eusebium eandem à Malachia memoratam victimam τὸ δι εὐχῶν θυμίαμα appellare, id est, *Precum incensum.* Isto modo sancti catholici patres hunc Malachiæ prophetæ locum enarrarunt, neque tamen eo nomine vel peruersi scripturarum interpretes, vel horribiles populi circunscriptores iudicati sunt. Nunc contrà si vel vnum Hardingus antiquum doctorem

aut

aut patrem proferre velit, qui vel ex Melchisedechi exemplo, vel ex verbis Malachiæ sacerdotem authoritate atque potestate præditum esse filium Dei verè & reipsa patri suo in sacrificium offerendi concludat, fidei forsan inde nonnihil conciliare poterit.

Hardingus. 4. Sectio.

Nam quod sancti Euangelistæ referunt, Christum in vltima cœna panem accepisse, & gratijs actis, fregisse, ac dixisse, Hoc est corpus meum quod pro vobis datur*: Rursum,* Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum*: Ex istis verbis, quæ sunt sacrificandi & offerendi verba, ostendunt & euincunt oblationem re & actu, etiamsi ipsum oblationis, & sacrificij vocabulum non exprimatur. Quanquam aliquibus singulari eruditione viris,* datur, *hoc in loco, nihil aliud valere videtur, quàm* offertur, *seu* immolatur, *præsertim si clausulam illam* pro vobis, *reputemus. Si enim Christus, qui est ipsa veritas, cuiusq; in ore dolus nunquam inuentus est, verum dixit, tum fuit ipsius corpus præsentibus datum, & pro nobis datum eo ipso tempore quo illa verba protulit, hoc est, in cœna. Dixit enim* Datur, *non* Dabitur. *Et similiter* [a] *sanguis eius effusus fuit in remissionem peccatorum, dum illa cœna celebraretur: locus enim habet,* [b] Funditur. *At corporis eius pro nobis distributio, & sanguinis effusio in remissionem peccatorum est eiusdem oblatio: Ergo, Christus suum corpus & sanguinem in cœna obtulit: ita fit, vt* Datur *hic tantundem valeat, atque* Offertur. *Iam ergo cùm certum sit Christum seipsum patri in cœna obtulisse, & Apostolis præcepisse, vt idem ipsi facerent, quod illum facientem vidissent, quos tunc sacerdotes noui Testamenti constituit, dicens,* Hoc facite in meam commemorationem, *sicuti Clemens perspicuè docet,* lib. 8. Apost. Constit. cap. vltimo*: cùmque hoc præceptum non minùs ad sacerdotes, qui nunc sunt Apostolorum hac in parte successores, quàm ad ipsos Apostolos spectet, hinc vtcunque sibi tandem Iuellus contrà persuaserit, & quicquid Diabolus effecerit hactenus, vel per ministros suos docuerit aduersus Missæ sacrificium, sacerdotes potestatem habere Christum patri suo offerendi clarissimè apparet.*

1. Pet. 2.

Verba oblationis sine vocabulis oblationis.

a Falsum: sine sensu & sale. b Ineptum: Veteres enim catholici patres sic interpretantur *Dabitur*, & *Fundetur* in futuro tempore.

Episcopus Sarisburiensis.

Hic nunc Hardingus verborum tempora excutere, syllabas resecare, & literas aucupari incipit, atque ad extremum religionis suæ summum præsidium in coniectura statuit. Hominem aut tanta doctrina præditum argumentis tam indoctis vti voluisse, aut ea testimoniorum copia, qua simulat, abundantem in delectu tam incautum & inconsultum fuisse sanè demiror. Hæc verba, *Datur, funditur, sacrificandi verba esse ait, tametsi ipsa oblationis, & sacrificij vocabula disertè non ponuntur.* Hoc loco Hardingus præter confictã illã, & inauditam interpretationem, quã nemo hactenus intellexit, in quo soliuagus errat, atque ab omnibus priscis patribus disiungitur, ipse secum apertè pugnat. Cùm enim *verbum*, ac *vocabulum*, idem omnino significet, Hardingus Christũ quando cœnam institueret, vsum esse *verbis* sacrificandi, nec tamen sacrificandi *vocabula* expressisse scribit. Ea nimirum istis hominibus facultas iamdudum conceditur, vt ex vocibus commutatis habeant, quo omnibus imponant. Si enim Christus sacrificandi verba vsurpauerit, quàm rectè dixit Hardingus, cum non esse vocabulis sacrificandi vsum? Aut si vocabulis non sit vsus, (cùm verborum atque vocabulorum vis eadem sit) cur verbis vsus esse dicitur?

Equidem si vox ista Latina *Datur*, idẽ sit, quod *sacrificatur*, & *dare* nihil aliud significet, quàm *sacrificare*, tum vbi Paulus ait, *Si inimicus tuus sitiat, da illi potum*: & quod Iudas dixit: *Quid vultis mihi dare, & ego illum tradam vobis?* & in illis verbis, quæ fatuis virginibus ascribuntur, *Date nobis ex oleo vestro, &c.* in his (inquam) omnibus aliisque consimilibus locis Hardingus noua hac Theologia fretus sacrificium inuenire nouum poterit.

Rom. 15. Matt. 26. Matt. 25.

Tamen ait, *Quosdam excellentis doctrinæ viros sic ea verba interpretatos esse.* Mirum verò est hos tam insignes, tantâque eruditione præditos viros nominibus caruisse. Louaniensem illum Tapperum, credo, aut Gropperum Coloniensem dicit, à quibus mutuatus est quicquid ferè in omni hoc articulo attulit. Cæterùm non quid isti minuti patres senserint, sed qualis priscorum patrum sententia fuerit, quæritur.

At Christus ait Præsenti tempore: *Hoc est corpus meum, quod datur,* non in Futuro tempore, *quod dabitur.* Similiter, *Hic est sanguis meus, qui funditur, non, qui fundetur: Ergo, Christus corpus suum immolauit, & sanguinem effudit præsens in cœna.*

Hîc Hardingus veterem & vulgatam noui testamenti tralationem, quæ non modò Hieronymo ascribitur, & in ecclesia semper cõmunibus studiis recepta fuit, atque à Tridentino Cõcilio approbatur, sed etiam, quæ hactenus retinetur, atque in ipsius Missali vsurpatur, non dubitauit reprehendere. Fateor in Græco haberi τὸ διδόμενον, hoc est, *quod datur,* non, *quod dabitur.* Verùm in hoc loco trito scripturarum more præsens tempus pro futuro vsurpatur. Chrysostomus legit, *Dabitur,* non *Datur.* Origenes etiam, non *Effunditur,* sed *Effundetur.* Eodem modo Chrysostomus illud verbum exponit, *Effundetur pro multis. Hoc dicens ostendit, quòd passio eius est mysterium salutis humanæ, per quod etiam discipulos consolatur.* Rursum inquit: *De passione & cruce sua loquebatur,* scilicet cum verba sacramenti enunciaret.

Chrysost. in 1. Cor. 11. Orig. in Matt. tract. 35. Chrysost. in Catena.

Denique si verum sit, Christum in vltima cœna sanguinem suum effudisse, etiam verè realiter, & reipsa, quemadmodum Hardingus vnus, nec quisquam (opinor) præterea mirificè contendit, tum non est, quod deinceps incruentum illud fuisse sacrificium defendat: in quo munitissimam præsidij sui arcem debere nobis cogitur. Nam si sacrificium à Christo in cœna factum, incruentum fuisset, quî potuit in ea Christus sanguinem suum effundere? Quòd si Christus in ea san-

guinem profudit suum, sicuti Hardingus confirmat, qua ratione incruentum appellari sacrificium potest?

Verùm vt ista somnia, & inanes præstigias mittamus, Christus corpus suum frangendum, & sanguinem fundendum, non in cœna, sed in cruce, & nusquam alibi tradidit. *In ea iniquitates nostras tulit, in ea fuit pro peccatis nostris laceratus.* Atque hac tantùm ratione nos illius corpus sumimus atque amplectimur, & fructum ex eo percipimus. Ad hoc spectauit Paulus, cùm diceret, *Absit à me gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Quapropter cùm nouus iste fidei articulus de reali immolatione & effusione sanguinis Christi in mensa, neq; in se verus sit, neque ab Hardingo hactenus vllo modo confirmatus, quantacunque testimoniorũ copia abundet: quandoquidem Christus nullam neque Apostolis, neque Apostolorum successoribus potestatẽ permisit, aliquid in ea re tentandi, quod ipse priùs non fecisset, quicunque mortalem quenquam potestate atque authoritate instructum esse dixerit, filium Dei realiter, & reuera immolandi, manifesta atque impia blasphemia se obstrinxerit: quantumuis licèt magnis, atque horrendis erroribus Diabolus, suíque alumni florente suo tenebrarum regno miseros homines deceperint.

Esai. 53.

Galat. 6.

Clemens autem iste, quem Hardingus tam sæpe comitem vocat Apostolorum, cùm nuper admodum editus est, necdum proinde satis sibi fidei atque authoritatis collegit, & mutus ac elinguis introducitur, tum omnino longiore responso indignus est. Quanquã Hardingus vehementer iniquè facit, qui authoris sui verba non perinde refert, atq; ab ipso proposita sunt. Iste profectò Clemens, quisquis tandem fuerit, non dicit, *sacerdotem potestatem habere filium Dei offerendi.* Ipsius in contrarium planè sensum verba valent. Non corpus, sed *Antytypon, id est, signum Regalis corporis Christi offerte.* Rursus similiter ait: *Offerimus tibi regi & Deo hunc panem & hoc poculum,* non corpus filij tui, Realiter, & Reuera. Multum in eo superamur ab Hardingo, si illi non solùm nouos doctores pro arbitratu inducere, sed interpretationes etiam illis, quas ipse voluerit, attribuere liceat.

Clemens constit. Apost. li. 6. cap. 30. Clemens constit. Apost. li. 8.

Neque verò Christus, cùm hæc verba pronunciaret *facite hoc in mei commemorationem*, Nouam quandam Sacrificorum, qui illum patri reipsa offerrent, successionem instituit, neque eruditus quisquam pater ea verba illo modo vnquam exposuit. Quid Christus senserit, ex subsequentibus verbis intelligitur. Non enim tantùm ait, *Hoc facite:* sed etiam addit, *In mei commemorationem,* quòd profectò non modò ad Apostolos, eorumque posteros, sicuti Hardingus fingit, sed ad vniuersum quoque populum pertinet. Proinde Paulus non modò ministris, verùm etiam toti Corinthiorum ecclesiæ dicit: *Quotiescunque panem hunc comederitis, & de poculo hoc biberitis, annunciabitis mortem Domini, donec venerit.* Similiter Chrysostomus eadem verba non presbyteris modò, sed etiam vniuerso ecclesiæ Antiochenæ populo accommodat. Sic enim habet: *Hoc facite in memoriam beneficij mei, salutis vestræ.*

1. Corinth. 11. Chrysostom. ad popul. Antiochen. Hom. 61.

Ex his infirmis Thesibus Hardingus nulla cuiusquam eruditi patris authoritate subnixus sic argumentatur: *Christus dixit, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in mei commemorationem: Ergo, Sacerdos potestatem habet Dei filium patri ipsius offerendi.*

Hardingus. 5. Sectio.

QVòd autem Christus seipsum patri in cœna obtulerit quódque sacerdotes his verbis, Hoc facite in mei commemorationem, *non modò authoritatem, sed etiam disertum mandatum acceperint, quo idem facere iubentur, quódque Melchisedechi typus, & prophetia Malachiæ ad hoc sacrificium spectat, eiusq; confirmationem habeat: è patrum testimoniis cuiusmodi doctrinam Apostoli ecclesiæ commendarint, videamus.*

Eusebius Cæsareensis hæc habet verba: Horrorem afferentia mensæ Christi sacrificia supremo Deo offerre per eminentissimum omnium ipsius pontificem edocti sumus. *Hîc Christum propter sacrificium suum Dei pontificem, omnium pontificum eminentissimum vocat. Dominicæ mensæ* [a] *sacrificia corpus ipsum & sanguinem Christi nuncupat, quandoquidem ea Christus in mensa, cùm cœnã vltimam ageret, in sacrificium obtulit: quódque verum est ipsius corpus, & verus sanguis, imaginatione sola, & cogitatione, & figura remota; hæc sacrificia, vt antiqui patres solent,* horrenda *appellat. Quòd autem nos edoctos esse scribit, hæc sacrificia Deo offerre, nimirum hæc Christi verba spectauit,* Hoc facite in mei commemorationem: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur. *Clemens in octauo libro sæpe à multis citato de sacrificio ab Apostolis oblato dicens, hæc vbique fere repetit,* Secundùm ipsius ordinationem, *vel,* Ipso ordinante: *in quo hanc esse Christi legem fatetur.*

De demonstratione Euangel. lib. 1. c. 10.

a Falsum: Eusebius enim sacrificium gratiarum actionis vocat, aitque, *memoriam offerre dedit pro sacrificio.*

Episcopus Sarisburiensis.

QVò sacerdotem Hardingus Dei filium in sacrificium offerre doceret, Eusebium vetustum authorem introduxit, qui nullam vnquam huiuscemodi filij Dei oblationem vel verbo meminit. Adeo sua ipse copia distrahitur atque obruitur.

Negari verò certè non potest, quin sacrosancta liturgia sæpenumero sit ab antiquis doctísque patribus sacrificij nomine appellata, non quòd sacerdoti Dei filij immolandi potestatem esse tributam existimarent, sed quòd in ea Deo laudes & gratiarum actiones pro illo summo sacrificio semel in cruce facto offerimus. Sic habet Augustinus: *In isto sacrificio est gratiarum actio, & commemoratio carnis Christi, quam pro nobis obtulit.* Similiter Eusebius: *Christus cæteris omnibus perfectis admirabilem*

August. ad Petrum Diaconum. cap. 19. Euseb. de demonst. cap. 10.

mirabilem oblationem & ſacrificium ſingulare patri ſuo fecit(in cruce)*pro ſalute noſtrũm omnium dans nobis memoriam pro ſacrificio perpetuò offerendam.*Sic Nazienzenus ſacram Euchariſtiam,*magnorum mortis Chriſti myſteriorum Antitypum* vocat.

Memoriam pro ſacrificio. Nazia in Apol. τὴν τῶν μεγάλων μυστηρίων ἀντίτυπον τὴν θυσίαν αἰνέσεως.

Hoc eſt,quod Euſebius Dominicæ menſæ ſacrificium appellat,atque hoc ipſum *laudis etiam ſacrificium* dicit.At Euſebius præterea etiam habet : *Hoc ſacrificium horrorem affert , & cordi tremorem inijcit.* Non debet Hardingus ex iſtis verbis concludere,Dei filium reipſa patri ſuo à ſacrifico offerri.Quicquid enim nobis aliquam maieſtatis iudiciorúmque Dei recordationem affert,à ſanctis patribus horrendum appellatur. Cyrillus habet : *Lectio diuinarum & terribilium ſcripturarum.* Verba autem Baptiſmi Chryſoſtomus *verba arcana , & metuenda , & horribiles Canones dogmatum de cœlo tranſmiſſorum vocat.* De manu etiam vocéque Diaconi ſic habet : *Manus illa tremenda & continua voce clamans alios vocat, alios arcet.*

Cyril. in Apol. Chryſoſt in 1.Corinh. hom.40.

Hæc autem victima cor noſtrum eò contremiſcere facit , quòd in ea myſterium illud,cuius erat ignota ſeculis ac nationibus ratio,editum ſit atque expoſitum: peccati horror,filij Dei mors: quòd noſtras ille moleſtias,noſtras ægritudines ſuſtineret : quòd pro noſtris peccatis ac ſceleribus vulneratus,laceratus,ac cruciatus eſſet: quòd inſtar innocẽtis agni ad cædẽ traheretur:ꝙ clamaret ad patrem , *Deus , Deus mi , quare me dereliquiſti ?* In ea cunctas mortis Chriſti cauſas , circunſtantiáſque repetimus : Crucis dedecus, aëris obſcurationem,terræmotum,veli dilacerationem, petrarum fiſſionem , monumentorum reſignationem , deſcenſionem ad inferos , denique Diaboli debellationem. Hoc nempe Chryſoſtomum impulit,vt diceret : *Quamuis quis lapis eſſet , illa nocte audita, quomodo cum diſcipulis triſtis fuerit,quomodo traditus,quomodo ligatus,quomodo abductus,quomodo iudicatus,quomodo denique omnia paſſus,cera mollior fiet,& terram,& omnem terræ cogitationem abijciet.*

Chryſoſt.in 1. Corinth. hom.17.

Sic habet etiam Nicolaus Cabaſilas,vnus ex recentibus Græcis Hardingus doctoribus : *Hoc facite in meam commemorationem. Sed quænam eſt hæc commemoratio? Et quomodo in rei ſacræ celebratione Domini meminimus,quid agentis,quomodo ſe habentis? Dico autem quid de ipſo reputantes , quid narrantes ? An quod mortuos ſuſcitauit,& cæcis viſum dedit , & ventos increpauit, & ex paucis panibus ad ſatietatem millia aliquot nutriuit, quæ eum & Deum eſſe, & omnia poſſe oſtenderunt ? Nequaquam : ſed ea potiùs quæ videntur ſignificare imbecillitatem,crucem , paſſionem , mortem. In his nos iuſſit facere eius commemorationem.Sacerdos & verbis , & ipſo modo agendi dicere videtur.Sic Chriſtus ad cædem ductus eſt,ſic in latere vulneratus eſt,ſic mortuus eſt,ſic ſanguis & aqua è vulnere efluxit.* Harum rerum conſideratio , & oculis quodammodo ipſis comprehenſa ratio pio cuiuis pectori incredibilem metum atque horrorem incutiat eſt neceſſe.De reali autem Chriſti,in ſacrificium oblatione , nullam eruditus ille pater Euſebius mentionem facit. Hoc verò ineptum eſt Sophiſma , *Sacrificium eſt horrendum,& nos cohorreſcere facit: Ergo ſacerdos Chriſtum Deo patri immolat.*

Nicol. Cabaſi. cap.7.

Cap.8.

Hardingus. 6. Sectio.

CHriſtum ſe in cœna ſua immolaſſe Heſychius affirmat his verbis: Quod Dominus iuſſit (Leuit.4.) vt Sacerdos vitulum pro peccato oblaturus ponat manum ſuper caput eius , & iugulet eum coram Domino , Chriſtum ſignificat quem nemo obtulit , ſed nec immolare poterat, niſi ſemetipſum ipſe ad patiendum tradidiſſet. Propter quod non ſolum dicebat, poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam , ſed & præueniens ſemetipſum in cœna Apoſtolorum immolauit , quòd ſciunt, qui myſteriorum percipiunt virtutem. *Ex his verbis Heſychij intelligimus Chriſtum bis obtuliſſe ac immolaſſe corpus ſuum: primò in ſacra cœna ſine ſanguine , cùm panem acciperet, & frangeret &c.abſque ſacrificij diuiſione,quandoquidem vnum eſt,idémque ſacrificium.Deinde in cruce,cum ſanguinis effuſione* : *atque hoc illo verbo*,præueniens,*indicat.*

Ioan.10.

Chriſtus ſeipſũ in myſterio nõ realiter & reipſa obtulit.

Epiſcopus Sariſburienſis.

NOs verò minimè quidem inficiamur,quin legitimè vereque dici poſſit , *Chriſtum in cœna ſua ſe patri ſuo obtuliſſe*,quanquam non realiter , ac reipſa,ſed iuxta ipſam Hardingi diſtinctionẽ in figura atque in myſterio,eadem planè ratione , qua Chriſtum in veteris legis ſacrificiis oblatum fuiſſe dicimus , atque vt D.Ioannes ait, *Agnus occiſus ab origine mundi.* Vt Chriſtus in menſa occiſus eſt , ſic Chriſtus in menſa immolatus eſt : at in menſa myſticè tantùm,non verè, non reipſa occiſus eſt:Ergo,non verè ac reipſa in menſa,ſed myſticè duntaxat immolatus eſt,

Apocal.13.

Sic Auguſtinus ſcribit : *Nonne ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſemetipſo ? Et tamen in ſacramento non tantùm per omnes Paſchæ ſolennitates,ſed etiam omni die populis immolatur. Nec vtique mentitur, qui interrogatus eum reſponderit immolari.Si enim ſacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum ſacramenta ſunt,non haberent,omnino ſacramenta non eſſent.*

Auguſt. epi.23.

Quanquam Heſychius Leuitici librum interpretans , quò integram vitæ necíſque Chriſti hiſtoriam ad ſingulas quaſque legis ceremonias exigat , ſcripturas interdum ad inſtitutam cauſam inflectere atque torquere cogitur.Ita nimirum , *Chriſtum & altare eſſe, & in vtero virginis incarnatum ſacrificium eſſe coctum*,ſcribit.

Heſy. in Leuit. lib.1.cap.4. Lib.1.cap.2. *Sacrificium coctum.*

Quare quemadmodum Chriſtus altare extitit,atque in matris ſuæ vtero immolatus fuit , ita ſe ipſe in cœna ſua immolauit,non quidem proprio atque vſitato loquendi genere , ſed tantùm myſtica quadam ratione.

Etenim , quid inter hæc quidem duo ſacrificiorum genera interſit, Cyprianus his verbis

Cyprian. de vnctione Chriſmatis.

dilucidè exponit: *Dedit Dominus noster in mensa, in qua vltimum cùm Apostolis participauit conuiuium, propriis manibus, panem & vinum: In cruce verò manibus militum corpus tradidit vulnerandum.* Hanc mensæ, crucisque sacrificij differentiam esse docet Cyprianus: in altero Christus panem & vinum, in altero corpus suum obtulit.

Hebræ.9. Hebræ.10.

Itaque quod Hardingus ait sua solùmodo authoritate subnixus, *Christum se bis realiter immolasse, suúmque sanguinem bis realiter effudisse, primùm in mensa, iterum in cruce*, hoc facilè disertis Pauli verbis & falsum, & ineptum esse conuincitur: *Semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*, inquit Paulus. Rursus: *Vnica oblatione perfecit eos in perpetuum, qui sanctificantur.* Hæ enucleatæ sunt, & minimè ambiguæ sententiæ, nisi forsan dixerit noster Hardingus, Vnum & Duo, Semel & Bis, idem valere.

Hardingus. 7. Sectio.

a Falsum, ineptum, & delirũ.

Illud etiam tenendum est Christum eodem ipso puncto temporis (hoc nunc insuper addi, tanquam necessariam doctrinæ Christianæ partem oportet) [a] *seipsum in cœna obtulisse inuisibiliter (quoad hominem) in cœlestis sui patris conspectu, atque ab eo vsque momento illam Christi in cœlo oblationem nunquam fuisse intermissam, sed in perpetuum propter nostram cùm Deo reconciliationem durare, sempérque esse sine vlla interruptione duraturam. Etenim vt Paulus ait:* Iesus non intrauit in templa manu facta, exemplaria verorum, sed in cœlum ipsum, vt appareat nunc in conspectu Dei pro nobis. *Quare, vt hæc oblatio sacrificiúmque Christi in cœlo semper durat, quemadmodum è mortuis resurrexit, atque in cœlum ascendit eo ipso cùm corpore, quod Thomæ contrectandum dedit, inferens illuc sanguinem suum, quemadmodum Hesychius ait, & vulnerum suorum stigmata portans, ibíque apparet in conspectu Dei cùm illo spinis puncto, clauis perfosso, lanceis penetrato, aliásque vulnerato, rupto, lacerato corpore pro nobis (quibus vim duntaxat suæ in cruce oblationis perpetuò manentis, non ipsam oblationem, cùm pœnæ ac passionis renouatione continuatam intelligimus) ita hanc oblationem, & sacrificium veri corporis & sanguinis Christi in Missa in eius commemorationem perpetuò celebramus,* [b] *ita nimirum facere iussi, quousque ipse venerit.*

Hebr. 9.

b Falsum: Christus enim Hardingo nunquã mandauit, vt vel Missam celebraret, vel corpus eius in sacrificium offerret.

In quo nos aduersarij stultè simul, & improbè ludunt, quasi nos Christum rursus immolaremus, quemadmodum fuit in cruce immolatus, hoc est, sanguinolentè. Verum non ita Christum offerimus, aut denuo immolamus, sed illa ipsius in cœna oblatio, & hæc nostra in Missa vnica est oblatio, idémque sacrificium, quam eò nobis eius Diuina institutio commendauit, quo quemadmodum oblatio semel in cruce peracta durat in perpetuum, & apparet in conspectu Dei pro nobis, quam non noua passio, sed perpetua pro nobis intercessio propagat, ita eiusdem recordatio semper vsque ad secundum eius aduentum apud nos etiam in terra conseruetur, & inde nobis ipsi applicemus, & conciliemus per fidem summa illa merita, quæ Christus per illam vnicam sui in cruce factam oblationem nobis acquisiuit, & indies acquirit.

Episcopus Sarisburiensis.

Eodem ipso temporis puncto (inquit Hardingus) *quo Christus in cruce immolatus fuit, se ipse in cœlo obtulit in conspectu cœlestis sui patris.* Quod etiam Rhetorico more exaggerat, adhibita *spinis puncti, claui perfossi, lanceis penetrati, aliásque rupti & lacerati corporis* tragica descriptione. Atque hanc ille necessariam Christianæ religionis esse partem scribit. Istuc autem confidenter ponit sua tantùm fide, sine cuiusquã vetusti patris authoritate, atque testimonio. Vnde quidem suspicari licet illius veterum monumentorum copiam non vsque adeo variam vberémque esse, atque eam nonnulli esse arbitrantur. Quod autem Christum in cœlis hoc inuisibili modo immolatum esse dicit, miror non etiam dixisse, Pilatum, Annam, Caipham, milites, atque tortores in cœlo quoque fuisse, qui sacrificium hoc perficerent. His enim absentibus Christi sanguis non est effusus: absque autem sanguinis effusione nullum esse pro peccatorum remissione sacrificium Paulus affirmat. Hæc sanè ita futilis est fabula, vt Hardingum ipsum non facilè posse, quid velit, explicare credam. Origenes ætate sua quosdam fuisse testatur, qui, quemadmodum Christus in hoc mundo pro viuis crucifixus esset, ita eum deinceps in futuro seculo pro mortuis crucifixum iri censerent. Quod autem Christus in cœlo vel spinis pungeretur, vel clauis configeretur, vel lancea perfoderetur, vel in crucem tolleretur, nullus vnquam, credo, vel vidit, vel dixit præter Hardingum. Apostoli, Euangelistæ, prisci patres, vetusti Doctores tantum mysterium ignorarunt. Paulus ait: *Semel seipsum obtulit: semel introiuit in sancta.* Quare cùm in cruce penderet, animámque redderet, exclamauit, *Consummatum est.* Hoc sacrificium cumulatè in perpetuum perfectum est. Hoc vnicum Christi filij Dei sacrificium, nullum præterea scripturæ agnoscunt.

Hebræ.9. Orige. in epist. ad Rom. lib. 5. cap. 6.

Hebræ.7. Hebræ.9.

Quanquam, quemadmodum quas Christus semel preces effudit, & quam semel doctrinam proposuit, ea vim adhuc suam integram retinent, quam initiò obtinuerunt, ita quoque sacrificium, quod in cruce Christus semel fecit, suis omnibus numeris expletum, integrúmque remanet, atque in secula sempiterna durat. Proinde Paulus ait: *Christum æternum habet sacerdotium, sempérque viuit, vt pro nobis interpellet.* Quocirca Deus pater ad illum, non autem ad quenquam alterum, vel Angelum, vel Archangelum dicit, *Tu es sacerdos in æternum.* Atque hanc ob causam Chrysostomus hoc sacramentum præstantissimo medicamento confert, quod semel adhibitum morbum pellit, vt repeti minimè sit necesse. Similiter Cyprianus habet: *Nec sacerdotij eius pœnituit Deum*

Hebræ.7.

Chrysost. in epist. ad Hebr. hom. 17. Cyprian. de baptis. Christi.

Deum, quoniã sacrificium, quod in cruce obtulit, sic in beneplacito Dei constat acceptabile, & perpetua virtute consistit, vt non minùs hodie in conspectu patris oblatio illa sit efficax, quàm ea die, qua de saucio latere sanguis & aqua exiuit, & semper reseruatæ in corpore plagæ salutis humanæ exigant pretium.

Nos autem Hardingus vniuersos & stultitiæ & impietatis damnat. Quamobrem stultitiæ, non satis assequor. Neque viri sapientis esse ducitur, aut aliorum ingenia vehementer reprehendere, aut suo nimiùm delectari, Etsi, qui sic loquitur, vt nullus vnquam sapiens est loquutus, nec ipse etiam omnino quid loquatur intelligit, quemadmodum hac in causa facere videtur Hardingus, nihil habet, quod alterius prudentiam iudiciumque vituperet. Ex altera verò parte, quisquis homo mortalis id sibi assumit, vt Christum in sacrificium offerat, audeatque à Deo patre postulare, vt tam benignè suum vnicum filium respiciat, quam olim Abeli, aut Melchisedechi sacrificia suscepit, neque quicquam in eo dubitat imperitos fallere, & mundum ludere, quemadmodum in Missa assiduè sua Hardingus facit, ne ille haud facilè manifestæ impietatis crimen effugere potest.

Quanquam est ad hæc omnia prõpta quidem Hardingi responsio. *Etenim non iterum* (inquit) *Christum immolamus: ea, quam Christus in cruce fecit, oblatio, atque hæc nostra Missæ eadem est. Atque hoc sacrificio perpetuò nos Christus vti vsque ad ipsius aduentum præcepit.* Si idem ipsum Hardingus in Missa sacrificium faciat, quod in cruce Christus fecerat, tum est ille quidẽ sacerdos in æternum *secundùm ordinem Melchisedechi*: atque ita *rex est iustitiæ, princeps pacis, & sacerdos in æternum carens successore.* Hæc enim ad Melschicedechi sacerdotium priuilegia pertinent, quæ tamen Hardingum pro sua modestia minimè sibi sumpturum esse censeo. Illis autem si careat, idem Deo sacificium offerre, quod Christus in cruce obtulit, nullo modo potest. Quod autem ait, Christum illi eiusque collegis dedisse in mandatis, vt hoc sacrificij identidem ad suum aduentum repetant, si ingenuè simpliciterque cogitasset, sanè aut quando, aut vbi, aut quibus verbis hoc illi Christus mandaret, exposuisset: digna enim profectò sunt tam ampla mandata, quæ edantur: absque autem mandato rem tantam eggredi singularis esset temeritatis.

Hardingus. 8. Sectio.

I*Am verò vt ad Christi oblationem, atque immolationem vberiùs adhuc ex illis Christi verbis*, hoc facite in meam commemorationem, *corroborandam nonnulla patrum testimonia recitemus, primùm Dionysius Pauli auditor, & Athenarum episcopus ad hunc modum scribit*: Quocirca reuerenter simul, & ex Pontificali officio post sacras diuinorum operum laudes quòd hostiam salutarem, quæ super ipsum est, litet, se excusat, ad ipsum primò decenter exclamans, Tu dixisti: hoc facite in meam commemorationem, *his verbis confitetur se non ausum esse Christum patri ipsius*[a] *offerre, nisi Christus ipse iussisset, cum diceret*, hoc facite in meam commemorationem. *Hæc vera est, quod ad hunc articulum attinet, doctrina, quam suos auditores docuit Paulus, quámque Iuellus negat.*

[a] Falsum: simul & ineptũ: nihil enim de Christo patri suo offerendo loquitur Dionysius.

Episcopus Sarisburiensis.

HInc iam facilè intelligere potes, Lector, aut illam Hardingo copiam minimè suppeditasse, de qua nobis tam magnificè promisit, aut eum delectus sui non admodum magnam habuisse rationem. Dionysius enim nullum vel tenuissimum eius immolationis, qua filius Dei patri suo offeratur indiciũ, significationémue habet. Clarissimè autem atque luculentissimè discrimen ostendit, quod inter crucis, atque sacræ cõmunionis sacrificium intercedit. Hæc ipsius verba sunt: *Sacerdos sacra & diuina opera Iesu celebrat, quæ ipse ad salutẽ generis humani peregit: & venerabilẽ eorum ac intelligentiæ propriam oculis intellectus intuitus, ad symbolicam eorum sacram operationẽ venit.* Hîc Dionysius sacrorum mysteriorum celebrationẽ non Christi suo patri immolationem, quemadmodum nobis persuasum esse vult Hardingus, sed Symbolicum sacrificium appellat, hoc est, magni illius sacrificij figuram atque signum. Eadem etiam verba Pachymeres Græcus Paraphrastes sic interpretatur: Πρὸς τὸν ἄρτον καὶ ποτήριον ἔρχεται: hoc est, *ad panem & poculum venit.*

Diony. Ecclẽ. Hierar. cap. 3. πρὸς συμβολικὴν ἱερουργίαν.

Pachyme. in 3. cap. Ecclesiast. Hierarch.

Deinde sacerdos, inquit Dionysius, precibus quibusdam & sacris Hymnis defunctus, se excusat, vtpote indignum, qui illud sacrificium faciat, & hæc verba clara voce pronunciat, *Tu dixisti, hoc facite in meam commemorationem.* Ex his sic concludit Hardingus, *Sacerdos suam indignitatem profitetur: ergo Dei filium patri suo in sacrificium offert.* Ne sophista quidem tam imperitè concluderet: Facilè namque respondere liceat, *Nego consequentiam, & Consequens.* Quam enim habet hæc vel rationem, vel consequutionem argumentatio: quomodo hæc conueniat Antecedenti Consequens?

Alias esse nonnulas causas nouit Hardingus, ob quas suam sacerdos indignitatem excusare debeat, non istam vnam quam fingit. Sacerdos in Basilii Liturgia sic precatur: *Fac nos idoneos, vt tibi offeramus sacrificium laudis.* Eodem modo Nazianzenus scribit: *Qui possunt, aut qui audent offerre Deo* (non ipsum realiter Christi corpus, sed) *magnorum mysteriorum antitypon?* Hardingus autem ab aliis rationibus omnino vacuus, fictum suum commentitiúmq; filij Dei sacrificiũ sola sacerdotis indignitate confirmat. Hoc Dei iustissimum est iudicium, vt qui decipere, lucéque priuare alios conetur, ipse fallatur, & cæca caligine offundatur. Similibus enim planè verbis Dionysius de Baptismi sacramento scribit: *Sacerdos cogitans negotij magnitudinem, horret, atque hæsi-*

Liturgia Basilii.

Nazianz. in Apolo. τὴν τῶν μεγάλων μυστηρίων ἀντίτυπον.

Ecclesiast Hierarch. cap. 2. Ἀποβλέψας τὸ τοῦ πράγματος μέγεθος φρίττει καὶ ἀμηχανεῖ.

Basil. Hexame. 1. ποία ἀκοὴ μεγέθους τῶν λεγομένων ἀξία. 2. Corinth. 2. Cyprian. in orationem Dominicam.

tat. Sic suam Basilius audiendarum scripturarum indignitatem agnoscit: *Quæ auris digna est magnitudine earum rerum, quæ dicuntur? Cogitemus quisnam ille sit, qui nos affatur.* Beatus Paulus de magnificẽtia, summáque Euangelij virtute loquens, ad extremum suæ indignitatis ratione commotus ait: *Et ad hæc quis idoneus?* Sic Cyprianus habet: *Non sumus digni, qui in cœlum suspiciamus, & Deum alloquamur. Quanta* (inquit) *Domini indulgentia, qui Deum patrem vocemus, &, vt est Christus Dei filius, sic & nos Dei filios nuncupemus? Quod nomen nemo nostrum in oratione auderet attingere, nisi ipse nobis sic permisisset orare.* Ex his Hardingianæ argumentationis infirmitas facile animaduertitur: *Sacerdos indignitatem testatur suam: Ergo, Dei filium offert.* Captiosa fallaxque ratio est, *Ex meris particularibus*, seu *A non distributo ad distributum.* Concluditur in secunda figura affirmatiuè: vitium pueris notum.

Hardingus. 9. Sectio.

Lib. 4. cap. 32. Malach. 1

Irenæus eandem à D. Ioanne Euangelista, per Polycarpum Ioannis discipulum accepit. His eam verbis explicat: Eum, qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens, hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex creatura, quæ secundùm nos est, suum sanguinem confessus est, & noui testamenti nouam docuit oblationem, quam ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo. De quo in duodecim prophetis, Malachias sic præsignificauit: Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Quoniam ab ortu solis vsque ad occasum nomen meum glorificatur, inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum. Quoniam magnum est nomen meum in gentibus. *Per hanc autem noui Testamenti oblationem quid aliud intelligi potest, quàm eius rei oblatio quam corpus suum esse dixit & sanguinem suum esse confessus est: Si verò panem, & vinum tantùm obtulisset, aut corporis & sanguinis sui figuram in pane & vino, non noua hæc oblatio fuisset: talem enim diu antè Melchisedechus fecerat. Neque verò Malachias propheta de Christi in cruce oblatione, intelligi potest, quandoquidem ea semel tantùm facta sit, & in vno quodam certóque orbis loco, in Golgotha, loco extra portas Hierosolymarum sito, prope illis verbis mœnia: Sacrificium autem contriti, humilisque cordis, cæteráque nostræ deuotionis sacrificia, quæ prorsus sunt spiritualia, non possunt illa quidem noua oblatio noui testamenti dici, quandoquidem in vetere testamento perinde ac in nouo facta sunt, nec penitus pura sunt. Quare iste locus Irenæi, & Malachiæ item prophetia, qua idem confirmatur, ad sacrificium atque oblationem corporis & sanguinis Christi quotidie per vniuersum orbem factam Deo in* [a] *Missa, quæ est externum ecclesiæ sacrificium, nouique testamenti proprium, referatur est necesse: atque hoc etiam, quemadmodum Irenæus scribit, ecclesia ab Apostolis, Apostolique à Christo acceperunt.*

a Falsum: Irenæus enim neque de Missa loquitur, neque illam sacrificiũ vocat, neque aut ecclesiam illud ab Apostolis, aut Apostolos à Christo accipiũe scribit.

Episcopus Sarisburiensis.

Malach. 1. Martialis ad Burdegalẽses. Tertullian. cõtra Iudæos. Tertullian. cõtra Marcion. lib 4. Hiero. in 1. cap. Malachiæ. Hieron. in Zachariam lib. 2. cap. 8. August. contra aduers. legis & prophe. cap. 20 Contra liter. Petilian. lib. 2. cap. 86. Irenæus lib. 4. cap. 34.

Sacrificij vocabulum nactus nunc tandem est Hardingus, quod quidem minimè negatur. Ipsum autem sacrificium, quod tandiu perquisiuit, seque inuenturũ aliquando certissimè recepit, nondum est adeptus. Etenim Irenæus neque Missam, neque hanc Realem filij Dei patri suo immolationem meminit. Sic modo scribit: *Deus vetera Iudæorum sacrificia penitus reprobauit, atque reiecit: & nos nouũ noui testamenti sacrificium facere docuit prout Malachias propheta futurũ olim prædixit.* Hoc aliud esse nullo modo sacrificium posse fingit Hardingus, quàm Christi in Missa oblationem: in quo præproperè nimis concludit, vt solet. Veteres eruditione præcellentes patres istuc nunquam percipere potuerunt. Quidam ex Hardingianis recens repertis doctoribus sic habet: *Oblatio munda non tantùm in ara sanctificata offertur, sed etiam vbique.* Hardingus ait, *in ara tantùm offertur*: Martialis contrà, *non tantùm in ara, sed vbique etiam offerri* scribit. Sanè verò si eiusmodi sacrificium intelligeret Malachias, quod in omnibus vbique locis, etiam sine ara offerri posset, quemadmodum Martialis docet, tum Missæ sacrificiũ neutiquam intellexit. Tertullianus scribit, *Mundũ illud sacrificium, de quo loquitur Malachias, esse Euangelij prædicationem contriti cordis oblationem, & simplicem de conscientia pura orationem.* Hieronymus idem illud sacrificiũ precibus contineri docet, atque huc Dauidis prophetæ verba refert: *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* Augustinus idipsum *Laudis & gratiarum actionis sacrificium appellat.* Sic etiã Irenæus sententiam exponit suam: *Ecclesia offert Deo cum gratiarum actione ex creatura eius. Est ergo Altare in cœlo: illuc preces & oblationes nostræ diriguntur.* Similiter Eusebius habet. *Sacrificamus & incendimus memoriam magni illius sacrificii secundùm ea, quæ ab ipso tradita sunt, mysteria celebrantes, & gratias Deo pro salute nostra agentes.*

Quòd autem Irenæus nullã huiuscemodi veram filij Dei immolationem senserit, nec in eam partem sit vllo modo accipiendus, ex iis ipsis verbis, quæ statim de hac eadem re consequuntur, clarissimè constat. Etenim de hoc eodem ipso noui testamenti sacrificio sic habet: *Sacrificia non sanctificãt hominẽ: sed conscientia eius, qui offert, existens pura sanctificat sacrificiũ.* Minimè dixerit Hardingus (opinor) Sacerdotem non à filio Dei, sed filium Dei, contrà à Sacerdotis conscientia sanctificari: (Hoc enim summè esset blasphemum dictu:) Ita tamen dicat est necesse, si veram Christi immolationem intellexerit Irenæus.

At multa Hardingus excogitauit pugnantia, quibus contrarium euinceret: Primùm ait, *Precum, & laudum, & gratiarum actionis oblatio, nouum dici sacrificium non potest: quandoquidem ea à Mose, Aarone, Prophetis, alijsque sanctis in vetere lege hominibus facta est.* Hoc sanè ad Tertullianum, Augustinum, Hieronymum, alióssque sanctos patres, qui hoc modo senserint, redarguendos valet:

valet: quos omnes Hardingus inconsideratè, quòd parum intelligerent, scripsisse statuit. Ad hoc autem sic ipse respondet Iræneus: *Oblationes hîc: Oblationes illic: Sacrificia in populo Israel: Sacrificia in Ecclesia. Sed species immutata est tantùm: quippe cùm iam non à seruis, sed à libris offeruntur.* In eandem sententiam scribit Angelomus: *Mandatum nouum scribo vobis, non alterum: sed ipsum quod dixi vetus, idem est nouum.* Nouum autẽ sacrificium eò vocatur, inquit Chrysostomus, *Quòd à noua mente proficiscitur, nec igni, & fumo: sed gratia & spiritu Dei offertur.* Atque hanc ob causam, Dauidem ad filios ecclesiæ Christi dixisse censet Irenæus, *Cantate Domino Canticum nouum.*

Irenæus lib. 4. cap. 34.
Angelomus Antixetm lib. 3.
Chrysost. contra Iudæos li. 3.
Irenæus lib. 4. cap. 21.

Hardingus insuper ait: *Malachiæ verba nullo modo de Christi in cruce victima sunt intelligenda: ea enim*, inquit, *semel tantùm, & in vno certo loco, nimirum in Golgotha, extra portas Hierosolymarum, non in quouis loco facta est.* Facilè tamen intellexerit Hardingus, eiusdem sacrificij recordationem, & gratiarum pro eo actionem, in omnibus posse & temporibus, & mũdi partibus repeti. Hinc nimirum Eusebius, vt antè meminimus, nostrum sacrificium, *Magni illius sacrificij memoriam* appellat: Dionysius συμβολικὴν ἱερουργίαν, hoc est, *Symbolicum sacrificium* nuncupat.

Euseb. de demonstra. lib. 1. cap. 10.
Ecclesiast. Hierarch. cap. 3.

Augustinus etiam habet: *Cum credimus in Christum, ex ipsis reliquijs cogitationis, Christus nobis quotidie immolatur.* Similiter Hieronymus: *Cum audimus sermonem Domini, caro Christi, & sanguis eius in auribus nostris funditur.* Quod autem Hardingus adiungit, Spiritualia nostræ pietatis sacrificia pura omnino dici non posse, ideóque noui testamenti sacrificia nullo pacto esse: equidem nostram omnem iustitiam, propter plurimas, quibus conflictatur, infirmitates panno impuro, vt Esaias loquitur, similem esse fateamur est necesse. Diuinæ tamen in Christo misericordiæ ratione iuductus Dauid propheta ait: *Lauabis me, & ero niue candidior.*

Augustin. in Psalm. 75.
Hieromym. in Psalm. 147.
Esai. 64.
Psalm. 50.

Quanquam hac in causa Hardingum volo ad illorum hominum iudicia remittere, quorum non potest testimonia repudiare. Eusebius preces nostras *mundum sacrificium* vocat. Tertullianus ait: *Sacrificamus pro salute imperatoris pura prece.* Hieronymus de precum Christianarum sacrificio sic habet: *Mundum sacrificium offertur mihi in omni loco: non in oblationibus veteris testamenti, sed in sanctitate Euangelicæ puritatis.* Denique Paulus ait: *Volo viros precari in omni loco, leuantes manus puras.* De Mensæ Dominicæ sacrificio Eusebius sic habet: μνήμην ἡμῖν παρέδωκεν ἀντὶ θυσίας τῷ θεῷ διηνεκῶς προσφέρειν: hoc est, *Memoriam nobis pro sacrificio reliquit, quàm Deo perpetuò offeramus.* Atque hoc ille vocat. *Incruentum, & rationabile sacrificium. Hoc*, inquit Inenæus, *Est noui testamenti sacrificium: hoc sacrificium ecclesia ab Apostolis accepit, Apostoli à Christo, qui noua fecit omnia.*

Euseb. de demon. li. 1. ca. 6. *Orationis sacrificium, quod mũdum dictum est.*
Tertul. ad Scapulam.
Hierony. in Zachar. lib. 2. c. 8.
1. Timoth. 2.
Euseb. de demon. lib. 1.

Hardingus. 10. Sectio.

Lib. 1. Epist. 3.

Nunc quid in hanc sententiam Cyprianus scriptis prodiderit audiamus: verba eius, quæ satis trita sunt, sic habent: Nam si in sacrificio, quod [a] Christus est, non nisi Christus sequendus, vtique id nos obaudire & facere oportet, quod, Christus fecit, & quod faciendum esse mandauit. Nam si Iesus Christus Dominus & Deus noster, ipse est summus sacerdos Dei patris, & sacrificium patri seipsum primus obtulit, & hoc fieri in sui cõmemorationem præcepit: vtiq; ille sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur: & sacrificium verum & plenum tunc offert in ecclesia Deo patri, si sic incipiat offerre, secundùm quod ipsum Christum videat obtulisse. *Hucusque Cyprianus. Quibus verò tandem disertioribus verbis confirmari possit articulus iste.* [b] *Christum se patri sua in cœna obtulisse, nobisq́, similiter, vt idem faceremus, mandasse dicit.*

Hinc nunc abundè constat, & esse, & semper ab initio noui testamenti, fuisse legitimum, vt Sacerdotes Christum patri ipsius immolarent, [c] *ex testimonijs trium sanctorum Martyrum, quorum duo Græci erant, vnus Latinus, omnes multis de causis clarissimi, propter & antiquitatem, & dignitatem, quam in ecclesia Christi obtinuerunt, & eruditionem, & constantiam, & fidem conseruatam vsque ad mortem, quam in locis celeberrimis ac notissimis oppetierunt, Parisijs, Lugduni, Carthagine.*

[a] Sic Chrysostomus ait, *Christi baptisma est Christi sanguis.* ad Hebr. hom. 16.

[b] Falsum: Cyprianus enim nec Christum se in cœna obtulisse, nec nos iussos esse vt Christum offeramus, scribit.

[c] Falsum: Nullus enim ex hisce tribus patribus istuc affirmauit.

Episcopus Sarisburiensis.

Iste quidem Cypriani locus, cum hanc Christi realem, vt loquuntur, patri suo immolationem non attingit, tum communionem vna specie celebratam, preces publicas incognito sermone recitatas, denique vniuersam Hardingianæ Missæ perturbationem, atque prauitatem penitus conuincit.

At Cyprianus inquit: *In Sacrificio, quod Christus est.* Si quid Hardingus ex hisce verbis se nactum esse subsidij putat, memoria secum ipse repetar, Augustinum sic habere: *Illis petra erat Christus.*

Augu. in Ioan. tract. 26.

Sacrificium iuxta ordinem Melchisedechi, quod perfectã pro mundi peccatis propitiationem continet, ipse est solus Iesus Christus, filius Dei in crucem sublatus. Et sacrorũ etiam mysteriorum celebratio, quadã loquendi ratione, idẽ ipsum sacrificiũ est: quandoquidem mortem sanguinemq; Christi ita planè atque perspicuè oculis quodãmodo nostris proponit. Sic Augustinus ait: *Ipsa recordatio passionis Christi, sic nos facit moueri, tanquam videamus pendentẽ Dominũ in cruce.* In quę verba sic scribit Glossa: *Christus immolatur, id est, Christi immolatio repræsentatur, & fit memoria passionis.* Sic Cyprianus habet: *Vinum exprimit sanguinem: in aqua populus intelligitur: in vino sanguis ostenditur. Itaque passionis eius mentionem in sacrificijs facimus. Passio enim Domini est sacrificium, quod offerimus.* Quẽadmodum sacræ cõmunionis celebratio, ipsa est mors suppliciúmq; Christi: ita prorsus eadem ratione eiusdẽ sacrificiũ Christus ipse dici potest. Iccirco Gregorius ait: *Christus in seipso immortaliter viuens, iterum in hoc Mysterio moritur. Eius caro in populi salutẽ patitur.* Non equidẽ dicturum esse

Augúst. in psal. 20.
De consf. dist. 2. semel.
Cyprian. lib. 2. epist. 3.
De consf. dist. 2. Quid sit.

Hardingũ existimo, vel Christũ reuera mori, queadmodum ipsa verborũ momenta valent, vel eius reipsa carnē torqueri, & mactari in Sacramento. Gregorius suam ipse sententiã meliùs exponit ad hunc modum: *Hoc sacramentum passionem vnigeniti filij imitatur.* Ipsaque imposita Glossa sic habet: *Christus moritur, & patitur, id est, mors, & passio Christi repræsentatur.* Sic Chrysostomus ait: *In Mysterijs mors Christi perficitur.* Sic Beda: *Exaltatio serpentis ænei passio redẽptoris nostri est in cruce.* Sic Hieronymus: *Quotidie nobis Christus crucifigitur.* Sic Ambrosius: *Christus quotidie immolatur.* Sic Augustinus: *Tunc vnicuiq; Christus occiditur, cum credit occisum.* Denique sic Hieronymus habet: *Semper Christus credentibus immolatur.* Ita fit, vt sacrosanctæ communionis sacrificium, Christus appellari possit, quemadmodum scilicet, eiusdem celebratio, passio seu mors Christi dicitur.

De cons. dist. 2. Quid sit. In Glossa. Chrysostom. in Act. Homil. 21. Beda exponens illud *Sicut Moses exaltauit &c.* Ioan. 3. Hieronym. in Psalm. 97. Ambros. de virginib. August. quæst. Euangel. lib. 2. Hieronym. ad Damasum. August. in expositione inchoata ad Roman. In eodem libro. Chrys. in epist. ad Hebr. hom. 16. Amb de pœnitent. lib. 2. ca. 2.

Atque vt Hardingianarum coniecturarum summam leuitatem perspicias, scias Christiane Lector, sanctos orthodoxósque patres, scriptis proditum reliquisse Christum non modò in sacra cœna, sed in Baptismo etiam immolari. Augustinus habet: *Holocaustum Dominicæ passionis eo tempore pro se quisque offert, quo eiusdem passionis fide dedicatur.* Rursus, *Holocaustum Domini, tunc pro vnoquoque offertur quodammodo, cum eius nomine baptizando signatur.* Iterum etiam, *Non relinquitur sacrificium pro peccatis, id est, non potest denuo baptizari.* Atque hoc est quod Chrysostomus ait: *Baptisma Christi sanguis Christi est.* Similiter Ambrosius: *In Baptismo crucifigimus in nobis filium Dei.*

Hardingus. 11. Sectio.

ADuersarij nostri multa gloriosè prædicant, de noua sua doctrina, sanguine, nescio quorum, consignata, qui in libro non vitæ, sed mendaciorum scribuntur: quósque Martyres, si dijs placet, appellari volunt. Sanè verò si monachi, illi & fratres Apostatæ, qui vxores duxerũt, seu (vt ipsorũ vocabulo vtar) Sororibus coniugantur, veri sint Martyres: tum nouos nostros Euangelicos oportet hosce sanctos patres, & innumerabiles alios è cœlo extrahere.[a] *Certè enim fides in cuius defensionem vtrique mortem subierunt, prorsus est contraria.*

Nihil illis grauius precor, quàm vt Deus illis oculos ad videndum, & aures det ad audiendum, nec illorum corda præcludat, quò minus hic lucem cernant, quousque in exteriores tenebras mittantur, vbi erit fletus & stridor dentium.

a Falsum: satis enim nouit Hardingus nostræ religionis summam cum patrum disciplina conspirare.

Episcopus Sarisburiensis.

HÆc quidem oratio penitus fuit intempestiua atque aliena: nisi quod Hardingo libitũ esset, sacras Dei scripturas ludere, Paulique verba paucis cauillari: quæ res quandoquidem ei tam egregiè conuenit, æquiore animo ferendus est, quando etiã in alios iocatur. Vxores Paulus aliquando *sorores*, aliquando *coniuges* vocat: *Nuptias verò in omni hominum genere honoratas esse*, atque earum interdictionem Dæmonum esse disciplinam docet. Neque sanè cõstat, vel honestum piúmque matrimonium Deo displicuisse, vel Martyri, veritatísque testi turpe vnquam visum fuisse.

1. Corinth. 9. Philip. 4. Hebr. 13. 1. Timoth. 4.

Paulus maritus fuit, quemadmodum ex Ignatio, Clemente, Eusebio intelligimus: & tamen etiã Martyr fuit. Petrus Apostolorum primus vxorem habuit, tamen ei præstò adfuit, cùm ad mortem pro Christo raperetur, eámque consolatione confirmauit, & alacriorem fecit. Duodecim Apostolos Ioanne excepto, maritos fuisse testatur Ambrosius: omnes tamen præter vnum, vt quibusdam placet, Ioannem, Martyres fuerunt. Spiridion episcopus fuit Maritus: quem tamẽ Sozomenus neque ad officium exequendum, neque ad vllum pietatis munus præstandum inde factum esse ineptiorem scribit. Tertullianum fuisse presbyterum ex Hieronymo liquet, & maritum fuisse suus ad vxorem liber indicat: fuit tamen, vt aliqui scribunt, Martyr. Beatus Hilarius pater fuit venerandus & Episcopus Pictauiensis: nuptias tamen coniunxerat, id quod ex ipsius ad Abraham filiam missa epistola colligitur.

Ignatius ad Philadelphi. Euseb. lib. 3. cap. 30. Clemens Stromat. lib. 7. Euseb. lib. 3. cap. 30. Ambr. in 2. ad Cor. cap. 11. Sozomẽ. lib. 1. cap. 11. *Ad res diuinas nihilo deterior.* Hieron de ecclesiast. script. Regino in rebus Germanicis. Hilar. ad Abrahã filiam.

Atque vt alios innumerabiles prætermittam, Chrysostomus habet: *Ita pretiosa res est matrimonium, vt possis cum eo ad sanctum episcopatus solium subuehi: vtere moderatè nuptijs, & eris primus in regno cœlorum.* Hieronymus inquit: *Hodie quoque plurimi sacerdotes habent matrimonia.* Ita iam & Apostoli Christi, & alij infiniti doctrina ac pietate clarissimi patres atque episcopi matrimonia contraxerunt, atque vt Hardingus iocosè ac facetè loquitur, *Sorores suas, & coniuges habuerunt.* Quemadmodum autem, & quibuscum sororibus permulti ex illo cœlibe contubernalium Hardingianorum grege coniuncti fuerint, præ pudore atque verecundia narrari non potest.

Chrysostom. in episto. ad Titũ. Homil. 2. Chrysostom. in epist. ad Hebr. Homil. 7. Hierony. contra Iouinianum.

Epiphanius de quibusdam sua ætate scribit ad hunc modum: *Repudiant nuptias, at non libidinem: in honore enim apud illos est non sanctitas, sed hypocrisis.* Quis non videt in ecclesia Romana, sacerdotibus, episcopis, Cardinalibus, Papis, vxores quidem prohibitas, concubinas facilè permissas esse? Ipsi illi palàm confessi sunt his verbis: *Etiam in vrbe Romana meretrices, vt matronæ incedunt per vrbem, seu mula vehuntur: quas assectantur de media nobiles familiares Cardinalium, Clericique.*

Epipha. contra Origenia. Ἀθετοῦσι γάμον, ἀλλ' ὐ λαγνείαν. πεφιλοτίμηται γὰρ παρ' αὐτοῖς ὐχ ἡ ἁγνεια ἀλλὰ ὑποκριτική. In Concilio delectorum Cardinalium.

De illis autem, quos, adeo tibi dolet Hardinge Martyres vocari, vos quidem non tantùm hos, aut hos quos tibi, tuo ipsius nomine, nisi es tui nominis oblitus, Apostatas appellare libitũ est, occidistis, sed aliorum etiam infinitam multitudinem, Maritorum, cœlibum, doctorum, indoctorum, vetulorum, adolescentium, puellorum, puellarum, Laicorum, Sacerdotum, Episcoporum, Archiepiscoporum necastis: virgis eos cecidistis: tædas ardentes manibus admouistis: linguas execuistis, suspendistis, decollastis cremastis: infantulum è matris aluo defluentẽ mucronibus

excepistis,

excepistis,& in flammas cruentissimè coniecistis:denique, quicquid vobis liberet, in eos statuistis. Illorum nulla fuit vox asperior,quàm hæc,Domine,ignosce illis,nesciunt, quid faciunt: Domine Iesu suscipe spiritum meum, Vos interim spectastis, atque oculos vestros crudelissimo spectaculo pauistis.Sanctorum cadauera ipsa, quæ diu antè sepulta fuerant, eruistis atque effodistis: diem illis solemni more dixistis,ad tribunalia vestra citastis,& publica sententia mortis eos secundæ demnastis: Denique ad perpetuum crudelis vestræ dementiæ dedecus, malitiæ vestræ virus in mortuos euomuistis.Tua te conscientia Hardinge docere potest,hæc esse verissima.Sunt in oculis atque cordibus multorum inscripta.Hæc sunt vestræ religionis insignia ac monumenta. Qualem,qualem olim rationem reddituri estis,quando innocens sanguis vberrimè effusus, de manibus vestris exigetur? Quod autem ais,opus esse nobis vt veteres Martyres è cœlo extrahamus,quò nostros in eo col locemus,quandoquidem nostra disciplina,ab illorum, vt tu contendis, opinione vehementer dissidet, otiosam quandam & minimè necessariam verborum venditationem agnosco. Si quicquam insolens efficere posset ostentatio,iamdudum confecta res esset.Nos autem disertè profitemur,atque confirmamus,in hisce religionis nostræ controuersiis,quæ à me proponuntur, nullam à vobis ex antiquo quoquam patre sententiam, aut clausulam contra adduci posse. Hactenus autem tuus constitit exilis delectus,vtcunque magna de copiis tuis promisisti.

Sanctissimi quidem Patres,Deique Martyres vobis respondebunt: priuatas vestras Missas nescimus:diminutam vestram communionem nescimus:incognitas vestras peregrinásque preces nescimus:Adorationem mortalium creaturarum vestram nescimus:hanc filij Dei immolationem nescimus:nouam religionem vestram nescimus:vos nescimus.Deus cordium vestrorum oculos aperiat, vt miserandam conditionem, in qua constituti estis,videatis,& locum quem amisistis,recuperetis, & nomina vestra in libro vitæ scripta inueniatis.

Hardingus. 12. Sectio.

NOn exiguam locorum multitudinem, quæ ex alis nonnullis doctoribus adduci posset, missam faciens, duos proferam duorum præstantissimorum episcoporum,alterum Chrysostomi,alterum Ambrosii, quibus huius causæ veritas confirmatur.Chrysostomi hæc verba sunt: Pontifex noster ille est, qui hostiam mundantem nos obtulit:ipsam offerimus nunc,quæ tunc oblata quidem consumi non potest: hoc autem,quod nos facimus,in commemorationem fit eius,quod factum est:Hoc enim facite,inquit, in mei commemorationem. *Ambrosius habet*: Vidimus principem sacerdotum ad nos venientem: vidimus & audiuimus offerentem pro nobis sanguinem suum: sequamur vt possumus sacerdotes, vt offeramus pro populo sacrificium,etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio. Quia etsi Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris,quando Christi corpus offertur. *Ex his Domini verbis*,quod pro vobis traditur:*&*,qui pro vobis effunditur,& pro multis, *Ambrosius sacerdotes hortatur,vt corpus sanguinémque Christi pro plebe offerant:eósque pluris faciendos esse monet , quàm vulgò fiunt,propter hoc sacrificium,licèt alioqui infirmi sint meritò.*

Chrysost. in epist.ad Hebræ.hom. 17.

In psal. 38.

Episcopus Sarisburiensis.

HIc verò locus non magnam profectò copiam arguit.Etenim his verbis Chrysostomus, & se ipse interpretatur,& quo sensu alij prisci patres hoc sacrificij vocabulum vsurparint, exponit, & vniuersam Hardingi defensionem conuellit. Cum enim nos eandem nunc hostiam offerre dicit,quam Christus obtulit,tum dilucidè simul & copiosè omnem dubitationem tollit,& quo eum modo offeramus,explicat.Non ita dicit,vt Hardingus: *Nos Dei filium patri suo offerimus realiter & reipsa*, sed planè contra ad hunc modum: *offerimus quidem,sed ad recordationem facientes mortis eius. Hoc sacrificium exemplar illius est, hoc quod nos facimus, in commemorationem fit eius , quod factum est. Idipsum semper offerimus:magis autem recordationem sacrificij operamur.* Sic nos Christum, nimirum exemplar,commemorationem,& recordationem mortis Christi offerimus.Hoc sacrificij genus nũquam fuit negatum,Hardingianum autem reale sacrificium nunquam hactenus probari potuit.Sic habet Augustinus:*Cum hostia frangitur,& sanguis in ora fidelium funditur, quid aliud, quàm Dominici corporis in cruce immolatio significatur.*Similiter Ambrosius,Christum nunc in terra offerri scribit, nõ vt Hardingus ait,realiter & reuera,sed eo modo,quo Ioannes dixit, *Agnus occisus ab origine mundi*, hoc est non substãtiali aut reali modo,sed per significationẽ,per mysterium,per figuram.Atque ita suam Ambrosius sententiam,in eodem hoc ipso loco exponit:*Primum vmbra præcessit : sequuta est imago:erit veritas.Vmbra in lege:imago in Euangelio:veritas in cœlestibus. Ascende homo in cœlum , & videbis illa,quorum hic vmbra erat,vel imago.*Eodem refertur,quod alibi habet:*Vidimus eum,& oculis nostris perpespiximus,& in vestigia clauorum eius,digitos nostros inseruimus. Videmur enim vidisse eum, quem legimus:spectasse pendentem,& vulnera eius,spiritu ecclesiæ scrutante tentasse.*Sic Hieronymus ait: *Quòd semel natum est ex Maria,quotidie in nobis nascitur.* Iam autem, quemadmodum Ambrosius scribit,Christum nos oculis nostris spectare pendentem in cruce,& digitos nostros inserere,ac vulnera tentare: sic etiam venientem ad nos Christum, séque Deo in sacrificium offerentem perspicimus.Atque vt Hieronymus dixit,*Christus quotidie nascitur:*similiter omnino Ambrosius ait,*Christus quotidie immolatur.*

Chrysostom. in epist. ad Hebræ.hom.17.

De consecra. dist.2.cum frangitur.

Ambrosi.in psa. 38.

Apocalyp.5.

Ambrosi.in psal. 38.

Ambrosi. in Lucam.lib.5.ca.7.

Hieronym. in psalm 86.

Ambrosi.de virginib.lib.2.

Ita etiam ad quasdam virgines scribit Ambrosius: *Vestras mentes confidenter altaria dixerim, in quibus quotidie pro redemptione corporis Christus offertur.* Hucusque nullum reperit Hardingus, eius, quam indagauit,rei vestigium.

Hardingus. 13. Sectio.

IAm verò vt sacrificium, oblationémque Christi, doctorum de figura Melchisedechi iudiciis confirmem, primum Cyprianus sic habet: Qui magis sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem? *Hieronymus in quadam epistola, quam pro spectatissimis fœminis Paula & Eustochio, scripsit ad Marcellam, hæc verba habet:* Recurre ad Genesim, & Melchisedech regem Salem. Huius principem inuenies ciuitatis, qui iam in typo Christi panem & vinum obtulit, & mysterium Christianum in saluatoris sanguine & corpore dedicauit. *His verbis eruditissimus iste pater, manifestam inter figuræ, quæ fuit panis & vinum, atque veritatis oblationem, quæ est Christianorum mysterium, corpus scilicet & sanguis Christi seruatoris, differentiam statuit. Quod Augustinus fusè tractauit in primo sermone in 33. Psalmum, & in 17. lib.* De ciuitate Dei, *cap.* 20.

Li.2.epi.3.

Episcopus Sarisburiensis.

SI quidem ingenuè cogitat Hardingus, verbáque Cypriani simpliciter esse intelligenda statuit, nec vllum figuræ locum relinquendum esse contendit, tum verò Melchisedechum *verè, & realiter ipsum obtulisse Christum* defendat est necesse. Cypriani enim enucleata verba sunt: *Christus obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat.* Quanquam nemini profectò dubium esse potest, quin sacrificium, quod Melchisedechus obtulit, modò fuisse sacrificium detur, si trito vsitatóque more loqui volumus, non Christus Dei filius fuerit, sed verus tantùm panis & vinum, & cetera cibaria, quæ Abrahamo, eiúsque comitibus parauerat. Quare veteres eruditi patres, Melchisedechum non hæc eadem in sacrificium Deo obtulisse dicunt, sed pro more tanquam donaria protulisse, quibus illos in persequendis hostibus defatigatos recrearet. Hieronymus etiam vertit, non *Obtulit*, sed *Protulit.* Iosephus hoc modo rem narrat. *Melchisedech milites Abrahami hospitaliter habuit, nihil illis ad victum deesse passus, simulque ipsum adhibuit mensæ.* Chrysostomus & Epiphanius sic habent: *Protulit illis panem & vinum.* Tertullianus ait, Non Deo, sed *Abrahamo reuertenti de prælio obtulit panem & vinum.* Sic Ambrosius: *occurrit Melchisedech, & obtulit Abrahamo panem & vinum.*

Cyprian. lib. 2. epist. 3.

Ioseph. Antiqui. li. 1. ca. 11. Chryso. in gene. hom. 35. Epiphan. cõtra Melchisedec. lib. 2 ἐξέβαλεν αὐτῷ ἄρτον καὶ οἶνον. Tertulliam contra Iudæos. Ambrosi. de sacramen. lib. 4. cap. 3. Hebræ. 7.

Ex hisce paucis constare potest, Melchisedechum, panem vinúmque & alium victum protulisse non in sacrificium Deo, sed in commeatum Abrahamo, atque eius commilitonibus. Paulus Melchisedecho Christum confert in eo, *quod instar Melchisedechi, rex esset iustitiæ, & princeps pacis, ac patre simul & matre careret:* Ita enim de Melchisedecho scribitur. De panis autẽ viníque sacrificio nullum verbum habet. Tamen antiqui, sanctique patres, illud ipsum Melchisedechi donarium sacrificio comparant, quod Christus in cruce fecit. Hoc enim est quod Cyprianus ait: *Christus obtulit hoc idem, quod Melchisedech.* Id est, vel ipso Hardingo interprete, *hoc idem veritate obtulit in cruce, quod Melchisedech antè in figura obtulerat.* Sic loquitur Augustinus: *Illis petra Christus*: non tamen reipsa, ac realiter, sed tantùm symbolicè, quòd Christum significaret, & repræsentaret.

Augu. in Ioan. tract. 26.

Interdum illud gratiarum actionis sacrificio, & sacræ communionis celebrationi conferunt, atque eidem exæquant. Augustinus ait: *Melchisedech Abrahæ primum quasi patri fidelium, tradidit Eucharistiam corporis & sanguinis Domini.* Hieronymus habet: *Melchisedech in typo Christi panem & vinum obtulit, & mysterium Christianorum in saluatoris corpore, & sanguine dedicauit.* Hæ sententiæ id forsan ostendere videantur, Melchisedechum Missam procurasse, & corporis sanguinísque Christi sacramentum consecrasse, & Christum patri ipsius in sacrificium obtulisse. De Hardingo autem, alióue simili quouis sacrificulo nihil docent.

Aug in quæst. noui & veteris Testam. quæst. 109. Hieronym. ad Marcellam.

Ne quis autem imperitia forsan deceptus existimet Hieronymum his verbis, Hardingianũ quendam realem præsentiam statuisse, quòd ait: *Melchisedech mysterium Christianorum in saluatoris corpore & sanguine dedicauit:* reputet ipse secum, tum Hieronymum, tum alios etiam vetustos patres, eodem sæpenumero loquendi genere aliis in causis vsos esse, in quibus nullam Hardingus realis præsentiæ suspicionem inueniat. Hieronymus ait: *Euãgelium passione & sanguine Domini dedicatur.* Augustinus ait: *Quid est mare rubrum?* respondet, *Sanguine Domini consecratum.* Rursus habet: *Vnde rubet Baptismus Christi, nisi Christi sanguine cõsecratus?* Ita nimirum, Christianorum mysterium Melchisedechus in Christi sanguine dedicauit.

Hieronymus aduersus Iouinianum. lib. 1. Aug. in psalm. 80. In Ioan. tract. 11.

Hardingus. 14. Sectio.

OMnium autem Oecumenius apertissimè pro hac causa testificatur, in illum locum Pauli è Psalmo repetitum. Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. *Hæc sunt illius verba:* Significat sermo, quòd non solùm Christus obtulit incruentam hostiam, siquidem suum ipsius corpus obtulit,) verùm etiam, qui ab ipso fungentur sacerdotio, quorum Deus pontifex esse dignatus est, sine sanguinis effusione offerent. Nam hoc significat in æternum. Neque enim de ea, quæ semel à Deo facta est oblatio & hostia, dixisset in æternum, sed respiciens ad præsentes sacrificos, per quos medios Christus sacrificat, & sacrificatur, qui etiam in mystica cœna modum illis tradidit huiusmodi sacrificij. *De Malachiæ autem vaticinio, ad huius oblationis confirmationem, quanquam Irenæi locus ille suprà citatus, instar esse multorum testimoniorum posset, non tamen grauabor sententias vnius aut alterius patris, ad huius articuli defensionem recitare.*

Chrysostomus dilucidè ac perspicuè ait: In omni loco sacrificium offertur nomini meo, & sacrifi-

crificium purum. Vide quàm luculenter, quámque dilucidè mysticam interpretatus est mensam, quæ est incruenta hostia.

Episcopus Sarisburiensis.

Contra quidem Oecumenium iusta mihi defensione liceret, vti vixisse illum aliquantò post primos sexcentos annos spatio. Quanquam non ille penes esse sacrificum Dei filium immolare scribit: neque verò causæ Hardingianæ vel leuiter fauere ac suffragari videtur. Itaque eius tentare aliqua suspicione fidem minimè erit necessarium.

Integra verborum sententia sic habet: *esse in ecclesia incruentam hostiam, ipsúmque Christum eandem offerre, per medios sacrificos, Christúmque ipsum esse illam hostiam.* Quæ verba, si iustam interpretationem, & veterum patrum sententiæ conuenientem adhibeas, concedi possunt. Quemadmodum enim Hieronymus ait, cuius suprà meminimus, *Quod natum est ex virgine, nobis quotidie nascitur: Christus nobis quotidie crucifigitur:* Et vt Augustinus ait, *Tum Christus cuique occiditur, cùm credit occisum*: Atque vt idem Augustinus alibi, *Tibi Christus quotidie resurgit:* Et Chrysostomus, *in sacris mysteriis agitur, & perficitur mors Christi*: Denique, vt Gregorius dixit, *Christus iterum in hoc mysterio moritur:* Ita etiam eodem prorsus sensu, non alio, Oecumenius *Christum in sacra cœna offerri* scribit.

Hieronym. in psalm. 86.
Hieronym. in psalm 97.
August. quæst. Euang. lib. 2.
Augu. de verbis Domini, secundùm Lucam. sermone. 38.
Chrysostom. in acta. hom. 21.
De conse. dist. 2. quid sit.

Quemadmodum autem Christus nec quotidie de virgine nascitur, nec quotidie crucifigitur, nec quotidie occiditur, nec quotidie patitur, nec quotidie moritur, nisi quodam duntaxat dicendi genere, non verè aut reipsa: ita etiam Christus quodammodo quotidie immolatur, nempe mysticè: realiter autem & verè non immolatur.

Cætera, quæ deinde in Oecumenio consequuntur, duas tantummodo diuersas in Christo naturas, Deitatem, atque Humanitatem exponunt. Christum nempe humana natura immotum fuisse: diuina verò sacrificium extitisse, & sacrificium fecisse: ad alia nihil Hardingum ista adiuuant. Sic Beda habet, quanquam alio quodam modo: *Filius Dei & orat pro nobis, & orat in nobis, & oratur à nobis: orat pro nobis, vt sacerdos: orat in nobis, vt caput: oratur à nobis, vt Deus.* Epiphanius habet: *Christus est victima, sacerdos, altare, Deus, homo, Rex, Pontifex, ouis, agnus, omnia in omnibus pro nobis factus.* Ita Christus hostia nostra est: ita Christus sacerdos noster est, non à sacrifico, quemadmodum fingit Hardingus, offerendus & immolandus: sed ipse, vt vetusti ecclesiæ magistri, patrésque docuerunt, à se in cruce oblatus. Augustinus habet: *Ecce istic oblatus est, ibi seipsum obtulit: simul & hostia, & sacerdos: & altare erat crux.*

Beda. in epist. ad Ephes. ca. 2.
Epiphan. de Melchisedechi lib. 2.
Augustin de tempore serm. 130.

Hoc verbum, *Incruentum*, quod è Chrysostomo protulit Hardingus, magnum habere momentum existimatur, diligenter autem expensum, in eam quidem partem, in quam adhibetur, nihil omnino propendet. Illud vocabulum sanctissimi, doctissimíque patres, nunc ad prèces, reliquáque pietatis officia referunt, nunc ad sacrosanctæ communionis celebrationem accommodant.

Atque vt istuc quale sit meliùs perspicias, Lector Christiane, memoria tenendum est, obtinente lege Mosaica, sacerdotes & Leuitas Deo boues, vitulos, arietes, capras obtulisse: quorum animalium sanguine, & librum, & sacri ministerij instrumenta, & totum tabernaculum, & populum vniuersum asperserunt. Atque vt Diuus Paulus ait, in illius legis ceremoniis, sine sanguinis effusione, nulla peccatorum remissio constitit. Simili ratione Ethnici homines suas Idolis suis pecudes immolare consueuerunt, centum nonnunquam vna die pingues boues. Longiùs autem aliquando prouecti, atque humanis etiam hostiis vsi sunt. Erichtheus Atheniensis, & Marius Romanus suas mactarunt, atque immolarunt Palladi filias. Carthaginienses patritij, Saturnum septuaginta filiorum suorum sacrificio placarunt & coluerunt.

Hebræ. 9.
Clemens in Orat. contra Gentes.

Horum itaq; crassorum & carnalium, & cruentorum sacrificiorum comparatione Christiana nostra in Euangelio sacrificia, quandoquidem spiritu tota fiunt, atque à mente ipsa proficiscuntur, incruenta dici solent. Eusebius habet: *Incendimus orationis suffitum: & sacrificium quod appellamus purum, non per cruores facimus, sed per puras actiones.* Chrysostomus ait: *Offerimus non per fumum, nidorem, aut sanguinem, sed per spiritus gratiam.* Adiungit etiam, *Deus enim spiritus est, & qui illum adorat, in spiritu & veritate adoret oportet.* Atque hoc illud est incruentum sacrificium. Sic habet Eusebius: *Offerens illi rationabiles, & incruentas hostias*: Easdem autem *laudis etiam sacrificium* appellat. Perinde Hieronymus scribere videtur: *In synceritate azyma epulamur.* Eadem etiam de causa quæ olim *Fidei & Termino* fiebant sacrificia, ἀναίμακτα, id est, *incruenta* dicebantur, quòd suffitibus duntaxat quibusdam, atque odoribus perficerentur, cruore nullo imbuerentur. Simili quoque ratione Thucydides, Ethnicorum quasdam hostias, ἁγνὰ θύματα appellat, hoc est, *puras victimas.* Itidem Cyrillus preces, atque Angelorum, beatorúmque spirituum Dei nomen continuis laudibus celebrantium diuinissimas cantilenas, *Incruenta sacrificia vocat.* Rursus habet: *Nos relicto crasso ministerio Iudæorum præceptum habemus, vt tenue, & spirituale, & subtile sacrificium faciamus. Itaque offerimus Deo in odorem suauitatis, virtutes omne genus, fidem, spem, charitatem.*

Euseb. de Demonstrat. lib. 1 cap. 6. τὴν οὐ δι' αἱμάτων.
Chrysost. contra Iudæos. orat. 3.
Euseb. de Demonstrat. lib. 2. λογικὰς καὶ ἀναίμους θυσίας.
Hieronym. in epist. ad Galat. cap. 4.
Cyrillus ad Reginas.
Cyrillus contra Iulian. lib. 10.

Hac de causa, precum nostrarum, cæterorúmque similium religionis nostræ munerum sacrificia dicuntur incruenta, quandoquidem nullam vel carnalem procurationem, vel sanguinis effusionem flagitant, quæ in Iudæorum, gentiúmque sacrificiis adhibita fuit, sed omni modo cœlestia sunt, & spiritualia, atque in ipsa duntaxat animi contemplatione consistunt.

Hoc eodem modo sacra & mystica liturgia, ab antiquis patribus nonnunquam sacrificium di-

Euseb. de Demonstrat. lib. 1. θυσιαστήριον ἀναίμων καὶ λογικῶν θυσιῶν κατὰ τὰ καινὰ μυστήρια. In eodē libro. In eodem. μνήμην ἡμῖν παραδοὺς ἀντὶ θυσίας προσφέρειν. Hieronym. ad Euagrium.

citur incruentum: Non equidem, quòd in ea corporis cuiusquam, carnísque adesse sine sanguine fingatur præsentia, sed quòd mentibus nostris vnicum illud, sempiternúmque sacrificium, quod in suo corpore Christus in cruce peregit, repræsentet, atque referat. Quapropter Eusebius habet: *Excitamus illi altare incruentorum & rationabilium sacrificiorum, secundùm noua mysteria.* Iterum: *Sacrificium incendimus illi, memoriam illius magni sacrificij.* Iterum etiam: *Christus obtulit mirabile sacrificium, pro salute omnium nostrum, iubens nos offerre memoriam pro sacrificio.* Sic habet Hieronymus, quanquam non simili planè ratione: *Pane, & vino, puro, & simplici sacrificio Christi dedicauit sacramentum.*

August. de gratia noui Testament. ad Honoratum. Iustin. Martyr. in Dialogis cū Tryphone. Chrysostom. in epist. ad Hebr. hom. 11. Chrysosto. in psal. 95. Hieronym. in psalm. 26.

Ista nimirum recordatio, laudúmque oblatio, ac Deo gratiarum, pro nostra in Christi sanguine redemptione actio, à priscis patribus *incruentum sacrificium*, ab Augustino *noui Testamenti sacrificium* appellatur. Iustinus Martyr habet: *Esaias non pollicetur cruentarum victimarum instaurationem, sed veras & spirituales oblationes laudis & gratiarum actionis.* Sic Chrysostomus: *Non iam sanguinē aut adipem offerimus, omnia hæc soluta sunt, & pro iis introductum est rationale obsequium. Quid est autem rationale obsequium? Quæ per animum, quæ secundùm spiritum offeruntur.*

Hoc sacrificij genus, quia à spiritu solo & mente manat, nullo indiget vel lapideo, vel sublicio altari, in quo offeratur, quasi sacrificium, quod in Missa fingit Hardingus, opus habet. Chrysostomus inquit: *Munus Euangelii sine sanguine, sine fumo, sine altari, cæterísque sursum ascendit.* In secundo concilio Niceno sic habetur: *Nos Christiani, propemodum quid sit Ara, & quid sit victima, nescimus.* Hieronymus habet: *Vnusquisque sanctus altare Domini in se habet, quod est fides.* Denique Augustinus scribit, *Sacrificium noui Testamenti est, quando altaria cordis nostri munda, & pura in conspectu diuinæ maiestatis offerimus.* Hoc modo preces, laudes, gratiarúmque actiones Deo pro nostra Christi sanguine perfecta salute, incruentum sacificium vocantur. Ex his coniecturarum Hardingianarum tenuitas facilè liquebit: *Sacra communionis administratio, nostráque submissa mortis Christi recordatio, sacrificium incruentum nominatur: Ergo Sacerdos Christum Dei filium, patri suo in sacrificium offerre potest.*

August. de tempore ser. m. 135.

Hardingus. 15. Sectio.

Cap 9

AVgustinus multas clarissimas de hac re in suis libris sententias habet: vna pro omnibus sufficiet, quæ scripta est in exiguo tractatu, quem contra Iudæos scripsit, his verbis: Aperite oculos tandem aliquando, & videte ab oriente sole, vsque ad occidentem, non in vno loco, vt nobis fuit constitutum, sed in omni loco offerri sacrificium Cristianorum, non cuilibet Deo, sed ei qui ista prædixit, Deo Israel. *Atque ita, cum ea protestatione, qua Beatus Augustinus apud Iudæos vsus est, hanc molestam tractationem in testimoniis pene totam recitandis positam, concludam, & sic Iuellum affabor. Aperi tandem oculos Iuelle, & vide, quemadmodum* [a] *omnes sancti & eruditi patres, qui Christi fidem ab oriente sole vsque ad occidentem prædicarunt, hanc doctrinam & verbis tradiderunt, & scriptis posteritati commendarunt, eos qui sub Christo sacerdotis officio secundùm ordinem Melchisedech funguntur, non modò potestatem, sed disertum etiam mandatum habere, vt Christum patri ipsius offerant.*

[a] Falsum: Nullus enim ex omnibus his e patribus h c recitatis, dixit vnquam sacerdotem, vel potestatem, vel mandatum habere filii Dēi ipsius patri immolandi.

Cuius quidem disciplinæ confirmatio, etsi ex vnius loci momento pendet, eam tamen nonnulla copia stabiliendam & corroborandam esse duxi, quò illam esse sine omni dubitatione verissimā constaret: in quo quidem non magnopere prolixitatis crimine commoueor, quandoquidem non id mihi proposui, vt gratias captarem, sed vt religionis catholicæ defensionem instituerem.

Episcopus Sarisburiensis.

August. aduersus Iudæos, cap. 1. Contra aduersar. legis & prophet. lib. 1. cap. 1 Aug. in lib. 80. quæ. qu. 61. In eadem quæstione. August. contra Faust. lib. 20. cap. 21. De conse. Dist. 2. sacrificium. August. de ciuitate Dei. lib. 10. cap. 5. Nazianzen. in Apologetico. Hieronym. in psalm. 51.

AVgustinus cùm his verbis, nouum istud Christi suo patri offerendi genus nec attingit, nec innuit, tum aliis compluribus locis, suam de hac causa sententiam perspicuè cumulatéque exponit. In suo contra Iudæos tractatu sic habet: *Sacerdotium Aaron iam nullum est in aliquo templo: At Christi sacerdotium æternum perseuerat in cœlo.* Rursum: *Sacerdos offert sacrificium laudis, non secundùm ordinem Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedech. Eius sacrificii similitudinem celebrandam, in suæ passionis memoriam cōmendauit: & illud, quod Melchisedech obtulit Deo, iam per totū terrarū orbem videmus offerri. Holocausti eius imaginem, ad memoriam passionis suæ in ecclesia celebrandam dedit. Huius sacrificii caro & sanguis ante aduentum Christi per victimas similitudinum promittebatur: in passione Christi, per ipsam veritatem reddebatur: post ascensionem Christi, per sacramentum memoriæ celebratur. Sacrificium hoc visibile, inuisibilis sacrificii sacramentum, id est, sacrum signum est. Quod appellamus sacrificium signum est & repræsentatio sacrificii.*

Adeò nos copiosè luculentérque docet Augustinus, quid ipse sacrificij nomine intellexerit: oblationem laudis: similitudinem: memoriam: imaginem: commemorationem: symbolum: signum: sacrificij repræsentationem. Sic Nazianzenus illud τῶν τῶν μεγάλων μυστηρίων ἀντίτυπον, hoc est, *magnorum mysteriorum figuram*, appellat.

Breuiter Hieronymus habet: *Tunc acceptabis sacrificium, vel cùm te pro nobis offers patri, vel cùm à nobis laudes & gratiarum actiones accipis.*

Neque verò certum aliquod externi sacerdotij genus instituit Dominus à quo hoc sacrificium agitaretur. Quisque pius ac fidelis homo, eiusdem immolandi, faciendique potestatem habet. Neque iam de sacramentorum celebratione, quæ quidem ad solum ministrum pertinet, sed de huiusce spiritualis sacrificij oblatione, atque immolatione loquor. Hæc præmonenda duxi, ne quisquam vel propter malitiam calumniaretur, vel ignorantia deciperetur.

Cypria. de vnctione Chrism.

Cyprianus ait: *Omnes, qui à Christi nomine dicuntur Christiani, offerunt Deo quotidianum sacrificium,*

crificium, ordinati à Deo sanctimoniæ sacerdotes. Origenes habet: *Omnes, quicunque vnguento sacri chrismatis delibuti sunt, sacerdotes effecti sunt, sicut & Petrus ad omnem dicit ecclesiam: vos autem genus electũ, & regale sacerdotium, gens sancta.* Augustinus scribit: *Holocaustum Dominicæ passionis offert quisque pro peccatis suis.* Ambrosius ait: *Inuicem expectate, vt multorum oblatio simul celebretur.* Chrysostomus inquit: *In mysteriis nihil differt sacerdos à subdito.*

Origen. in Leuiti. hom. 9. 1. Petr. 2. Aug. in exposi. inchoata. ad Roman. Ambrosi. in 1. Corinth. ca. 11. Chrysost. in 2. Cor. hom. 18.

Ex his antiquitate ac eruditione præstantibus patribus intelligi potest, Christiani cuiusque partes esse, incruentum hoc, & quotidianum noui Testamenti sacrificium facere, & quidem tam perfectè, ac cumulatè, quàm ipsius sacerdotis. Quam ob causam ipse Hardingus in Missæ suæ canone dicit: *Memento Domine famulorum, famularúmque tuarum, & omnium circũstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis.*

Ex Augustini verbis in extremo sic concludit Hardingus: *Christus est sacerdos secundùm ordinem Melchisedech: Ergo sacerdos potestate præditus est, Christi patri suo in sacrificium offerendi.* Difficile sanè dictu sit, quemadmodum Antecedens & Consequens ista cõgruerit. Nemini, præterquam nostro Hardingo, fas est incisis sic & comminutis Dialecticis vti.

Christus vnus ille est æternus sacerdos secundùm ordinem Melchisedech: sacrificium immolauit sempiternum: ipse Deo patri se in cruce obtulit. Quocirca Deus pater ad eum ait, *Tu es sacerdos in æternum:* non vlla mortalis, aut terrestris creatura, sed tu solus, qui Deus pariter, & homo es, ille es sacerdos in æternum. Diuus Paulus ait: *Consummati & sanctificati sumus, per illud vnicum sacrificium, semel in cruce factum.* B. Ioannes Euangelista ait. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* B. Petrus ait: *Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum.* B. Paulus ait: *Deus erat in Christo reconcilians mundum sibi ipsi.* Quare Iohannes Baptista dixit: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata Mundi.*

Hebræ. 7. & 9. Psal. 110. Hebræ. 9. 1. Ioã. 2. 1. Petr. 2. 2. Corinth. 5. Ioan. 1.

Si hoc Hardingus, suíque collegæ in dubium vocent, quemadmodum facere videntur, Christus ipse suo sanguini testimonium perhibeat. Cùm enim in cruce penderet atque animam exhalaret, omnia istis verbis consignauit, *consummatum est:* quasi diceret, hoc illud est pro peccato sacrificium: hoc patris mei ira placatur: hoc omnia perficiuntur.

Hoc sacrificium vnum est, non oportet expectare plura: plenum est atque absolutum, itaque nõ debemus quærere meliora.

D. Petrus ait: *Christus nos patri suo offert.* D. Paulus ait: *Per Christum aditum habemus ad thronũ gloriæ.*

1. Petr. 3. Hebræ. 4.

Quid ergo sibi vult Hardingus, quando ait, & tam magnopere contendit, sibi contrà concessam esse potestatem Christi offerendi, sistendíque ad tribunal gloriæ? Qua audacia subnixus à Deo petit, vt vnigenitum suum filium in gratiam recipiat, eúmque ipsius rogatu benignè, clementer, paternè aspiciat? Sic enim precationem suam in ipso Canone, reconditissima, religiosissimáque Missæ suæ parte instituit: *super quæ*, (hoc est, inquit Gabriel Biel, super corpus & sanguinem Christi filij tui,) *Propitio ac sereno vultu respice Domine: eadémq; suscipe*, (corpus nimirũ & sanguinẽ filij tui) *quẽadmodum olim sacrificium suscepisti Abeli & Abrahami* (quod vel ouis, vel vitulus, vel huiusmodi aliquid fuit.) Ita nempe non modò sibi assumit pro Christo precari, verùm etiam filij Dei sacrificium, pecudum hostiis confert. Si quid horum negauerit, suus ipsum Canon, suum Missale redarguerit. Aut hæc blasphemia est, aut quid tandem sit, non intelligo.

Deus autem blasphemo isti atque impudenti sacrifico respondebit: Filium meum noui: in eo acquiescit cor meum: tu verò quisnam es? quis ita te orare iussit? quis huiusmodi sacrificium à te postulauit?

O Hardinge, Deus tui cordis oculos aperiat, vt miserabilem causæ tuę orbitatem perspicere possis. Desine teipsum fallere, cunctos mortales ludere: perpende diligentiùs testimonia tua: Ex omnibus sanctis patribus, quorum te tantam habere copiam gloriaris, ne vnum potes, vel Græcum, vel Latinum, vel hæreticum, vel catholicum, in medium proferre, ab ortu adeo solis vsque ad occasum, qui sic vnquam dixerit, quemadmodum tu defendis, *Mortali cuiquam homni tributam esse authoritatem atque potestatem filij Dei in sacrificium offerendi.*

Copiam tuam, quando eris illam certiùs expertus, vendita. Iactabit Thraso, quæ non habet. Imperitos quidem hoc modo ad tempus terrueris: prudentibus verò nunquam tuam sapientiam probaueris.

FINIS.

DE ACCIPIENDO PRO ALIIS SACRAMENTO,

ARTICVLVS DECIMVSOCTAVVS.

Episcopus Sarisburiensis.

VEl sacerdoti datam esse potestatem sacramenti pro aliis percipiendi, quemadmodum illi faciunt.

Hardingus. I. Sectio.

QVid esses dicturus, Iuelle, non intelligo: quid dicas teneo. Equidem nos minimè communicamus, aut sacramentum pro altero sumimus. Neque verò in ecclesia catholica vnquam traditum fuit, sacerdotem accipere sacramentum pro altero. [a] *Nos sacramentum pro altero non accipimus, nihilo magis sumi, quam sacramentum Baptismi, aut sacramentum pœnitentiæ, aut sacramentum matrimonii sumimus, alter pro altero. Sacerdos verò Missam conficit pro aliis quando accipit, quod obtulit, atque hoc illud esse suspicor, quod vis: in qua missa, quæ est externum noui Testamenti sacrificium, iuxta Christi institutionem, illud quod offertur eiusmodi est, vt nostra postulata ac vota Deo grata reddat, quemadmodum Cyprianus scribit:* In huius (corporis) præsentia non superuacuè mendicant lachrymæ veniam.

Sacerdos sacramentum non sumit pro altero.

a Falsum: in ecclesia enim Romana sacerdos pro aliis sumit, vt apparebit.

In sermone de Cœna Domini

Quòd oblatio Missæ pro aliis fit, ne dum pro sacerdote solo, qui conficit, abundè confirmari potest innumeris patrum sententiis. Rebus ipsis minimè dubiis vna, aut altera suffecerit. Primum Chrysostomus sic in quandam homilia in acta scribit: Quid dicis? in manibus est hostia, & omnia proposita sunt bene ordinata: adsunt Angeli, adsunt Archangeli, adest filius Dei, cum tanto horrore adstant omnes, adstant illi clamantes omnibus silentibus, & putas simpliciter hæc fieri? Igitur & alia simpliciter, & quæ pro ecclesia & quæ pro sacerdotibus offeruntur, & quæ pro plenitudine ac vbertate? absit. Sed omnia cum fide fiunt.

In acta. hō. 21.

Episcopus Sarisburiensis.

HOc loco præclaram Hardingo Typographi erratum ansam dedit, sui intempestiua delectatione recreandi, ludendíque iocosè admodum his duobus verbis, *pro altero:* quæ sanè res quemuis potiùs deceat, quàm doctorem, præsertim, qui tantam seueritatis atque grauitatis personam sustineat, quantam alij perpauci. Potuit nobis ille, nullo suæ causæ incommodo, mediocrem saltem loquendi Anglicè facultatem tribuisse. Verùm Dei iustissima sunt iudicia: Qui luserit alios, ipse ludetur: Hardingus, tam doctus, tam cautus, tam curiosus, qui adeo se vnius syllabæ errato Typographi culpa commisso, in meo libro lætificat, eodem in loco proximáque in pagina quinque ipse syllabis simul in suo libro errauit: id quod facilè ex eo perspicitur, quod amicus suus præ pudore eum locum calamo correxit, atque emendauit. Quanquam vt suis erratis indulgens, tam egregiè in syllabis captandis ingeniosus est, atque in aliis cauillandis acutus ac præceps, ita in hoc omni articulo, quemadmodum tenues vnguētarij propter penuriam plerunque aliud pro alio vendere solent, sic nobis ille pro cōmunione, seu sacramento pro aliis sumpto, preces & sacrificia, & nescio quid ostentat, atque ita alienum proponit.

Num sacerdotibus in ecclesia Romana solenne fuerit, sacramentum pro aliis accipere, nécne, quod nunc Hardingus penitus negat, nec vnquam vel factitatum fuisse, vel in mentem cuiquā venisse contendit, in exitu huius articuli, approbante Deo, manifestum erit.

Id quod offertur (inquit Hardingus) *preces nostras Deo facit gratas.* Ita quidem est, Deus in bonam partem accipit, atque cùm nos ipsos, tum preces etiam nostras omnes, totámque obedientiam nostram in Iesu Christo filio suo, & propter filium suum clementer aspicit: Non quòd nunc à sacrifico verè ac realiter offerri possit, sed tantùm quòd semel esset in cruce in perpetuum oblatus. Paulus ait: *Per Christum habemus aditum ad thronum gratiæ.* Christus ipse dicit: *Nemo venit ad patrem nisi per me.* Irenæus habet: *Christus in cælo nostra est ara, & in eo offerre ac ponere preces nostras debemus.* Itaque dum sacra celebrantur mysteria, Diaconus sic populum hortatur, *Sursum corda.*

Hebræ. 4.
Ioan. 14.
Irenæ. lib. 4. ca. 34.

At Cyprianus ait: *In huius corporis præsentia.* Quāquā Cyprianus nō dicit, *in locali huius corporis præsentia.* Eiusmodi namque præsentiā Hardingus ipse iamdudum repudiauit. Fidei dūtaxat præsentiā, corporisque Christi diuinam vim atque potentiam intelligit. Hoc etiam sensu Augustinus dicit: *Rerum*

Cyprian. de Cœna Domini.
Aug. de trinit. lib. 3.

Rerum absentium præsens est fides: & rerum quæ foris sunt, intus est fides. Rursus habet: *Accedamus ad Iesum non carne, sed corde: non corporis præsentia, sed fidei potentia:* Iterum etiam: *Habes Christum in præsenti, & in futuro: in præsenti per fidem, in præsenti per signum: in præsenti per baptismatis sacramentum: in præsenti per altaris cibum & potum.* Hieronymus de Paulę ad Eustochium epitaphio scribens, sic habet: *Paula ingressa est in stabulum, me audiente iurabat, cernere se oculis fidei, infantem pannis inuolutum, & vagientem in præsepi Dominum.* Tantæ nimirum sunt fidei vires. Pia domina Paula, fide se vidisse dixit, quod reuera non vidit: Christus enim neque tum infans fuit, neque pannis inuolui potuit, neque corpore præsens reipsa adfuit. Proinde Augustinus ait: *Absentia Domini non est absens. Habe fidem, & tecum est, quem non vides.* Similiter Ambrosius: *Stephanus in terra, tetigit Dominum in cœlo.* Ita nimirum Cyprianus, Christi corpus in sacra communione præsens adesse scribit, non quidem corporali quodam, aut reali modo, sed potentissima fidei virtute.

Augu$t$.aduersus Iudæos c.1.
Augu. in Ioan. tractat.51.
Hieronym. ad Eustochium de Epitaphio Paulæ.
Ambrosi serm. 58. de Magdalena.

Hoc modo dixit Eusebius Emissenus: *Vt perennis illa victima viueret in memoria, & semper præsens esset in gratia.* Non ait, vt victima corporis Christi localiter, aut realiter, aut verè, sed in memoria, & in gratia præsens esset. Germanus de hac re sic scribit: *Non amplius super terram sumus: sed in throno Dei, regi assistimus in cœlis, vbi Christus est.* Propter illum agnum, quem hoc modo & videmus & præsentem habemus, quidquid petimus, non frustra mendicant lachrymæ nostræ. Ipse enim est aduocatus & mediator noster, sempérque pro nobis intercedit. Quicquid à patre ipsius nomine postulamus, nobis subministrabit.

De consf. dist.2. quia corpus.
Germa. in rer. ecclesi. Theoria.
1.Ioan.2.
Roma.8.
Hebræ.7.
Ioan.16.

Ita angeli & archangeli, quemadmodum Chrysostomus δειγματικῶς scribit, Christi corpus tollentes, ac præferentes, Deóque patri in cœlis sistentes, pro genere humano vota faciunt ad hunc modum: *Pro iis Domine rogamus, quos tu adeò dilexisti, vt pro eorum salute mortem obires, animam in cruce efflares: pro iis supplicamus, pro quibus ipse tuum largitus es sanguinem: pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolasti.* Hæc Chrysostomi verborum est sine dubio sententia: proinde sic rursus ait: *Siue pro ecclesia, siue pro ministris, siue pro terræ incremento oramus, preces nostræ Deo gratæ sunt, tantùm in Christo & propter Christum.*

Chrysosto. de incomprehen. Dei natura homil. 3.

Quod insuper de Angelorum, cœlestiúmque potestatum præsentia & quasi consessu scribit, id suo quodam & legitimo dicendi more facit: non modò quò rem ipsam exornet, sed etiam, quò auditorum mentes excitet atque inflammet, non in ipsa duntaxat mysteriorum celebratione, sed in omnibus quoque sacris cõuentibus, publicísque precibus. Sic enim ad populum ait: *Angeli sunt vbique, & maximè in domo Dei. Adsunt regi, & omnia plena sunt incorporeis illis virtutibus.* Simili exaggerationis genere scribit: *Martyres hic in ecclesia præsentes adsunt. Si eos videre volueris, fidei tuæ oculos aperi, & magnam multitudinem videbis.* Sic habet Basilius: *Angeli in singulis ecclesiis describunt eos, qui ieiunant.* Sic Tertullianus: *Ne quis durius credat Angelum Dei sanctum aquis in salutem hominis temperandis adesse.* Hoc illa sibi vult illustris præsentiæ angelorum amplificatio.

Chrysosto in homil. 15. ad Hebræ.
Chrysostom. in homil de ascẽsione.
Basil. de ieiunio hom.2.
Tertullian. de baptismo.

Quod autem Hardingus innumera se patrum testimonia prætermisisse scribit, quibus in hac causa vti potuit, hic quidem eius est tritissimus fucus, & rhetoricum stratagema: Hactenus verò nullum planè nactus est testimonium, quo, quod in controuersiam vocatur, confirmaret.

Hardingus. 2. Sectio.

Ambrosius in funebri sua in Valentinianum imperatorem oratione, sacramentum altaris sacrum & cœleste mysterium, & oblationem matris nostræ, (quo vocabulo ecclesiam significat) appellat, séque sanctam illius imperatoris animam eo prosequuturum affirmat. Hic pater in Psalm.38. sacerdotes ad Christi imitationem hortatur, vt quemadmodum ipse pro nobis sanguinem suum obtulit, ita sacerdotes sacrificium pro populo offerant. Hæc ipsius verba sunt. Vidimus principem sacerdotum ad nos veniẽtem vidimus & audiuimus offerentem pro nobis sanguinem suum: sequamur vt possumus sacerdotes, vt offeramus pro populo sacrificium, etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio, &c.

Episcopus Sarisburiensis.

Facilis est & explicata responsio. Ambrosius se in ecclesia, quando sacra mysteria procurantur, Deo laudes gratiarúmque actiones pro illo præstantissimo imperatore oblaturum pollicetur. Non autem ait se Christum Dei filium patri suo immolaturum, aut sacramentum pro imperatore percepturum. Potuit itaque hoc etiam Hardingus cum cæteris præterire testimonium. Neque verò in purgatorio fuisse Valentinianum existimauit Ambrosius, quo in loco illi subueniri potuisse fingit Hardingus: sed contrà in cœlo fuisse sibi certissimè persuasit: Sic enim de eo scribit: *Quænam est hæc anima prospiciens sicuti diluculum, speciosa sicut luna, electa sicut sol? prospicis nos sancta anima de loco superiore tanquam inferiora respiciens. Existi de tenebris istius seculi, & vt luna resplendes, vt sol refulges.* Porro ait: *Cum fratre coniunctus æternæ vitæ fruitur voluptate: beati ambo.* Quare sacrificij genus illud, quod Ambrosius adhibuit, neque propitiatorium, neque satisfactorium, neque Missa quæuis fuit, quibus fretus Hardingus, animas è purgatorio pro libito, quasi stipulatione quadam interposita, liberare se posse putat, sed solùm εὐχαριστικὸν fuit, in quo gratias Deo opt. max. pro imperatore illo in cœlis iam agente egit. Alter ille locus Ambrosij cum hanc causam nihil attingit, tum in Articulo 6. sect.7. & articulo 17. sect.12. abundè diluitur.

Ambrosi. de obitu Valenti. Imperat.

Hardingus. 3. Sectio.

Missæ oblationẽ pro aliis utiliter fieri B. Gregorius dilucidè testatur in homilia 37. interpretans locum Lucæ cap.14. Alioqui legationẽ mittẽs, ea quæ pacis sunt postulat: *In hæc verba sic habet:* Mittamus ad Dominũ legationẽ nostrã flendo, sacras hostias offerendo. Singulariter nãque ad absolutionẽ nostrã, oblata cũ lachrymis, & benignitate mẽtis, sacri altaris hostia suffragatur. *In ea homilia docet corporis Christi oblationẽ in isto sacramẽto, quod in Missa fit, vtilitati & consolationi esse, non modò præsentibus, sed absentibus etiam, viuis simul & mortuis, quod exemplis sibi ipsi notis confirmat.*

Qui causam hanc antiquitatis testimonio confirmatam esse cupit, vnde cõstet Apostolorum temporibus, Episcopos & sacerdotes in horrendo illo sacrificio pro aliis obtulisse atque orasse, veluti pro quouis hominum gradu ac genere, nec non pro salubritate aëris, & frugum terræ vbertate, &c. legat octauum librum constitutionum Apostolicarum literis à Clemente proditarum.

Episcopus Sarisburiensis.

Precatio pro mortuis non est ex eorũ capitum numero, quæ confirmãda Hardingus suscepit: itaque pro more suo aliud nobis pro alio ostendit. Hoc autẽ precandi genus, etsi planè superstitiosum est, omníque prorsus Diuini verbi authoritate caret, in nonnullis tamen locis inualuisse, atque in more multis, cùm ipsius Gregorij ætate, tum aliquot antè seculis, positum fuisse, nõ ignoro, atque à Gregorio etiam magna inanium puerilíumque fabularum multitudine defenditur. De sacræ communionis mysterio sic loquitur: *Iterum in hoc mysterio Christus moritur: eius quoque vbique corpus sumitur: eius caro in populi salutẽ patitur. Hæc salutaris victima, illã nobis mortẽ vnigeniti per mysteriũ reparat.* Vt Christus patitur, & moritur, vtque eius in sacrosancta communione renouatur mors atque suppliciũ, ita etiam in eadem offertur, ac immolatur: hoc est, quemadmodum ipse se Gregorius interpretatur, *per repræsentationem & memoriam*, non verè, non realiter, non reipsa.

> De consf. dist 2. Quid sit.
> Greg in Euangel. hom. 37.

De re autem ipsa, de qua nunc quæritur, nõ ait Gregorius, neq; hîc, neque vspiã, vel sacerdotem communionem pro reliqua vicinorum suorum multitudine sumere, vel alterius sumptionem pro altero valere. Sacrificium cuius meminit, nihilo magis est sacerdotis, quàm cuiusuis omnino hominis plebeij. Sic enim eadem fabula scribit: *Toties Mariti vinculo soluebantur in captiuitate, quoties ab eius coniuge oblatæ fuissent hostiæ pro eius anima absolutione.*

> Greg. in Euangel. homil. 37.

Huius autem suppositij Clementis verba, in quo magnũ Hardingus simulatæ antiquitatis præsidiũ posuit, quod agitur, planè non attingunt. Sic enim modò habent: *Offerimus tibi, Regi & Deo secundùm Christi institutionẽ, hunc panẽ & hoc poculum per illum gratias agentes tibi.* Atque ne dicere posset Hardingus propitiatoriũ hoc fuisse pro mẽtibus in purgatorio cõstitutis sacrificiũ, Clemẽs iste præterea habet: *Offerimus tibi pro omnibus, qui à seculis tibi placuerũt, sanctis, patriarchis, prophetis, iustis, Apostolis, martyribus,* Hosce vniuersos in purgatorio fuisse non dixerit opinor Hardingus. De communionis autem perceptione sic ait: *Postea recipiat episcopus, deinde presbyteri, Diaconi, subdiaconi, Lectores, cantores, religiosi, Diaconissæ, virgines, viduæ, pueri: & tota ecclesia ordine, cum sobrietate, & reuerentia, sine confusione.* Ex hoc istius Clemẽtis testimonio intelligimus, totum cœtum sacramentum simul sumpsisse, pro se quemque, non alterum pro altero.

> Clemẽs Apost. constitu. lib. 8.

Iam verò quòd Hardingus omnino negat, quenquam in ecclesia sua sacramentum pro aliis accepisse, quippe qui manifestam eius futilitatem nonnihil improbet, vt hanc controuersiam paucis transigamus, illum, cùm ad Missæ suæ vsum, tũ ad Catholicissimos suæ scholæ doctores relego.

In suo *Requiem* canit hoc modo: *Pro quorum memoria corpus Christi sumitur, &c.* Si inuolucri forsan aliquid, quo istuc obducat, excogitare poterit, tamen sui doctores & ita sunt dilucidi, vt eludi non possint, & authoritatis etiã tantæ, vt repudiari non debeant: sanè quidẽ illi orthodoxæ ecclesiæ religionis magistri semper sunt habiti. Gabriel Biel habet: *Sicut os materialis corporis, nõ sibi tantùm edit, sed alimentum etiã percipit ad cæterorum membrorum sustentationẽ, quod in totũ corpus transfunditur: sic etiam sacerdos sumit sacramentũ, eiúsque vis in singula ecclesiæ mẽbra diffunditur, maximè in eos, qui in Missa præsentes adsunt.* Similiter Vincẽtius de Valẽtia: *Tota Christianitas vnum est fide & charitate conglutinatum, & ex multis membris constans: sacerdos autẽ os est corporis. Quare quando sacerdos sacramentũ accipit, cuncta mẽbra reficiuntur.* Rursus habet: *Nos communicamus ore sacerdotis, audiendo Missam.* Perinde ait Doctor Eckius: *Populus bibit spiritualiter, per os sacerdotis.* Hæc diserta verba sunt, & integrè recitãtur. Quæ cùm vera sint, cõtra affirmantẽ Hardingum falsum esse necesse est.

> Biel. lectio. 81.
> In sermo. 2. de Epiphania.
> Eckius de vtraque specie.

Sic Marcionitas antiquos hæreticos Chrysostomus, viuentes quosdam pro aliis, qui obierant, baptizare solitos esse scribit: à quibus ij, qui nũc catholici haberi volunt, suã hac in parte disciplinam hausisse videntur. Atque vt genus quoddã huiusmodi peruersitatis vsurpatum quidẽ aliquando esse, faciliùs sibi persuaderi patiatur, memoria repetat, quemadmodũ in sua ecclesia episcopus, quando Anagnostã instituit, hanc ei potestatẽ mandat: *Accipe potestatem legendi Euangelium, tam pro viuis, quàm pro defunctis.* Quare quod istuc Hardingus tam pertinaciter negat, in eo manifestam, exploratámque veritatẽ negat, suorúmq; doctorum fidem atque existimationem infringit.

> Chrysost. in 1. Cor. hom. 40.

Postremò iure nunc, vt antè, dixerim, Hardingum, cùm de re in controuersiam adducta certi nihil habeat, quod proferat, atque interim paginas suas, aliena de precibus & sacrificio disputatione compleuerit, in eo nonnihil & lectoris sui patientia abusum esse, & alterum pro altero ostentasse.

FINIS.

DE APPLICATIONE,

ARTICVLVS DECIMVS NONVS.

Episcopus Sarisburiensis.

VEl tum sacerdotem potuisse mortis passionísque Christi virtutem cuiquam in Missa applicare.

Hardingus.

VIRTVS mortis passionisq; Christi est gratia, ac remissio peccatorum, iræ diuinæ placatio, nostra cum Deo recõciliatio, liberatio à Diabolo, inferno, & æterna damnatione. Aduersarij nostri nobis ascribentes, quasi diceremus, atque doceremus sacerdotem hãc mortis Christi virtutem, & efficacitatem & meritum alteri per Missam applicare, in[a] *eo vel ingnorantia de nobis mẽtiuntur, vel malitia calumniantur, Equidem nos ita nequaquam dicimus: neque passionis Christi efficacitatem sacerdos cuiquam per Missam applicat. Precationem duntaxat suam, & oblationis intentionẽ applicat, rogãs Deũ opt. max. vt meritũ atque virtutem mortis filij sui, (cuius in Missa cõmemoration celebrat,) illis, pro quibus precatur, applicet. Deus est, non alius quisquam, qui remissionem peccatorum nobis applicat: sacerdos tantùm eam petit, & per commemorationem mortis filii sui, eum ad applicandum incitat: Omnis itaque sacerdotis actio petitione & precibus continetur, totámque applicandi potestatem atque authoritatem Deo relinquit: quæ sacerdotis precatio maximi esse momenti putanda est, quando dignè religioséque in Missa nuncupatur: in qua sacerdos totius ecclesiæ personam gerit, suásque preces in sacrificio offert, in quo Christũ ecclesia, séque ipsam Deo per Christum immolat.* [b] *Quam eius precationem & deuotum ministerium offerri postulat per manus angelorum supremo Dei altari, in conspectu diuinæ maiestatis. Quantarum sint virium preces in Missa factæ sanctus episcopus & martyr Cyprianus testatur,* (qui Missæ in omnibus suis libris nunquam meminit (*quando ait, In huius sacramenti præsentia, non superuacuè mendicant lachrimæ veniam: & sacrificium contriti cordis nunquam repulsam patitur.*

In sermone de Cœna Domini.

[a] Falsum: in Romana enim ecclesia sacerdos sibi sumit, vt Christi merita per Missam applicet quemadmodũ docebo.

[b] Falsum: sacerdos enim orat, vt corpus Christi sursum feratur in manibus angelorum.

Episcopus Sarisburiensis.

NOS verò Hardingianum dogma, neque propter inscitiam sumus ementiti, neque propter malitiam calumniati: sed apertè illud veréque proposuimus, quemadmodum idem cum ipse, suique recentes doctores tradiderunt, tum vniuersus in ecclesia Romana populus ab illis vbique accepit.

Quemadmodum autem priscis temporibus, Dominus Philistæis mandauit, vt mures, Mariscósque aureos offerrent, quæ tanquam testimonia quædam & indicia diuinæ vltionis, qua illorum scelera punitus est, sempiterna remanerẽt, si in posterum negare vellent: ita summè cauit Deus vt veterum, quos aduersarij nostri defendebant, errorum, quorúmque nunc illos pudet, vt videtur, monimenta integra & salua conseruarentur, suorumque adeò doctorum literis proderentur, quibus, si ea deinceps mutata sententia, pro suis agnoscere nollent, clarè reuincerentur, atque se illorum, qui populo imposuerant, posteros, filiósque esse fateri vel inuiti cogerentur.

1. Samuel. 6.

Quod enim Hardingus in illa bene longa oratione, in qua causam hanc obscurare, & quasi caligine quadam inuoluere conatur, sic ait, *Deus vnus est, non alius quisquam, qui Christi mortem remissionémque peccatorum nobis applicat:* Ioannes Scotus celeberrimus simul, & in maximis catholicis Doctoribus numeratus, contrarium statuit his verbis: *Non solus Deus distribuit virtutem sacrificii, sed sacerdos quoq;.* Deinde Gabriel Biel alter Hardingianus doctor similiter habet: *Vis & efficacitas sacrificii distribuitur, & applicatur non solùm à Deo, sed etiam à sacerdote. Solus, & non solus,* pugnantia sunt: si alterum verum sit, falsum esse alterum est necesse. Pòst etiam ait: *Sacerdotis est, determinare virtutem sacrificii, vt his, vel illis indigentibus præmium reddendum per huiusmodi ecclesiæ sacrificia conferatur.* Quod etiam illustri luculentóque exemplo confirmat in hunc modum: *Quemadmodum Papa primatus iure, potestatem habet distribuendi Thesaurum ecclesiæ* (intelligit autem indulgentias) *aliis plenam peccatorum remissionẽ donando: cum aliis pro parte tertia pœnarum dispensando: aliis etiam certorum vel dierum, vel annorum veniam indulgendo prout populi deuotioni aptissimum esse videt: Similiter* inquit, *secerdos potest dispensare & diuidere ecclesiæ merita, vt illi vel illi possit applicare, prout ei commodissimum fore videbitur.*

Quodlibet quæst. 20. Biel. Lectione. 26. Biel in eadem Lectione.

Vt illi, vel illi possit applicare.

In Sũma Angelica sic habetur: *Missa valet iis, quibuscunque eã sacerdos per intentionem suã applicare voluerit.* Deinde: *Missa respectu operis operati, nihil aliud est, quàm applicatio meriti passionis Christi.* Sic Vincentius de valentia non ignobilis è Scholasticorum grege Catholicus: *Virgo Maria*

Sũma Angelica. in Missa. Vincen. de Valentia. in 1. sermon. de corpore Christi.

Holcot. in 4. sen. quæst.3. in eadē quæst.

solùm semel aperuit cœlum: Sacerdos autem quotidie aperit, & in qualibet Missa. Doctor Holcotus habet: *Quid est celebrare Missam principaliter pro aliquo? R. Est applicare Missam Ioanni, quòd sit quædam satisfactio apud Deum pro anima Ioannis, si indigeat.* In quo etiam magnem dubitationam proponit, vtrùm sacerdos vnam Missam duobus hominibus applicare poterit, vt vtrique interim satisfaciat.

Biel Lectione 26.

Biel etiam scribit, quosdam subleuandæ sacerdotis memoriæ causâ eum docuisse, vt Missam per omnes declinationum casus diduceret atque applicaret hoc modo: *Nominatiuo, Missa pro seipso: Genitiuo, Missa pro Patre & Matre: Datiuo, Missa pro Fūdatoribus, & benefactoribus suis: Accusatiuo, Missa pro inimicis & accusatoribus suis: Vocatiuo, Missa pro peccatoribus & infidelibus: Ablatiuo, Missa pro obtrectatoribus, & maledicis suis.*

Horum nunc Hardingum pudere videtur: atque hæc tamen non ita multis retrò seculis, catholica fuit ecclesiæ suæ, generalisque disciplina, in omnibus vbique regionibus tradita: in Anglia ab Holcoto: A Vincentio in Hispania: à Biele in Gallia: in Italia ab Angelo: vel potiùs ab hisce cæterisque omnibus per vniuersam Romanam ecclesiam. Hinc tanta est nata Missarum nundinatio atque mercatura, vt Dei Domus in speluncam latronum meritò esse conuersa videretur.

Quare, quod Hardingus, cùm nullam aliam harum ineptiarum defensionem adhibere potuisset, quæ à nobis obiiciuntur, tanquam malitiosas & imperitas suspiciones reiicit, ac repellit, in eo quidem & ecclesiæ suæ statum, non satis ipsi esse perspectum ostendit, & acrioribus stimulis incitatus, quicquid ei libet conuitiorum, in nos effundit, atque eo pacto errorem & ignorantia condit, & malitia suum.

1. Ioan. 5. August. in expositione inchoata ad Roman. Origen. in Leuiti. Homil. 3. Orige. in epist. ad Roman. lib. 3. cap. 3.

Verùm vt & quid de hac re nobis sit sentiendum exponamus, & Lectori etiam paucis satisfaciamus, illud omnino tenendum est, penes esse Deum vnum, nedum sacerdotem, peccatorum cuique suorum remissionem in sanguine Christi assignare: non Missę quidem, sed fidei tantùm interuentu. B. Ioannes habet: *Qui credit in filium Dei, habet testimonium in seipso.* Augustinus habet: *Holocaustū Dominicæ passionis, eo tempore offert vnusquisque pro peccatis suis, quo eiusdem passionis fide dedicatur.* Sic eruditus ille Origenes scribit: *Siclo sancto comparandus est nobis Christus, qui peccata nostra dissoluat. Siclus sanctus fidei nostræ formam tenet. Si fidem obtuleris, tanquam pretium remissionem accipies peccatorum.* Rursus etiam habet: *Christus factus est hostia, & propitiatio pro peccatis. quæ propitiatio ad vnumquemque venit per viam fidei.*

Hæc est certissima, miniméque dubia meritorū, mortísque Christi applicatio. Diuus Paulus ait: *Deus posuit Christum, vt esset reconciliator noster per fidem, in meditatione sanguinis sui.*

FINIS.

I. B.

DE OPERE OPERATO.

ARTICVLVS VIGESIMVS.

Episcopus Sarisburiensis.

VEl tum doctrinæ genus sanum habitum fuisse, Missam ex opere operato, aliquam peccatorum nostrorum partem tollere posse.

Hardingus. 1. Sectio.

RE quidem vera, dogma in hoc articulo proditum, & falsum est, & de Christi Seruatoris gloria multum detrahit. Sic enim dignitas sacrificij Christi, quo semel pro peccatis omnium satisfecit, ad sacerdotis opus transferetur, quod & summi sceleris esset, & detestandæ blasphemiæ. Itaque non exigemus à Iuello, vt cedat hac in causa, atque isti articulo subscribat. Fatemur enim hanc nunquam pro sana doctrina habitam esse intra sexcentos à Christi ascensione annos, nec ita habitum vnquam iri, intra sex mille ab eadem annos à quoquam sanæ fidei.[a] *Neque sanè fuit illa vnquam in ecclesia catholica tradita, vtcunque nostris aduersariis Doctores scholasticos eiusdem falsò & maledicè accusare libeat. Christus enim solus, nec quisquam præterea peccata nostra tollere potest: quod etiam fecit per sacrificium corporis sui, semel in cruce immolati. Cuius sacrificii semel in cruce, cum sanguinis effusione peracti, hoc incruentum Altaris sacrificium, quod est quotidianum ecclesiæ sacrificium, vulgò autem Missa appellatur, exemplar est & cōmemoratio,*[b] *in quo illud ipsum corpus habemus, quod in cruce pependit. Neque verò exēplar duntaxat & cōmemoratio est, sed idē ipsum sacrificium est, quod in cruce oblatum fuit: exēplar & commemoratio respectu ipsius modi, quia sine sanguinis effusione fit: idem ipsum, quandoquidem id, quod offertur, hoc ipsum est, quod*

a Falsum: Etenim & tradita, & vsurpata fuit, vt ostendam.

b Falsum: Chrysostomus enim ait, *In vasis sacris, non verum corpus Christi, sed mysterium corporis eius continetur.* in opere imperfect. Homil. 11.

Psal.83.

est, quod in cruce oblatum fuerat: quandoquidem etiam ipsi a nobis nihil habemus Deo iucundum, quod offeramus, hoc filij sui corpus tanquam gratissimum sacrificium offerimus, rogantes illum, vt non nostram dignitatem, nostram actionem, nostrum opus respiciat, sed faciem Christi sui dilectissimi filii intueatur, propterque illum nostri misereatur.

Quomodo Missæ valeat ex opere operato.

Hoc autem respectu, minimè dubitamus, quin hoc sacrosanctum Missæ sacrificium valeat, efficaxque sit ex opere operato, *non quemadmodum Iuellus interpretatur, quia Missa dicitur, & fit, in quo opus operatum ad ipsam sacerdotis actionem refert: minimè sic: Sed propter ipsum opus, quod Deus ipse operatur, per sacerdotis ministerium, nullo ad eius meritum atque opus habito respectu, quod est corpus & sanguis Christi, cuius fractio atque effusio in hoc mystico sacrificio, quousque homini sanctus spiritus expedire iudicauit, repræsentatur, ostenditur, memoriæ quemandatur. Quod corpus atque sanguis, quãdo,*[a] *iuxta eius mãdatum Deo offertur, non nostri operis ratione, sed propter se, propterque sacram vnigeniti filii sui institutionem, gratissimum illi est sacrificium, pro viuis simul & mortuis, si nullum is, qui sumit,*[b] *obicem posuerit. Mortuos intelligo eos solummodo, qui per fidem se redemptionis per Christum acquisitæ commendarunt, perque hanc fidem à Deo meruerunt, vt postquam hinc migrarint, quemadmodum Augustinus ait, hoc illis sacrificium prodesse posset.*

De octo q. Dulcitij. q. 2.

a Falsum: Christus enim hoc nunquam mãdauit.

b Ineptum, & sibi contrariũ: mortui enim obicem ponere non possunt.

Episcopus Sarisburiensis.

ISTA vocabula, *Opus operatum, Opus operans, Opus operantis*, cùm peregrina, barbaráque sunt, tum nusquam vel in scripturis, vel in priscis doctoribus, vel in antiquis conciliis leguntur: à recentibus modò scholasticis Hardingianarum partium Doctoribus inuenta nuper admodum sunt: qui tamen nondum, vel de inuenti sui ratione consentire, vel cuiusmodi tandem inuentum excogitarint, certò statuere potuerunt.

Opus operantis quidam eorum opus dignitatémque sacerdotis appellant. Innocẽtius autem tertius, ipsum potiùs sacerdotem eo nomine significari censet. Similiter de his verbis, *Opus operatum*, mirificè litigarunt, neque dum certi aliquid constitutum habẽt. Scotus, & Biel ait, esse *Consecrationem, oblationem, & perceptionem sacramenti.* Gerson, *Creatoris verbum esse, & sancti spiritus virtutem* contendit. Pigghius, *Dei voluntatem esse defendit, qui sacramentum in hunc finem instituit.* Gropperus Coloniensis ait, *Christi corpus esse.* Quanquam per esset absurdum dictu, vel Christi corpus esse verbum, vel verbum aliquod esse corpus Christi.

Biel Lectio.27. Gerson. contra Floretum.li. 4. Scotus. Quodli ar.2. Innocentius. lib 3.cap.5. Biel Lectio.27. Scotus. Quodlib.ar.2. Gerson. contra Floretum.li.4. Gropper. arti. 4.cap.19.

Non mediocris cuiusdam artis facultatísq; videatur, hasce omnes conciliare contrarias atque pugnantes sententias. Ita semper vsuuenire solet, vbi homines incertè nullóque proposito scopo iaculantur.

Verùm enimuerò si neque Hardingus ipse, nec quisquam Hardingianus Collega, hæc verba, ***Opus operatum*** in Concilio vllo Doctoréue antiquo reperire queat, tum quicquid Hardingus contrà tam multis dixerit, mea tamen constat veráque permanet sententia. Quod si autem ipse, suíque astipulatores hanc doctrinæ formulam ita proposuerint atque diuulgarint, quemadmodum est à me prodita, tum verò confitente Hardingo, impiam & blasphemam, atque ad hominũ fraudem comparatam doctrinam defenderunt, & Christi gloriam ac crucem, per summum scelus violarunt. Quandoquidem autẽ Hardingus sua nunc erubescere vocabula videtur, eáque propterea ineptis quibusdam & alienis interpretationibus euitare atque eludere conatur: erit profectò operæpretium huius causæ veram sententiam explanare, adhibitis tum veterum authorum priscis monumentis, quorum ætate & nata est & improbata similis peruersitas, tum disertis probatissimorum Hardingianorum Doctorum verbis.

Augustinus suo seculo nonnullos extitisse scribit, qui & crederent & populum docerent, si quis baptismate semel imbutus fuisset, & communionem sumpsisset, quantumuis postea & sceleratè vitam institueret, & hæreses prauámque doctrinam tueretur, eum tamen nunquam damnari posse, quandoquidem baptizatus modò esset, & communionem semel accepisset: Quod nunc quidem *opus operatum* appellatur.

August. de ciuita Dei. lib. 21. cap.19.

Chrysostomus habet: *Mulieres & parui pueri pro magna custodia ad collum suspendunt euangelia.* Nimirum ita sibi persuaserunt, ipsum Euangelium per se, ab omni eos calamitatum periculo seruare posse, non quòd in illud crederent, sed quòd ad collum modò, instar amuleti suspenderent: Atque hoc etiam *Opus operatum* dicitur.

Chrysosto. ad popul. Antioche. Hom. 20. Chrysostom. in 1. Corin. Hom. 43.

Ita neque defuerunt olim, qui mera superstitione inducti, demortuis præbere communionem, atq; sacramentum in ora illis ingerere solerent. Sic etiam D. Benedictus sacramentum in pectus cuiusdam mulieris, quæ obierat, imponi iussit, ipsam duntaxat externam ceremoniam, fide, internóque pietatis sensu carẽtem, nonnihil ei profuturam arbitratus. Atque hoc itidem *opus operatum* nuncupatur.

Hieronym. in Matthæ. lib.4. cap.23. Concil. Carthagin. 3. Can. 6. Inter decreta, Deusdedit. cap.12.

Ipso adeo Paulo superstite, quidam consimili superstitione commoti mortuos baptizare cœperunt: Atque ea etiam praua consuetudo pòst ad longum tempus durauit, quemadmodum è Concilio Carthaginiensi liquet. Existimabant enim ipsam Baptismi externam actionem, ex eo tantummodo quod adhiberetur, sine vllo mentis instinctu, ad peccatorum conciliandam remissionem, satis habere virium.

Concil. Carthagin. 3. ca.6.

Hunc vetustum errorem aduersarij nostri nuper renouarunt, atque catholicum fecerunt, populóque persuaserunt suam Missam *ex opere operato*, per se solummodo, quia celebratur ad peccatorum promerendam veniam, permultum valere.

Biel Lectione. 27. Scotus Quodli. ar.2.

Sic illi sua somnia interpretantur: *Ex opere operato: id est ex ipsa consecratione & oblatione, & sumptione venerabilis Eucharistiæ.* In Manipulo Curatorum, qui liber superiore memoria, omnibus ecclesiarum rectoribus atque curionibus pernecessarius esse visus est, quasi qui vniuersam ecclesiæ Dei necessariam doctrinam complecteretur, ad hunc modum scribitur: *Opus operatum est actus exercitatus circa sacramentum: sicut opus operatum in Baptismo, est inspersio vel immersio aquæ, & prolatio verborum.* Ideo Cardinalis Caietanus Augustæ Germanorum, cùm Lutherum vrgeret, vt de hoc articulo Palinodiam caneret, sic dixit, *Fides non est necessaria accessuro ad Eucharistiam*: in quo sensit, ipsum sacramentum ex eo duntaxat, quod procuraretur, satis esse, quantumuis is qui sumit, ab omni fide vacuus fuerit.

Manipulus Curatorum. In Paralipomenis Vrspergen. An.1518.

Concil. Tridẽ. Session.81.

Hoc etiam Episcopos Tridentinos impulit, vt ita sancirent: *Si quis dixerit, per sacramenta Nouæ Legis, non conferri gratiam ex opere operato, sed fidem solam diuinæ promissionis sufficere ac gratiam consequendam, anathema sit.*

Biel Lectio 81.

Similiter Gabriel Biel: *Hoc sacrificium in illis, pro quibus offertur, non præexigit vitam spiritualem in actu, sed in potẽtia. Neque verò hoc Augustini verbis repugnat, Quis offeret corpus Christi, nisi pro ijs duntaxat, qui sunt membra Christi? Sic enim statuimus, oblationem fieri pro membris Christi, quando pro vllis fit, qui esse membra Christi possunt.*

Inde verò Cardinalis Caietanus, etsi in publico colloquio contra Lutherum, atque in contrariam sententiam egisset, tamen errorem in eo sui temporis generalem agnoscit. Sic enim scribit: *Vnde in hoc videtur communis multorum error, quòd putant hoc sacrificium ex solo opere operato habere certum meritum, vel certam satisfactionem, quæ applicatur huic vel illi.*

Caietan. in Quodlib. De vsu spiritualium q.3.

Hæc recentibus seculis à scholasticorum fuit de nouis hisce vocabulis à se ex cogitatis sententia: quam nunc Hardingus suíque collegæ præ pudore coguntur nouo quodam & peregrino fuco illinere. Hinc potes Christiane Lector, iudicare, quàm huic doctrinæ cum gloria crucéque Christi aptè conueniat.

Iam verò, vt ad hæc verba veniamus, *Oblatio & sacrificium*, quibus Hardingus imperitorum aciem præstringere voluit, Primùm quod ait, *Hominem mortalem Dei Filium reipsa offerre ipsius patri, Christúmque præcepisse, vt huiusmodi sacrificium fieret*, ipse sibi conscius est Hardingus, hanc & egregiam esse falsitatem, & manifestam atque proiectam blasphemiam. Quod autem adiungit, *Idem illud sacrificium pro mortuis etiam valere nisi is, qui sumit, obicem posuerit,* Hæc verò inanissima videatur, & inconsideratissima futilitas. Pueri enim, mortuos nec sumere sacramentum, nec eius sumptionem vllo impedimento remorari posse intelligunt. Ista itaque accessio paulò diligentiùs antè perpendi debuit, quàm edere tur.

Equidem Augustinus in quodam loco, cùm fidelium demortuorum statum paucis attingeret, viuorum preces vel cum Eleemosynis copulatas, vel in sacra communione factas, quo tempore mors Christi, sensibus quodammodo nostris subiicitur, ideóque mentes nostræ ad pietatem vehementiùs accenduntur, pro mortuis valere posse scribit. Tamen in eo Augustinus sacræ communionis sacrificium, cum eleemosynarum sacrificio comparat, atque in illo subleuandorum mortuorum munere parem facit vtriusque rationem. Verùm hac de re non erit necesse pluribus in præsentia agere. Satis intelligit Hardingus, de hoc articulo nunc non quæri.

Id verò certissimè constat, Augustinum neque hîc, neque omnino vspiam vllum verbum de *Opere operato* facere, quod nunc tanto conatu defenditur.

Hardingus. 2. Sectio.

VErùm, vt paulò particulariùs & distinctiùs de re ista loquamur, Missa verbum duobus modis accipi potest: Vel pro re ipsa, quæ offertur, vel pro sacerdotis offerentis actione. Si pro reipsa, quæ offertur, sumatur, quæ est corpus Christi, atque hoc respectu à [a] *Doctoribus scholasticis* Opus operatum *nominatur: nemo iure inficiari potest, qnin peccata tollat.* [b] *Christus enim in sua carne crucifixus, nostrum est vnicum sacrificium, vnicum pretium, vnica redemptio, quibus in cruce nobis promeruit, & sanguinis sui pretio redemit peccatorum nostrorum remissionem. Et D. Ioannes ait*, Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. *Sic* [c] *Oecumenius scribit*: Caro Christi est propitiatorium nostrarum iniquitatum: *Idque non quòd à sacerdote in Missa offertur:* [d] *specialiter, sed quòd ipse semel obtulit, cum sanguinis in cruce effusione, pro redemptione omnium. Quæ oblatio in cruce facta perpetua iam & æterna oblatio euasit, non propter eundem offerendi modum, sed propter eandem rei oblatæ virtutem ac potentiam. Ab illo namque tempore idem ipsum Christi corpus in Dei conspectu apparens in cœlo se pro nostra reconciliatione sistit atque exhibet. Similiter etiam exhibetur atque offertur iuxta* [e] *ipsius mandatum hîc apud nos in Missa, in qua & sacerdos est, & sacrificium, is qui offert, atque id quod offertur verè & reipsa, quanquam per mysterium & commemorationem, vt inde peractæ reconciliationis participes fiamus, eam nobis ipsis applicantes, (quantum nimirum homines possunt) per fidem & pietatem: nihilominùs, quàm si coràm eius corpus in cruce pendens, & sanguinis profluentes quasi riuulos aspiceremus. Ita sacrificium reuera est propiciatorium, non propter opus nostrum, sed propter ipsius opus iam ante peractum, & accepum. Huic vni tribuendum est, quòd peccata nostra remittuntur, atque remouentur.*

a Oportuit Hardingum exponere, quinam Scholastici hi Doctores extiterũt: alioquin enim falsum videri possit.

b Hæ omnes authoritates opus illud quod in Missa fingitur, damnant.

c Sacerdotis opus propitiatorium est, etsi nõ specialiter.

d Falsum: Deus enim sacerdoti nunquam mandauit, vt vel Missam, qualis nunc obtinet, celebraret, vel Christi corpus immolaret.

Missa duobus modis capitur. 1.Cor.6.& 7.Tit.2. *Apoc.14.* 1.Ioan.2. *In 3.cap.ad Romanos.* *Heb.*

Episco-

Episcopus Sarisburiensis.

IN eas nunc compulsus est Hardingus augustias, vt vniuersam Scholasticorum turbam relinquere,& solitudines quasdam consectari cogatur. *Missa* (inquit) *aliquando significat corpus Christi.* Aliquando inquis? quando verò obsecro? quod si autem aliquando, quid ni semper etiam? Quis antiquus Doctor? quis sanctus pater hanc nobis vnquam narrauit fabulam? sed demus Hardingo eam veniam, vt aliquid ex se fingere suo iure possit, peregrinámque suam religionem peregrinis atque inusitatis loquẽdi generibus fulciat. Quicquid enim defendit, imperitæ multitudini facilè se probaturum confidit.

Quid autem est, quod nec scripturas, nec vetustum aliquod Concilium, nec antiquum quempiam patrem, nec saltem scholasticum aliquem Doctorem, Innocentium, Thomam, Scotum, Alexandrum, Henricum de Gandauo, Robertum de collo torto, vel similem certè quenquam citauit? An horum nullus est, qui Missam esse Christi corpus animaduerterit? An verò Hardingo in re tam noua sine testibus credere est necesse? Equidem certè si Missa Christi corpus sit verè ac reipsa figurarum etiam sublatis adiumentis, quemadmodum hic Hardingus inaudito more docet: tum nata de beata virgine Missa est: tum cruci suffixa est: tum in sepulchrum illata est: ista enim omnia Christi corpori acciderunt. Inde consequitur, vt qui Missam tollit, Christi quoque corpus tollat: quíque Christi corpus credit, Missam etiam credat. Quid enim faceret Hardingus? Prodigiosa disciplina genus verborum postulat prodigiosum.

Sanè verò *Christi corpus crucifixum pretium fuit & propitiatio pro peccatis nostris: Christus vnica hostia consummauit in perpetuum omnes qui sanctificantur.* Fuit enim in carne sua *Agnus ille Dei, qui Mundi peccata sustulit:* atque in eadem nunc *in Dei conspectu apparet, & pro peccatis nostris intercedit.*

1. Ioan. 2. Hebræ. 10. Ioan. 1. Roman. 8. Hebræ. 7.

Verùm ista omnia, Hardinge, qui tandem habere possunt cum Missa tua commercij? quis vobis vnquam dedit in mandatis, vt Christum patri suo immolaretis? Quis fore promisit, vt vestrum à vobis ipsis introductum sacrificium, tantùm valeret, vt dicitis, quantum ipsum Christi in cruce sacrificium potuit? Quis dixit, vel vestrum sacrificium pretium atque propitiationem fore pro peccatis totius Mundi, vel Christum in Missa vestra semper in Dei conspectu futurum, atque pro vobis intercessurum?

Quamobrẽ verò, obsecro, hanc præcipuam exceptionem adiunxisti, *Idque non quia offertur à sacerdote in Missa præcipuè?* Quorsum attinebat, vt adhibita hac præcipua cautione, tam argutus & præcisus in hac causa esses? Quare tam præcipuè incruentum ecclesiæ sacrificium infringere atque conuellere voluisti? Si Christi caro, non ex eo præcipuè valeat, quòd, vt ais, à Sacerdote offeratur, qui tum quando eo modo offertur, esse pro peccatis nostris propitiatoria potest: sin autem verè quidem propitiatoria sit, síque sacrificus Christum reipsa Deo patri offerat, illudque sacrificium tam sit suis omnibus potentiæ ac virtutis partibus expletum ac cumulatum, quàm quod ipse Christus in cruce fecit, qua tum ratione parum valet præcipuè, ex eo, quemadmodum loqueris, quòd à sacerdote offeratur? Daniele tibi aliquo opus est, qui somnium tuum interpretetur: aut arbitro saltem aliquo perito, qui inter Christum & Sacrificium partiatur, & suum alterutri proprium munus, Communiter, & præcipuè, adiudicet.

Quàm ista Hardinge, miseranda est doctrina? aufer modò hunc inanem peregrinorum vocabulorum fucum, quo imperitos obstupefacere gestis, quódque reliquum est, paulò minus est nihilo.

Hardingus. 3. Sectio.

SI Missæ nomen pro ipsa sacerdotis actione sumatur, non potest quidem propter aliquod ipsius opus peccata delere. Ita enim & sacerdotem Deo parem & eius factum Christi passioni æquale faceremus, quemadmodum nos aduersarii iniusta calumnia vexant. Habet tamen Missa vim, atque efficacitatem nonnullam, Deóque grata est propter oblationem sacrificii, quæ in Missa fit à sacrificio, nulla interim institutionis Christi habita ratione, propter quidem ipsam fidelem orationem ac deuotionem eius, qui offert, quod doctores scholastici vocant Ex opere operato. *Tum enim hostia Deo videtur esse gratissima, quando is qui offert, gratus est. Iam verò eorum, qui offerunt, duo genera sunt. Aliud enim immediatè & personaliter offert: aliud mediatè & principaliter. Primum genus est sacerdotis, qui consecrat, & offert, & accipit sacramentum, quisquis nimirum ista in sua persona, Dei tamen authoritate munitus præstat, vt nullus sit in offerendo socius. Alterum genus est Ecclesia militans, in cuius persona sacerdos offert, & cuius est in offerendo minister. Hoc enim est Ecclesiæ totius sacrificium. Primus non semper Deo gratus est, nec ei semper placet, quandoquidem nonnunquam peccator est? Altera Deo semper accepta est, quandoquidem Ecclesia semper sancta, chara, Christique vnica sponsa est. Hoc autem respectu, Missa est gratus Deo cultus* ex opere operantis, *nec sine causa propitiatorium sacrificium dicitur, non quia misericordiam per se à Deo meretur, quemadmodum Christus facit, qui solus eo principali & speciali modo sacrificium est propitiatorium: sed quia Deum cõmouet, vt misericordiam, & peccatorũ remissionem largiatur, quam ante Christus promeruit. In hoc propitiatorij sacrificii genere, preces, contrarium cor, Eleemosynas, indultam proximo veniam, & huiusmodi alia numerare licet. Istuc facilè ex sanctis patribus euincitur.*

Origenis perspicua verba sunt: Si respicias ad illam commemorationem, de qua dicit Dominus, Hoc facite in meam commemorationem, inuenies, quòd ista est commemoratio sola, quæ propitium faciat Deum.

In Leuit. homil. 13.

a Augustinus non de materiali ara in terra, sed de spirituali in cœlo loquitur.
b Falsum: ex falsa interpretatione natum. Augustinus enim ait: *vidi sub ara Dei (non corpora, sed) animas sanctorum.*

Sermone 11. de sanctis.

Augustinus sic habet: Nemo meliùs præter Martyres meruit ibi [a] requiescere ([b] *sub ara nimirum sepeliri*) vbi & hostia Christus est, & sacerdos, scilicet vt propitiationem de oblatione hostiæ consequantur.

Hic autem vt in re non dubia, oratione longa non vtar, mitto magnam locorum multitudinem, è quibus clarissimè constare possit. Missam sacrificium esse propitiatorium in hoc propitiationis gradu, tam pro mortuis, quàm pro viuis, quandoquidem istud in hoc Articulo disertè non negatur.

Iam itaque pro nostra facultate docuimus, hunc Articulum crassa Mineruā tractantes, Missam propitiatorium esse sacrificium, tum ex opere operato, *id est, per meritum corporis Christi quod in cruce morte affectum est, quódque hic est* opus operatum, *atque à Christo per sarcerdotis ministerium in Missa offertur, verè, sed in mysterio: tum etiam ex* opere operante, *hoc est actione sacerdotis, si Dei gratia præditus sit, eoque gratus acceptúsque sit, sed tamen in quodam longè inferiore propitiationis gradu, quod* opus operans, *vel* opus operantis *vocatur.*

Atque hoc Ecclesiæ est, de Missæ virtute ex opere operato *dogma, quo nulla prorsus de gloria Christi particula deciditur.*

Episcopus Sarisburiensis.

Thom. in 4. sen. dist. 14. Gerson contra Floret. lib. 4. Summa Angel. In Missa. Hieron. in 3. cap. Zophoniæ Irenæ. lib. 4. cap. 34. Biel. Lection. 26. Malachi. 2.

QVod attinet ad sacerdotis dignitatem, quam isti homines *opus operantis* appellant, eam Hardingus haud grauatè quadam ex parte Christi sacrificio exæquare vellet, nisi hoc demum nimiæ cuiusdam & intollerandæ arrogantiæ videretur. Sic enim ait: *Ita namque sacerdotem Deo parem, & illius opus Christi passioni æquale faceremus.* Proinde illi sic statuunt, *Improbi sacerdotis tanti esse, quoad istam rem, momenti ac meriti, quanti pii sacerdotis Missam:* quandoquidem operis dignitas ex sacerdotis dignitate minimè pendet.

Hieronymus autem planè contrarium habet, vt videtur, his verbis: *Impiè agunt in legem Christi, putantes Eucharistiam imprecantis verba facere, non vitam.* Similiter Irenæus scribit: *Sacrificia non sanctificāt hominem, sed conscientia eius, qui offert, sanctificat sacrificium pura existens.* Ad eundem modum Gabriel Biel Hardingianus Doctor inquit: *videant, ne si peccato obnoxii offerant, sit illorum oblatio, quasi eius, qui victimat filium in conspectu patris, néue rursus crucifigant filium Dei.* Equidem verò, de malis Sacerdotibus Dominus ait: *Maledicam benedictionibus vestris.*

De Augustino autem, & Origene, quos Hardingus ad speciem tantùm pompámque introduxit, si nunc hi prisci, sanctique patres reuiuiscerent, suáque dicta hoc modo relata acciperent, profectò erubescerent. Origenis verba, si ea Hardingus integra nulláque amputatione circuncisa recitasset, cùm per se plana, dilucidáque essent, tum vniuersam hanc *operis operati* machinam facilè discussissent, atque conuulsissent. Neque enim aut de Missa verba facit, aut peccatorum remissionem propter vllas Missæ partes pollicetur: sed istuc munus vni corporis Christi in cruce sacrificio totum integrúmque attribuit. Hæc sunt illius verba: *Si redeas ad illum panem, qui de cœlo descendit, & dat huic mundo vitam, illum panem propositionis, hoc est Christum ipsum, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine eius: & si respicias ad illam commemorationem, de qua dicit Dominus, hoc facite ad meam commemorationem, inuenies quòd ista est cōmemoratio sola, quæ propitium facit hominibus Deum.* Æquum se nunc iudicem præbeat Hardingus, & planè statuat, suúmne ex istis verbis *opus operatum*, aut omnino quicquā, quod ad Missam pertineat, euincere possevi deatur.

Aug. de sanctis. sermon. 11. Apocalyp.

Augustini verò locus multò est adhuc magis perspicuus: Cùm enim nulla huiuscemodi Hardingiana commenta attingit, tum de innocentibus duntaxat, beatísque Martyribus verba facit, qui propter Christi testimonium occisi fuerant, quorúmque animas B. Ioannes, *sub altari Dei*, non in terra, quemadmodum Hardingus fingit, sed in *cœlo positas esse* dicit. Sic enim scribit: *Vidi sub ara Dei, animas occisorum propter verbum Dei, & propter testimoniū Iesu, quod habebant. Quid reuerentiùs, quid honorabiliùs dici potest, quàm sub illa ara requiescere* (in cœlo) *in qua offeruntur hostiæ, in qua* (non mortalis quisquā homo, sed) *Dominus est sacerdos? sicut scriptū est, Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec. Rectè sub altario iustorum* (non corpora, sed) *animæ requiescunt, quia super altare* (in cœlo) *corpus Domini offertur. Nec immeritò illic iusti vindictā sanguinis postulant, vbi etiam pro peccatoribus Christi sāguis effūditur.*

Post hæc statim interponit aliquid de altaribus, seu mensis mysticis in terra. Sic enim adiungit: *Conuenienter igitur, & quasi pro quodam consortio ibi Martyribus sepultura decreta est,* (hîc in terra) *vbi mors Domini quotidie celebratur, sicut ipse ait, quotiescunque hæc feceritis, mortē meam annunciabitis donec veniam: scilicet vt qui propter mortem eius mortui fuerant, sub sacramenti eius mysterio requiescant.*

Deinde rursus ad Beatissimorum Martyrum animas sub altari in cœlo seruatas orationem conuertit: *Legimus* (inquit) *plerosque iustorum Abrahæ sinibus refoueri: nonnullos Paradisi amœnitate lætari. Nemo tamen meliùs præter Martyres meruit, ibi* (in cœlo) *requiescere, vbi & hostia Christus est, & sacerdos scilicet vt propitiationem de oblatione hostiæ consequantur, & benedictionem, functionémque sacerdotis accipiant.*

Ex his liquidò constat, Augustinum de cœlo, non de terra, aut purgatorio dicere: de mentibus sursum in cœlum sublatis, non de corporibus humo infrà traditis mentionem facere. Ista enim omnia D. Ioanni in cœlo per visum patefacta sunt. Quod etiam ex his, quæ consequuntur, certiùs intelligi potest: *Inter cæteros igitur Martyres, quos sub ara Dei consistere prædicamus, etiam*

beatas

beatas illas infantum lactentium pro Christo primitias Martyrum laudemus.

Hæc Augustini enucleata est, miniméque dubia sententia. Hardingus autem vt causæ suæ inseruiat, è mentibus corpora, è gaudio supplicium, è cœlo denique purgatorium facere coactus est: neque tamen vel *opus operatum*, vel Missam suam adeptus est. Adeo nimirum istis hominibus fas est Lectorum otio turpiter & per ludibrium abuti.

De huius autem disciplinæ statu, quam nunc Hardingus re deliberata quadam ex parte videtur improbare, quantumuis ea non ita pridem vniuersim & in scholis, & in Ecclesiis altissimas radices egerit, atque imprimis orthodoxa habita fuerit, Origenes ille priscus, longéque doctissimus pater ad hunc modum scribit: *Quod sanctificatur per verbū Dei, & per obsecrationem, non suapte natura sanctificat vtentem. Nam id si esset, sanctificaret etiam illum, qui comedit indignè Domino.*

Origē. in Matthæ. cap 15.

Rursus habet: *Assiduitas communicationis, & alia similia, non ipsæ sunt iustitiæ, sed conditura habentur iustitiarum. Res autem spirituales, quæ ex seipsis iustitiæ sunt, dicuntur iudicium, misericordia & fides.*

Origē. in Matthæ. tract. 25

Sic Hieronymus scribit: *Ne quis confidat in eo solo, quòd baptizatus est: aut in esca spirituali, vel potu putet Deum sibi parcere si peccauerit.*

Hieron. in 1. Cor. 10.

Sic Augustinus: *Non ait, Mundi estis propter Baptisma, quo loti estis: sed propter verbum, quod loquutus sum vobis.* Rursus: *Fœlix venter qui te portauit. Et ille: imò fœlices qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Hoc est dicere, & mater mea, quam appellastis fœlicem: inde fœlix, quia verbum Dei custodiuit.* Iterum similiter: *Materna propinquitas nihil matri profuisset, nisi fœlicius Christum in corde, quàm in carne gestasset.*

August. in Ioan. tractat. 80. August. in Ioan. tractat. 10. Augustin. de sancta virginitate.

Equidem verò, vel fœlicitatem, vel peccatorum remissionem, quæ est interna sancti spiritus actio, externo cuiquam officio acceptam referre, erroris cuiusdam est superstitiosi, inepti, Iudaici.

Origenes de circuncisionis sacramento sic habet: *Circuncisionis nisi reddatur ratio, nutus tantùm est circuncisio, & opus mutum.*

Origen. in Lucam homil. 5.

De sacrorum autem mysteriorum vsu ac ratione Christus non dixit, *Hoc facite in remissionem peccatorum*: sed, *Hoc facite in meam commemorationem.*

Vnicum pro peccato perpetuúmque sacrificium est ipse Dei filius crucis supplicio affectus: qui nunc in carnis nostræ natura, atque substantia patri suo ad dexteram assidet, & pro nobis in æternum interpellat, éstque illud vnicum pro peccatis nostris sacrificium, & propitiatio.

Quæcunque est huic doctrinæ contraria doctrina, ea impia & blasphema est, atque quemadmodum ipse est confessus Hardingus, in gloriam crucémque Christi iniuriosa ac contumeliosa est.

FINIS.

DE DOMINO, ET DEO,

ARTICVLVS VIGESIMVS PRIMVS.

Episcopus Sarisburiensis.

VEL tum Christianos sacramentum Dominum & Deum suum appellasse.

Hardingus. 1. Sectio.

Sacramentum duobus modis sumitur.

HOC *verbum,* Sacramentum, *(vt antè docuimus) à priscis patribus accipitur duobus modis. Vel pro* [a] *externis duntaxat panis & vini formis, quæ sunt sacrum signum veri corporis & sanguinis Christi præsentis, & sub illis comprehensi, vel pro integra sacramenti substantia, quæ cum externis formis, tum verò corpore, & sanguine Christi verè præsentibus constat,* [b] *quæ Augustinus* Inuisibilem gratiam, *&* Rem sacramenti *vocat: & Irenæus alterum* Rem cœlestem, *alterum* Rem terrenam *appellat. Si primo* [c] *modo sumatur, nullus vnquam Christianus illud Domini Deíue nomine dignatus est. Ea enim idololatria omnino esset, Creatoris nomen creaturæ accommodare.* [d] *Secundo verò modo sumptum, semper à Christianis hominibus, atque à Doctis Ecclesiæ patribus Domini, Deíque vocabulis appellatum fuit. Atque ita omnino iure appellari debet, quandoquidem & impium esset, & cum Dei abnegatione coniunctum, Christum Dei filium Dominum & Deum non appellare, qui non tantùm in carnis & sanguinis sui veritate præsens adest* Ex vi sacramenti, *verum etiam indiuidua vtriusque naturæ in personæ vnitate coniunctio.* Ex necessaria concomitantia, *totus Christus, Deus, ac homo. Quod sancti patres sacramentum hoc sensu intellectum Dominum & Deum vocarint, multis locis confirmare possem. Paucorum repetitio instar multorum erit. Origenes in quadam homilia de hoc sacramento honorificè loquens, ait, quando illud quis accipit, Dominus sub eius tectum ingreditur, eúmque qui sumit illud hortatur, vt se humiliet,* [e] *dicátque ei:* Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.

In sentent. Prosper De Conse. Dist. 1. lib. 4. c. 34.

In diuersos Euangelij locos Ho. 5.

a Falsum: Externæ enim formæ nunquam vel sacramentum, vel corpus Christi à quoquam antiquo patre appellatæ fuerunt.

b Falsum: in falsa interpretatione positum Non enim hæc patrum horum sententia fuit.

c Quo modo nunquam ab eruditis patribus sumitur.

d Quo modo nullus vnquam antiquus pater sumpsit.

e Falsum: Origenes enim nō hortatur, vt dicat ei.

Episcopus Sarisburiensis.

QVisquis in hoc Articulo labitur errore, is se idololatria obstringit, Deíque cultũ ad Creaturam, quæ Deus non est, trãsfert. Quò magis Hardingũ hac in causa coniecturas suas mittere, nulláſq; nisi certas, luculentas, grauésq; rationes adducere oportuit: præsertim quando nullus vnquã antiquus, Catholicúsque pater sacramento vel templa dedicauerit, vel sacras celebritates indixerit, vel populo persuaserit, vt illud tanquam cœli terræque conditorem veneraretur, aut in illud crederet, aut denique Deum appellaret. Quod quanquam ita sit, rationes quas hîc Hardingus excogitauit, adeò quidem exiles, tenuésque sunt, támque & captiosè & falsò cõcluduntur, vt aliquam forsan suis amicis suspicionem adferre potuerit, se dolo aliquo malo vsum esse, quo causam cõmunem proderet. Sed vt omnẽ cauillandi ansam præripiamus, primùm constantissimè credimus, & diserte profitemur, Christum Dei esse filium, verum Deum ex vero Deo: *eum esse verum Deum, & vitam æternam: esse Deum benedictum in secula: quique in eo fiduciam collocat, confusione nunquam deiectum iri.* Arianos autem, Nestorianos, Photinianos, cæterósque omnes consimiles hæreticos, qui contrarium vel defenderunt, vel etiam nunc vllo modo defendere videntur, penitus auersamur, atque execramur. Neque nunc de Christo ipso quæritur, cui nos pium omnem cultum, honorémque deberi confitemur, sed de pane duntaxat mystico, qui quemadmodum Catholici, doctique patres testantur, non ipse Christus est, sed Christi solummodo sacramentum. Quod ex duabus constare partibus scribit Irenæus, *altera terrena, cœlesti altera:* non quòd altera Realiter inuoluatur atque includatur altera, in quo errore Hardingianus versatur: sed quòd, quemadmodum Chrysostomus loquitur, *altera sensibilis sit, altera verò intelligibilis:* id quod in Baptismi etiam sacramẽto vsu venit: Vel quòd, vt Augustinus ait, *altera pars signũ sit, altera res significata:* vel quòd etiam, vt Tertullianus habet, *altera figura sit, altera res figuræ.*

1. Ioan. 5.

Chrysost. in Matthæ. hom. 83.
August. contra Adimantum cap. 12.
Tertull. contra Marcionem lib. 4.

Sacramentum res terrena est: Corpus Christi res cœlestis est. Sacramẽtum corrumpitur: Christi corpus gloriosa maiestate excellit. Sacramentum in mensa ponitur: Christi corpus in cœlis versatur. Sacramentum in corpora nostra sumitur: Christi corpus mentibus tantùm percipitur.

August. in Ioan. tractat. 26.

Hanc discriminis rationem Augustinus his verbis dilucidè proponit: *Huius rei sacramentum alicubi quotidie, alicubi certis interuallis dierum, in Dominico præparatur, & de mensa Dominica sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium: Res verò ipsa, cuius est sacramentum, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicunque eius particeps fuerit.*

De con. Dist. 2. Qui discordat.

Iterum habet: *Qui discordat à Christo, non manducat carnem eius, nec bibit sanguinem: etsi tantæ rei sacramentum ad iudicium suæ perditionis quotidie accipit.*

Ex hisce paucis exemplis intelligimus Corporis Christi sacramentum aliud, ipsum verò corpus Christi aliud esse: sique & tritè & verè loqui volumus, neque Christi corpus sacramentum, neque sacramentum corpus Christi esse. His Irenæi verbis Hardingus nec quod instituit, vel tenui quidem coniectura confirmare posse videtur, & totum illud suum Transsubstantiationis figmẽtum penitus euertit. Terrenam enim sacramenti partem Irenæus non Formas & Accidentia, quemadmodum Hardingus somniat, sed veram ipsam panis substantiam atque naturam appellat, & panis quidem eiusmodi, qualis carnis nostræ substantiam augeat, atque sustentet. Sic enim scribit: *Ex quibus augetur, & consistit carnis nostræ substantia.*

Irenæ. lib. 5.

At nos Origenes, quando sacramentum accipimus, monet vt dicamus, *Domine non sum dignus: Ergo sacramentum,* inquit Hardingus, *Dominus & Deus appellabatur.* Hui, quàm hæc perdita est, & deplorata causa, quæ nullo modo sine patrum deprauatione, atque mutilatione defendi possit? De deprauatione pòst. De mutilatione autem truncationéque horum Origenis verborum, si ea Hardingus integra recitasset, atque proposuisset, nullus omnino scrupulus fuisset relictus. Sic namque verba habent: *Intrat etiam nunc Dominus, sub tectum credentium duplici figura, vel more. Nunc enim quando sancti, & Deo acceptabiles Ecclesiarum antistites sub tectum tuum intrant, tunc ibidem per eos Dominus ingreditur: & tu sic existimes tanquam Dominum suscipiens. Et aliud quando sanctum cibum, illúdque incorruptum accipis epulum, tum Dominus sub tectum tuum ingreditur.*

Intrat sub tectum nostrum Dominus (inquit Origenes) *cùm quando virum aliquem sanctum excipimus, tum quando sacramentum sumimus.* Quemadmodum in nos Christus per hoc, ita etiam per illud ingreditur. Similiter idem ipse doctissimus pater in Euangelium B. Matthæi scribit: *Qui discipulos Christi tradit, ipsum Christum tradit.* Quare si ex his verbis concluserit Hardingus, Christum in ora nostra Realiter & Substantialiter intrare, tum etiam Christum similiter in domos nostras ex hac terrestri materia constitutas inire, defenderit est necesse. Verùm vt omnem dubitationem tollamus, Ambrosius ipsum Christi corpus in nostra corpora intrare negat. Sic nimirum scribit: *Non iste panis, qui vadit in ventrem: sed panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit.* Propterea Cyprianus, Christi corpus, *animæ non ventris esse cibum* scribit. Hanc ob causam Origenes ipse in eadem homilia sic habet: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Sed tantùm dic verbo: tantùm veni verbo: verbum est aspectus tuus.* Deinde ait: *per Euangelistarum prædicationem: per sui corporis sacramentum: per gloriosæ crucis signaculum nobiscum Deus, & ad nos, & in nobis.* Rursus similiter, *Fideles credunt aduentum verbi, & libenter recipiunt Dominum suum* Sic Augustinus

Origẽ. in Matthæ. homil. 35.

De con. Dist. 2. Non iste.
Cypriam. de cœna Domini.
Origen. in diuer. Euang. locos. homil. 5.
Origen. in diuer. Euang. locos. homil. 1.
Origen. in di-

stinus scribit: *Sancti, qui sunt in Ecclesia, accipiunt Christum, in manu & in fronte.* Sic etiam Tertullianus: *Cùm te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas.*

Sic Christus contrectatur: sic Christus accipitur: sic Christus præsens adest: sic Christus sub tectum nostrum intrat. Quemadmodum autem ad nos Christus per pium ministrum, per verbum, per baptismi sacramentum, per crucem, per pauperes accedit: eodem prorsus modo per corporis sanguinisque sui sacramentum in nos ingreditur: eodem inquam, non alio quouis. Quando autem Christus hoc modo venerit, dicere nos oportet, *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.*

Iam verò si verba ista satis euincant, sacramentum Dominum atque Deum esse appellatum: euincunt etiam aquam Baptismi, verbum Dei, crucem in fronte ductam, denique pium Episcopum aut ministrum eodem etiam nomine fuisse vocatum.

Magna hìc etiam in Hardingiana verborum Origenis repetitione fraus & corruptela ostenditur. Quod enim Origenes scribit. *Et tu ergo humilians teipsum, imitare hunc Centurionem, & dicito, Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum*: in quo id sensit, oportere nos Christo submissos esse, eique dicere, *Domine non sum dignus, &c.* Hardingo consultius visum est ipsum locum deprauare, atque suum, *Illud*, interponere. Sic enim Hardingus scribit: *Origenes eum hortatur, qui sumit Illud, vt se humiliet, dicátque illi* (videlicet sacramento) *Domine non sum dignus.* Ita & manifesta fraude vsus, & authoris sui verba ementitus Dei populum creaturæ diuinum cultum tribuere sine metu, & rubore docet.

uer. Euang. locos homil. 2.
August. in Apocalyp. Sermon. II.
Tertul. De Pœnitentia.

Hardingus. 2. Sectio.

D. *Cyprianus in sermone de lapsis narrat, quemadmodum vir quidam, qui persequutionis tempore Deum abnegauerat, tamen (sacrificio à sacerdote celebrato) latenter cum cæteris sacramentum sumpserat, illud nec edere, nec contrectare potuit, sed cinerem ferre se apertis manibus inuenit. Quo in loco adiungit,* Documento vnius ostensum est, Dominum recedere, cùm negatur.

Episcopus Sarisburiensis.

ISta verò coniectura non Cypriani verbis, sed Hardingiana interpretatione continetur. Neque enim sacramentum Cyprianus vel Dominum, vel Deum vocat. Homo ille cuius meminit, mortis metu impulsus Deum abnegauerat, qui cùm in Christianorum cœtu sacram communionem acciperet, aperta manu conuersum in cinerem sacramentum inuenit. Hoc miraculum inquit Cyprianus, *Documento esse potest, Dominum recedere, cùm negatur.*

Non est Hardingus, vt arbitror, dicturus vel sacramentum vnquam negasse Deum: ab eo tamen, sicuti ipse interpretatur, Dominus recesserat: vel hunc hominem negasse sacramentum: venerat enim cum cæteris, vt illud sumeret. Verùm se dissimulationis scelere constrinxerat, Deúmque reiecerat: quapropter illum vicissim Dominus deseruit, atque vt manifestum eius rei indicium haberet, sacramentum in cinerem recidere voluit.

Sic Augustinus de Baptismi sacramento, déque sacerdotali gradu verba faciens ait: *Si Sancta malos fugiant, vtrumque fugiat.* Prosper habet: *Non locorum interuallis vel acceditur ad Deum, vel à Deo disceditur: Similitudo facit proximum, dissimilitudo longinquum.*

Deuterium Episcopum Arianum hominem quendam suo sacrilego more baptizare conantem subitò aqua defecit, atque è baptisterio defluxit. Consimilem Socrates, aliique scriptis prodiderunt historiam. Hoc etiam miraculum argumento fuit, Deum à nobis, quando negatur, recedere. Non tamen ex eo concluserit Hardingus, aquam Baptismi Dominum, Deúmque appellatam esse.

August. contra epist. Parmeniani lib. 2. cap. 13.
Prospert. Senten. 123.
Paulus Diacon. lib. 15. in histor.
De Anastasio Socrat. libro 7. cap 17.

Hardingus. 3. Sectio.

IDem Cyprianus in expositione Dominicæ orationis, quartam eiusdem petitionem explicans, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, *eam sacræ communionis in hoc sacramento desiderium continere censet, aitque:* Ideo panem nostrum, id est, Christum dari nobis quotidie petimus, vt qui in Christo manemus, & viuimus, à sanctificatione, & corpore eius non recedamus.[a] *Hìc Cyprianus sacramentum Christum vocat, qui reuera in eodem præsens adest realiter, quemadmodum in superiore loco Dominum appellauit. Aduersarios autem nostros non minùs Christi, quàm Domini, vel Dei nomen sacramento denegaturos arbitror, nisi Christum forsan minoris, quàm Dominum, aut Deum faciant.*

a Falsum: Cyprianus enim non sacramentum Christum vocat, sed tantùm ait, Christum esse panē nostrum quo viuimus.

Episcopus Sarisburiensis.

TRia hoc loco Hardingus vno spiritu egregiè falsa pronunciauit. Neque enim Cyprianus vel istis verbis sacramentum appellat Christum, vel præcedentibus verbis Dominum nuncupauit, vel vnquam Christi corpus Realiter in sacramento inesse affirmauit. A bono Theologo tam crebras falsitates fluere minimè quidem oportuit. Verè quidem dixit Cyprianus, *Christum esse panem nostrum, eundem nempe, qui de cœlo descendit, vitámque mundo præbet, quem qui comederit, in sempiternum vixerit.* Sic Basilius habet: *Christus vocatur vita nostra, via, panis, vitis, lumen, gladius.* Quæ profectò verba non crasse, non grammaticè sunt, sed mystico quodam spiritualique modo intelligenda. Quare qumadmodum Christus noster est spiritualis gladius, spirituale lumen, spiritualis vitis, spiritualis via, & spiritualis vita: ita quoque noster est spiritualis panis. Origenes habet: *Ne mireris quòd verbum Dei caro dicitur: nam & panis, & lac, & olera dicitur: & pro mensura credentium,*

Basil. in Psalm. 44.
Orig. in Exod. homil. 7.

vel possibilitate sumentium diuerse nominatur. Cyprianus quidem minimè dicit vel sacramentum esse Christum, vel Christum esse sacramentum. Quare quòd Hardingus sic argumentatur: *Christus est panis vitæ:* Ergo *sacramentum est Dominus Deúsque noster:* in eo nimis ille suæ Dialecticæ confidere videtur.

Hardingus. 4. Sectio.

a Falsum: Non enim sacramentum Cyprianus Deum vocat: sed solùm diuinam potentiam sacramēto præsentem adesse scribit, quemadmodū & Baptismi sacramento.

E*Quidem hic sanctissimus Martyr hoc sacramentum non tantùm Dominum, & Christum esse confitetur, sed* [a] *Deum etiam agnoscit his verbis in sermone de Cœna Domini:* Sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas, ita sacramento visibili ineffabiliter diuina se infudit essentia.

Episcopus Sarisburiensis.

ALiud hîc mirificum argumentationis genus, & cæteris pulchrè conueniens, induxit Hardingus. Si tuum, sanctissime Cypriane, minùs tritum, notúmque esset scribendi genus, indocti facilè falli, ac decipi potuissent. Admirabilem hic quidem verborum exaggerationem amplitudinémque agnosco, cuiusmodi sancti patres in suis ad populum concionibus cùm aliàs libenter vsi sunt, tum quando in sacramentorum mentionem inciderent libentissimè. Ambrosius ait, *Sacerdos precem facit, vt fons sanctificetur, vtque præsentia totius Trinitatis in ea adsit.* Tertullianus inquit: *Sanctissimus spiritus à patre descendit, & super aquas baptismi conquiescit.* Similiter etiam Cyprianus, *diuinam Essentiam se in visibili sacramento ineffabiliter infundere scribit:* haud equidem aliter, ac sanctus spiritus, vel tota beata Trinitas in aquam Baptismi se infundit.

Tertullian. De Baptismo.

Paulinus ad hæc Cypriani verba accommodatè admodum scripsisse videtur:

Sanctus in hunc cœlo descendit spiritus amnem:
Cælestique sacras fonte maritat aquas.
Concipit vnda Deum.

Quid dici magnificentius potest? *Concipit,* inquit, *vnda Deum.*

Si iam ex hisce Cypriani verbis Hardingus hac tenui coniectura fretus mysticum panem Dominum Deúmque vocari solitum docere se posse putet, tum ei similem coniecturam, similiáque Tertulliani, Ambrosij, Paulini verba consectantem concludere licebit, Baptismi quoque aquam Dominum etiam atque Deum fuisse dictam. Dicendi enim genus idem est.

August. De baptismo contra Donatistas lib. 3. cap. 10. August. De baptismo contra Donat. l. b. 5. c. 19. Cyprian. de vnctione Chrismatis.

Verùm hæc aliáque eiusmodi scribendi genera priscis & doctis patribus vsitata sunt ac legitima. Augustinus ad hunc modum scribit: *Baptismi sanctitas pollui non potest: & sacramento suo diuina virtus assistit.* Rursus: *Deus adest sacramentis & verbis suis.* Similiter Cyprianus de consecratione Chrismatis hoc modo scribit: *In sacramentis virtus diuina potentiùs operatur. Adest veritas signo, & spiritus sacramento.* Istis tam multis licèt, támque perspicuis Doctorum sententiis, non tamen Hardingum vel aquam Baptismi, vel consecratum oleum, Dominum, & Deum appellaturum existimo.

Hardingus. 5. Sectio.

b Falsum Chrysostomus non sacramentum esse Deum scribit, sed contra habet, *Quid significat panis?* Respondet autem *corpus Christi.*

In Priorem ad Corinth. hom. 14.

[b] C*Hrysostomus sacramentum minimè dubitat Deum his disertis verbis appellare:* Nolimus obsecro, nolimus impudentes nos ipsos interimere: sed cum honore & munditia ad Deum accedamus, & quando id propositum videris, dic tecum: Propter hoc corpus non ampliùs terra, & cinis ego sum: non ampliùs captiuus, sed liber.

Episcopus Sarisburiensis.

S*Acramentum,* inquit Hardingus, *Deum disertè vocat Chrysostomus.* Primùm, sacramentum Chrysostomus nullis omnino verbis Deum appellat. Itaque disertè licet & ingenuè profiteri, istuc Hardingum falsò dixisse.

At Chrysostomus de sacra communione disserens, ad populum ait, *Accedamus ad Deum.* Hinc Hardingus sacramentum istis verbis Deum esse dictum colligit. Quousque tandem isti homines lectores suos captiosis sophismatis eludent? Satis Hardingus intelligit se bono isto patre vehementer abuti, & de eo fingere, quod illi nunquam in mentem venit. Optimè nouit nos ad Deum non corporis labore, aut locorum commutatione, sed propensione, voluntatúmque ad Deum inclinatione accedere. Sic Paulus ait: *Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ.*

Hebræ. 4. August. de peccatorum merit. & Remiss. lib. 1 cap. 18.

Augustinus de baptismi sacramento verba faciens, cum hisce Chrysostomi verbis planè conspirantem habet orationem: *Ad Medicum Christum, hoc est, ad percipiendum sacramentum salutis æternæ portantur.* Ex istis Augustini planissimis verbis intelligimus accedere ad baptismum, esse ad Christum accedere. Ex eo tamen non debet Hardingus concludere aquam baptismi Christum appellari. Nostra ad Christum accessio, est nostra in Christo fiducia. Augustinus habet: *Quid est, accedite, nisi Credite? Accedite ad eum, qui in vestris auribus prædicatur. Accedite ad eum, qui ante oculos vestros glorificatur. Ambulando non laborabitis. Ibi enim acceditis, vbi creditis.* Sic Chrysostomus: *Nunquid longè est à te Deus, vt vadas ad locum aliquem? Non includitur loco: sed semper est in proximo.* Similiter habet Nazianzenus: *Accede fidens ad Christum: Riga pedes eius.* Propterea Augustinus ait: *Accedant ad Iesum, non carne, sed corde: non corporis præsentia, sed fidei potentia.*

August. aduersus Iudæos c. 1. Chrysost hom. 12. De muliere Cananæa. Nazianzen. De Pœnitentia. August. contra Faust. lib. 33. c. 1.

Ita nos ad Christum in baptismo, in verbo Dei, in concione, in sacrosancta communione accedimus: non motu corporis, non loci permutatione, sed incenso cordis studio, & mentis industria. Iam verò, quò Lector ipse Hardingianam aliqua ex parte in hac causa facilitatem perspi-

perspiciat, non erit superuacaneum alia quædam Chrysostomi verba, quæ proximè præcurrebant, paucis attingere, in quibus quodammodo de industria docere videtur, vbi Christum quærere debeamus, & qua via, ac ratione ad illum peruenire possimus. Hæc ipsius verba sunt: *Aquilæ in hac vita facti ad ipsum cœlum euolemus, vel potius supra cœlum. vbi enim cadauer, illic & aquilæ. Cadauer Domini corpus propter mortem. Aquilas autem appellat, vt ostendat ad alta eum oportere contendere, qui ad corpus accedit, & nihil cum terra debere ei esse commune, neque ad inferiora trahi & repere, sed ad superiora semper volare, & in solem iustitiæ intueri, mentisque oculum acutissimum habere.*

Ita nobis Chrysostomus & vbi Christus in gloria patris sui requiescat, & quemadmodum nos ad illum perueniamus, & quibus eum oculis contueamur, exponit. Tum verò postquam nostras in cœlum vsque mentes extulisset, sic deinde scribit: *Propter hoc corpus* (quod ad dexteram aspicio) *non amplius cinis & terra ego sum, non amplius captiuus.* Sacramentum autem disertissimè panem vocat. Sic enim in eadem homilia scribit: *Quid significat Panis?* Respondet, *Corpus Christi*: Non corpus esse Christi panem: sed corpus Christi significare scribit. Hardingus interim ista verba, *Accedamus ad Deum*, idem valere contendit, atque hæc, *Accedamus ad sacramentum.* Ex eo autem fingit sacramentum perspicuis verbis appellari Deum. Quanquam ille sanctitate precellentissimus pater hisce quidem verbis tantò nos supra Deum hunc Hardingianum euehit, quanto corpori spiritus prestat, cœlumque terra sublimius est. Nos enim ad Christi corpus non tanquam oculis nostris subiectum, sed in Dei gloria constitutum in cœlo accedere docet.

Hardingus. 6. Sectio.

De iis qui mysteriis initiantur cap. 9. Psal. 33. In collectaneis in 10. cap. prioris ad Corinth.

NE cui verò sensus iste à Chrysostomo acceptus nimis durus videatur, hic locus Ambrosii, qui eodem tēpore vixit, & idem omnino cum eo de religione sensit, eodem nos deducere videatur. Quid edamus, quid bibamus, alibi tibi per Prophetam Spiritus sanctus expressit, dicens: Gustate, & videte, quoniā suauis est Dominus, beatus vir qui sperat in eo: In illo Sacramento Christus est, quia corpus est Christi. *Hic Ambrosius ea verba Psalmi ad*[a] *sacramentum referens, Dominum illud vocat, eúmque Dominum, in quo qui sperat, beatus est.*

a Falsum: ea enim verba Ambrosius non ad sacramentum, sed ad ipsum Christum accommodat.

Episcopus Sarisburiensis.

VT Christus vel in Scripturis, vel in Manna, vel in sacramento baptismi, vel in sacramento corporis sui inesse dicatur, nec nouum est aut inauditum dicendi genus, & in priscis patribus sæpissime occurrit. Hieronymus ait: *Christus clausus latebat in litera.* Augustinus habet: *Pij in Manna intellexerūt Christum.* Preterea: *Vt petra erat Christus propter firmitatem, ita Manna erat Christus quia descēdit de cælo.* Hieronymus scribit: *Lapis ille qui erat ad caput Iacob, Christus erat, Lapis ille Christus est.* Origenes inquit: *Mare Baptismus est: Nubes spiritus sanctus est: Agnus Saluator est*, Deniq; Doctor quidam, etsi haud perantiquus, tamen Hardingianus astipulator, qui Fortalitium fidei conscripsit, quíque eo nomine non debet in hac causa meritò repudiari, sic habet: *Christus videbatur in Iosepho: Suspendebatur in botro: Crucifigebatur in serpente.*

Hieron. ad Paulinum. Augus. de vtilite pœniten. August. contra Faustum li. 12. c. 1. Hieronym. in Psal. 133. Origen in cantica hom. 2. Fortalitium Fidei lib. 1.

Istæ omnes, cæteræque consimiles dicendi formulæ non sunt de Reali quadam, Carnalique presentia intelligendæ, qualem ipsa verba statim ostendunt, nisi tanquam in sacramento duntaxat, aut mysterio.

At Hardingus vrgebit, *Sacramentum ab Ambrosio Dominum dici.* Hoc verò falsum est, cætérisque conuenit Hardingianis argumentis. Christus nunc ad Dei dexteram sedens, panis est alimentúmque vitæ. Eo nos Ambrosius inuitat; *ibi nos gustare, & videre, quoniam suauis est Dominus* hortatur. Statim etiam adiungit: *Beatus vir, qui sperat in eo.* Etsi quidem Hardingo ad defensionem suam vehementer accommodatum sit, non tamen affirmaturum illum censeo, *Beatum fore, qui in sacramento sperat.* Id enim dictu magnopere nefandum atque blasphemum esset.

Quod autem ista Ambrosius non de sacramento, sed de ipso Christi corpore, quod in sacramento adumbratur, senserit, tum ex præcedentibus, tum etiam ex subsequentibus mox verbis clarissimè apparet. Paulò antè in eodem capite sic habet: *Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur: Post consecrationem corpus Christi significatur.* Quæ mox in eadem periodo consequūtur verba, sic habent: *Non ergo corporalis esca* (quam corpore capiamus) *sed spiritualis est* (hoc est spiritu sumenda.) Hæc Hardingus verba pro more suo dissimulanda, occultandáque esse iudicauit. Deus ipsius acuat internos intelligentię sensus, vt gustare, videréque possit, suauem & benignum esse Dominum.

Ambros. de his qui initiantur myster. c. 9.

Hardingus. 7. Sectio.

ISTis conuenienter scribit Augustinus in sermone quodam de verbis Euangelij, citatus à Beda: Qualem vocem Domini audistis inuitantis nos? Quis vos inuitauit? Quos inuitauit? Et quis præparauit? Inuitauit Dominus seruos, & præparauit eis cibum seipsum. Quis audeat manducare Dominum suum. Et tamen ait, qui manducat me, viuet propter me.

Hæc verba non ad sacramētum sed ad ipsum Christi corpus in sacramento adumbratum, referuntur.

Cyrillus sacramentum & pro Christo, & pro Deo verbo, & pro Deo[b] *agnoscit, his verbis*: Qui carnem Christi manducat, vitam habet æternam. Habet enim hæc caro Dei verbum, quod naturaliter vita est. Propterea dicit: Quia ego resuscitabo eum in nouissimo die. Ego enim dixit, id est, Corpus meum, quod comedatur, resuscitabo eum. Non enim alius ipse est, quàm Caro sua, &c.

b Falsum. Hæc enim verba Cyrillus de ipso Christi corpore, non de sacramento corpori Christi habuit

Episcopus Sarisburiensis.

VEriſſimè profectò ſcripſit Auguſtinus,Chriſtum cibum nobis præparaſſe ſeipſum.Chriſtus enim ipſe ait: *Qui manducat me,viuet per me.* Neque verò ad huius rei confirmationem erat opus Auguſtini verba à Beda mutuari. Eandem enim cùm in Auguſtino, tum etiam in aliis priſcis patribus ſententiam facillimè inueniat. Auguſtinus ita ſcribit: *Panis eſt,& Panis eſt,& Panis eſt,*(intelligit autem non ſacramentum,ſed ſpiritualem panem vitæ) *Deus Pater, Deus filius,& Deus Spiritus ſanctus. Deus,qui tibi dat,nihil melius,quàm ſe tibi dat.* Sic Hieronymus habet: *Sancti veſcuntur cœleſti pane,& ſaturantur omni verbo Dei,eundem habentes Dominum,quem & cibum.* Similiter Gregorius *Præſepe natus impleuit: qui cibum ſemetipſum mortaliũ mentibus præbuit.* Atque hoc illud eſt, quod Cyrillus ait: *Ego,id eſt,corpus meum,quod comedetur,reſuſcitabo eum. Non enim alius ipſe eſt,quàm caro ſua.*

August. de ver. Domi. ſecund. Luc. Sermo. 29. Hiero ad Pamma. aduerſ. error. Ioan. Hieroſolymit. Grego. in Iob. lib. 7. cap. 4.

Hæc ſingula patrum dicta vera ſunt,miniméque dubia. Quod tamen ex iis concludit Hardingus falſum eſt, ſcilicet vel Auguſtinum, vel omnino quenquam ex his ſanctiſſimis patribus ſacramentum aliquando aut Dominum,aut Deum,aut Chriſtum ipſum appellaſſe.

Auguſti. in Ioan. tractat. 26. *Qui manducat mente, non qui premit dente.* Auguſt. in Ioan. tractat. 59. Auguſt. de ſermone Domini in monte lib. 2.

Auguſtinus frequentibus in locis docet ipſum Chriſti corpus,atque eius corporis ſacramentum res eſſe diſcrepantes,diſcrimen autem in eo ſtatuit, *quòd Chriſti corpus internè manducatur mente: ſacramentum autem externè premitur dente.* Proinde ſacramentum *panem Domini* appellat: ipſum autem Chriſtum *Panem Dominum* vocat. Vbi verò hæc Chriſti verba interpretatur, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, ſic habet: *Aut pro ſacramento corporis Chriſti,quod quotidie accipimus,aut pro ſpirituali cibo,de quo idem Dominus ait, Operamini eſcam,quæ non corrumpitur: Et illud, Ego ſum panis vitæ, qui de cælo deſcendi.* Hìc alteram animaduertimus ipſius Chriſti corporis, à corporis ſui ſacramento illuſtrem diſſimilitudinem.

Auguſt. ad infantes Citatur à Beda in 1. Cor.

Si ſuos Hardingus locos diligentiùs inſpexiſſet, atque luſtraſſet, Auguſtinum ſuam ipſius in eodem hoc loco ſententiam interpretantem accepiſſet. Sic namque ſcribit: *Nulli eſt aliquatenus ambigendum,tunc vnumquenque fidelium Corporis & Sanguinis Domini participem fieri, quando in Baptiſmate membrum Chriſti efficitur: nec alienari ab illius panis, caliciſque conſortio, etiamſi, antequam Panem illum comedat,& calicem bibat, de hoc ſeculo in vnitate Corporis Chriſti conſtitutus abſcedat. Sacramenti enim illius participatione ac beneficio non priuatur, quando ipſe hoc, quod illud Sacramentum ſignificat, inuenit.* Hìc nos Auguſtinus docet,fidelem quemque hominem Corporis Chriſti participem eſſe, etiamſi ſacramentum corporis eius nunquam percipiat.

Auguſt. in Io. tractat. 7.

Quemadmodum autem his verbis ab Hardingo recitatis Auguſtinus Chriſtum *præparare cibum ſeipſum* ſcribit, ita in ſuis in Ioannem commentariis habet: *Chriſtus inuitauit nos ad Euãgelium ſuum: & ipſe cibus noſter eſt: quo nihil dulcius, ſed ſi quis habeat palatum in corde.*

Auguſt. Confeſſion lib. 1.

Iterum ſic habet: *Deus panis intus eſt animæ meæ.* Quare alteram Hardingianæ orationis partem veram eſſe intelligimus, *Chriſtum ipſum eſſe panem noſtrum:* alteram verò falſam eſſe perſpicimus, *ſacramentum eſſe illum panem.* Hæc autem mirifica quædam & inuſitata argumentatio erit: *Chriſtus eſt cibus noſter, Chriſtum mente ſpiritúque comedimus,& per eum viuimus: Ergo, ſacramentum Auguſtini memoria Dominus & Deus appellatum eſt.* Huiuſce rationis peruerſitas atque fraus, vt alia taceam, nõnulla vitia, æquiuocatione ſeu duplici ſignificatione verbi, *Manducare*, continetur: quod & ad noſtri corporis externum os,& ad fidem, quæ mentis eſt os ſpirituale refertur. Beatus Ioãnes ait, *Chriſtus nos lauit ſanguine ſuo.* Et Bernardus habet: *Lauemur in ſanguine eius.* E quibus tamen minimè debet Hardingus colligere, Aquam Baptiſmi illum eſſe re ipſa Chriſti ſanguinem.

Apocalyp. 1. Bernard. Super Miſſus eſt, Sermo. 3.

Hardingus. 8. Sectio.

Vixit mille ſupra cẽtum poſt Chriſtum annis, in ſumma Eccleſiæ corruptione.

N*Emo verò omnium ſacramentum Dei nomine diſertiùs appellauit, quàm Bernardus in pio illo ſermone de Cœna Domini ad Petrum Presbyterum. In quo ſic ſcribit:* Comedunt Angeli verbum de Deo natum, Comedunt homines verbum fœnum factum: *ſignificat autem ſacramentum, quod verbũ vocat fœnum factum, hoc eſt, verbum incarnatum. In alio verò loco habet ibidem:* Hæc eſt verè indulgentia cœleſtis, hæc eſt verè cumulata gratia, hæc eſt verè ſuperexcellens gloria, ſacerdotem Deum ſuũ tenere,& aliis dando porrigere. *In eodẽ etiam ſermone de mirifica ſuauitate loquens, quam pij Epiſcopi, hominéſque ſancti, & religioſi ex huius ſacramenti ſumptione percipiunt, ſic ait:* Ideo ad menſam altaris frequentiùs accedunt, omni tempore candida facientes veſtiméta ſua, id eſt, corpora, prout poſſunt, melius, vtpote Deum ſuum manu & ore contrectaturi. *Alium eiuſdem ſermonis locum, quandoquidem & inſtitutum noſtrum probat,& ſalubrem etiam quandam inſtitutionum continet, nullo modo prætermittere poſſum. Sic autem habet:* Mira ſunt, fratres, quæ de ſacramento iſto dicuntur. Fides eſt neceſſaria, ſcientia rationis ſuperuacua. Hoc fides credat, intelligentia non requirat, ne aut non inuentum putet incredibile, aut repertum non credat ſingulare. Et ideo credi oportet ſimpliciter, quod inueſtigari non poteſt vtiliter. Nolite itaque, nolite quærere quomodo fiat: nolite dubitare vtrum fiat, nolite irreuerenter accedere, ne vobis ad mortem fiat. Deus enim eſt,& quanquam panis myſteria habeat, mutatur tamen in carnem: Deus & homo eſt, qui teſtatur panem veraciter fieri carnem ſuam vas electionis eſt, qui minatur iudicium non diiudicanti tam ſanctam carnem. Idipſum ô Chriſtiane de vino ſentias: id honores in vino: creator vini eſt, qui vinum prouehit in ſanguinem Chriſti. *Hucuſque ſanctiſſimus Bernardus.*

1. Cor. 11.

Epiſco-

Episcopus Sarisburiensis.

BErnardus Monachus fuit,vixítque Claraualli circiter idem tempus,quo Thomas Beckettus hîc in Anglia floruit.Qua memoria Dei Ecclesiam miserè fuisse deformatam ex ipsius creberrimis querelis constat:Sic enim de Clero Romano nominatim scribit: *Nihil integri est in clero* (quo nomine Papam,Cardinales,Episcopos,cæterósque omnes complectitur) *Restat iam vt homo peccati reueletur.A planta pedis vsque ad verticem capitis non est sanitas vlla.Serui Christi nunc seruiunt Antichristo.*Itaque Bernardi in seculo tam insigniter deprauato viuentis,eiúsque peruersitate, quasi turbine & tempestate abrepti leuiorem videri in hisce causis authoritatem est necesse.Quanquam aliis quidem in locis sententiam suam nonnihil emendare & corrigere videtur.Sic enim scribit: *Quasi verò Christus,cùm iam ascenderit in cœlum,tangi à Maria aut velit,aut possit.Et vtique poterit:sed affectu,non manu:voto,non oculo:Fide,non sensibus.*Si nos vehementiùs Hardingus eo vrgere voluerit, quod Bernardus ait,*sacerdotem tenere Deum manibus suis*,huius dicti asperitatem commoda quadam interpretatione liniri posse meminerit.Sic Chrysostomus scribit:*Adest sacerdos gestans spiritum sanctum.*Gregorius etiam ait:*Paulus prædicando Deum infundebat audientibus.*Rursus:*Latens in Pauli pectore,quasi sub tentorio ibat Deus.*Hieronymus habet:*His,qui baptizandi sunt,publicè tradimus sanctam, & adorandam Trinitatem.*Sensus est,eum Trinitatem accipere,qui fidem Trinitatis,doctrinámque accipit.

Iam itaque quemadmodum Chrysostomus *sacerdotem gestare spiritum sanctum*,& Paulum Gregorius *Deum infudisse audientibus*,& Hyeronymus nos *tradere sanctam Trinitatem* scripserunt:similiter Bernardus dixisse videatur *sacerdotem Deum tenere manibus suis*:hoc est non Realiter,non reipsa,sed peculiari quodam loquẽdi genere atque ratione.Etenim modo quodam Rhetoricæ amplificationis qui tenet aliquid,quod ad Deum vnicè pertinet,is Deum tenere dicitur.

Sic istis,aliísque similibus sententiis succurrendum est, maximè huic Bernardi, quandoquidem ea hoc ipsum imprimis postulare videtur.Ita enim se habet,longè secus ac illam Hardingus retulit: *Deum suum manu & ore contrectaturi,& colloquentem sibi ipsis audituri*, quàm posteriorem clausulam Hardingus pro instituta ratione prudens celauit.Vt Christum sacerdos secum colloquentem audit, sic manibus Christum tenet:Christum autem sacerdos non verè aut reipsa, sed tantum mysticè loquentem audit:Ergo ex hoc probabiliter concluditur,Christum non Realiter aut Reuera, sed tantùm mysticè tenere.Hæc de Bernardo hactenus. Quanquam illum cùm in hac,tum in aliis religionis partibus temporum erroribus atque tenebris implicatum & abductum fuisse & credibile est,& multi iudicant.

Anno Domini 1117. Bernard.in Psa. Qui habitat. De conuersione Pauli. In Canti.Canticorum.

Bernard.in Cantica cantic. Sermone 28.

Chrysost. De Sacerdotio li.3. Gregor. in Iob. lib.27.cap.6. Hieron.ad Pammachi.aduersus errores Ioann. Hierosolymitani.

Hardingus. 9. Sectio.

HIc autem aduersarij nostri,quod ad hunc Articulum attinet,secum expendant atque reputet,siue Lutherani sint,siue Zuingliani, siue Geneuenses,quemadmodum hæc verba à patribus vsurpata, & ad sacramentum[a] *accommodata in locis superioribus,interpretari possint,*Dominus,Christus,diuina essentia, Deus, seipsum,verbum Dei,Ego,Verbum fœnum factum,Deum suum.*Multitudo similium locorum, quibus in hac causa vti possem,innumerabilis propè est.Cessurum se Iuellus & subscripturum pollicetur,si aliquis omnino reperiatur.Quare,iam quanta sit in verbis fides,intelligemus.*

a Falsum: nulla enim ex istis verbis ad sacramentum accõmodantur.

Episcopus Sarisburiensis.

EQuidem non dubito quin ex istis paucis diligenter expensis prudẽs Lector facilè perspexerit, nullum ex istis omnibus antiquis patribus,neque Irenæum, neque Origenem, neque Cyprianum,neque Chrysostomum,neque Ambrosium,neque Augustinum, neque Cyrillum , quantum ex ipsorum verbis intelligi possit,sacramentum vnquam vel Dominum,vel Christum,vel Diuinam essentiam,vel Deum,vel Seipsum, vel Verbum Dei, vel Deum suum appellasse: quantumuis Hardingus & falsas interpretationes adhibendo, & multa inconsideratè pronunciando, vehementissimè contenderit,vt secus esse saltem videretur.Hieronymus ait: *Falsi testes sunt, qui non eodem sensu dicta proferunt,quo dicuntur.*

Hieronym. in Matth.ca.26.

Hardingus. 10. Sectio.

IN hoc Ecclesiæ dogmate ponderando,exigua impiorum ludibriorum & blasphemiarum cõtra hoc sanctissimum sacramentum occasio restabit iis , qui crasso illo & inepto errore non cæcantur illorum hominum, qui inseparabiles Christi naturas esse negant , verùm eius solummodo carnẽ in hoc mysterio præsentem adesse sine sanguine,sine anima,sine diuinitate confirmant. Quem errorem manifestæ scripturæ redarguunt. Christus excitatus à mortuis iam non moritur.Rom.6.Non patitur se ampliùs diuidi.1. Cor. 1. Omnis spiritus,qui dissoluit Iesum,hic est Antichristus.1.Ioan.4. *Ex his efficitur, si Christus verè sit in sacramento sub forma panis,quemadmodum alibi abunde docuimus:tum ibi integrum & totum adesse , Carnem & sanguinem, & animam, totum Christum Deum & hominem , propter indiuisam duarum in vna persona naturarum coniunctionem.Quod in Articulo de Adoratione sacramenti luculentiùs demonstratur.*

Hunc errorem de suo fingit Hardingus.

Episcopus Sarisburiensis.

IN exitu Hardingus hanc sui dogmatis rationem erroris cuiusdam refutatione confirmat: qui profectò propter inauditam eius nouitatem,suus esse & proprius facilè videatur.Itaque error Har-

Hardingianus meritò appellari debet. Neque enim ab homine alio esse vel defensum vnquam, vel mente conceptum existimo.

Esse quosdam fingit, qui vel defenderint aliquando, vel posse defendere videantur, Christi carnem in sacramento realiter adesse præsentem: quanquam mortuam illam quidem, exanguem, & anima simul ac diuinitate carentem, Hic verò nouus error est, nec Dominus antehac, nec tractatus vnquam.

Nos autem & certissimè persuasi sumus, & clarissimè profitemur Christum Deique filium carnẽ nostram è Maria virgine sumpsisse, atque vbicunque ea fuerit, ibi & diuinitatem, & animam adesse præsentem. Ex hac minimè dubia veritate alienam Hardingus argumentationem concludit. Sic enim ratiocinatur: *Si Christus verè adsit in sacramento sub forma panis, tum in eo integer & totus inest, Deus atque homo.* Concesso quidem primo, alterum consequatur est necesse. Verùm vnde Hardingo constat de primo? Quis illum antiquus doctor, quis priscus pater docuit, Christi corpus realiter & carnaliter adesse sub formis & nudis speciebus panis & vini? Si quidem eruditi patres ita scripserint, ostendat velim Hardingus: sin minùs, turpe est vendicare. Sanè verò, quicquid hactenus Hardingus attulit, parum momenti habet.

Iam verò, Christiane lector, quò tibi certiùs, quid de hac causa sentire oporteat, constare possit, præsertim quando ita est perniciosè lubrica, vt qui in ea labitur, idololatra sit, Ceúmque nesciat, expende breuiter tum sanctorum patrum enucleata de hoc sacramento iudicia, tum eiusdem vetustã rationem atque vsurpationem recognosce.

Chrysost. in opere imperfecto. hom. 11. 1. quæst. 1. Interrogo vos. Hieronym. in Psal. 147. Orig. in Exod. hom. 13.

Primùm quòd ad patrum hac de re iudicia attinet, Chrysostomus scribit: *In vasis sanctificatis non verum Corpus Christi, sed mysterium corporis Christi continetur.* Augustinus habet: *Interrogo vos, fratres, dicite mihi, quid plus videtur nobis, corpus Christi, an verbum Christi? Si vultis verè respondere, hoc dicere debetis, quòd non sit minùs verbum Dei, quàm corpus Christi.* Hieronymus ait: *Ego corpus Iesu Euangelium puto. Et quamuis, quòd Christus dicit, Qui non manducat meam carnem, &c. possit intelligi de mysterio, tamen veriùs corpus Christi, & sanguis eius sermo scripturarum est.* Similiter Origenes: *Quòd si circa corpus Christi seruandum tanta vtimini cautela, quomodo putatis minoris esse periculi, verbum Dei neglexisse, quàm corpus eius,* id est, sacramentum corporis eius.

Si sacramentum corpus Christi verè atque realiter, & consequenter Dominus, Deúsque noster esset, illud creaturæ conferre, atque præ eadem extenuare, quemadmodum Augustinus, Hieronymus, Origenes, aliíque sancti patres faciunt, summæ blasphemiæ videretur. Augustinus habet: *Plus est vnus Deus, quàm vnus Baptismus. Neque enim est baptismus Deus: sed ideo magnum aliquid est, quia sacramentum est Dei.*

Augu. de vnico baptismo contra Petilia. ca. 5 Orig. in Matth. cap. 15.

Origenes ille egregiè doctus pater scribit: *Ille panis, qui sanctificatur per verbum Dei, & obsecrationem, iuxta id, quod habet materiale, in ventrem abit & in secessum eiicitur.* Hæc verba dictu horrẽda viderentur, si sacramentum reipsa Dominus esset ac Deus.

Ambro. de bene dict. Patria.

Ambrosius quando hæc Christi verba, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, explicat, sic habet: *Hodie dat nobis hunc panem, quem ipse quotidie Sacerdos cõsecrat suis verbis. Possumus & ipsum Dominum accipere, qui ait, Ego sum panis vitæ.* Ex his manifestò liquet Christum ipsum, & sacramentum res esse diuersas: vt neque sacramentum ipse Christus, neque Christus sacramentum sit. Chrysostomus ait: *Habent & hæreses in schismate similiter ecclesias, similiter & ipsas diuinas scripturas, similiter episcopos, cæterósque ordines clericorum, similiter baptismum, similiter Eucharistiam, & cætera omnia, denique ipsum Christum.* Hic etiam sanctissimus pater Chrysostomus, contra atque Hardingus fingit, magnã inter sacramentum, ipsúmque Christum discrepantiam ostendit. Quid autem dici potest explicatiùs atque dilucidiùs, quàm quod Ambrosius de hac causa scriptum reliquit? *Venisti ad altare: vidisti sacramenta posita super altare: & ipsam quidem miratus es creaturam. Tamen creatura solennis & nota.* Sacramentum Ambrosius disertis verbis, non Dominum, aut Deum, sed creaturam vocat. Itaque Epiphanius ad hunc modum scribit: *Hoc est rotundæ figuræ, & insensibile, quantum ad potentiam &c. Dominum verò nostrum nouimus totum sensum, totum sensitiuum, totum Deum: totum mouentẽ.* Hæc quoque verba haud obscuram Christi & sacramenti dissimilitudinem demonstrant. Iustinus Martyr ait: *Alimento humido, & sicco admonemur, quæ propter nos Deus Dei filius perpessus sit.* Cyrillus sacramẽtum. *Fragmenta panis,* Augustinus *Buccellam Dominicam,* appellat.

Chrysost. in opere imperfe. hom. 49.

Ambr. de sacr. li. 4. cap. 3.

Epiph. in Anchorato. Iustin Martyr in colloquio cũ Triphone. Cyril. in Ioan. lib. 4. cap. 14. Augu. in Ioan tra. 26.

Nefarium profectò atque horrendum scelus fuisset, sacramentum aliquo huiusmodi vocabulo appellasse, vel creaturam, vel rem insensibilem, vitæque expertem, vel alimentum siccum, & humidum, vel fragmentum, vel buccellam, si certò sibi persuasissent patres, quemadmodum Hardingus contendit, sacramentum Dominum & Deum extitisse.

Liturgia Chrysostom.

Chrysostomus in ea liturgia, quæ ipsius nomine edita est, post peractam consecrationem sic orat: *Immitte quæsumus Domine sanctum Spiritum tuum in hæc proposita* (sacramenta, seu) *munera.*

Ipse etiam Hardingus in sua Missa, consecratione similiter perfecta, sic Deum precatur: *Respice Domine sacramenta hæc benigno & propitio vultu, eáque suscipere dignare, quemadmodum olim suscepisti victimas Abeli filij tui, & sacrificium patriarchæ nostri Abrahæ, & illud quod tibi oblatum fuit à summo pontifice Melchisedecho.* Non facilè dixerit, opinor, Hardingus se precibus à Deo contendere, vt spiritus sanctus in Christum superueniat: vtque Deus eius rogatu & gratia filium suum propitio benignóque vultu aspiciat: aut illum perinde suscipiat, qui

Dominus

Dominus est Deúsque noster,ac olim vel capram,vel arietem,vel quoduis eiusmodi communis sacrificij genus susceperat.

Quanquam si ingenuè loquatur, nec callidè sententiam occultet, quo nomine illum suis nonnullis suspectum esse sentio,tum hic huius orationis sine dubio sensus sit est necesse.Sin verò simulet,& aliud loquatur, aliud sentiat in ipsa adeo etiam reconditissima sanctissimáque Missæ suæ parte,tum & sua confessione,& Missalis ipsius testimonio sacramentum nó est Dominus,atque Deus.

In Concilio Carthaginiensi,quod Cyprianus habuit,Cæcilius à Bilta sic ait:*Antistes Diaboli audet Eucharistiam facere:*hoc est, quemadmodum Hardingus interpretatur , *Sacerdos Diaboli audet Dominum & Deum facere.* Quod quidem sacerdotibus Hardingianis non est vsque adeo nouum. Sic enim audent confidenter simul & impudenter dicere:*Sacerdos est creator creatoris sui: qui creauit vos,dedit vobis creare se:qui creauit vos absque vobis,creatur à vobis, mediantibus vobis.* Hæc verba habita olim fuissent blasphema:nunc verò legitima & catholica iudicari debent, vtpote ab eius sectæ ac disciplinæ magistris profecta.

Cypri. in conc. Cartha. ad Quirinum. Stella Clericorum. Serm. discip. ser. 111.

Hæc habui de patrum iudiciis quæ dicerem.Iam verò vt illud doceam, quemadmodum veteres sacramentum obseruarent,scito Christiane lector, nullis literarum monumentis constare quenquá per sexcentos post Christum annos sacramentum adorasse, aut Diuino honore coluisse: quod magno argumento esse potest,pro Domino atque Deo minimè habitum fuisse.

In nonnullis ecclesiis consuetudo ea inualuit,vt si quæ sacramenti reliquiæ populo restarent, igni cremarentur.Quod inter homines Christianos ne ferendum quidem fuisset, si sancti doctique patres sacramentum Dominum & Deum esse sensissent.

Hesychi. in Leuit. li. 2. c. 8.

Hildebrandus Papa,qui Sacerdotibus matrimonio interdixit, sacramentum de dubiis rerum futurarum euentis consuluit.Quod quando aut nollet,aut non posset loqui,atque respondere, furore impulsus pontifex illud in ignem iniecit.

Beno Cardinalis

Papam quidem Dei nomine cohonestarunt, quemadmodum ex illorum crebris decretis & sanctionibus liquet.In libris etiam suis hoc modo scribere non sunt veriti,*Dominus Deus noster Papa.* Sacramentum autem,quod nunc Dominum & Deum esse defendunt,nunquam ante Honorij tertij ætatem vel Dei vocabulo decorarunt,vel cultu Diuino affecerunt: neque illi festum diem ante Vrbanum quartum attribuerunt.Si certò persuasum omnibus fuisset,Dominum atque Deum esse sacramentum,non tam diu profectò & appellatione & adoratione Diuina caruisset.

Ad extremum Clemens Papa quintus indulgentias, immunitatésque prolixas iis omnibus est largitus,qui nouum hunc festum diem obire vellent, nouæque huic religioni authoritatem , & fidem adiungerent : *Pro primis Vespertinis,Matutinis,Missa,& posterioribus vespertinis,Prima,& Horis,pro singulis hisce temporibus centum dies veniæ,toties,quoties,à pœna & culpa.* Ita illectus facilè populus fuit,ita noua hæc festiuitas,nouáque religio in honore esse cœpit. Hieronymus ait : *Pagani Deos suos digito ostendunt:& ob hoc ingerunt mihi opprobria,Vnde sciant, quòd ego mente Deum meum reconditum teneo,& per interiorem hominem in ipso habito.*Si alloqui Hardingum sacramentum posset,sic profectò diceret:*Ego creatura sum,*quemadmodum Ambrosius vos docuit : *Ego fragmentum panis sum,*quemadmodum Cyrillus vos docuit: *Ego res sum insensibilis & exanimis*, quemadmodum Epiphanius vos docuit:*Ego cibus sum corporalis,&in corpora vestra transeo,& carnis vestræ substantiam augeo,vt alij cibi,*quemadmodum Origenes & Irenæus vos docuerunt: *Ego mucesco & putresco, & corrumpor,*quemadmodum oculi vos,sensúsque vestri facilè docent: *Ego sacramentum Christi sum, non Christus ipse:Ego creatura sum Dei,non Deus:Iniuriam mihi,iniuriam Deo facitis: Vermes terræ & volucres aëris vos redarguent:mihi hunc honorem nolite deferre: Diuinum honorem Deo tribuite.*Si affari, inquam,sacramentum posset Hardingum,hac omnino voce vteretur:iam verò cum res sit & muta,& exanimis,& loqui nequeat,sic tamen loquitur.Deus omnium hominum aures & corda aperiat,vt videre,atque rerum vniuersarum præpotentem,& immortalē Deum à creatura caduca, quæ Deus non est,internoscere possint. Amen.

Extrana Ioan. 22. Cum inter. In glosa. Anno. 1226. Ann. 1265. Dist. 96. Satis euidenter. De elect. & electi potest. In prœmio Clemen. Augustinus. Steuchus. Clē. lib. 3. ti. 16. Si Dominum Ant. Do. 1308. Hieronym. in Psal. 41.

FINIS.

DE REMANSIONE SVB ACCIDENTIBVS.

ARTICVLVS VIGESIMVS SECVNDVS.

Episcopus Sarisburiensis.

VEl tum institutum fuisse populum, vt corpus Christi tantisper in sacramento remanere crederet, dum accidentia panis integra & salua permanerent.

Hardingus. I. Sectio.

QVinque hi subsequentes Articuli scholasticæ sunt argutiæ, quarum curiosa magis, quàm necessaria tractatio videatur, Vtrùm populus fidelis tum, hoc est, per sexcentos annos à Christo edoctus esset, vt de hoc sanctissimo sacramento restrictè, iuxta horum omnium Articulorum sententiam crederet, nécne, non possum affirmare. Veritatem quidem huiusce rei apertè & simpliciter, sic tamen vt nihil celaretur, quod in illis quietis temporibus (quietis nimirum quoad hanc fidei partem) scitu necessarium videbatur, edoctum fuisse censeo. Si quid postea ampliùs traditum, siue potiùs veritas alio quodam genere verborum explicata fuerit, vt hæc ratio clariùs & dilucidiùs innotesceret, veritate interim ipsa semper vna eadémque permanente: id quidem profectum est à diligentia ecclesiæ summáque cura reprimendæ hæreticorum peruicaciæ, qui intra hosce postremos sexcentos annos veritatem huius causæ impugnarunt: quare vt eorum improbis & peruersis sophismatis occurretur, necessarium visum est eiusmodi cuneos quærere, qui findendis tam nodosis truncis optimè conuenirent.

Episcopus Sarisburiensis.

COnsequentes hosce quinque Articulos Hardingus leuiter percurrit, vtpote quasdam parum necessarias Scholasticorũ argutias, quæ priuatim à doctis disputantur, ad rudem verò vulgi captum minimè pertinent. Quod etiam ex eo faciliùs intelligi potest, quando quidem nullum eorum antiqui cuiusquam patris testimonio confirmare potuit.

Ecclesiæ de sacramento doctrinam priscis temporibus simpliciter & apertè propositam explicatámque fuisse certissimũ est. Eam verò doctrinam Hardingus ipse huic doctrinæ dissimillimam extitisse non ignorat.

Augustin. in Psal. 3. Ambr. de illis qui initian. Myster. cap. 9. Chrysost in Matth. ho. 83. Augustin. in Psal. 97.

Augustinus populum ita docuit: *Christus in cœna figuram corporis sui commendauit.*

Ambrosius ad populum ait: *Post consecrationem corpus Christi significatur.*

Chrysostomus ad populum inquit: *Si mortuus Christus non est, cuius symbolum ac signum hoc sacrificium est?* Atque vt huiusmodi alias innumerabiles Doctorum sententias prætermittam, Augustinus ita populum docuit: *Non hoc corpus, quod videtis, mãducaturi estis: nec bibituri illum sanguinẽ, quem fusuri sunt, qui me crucifigent.*

Orig. in Leuit. hom. 7.

Quòd autem Christus ait: *Nisi comederitis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis,* Origenes ille antiquissimus sic inde populum instituit: *Si secundùm literam accipias hæc verba, illa litera occidit.*

Vigili. contra Eutych. lib. 1.

De ipso verò Christi corpore, sanctissimus episcopus & Martyr Vigilius populum hoc modo docuit: *Caro Christi, cum esset in terra, non erat in cœlo: & nunc, quia est in cœlo, non est vtique in terra.*

De conse. dist. 2. Prima. Cyril. in Ioan. lib. 11. cap. 3t Augu. in Ioan tract. 26. De cõse. dist. 2. Vt quid. Augu∫t. in Ioa. tract. 50.

Augustinus ad populum dixit: *Corpus in quo Christus resurrexit, in vno loco esse oportet.* Cyrillus ad populum dixit: *Christus non poterat in carne versari cum Apostolis, postquam ascendisset ad patrem.*

De corporis Christi manducatione sic populum Augustinus informauit: *Crede, & manducasti. Credere in Christum, hoc est, manducare panem viuum.* Rursus similiter: *Quomodo in cœlum manum mittam, vt ibi sedentem teneam? Fidem mitte, & tenuisti.*

Ita tum populus simpliciter, apertéque edoctus fuit: non priuatim in scholis duntaxat, sed etiam in ecclesiis publicè: neque in vna tantùm mundi plaga, sed Hippone in Aphrica, Cõstãtinopoli in Thracia, Alexandriæ in Ægypto, Mediolani in Italia: Similitérque in cæteris omnibus totius orbis terrarum ecclesiis atque partibus. Atque hæc eo tempore catholica de sacramentis doctrina habita est: *Transsubstantiatio* verò, *Realis præsentia, Concomitantia, Accidentia sine subiecto,* corpora naturalia naturalibus locis carentia, *Quantum sine modo quanti,* Formę speciésque sacræ, nondum vel cognita, vel audita fuerunt.

Tandem autem,vt inquit Hardingus,noui quidam hæretici exorti sunt, qui, quemadmodum, aquæ in baptismi sacramento natura conseruatur, ita etiam panis viníque naturam atque substantiam in Eucharistiæ sacramento integram remanere defenderēt. Verùm,si hæc hæresis sit,quam esse putat Hardingus, tum prisci omnes patres, sanctíque ecclesiæ doctores pro hæreticis damnari debent.

Gelasius enim scribit: *Remanet in sacramento natura (seu substantia) panis & vini.* Chrysostomus ait: *Natura panis remanet in sacramento, vt priùs.* Theodoretus habet: Panis remanet in *priori natura & substantia.* Augustinus inquit: *Quod videtis panis est:* non ait, *videtur panis, sed panis non est: Accidens tantùm & forma, & species panis est:* sed hoc modo, *Panis est, verè & reipsa.*

Gelasius contra Eutychem. Chrysosto. ad Cæsarium. Teodoret. dialog. 1. Augu. in serm. ad infantes. Beda in 1. ad Corinth. 10.

Verùm & hi opinor, & cæteri omnes vetustate atque eruditione præstantes patres, pro nouis, quia sic Hardingo placuit, magistris habendi, & hæreseos crimine condemnandi sunt. Hic ille est nodosus vastúsque stipes, cui findendo atque frangendo solidum quendam Hardingus ac durum penitúsque ferreum ex Accidentibus cuneum inuenit. Ridicula hercle & puerilis machina: sed reliquis suis instrumentis persimilis. Quanquā Dei ecclesia per mille ducentos continuos annos cunctas Dei ope hæreses infringere atque discindere facilè absque istis Hardingianis cuneis potuit.

Hardingus. 2. Sectio.

QVanquam hæc res non tam publicè populo proposita fuit, quam priuatim à doctis disceptata in scholis, ab ijsque prodita suis priuatis scriptis: in quibus si fortè aliqui ingeniorum concertatione nimis vel curiosi, vel confidentes fuerint, & modum transierint, vel quod probare instituerunt, minùs cumulatè effecerint, vel ignorantia, partiúmue studio à ratione, eâue opinione, quam Romana tenet ecclesia, non nihil aberrauerint: inhumanum sit ijs illud vitio vertere, & eorum erratis ad nostram calumniam abuti, totámque ecclesiam propter quorundam culpam criminari.

Episcopus Sarisburiensis.

EAm nunc Hardingus defensionē adhibet, vt hāc scholis tantùm inseruiisse, nullum in ecclesijs locum habuisse disciplinam dicat. Hoc verò reliquis etiam vniuersis doctrinæ suæ partibus commune fuit. Semper enim singularis cuiusdam prudentiæ solertiæque esse iudicarunt, suam omnem scholarum parietibus inclusam continere scientiam, & diligenter cauere ne quid efflueret, atque ad populi notitiam emanaret. Sic Hieronymus ait: *Eadem & in veteri, & in noua hæresi seruatur: fides vt aliud populi audiant, aliud prædicent sacerdotes.* Atque sanè eiusmodi eorū religio extitit, vt quantò quisque minùs ex ea perceptū haberet, tantò cum illo præclariùs actum videretur. Hilarij verba optimè illis conueniunt: *Sanctiores sunt aures plebis, quàm corda sacerdotum.*

Hiero. ad Pammachi. contra error. Ioan. Hierosolymit. Hilarius contra Auxentium.

Veruntamen contra hanc timidam Hardingi defensionem, alij quidam suæ classis doctores, nimirum Antonius, & Gabriel, & nonnulli præterea eam promulgare videntur, tanquam καθολικήν, atque ecclesijs peræquè ac scholis communem doctrinam, nec magis sacerdoti, quàm imperitissimo cuique plebeio conuenientem.

Anto. in 3. par. summæ. tit. 13. Biel lectio. 84.

Atque hercle, si sacramentum verè Deus sit, non quidem in perpetuum, sed duntaxat ad tempus, quemadmodum Hardingianum dogma statuit, quid ni totus populus intelligat, quando esse Deus incipiat: quandiu diuinam naturam conseruet: quando Deus sit: quando non sit: quousque illud sine periculo adorare possit: quando tutò desistere, nec ampliùs adorare liceat? Eo enim tempore quo Deus est, qui illud non adorat impius est & prophanus: qui verò adorat, quando Deus non est, in idololatriam incidit, & creaturam incidit, tanquam Deum veneratur. Huius itaque certa quædam & explorata ratio tam esse plebi, quàm sacerdoti necessaria videtur, quantumuis Hardingo contrà placeat.

Hîc autem suppudere Hardingū suorum scholasticorum, catholicorúmque doctorum animaduerto: *Eos enim vel ignorantia, vel partium studijs abductos, & à communi ratione, & ab ecclesiæ catholicæ sententia aberrasse* confitetur. Sit hoc quidem instar *Axiomatis*, vtpote vnum omnium, quæ scripsit, verissimum.

Quanquam doctores isti, cum talia disciplinæ suæ mynisteria enunciarent, non sua priuata insomnia diuulgare visi sunt, sed catholicam potiùs vniuersalis ecclesiæ doctrinam proponere: neque illos eo nomine vllus vel episcopus, vel Cardinalis, vel Papa, vel concilium damnandos vnquam censuit.

Hardingus. 3. Sectio.

IAm verò num Articulum hunc ijs testimoniis confirmare valeamus, quæ Iuellus postulat, annon, haud magni intererit. Fidei Catholicæ authoritas non ex vetustis paucorum recèns in controuersiam adductarum quæstionum, quæ minoris sunt momenti, confirmationibus pendet. Populus quidem veritatem edoctus est planè, cùm nullus adhuc hæreticus eorum fidem oppugnasset callidè. [a] *Ecclesiæ doctrina eiusmodi est. Corpus Christi post legitimam consecrationem tantisper in sacramento remanet, dum ipsum sacramentum remanet. Sacramentum autem remanet, quousque panis & vini formæ remanent. Formæ verò istæ integræ permanent, donec cætera accidentia corrumpantur & pereant. Veluti si color, pondus, sapor, gustus, odor, reliquaq; panis ac vini qualitates corrumpantur, & penitus immutentur, tum eiusdem etiā forma annihilatur & aboletur. Atq; vt paulò de hac re distinctiùs loquamur, quandoquidē panis vini-*

Ecclesiæ doctrina.

a Falsum: Hoc enim nouum figmentum est, non veteris ecclesiæ dogma.

a Falsum: neque enim vel scripturæ, vel prisci doctores nos inducunt, vt ista credamus.

que substantia in ipsam corporis & sanguinis Christi substantiam mutatur, id quod & a scripturæ & antiqui Doctores, & necessaria veritatis consequutio, & sanctæ ecclesiæ sanctio nobis persuadent: si talis accidentium mutatio fiat, quæ non sufficiat ad panem & vinum corrumpendum, modò remanerent, propter huiusmodi mutationem corpus & sanguis Christi non desinunt esse in hoc sacramento, siue qualitatis mutatio fuerit, nempe si vel color, vel sapor, vel odor panis & vini paulò mutentur, siue quantitatis, vt si in eas particulas diuidatur, in quibus panis ac vini natura conseruari posset. Verum si tanta fuerit facta mutatio, vt panis & vini, si existerent, natura corrumperetur: tum verò corpus & sanguis Christi non remanent in hoc sacramento, vt quando color, & sapor, aliaq; panis & vini qualitates ita mutantur, vt eam mutationem panis viníque natura ferre non possit: vel quantitatis respectu, si panis ita quodammodo in puluerem comminutus fuerit, & vinum in tam minutas portiunculas dissipatum, vt eorum formæ remanere desinant: tum corpus & sanguis non ampliùs remanent in hoc sacramento. Quare corpus & sanguis Christi tantisper in hoc sacramento remanent, dum ipsæ panis & vini formæ remanent: quæ quando deficiunt & esse desinunt, tum etiam corpus & sanguis Christi sacramentum relinquunt. Etenim quædam inter sacramenta, & res, quarum sunt sacramenta, conuenientia & similitudo intercedere debet, qua corruptis formis & accidentibus sublata, ipsa etiam sacramenta soluuntur & pereunt, & consequenter interna ac cœlestis res in illis inclusa, in illis remanere desinit.

August. ad Bonifaciũ, epist. 23.

Episcopus Sarisburiensis.

QVid sit, quod nobis tam sæpe narret Hardingus, populum in ecclesia primitiua planè ac dilucidè edoctum fuisse, non possum suspicari. Nunc enim in ecclesia Romana omnia de industria tenebris obducuntur atque obruuntur, nec vulgo imperito permittitur, vt quicquam sciat, ne ipsam quidem sacramentorum rationem ac sententiam, quæ profectò imprimis notissima ac planissima esse debebat.

Nam, vt paucis Hardingiana mysteria, quæ cuiuis ex indocta multitudine nefas est scire, aliqua ex parte enunciemus, animaduerte obsecro, Christiane lector, quàm planè modum præsentiæ Christi in sacramento definierint. Thomas Aquinas Scholasticorum Doctorum celeberrimus sic scribit: *In corpore Christi in sacramento non est distantia partium ab inuicem, vt oculi ab oculo, aut capitis à pedibus: sicut est in alijs corporibus organicis. Talis enim distantia partium est in ipso corpore Christi vero: sed non prout est in sacramento. Quia sic non habet quantitatem dimensiuam.* Ex quibus verbis illud ἐν παρόδῳ colligi potest, *verum Christi corpus in sacramento neutiquam esse.* Qualem, Deus bone, Christum sibi finxerunt? Nec quantitatem, nec corporis proportionem, nec partium distantiam vllam habet: nec longus, nec breuis, nec rotundus, nec latus, nec crassus nec tenuis est: oculi, aures, caput, pedes in vnum coalescunt. Eadem tamen hæc corporis Christi figura est ac statura, qua & in terra ambulauit, & in crucem actus est.

In 3. quæst. 76. ar. 3.

Ne quis autem hæsitaret, aut ambigeret, hanc rem Canonistæ in Decretis excusserunt atque perpenderunt, his verbis: *Sed secundùm hoc videtur, quòd vbi pars est, ibi est totum: & secundùm hoc videtur, quòd pes & nasus sunt coniuncti: quod non credo.* Adeo nimirum isti homines perspicuè docere populum solent.

De conse. dist. 2. Vbi pars. In glossa

Reliquam eorum disciplinam prætermitto. Aliquando accidentia nutriendi vim habent: aliquando eadem accidentia partes sunt substantiæ: aliquando substantia est accidens: aliquando accidentia sunt substantiæ. Denique de nocte diem, & diem vicissim de nocte faciunt. Pudet nunc ipsos suorum doctorum, qui quondam in altissimo dignitatis gradu constiterunt: atque vt iis olim qui Babyloniæ turris ædificationem sunt aggressi, vsu venit, ita alij aliorum linguam non intelligunt. Quare nunc intermissum languet opus atque deficit.

Hæc est Hardingianæ ecclesiæ simplicitas, hæc popularibus ingenijs apta in docendo perspicuitas. Populo quidem multò est expeditius ad cœlum peruenire, quàm Hardingo suísque collegis de via penitus consentire. Hic Hardingus nullis vel scripturis, vel conciliis, vel doctoribus subnixus longam de suo fabulam exprompsit: quam nihilominus ecclesiæ doctrinam esse contendit. Ea verò miseranda demum ecclesia videatur, quę sua instituta & placita nulla aut scriptura, aut doctore, aut Concilio confirmare possit.

Primùm, *Christi corpus realiter adesse in sacramento tantisper fingit, dum sacramentum sit sacramentum.* Deinde statuit, *Si Christi corpus semel decesserit, tum sacramentũ non ampliùs esse sacramentum*: atque ita in se reuoluuntur ista. Si sacramentum sit, tum Christi corpus adest: si Christi corpus adsit, tum sacramentũ est. Adeo simpliciter & planè populum docent. O illos fortunatos, quibus tales magistri contigerunt. Deinde ait: *Panis & vini substantia in corpus & sanguinem Christi realiter conuertitur.* Atque hoc ille scripturis ἀγράφοις, & doctoribus ἀνωνύμοις confirmat. Tum verò mirificas de *Qualitatibus*, & *Quantitatibus* disquisitiones versat: quemadmodum nempe color, aut sapor, aut cæteræ qualitates panis mutari, & quàm minutè panis comminui possit, vt interim Christi corpus in sacramento remaneat. Perspicua verò certè, & consolationis plena, & grata populi palato doctrina. Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, aliique eruditi patres in retrusissimis rerum causis indagandis multum operæ studiíque posuerunt: D. Paulus in tertium cœlum subuectus fuit: horum tamen nullus, quid hoc esset mysterij diuinare vnquam potuit.

In exitu ait, *Conuenientiam quandam, & similitudinem sacramenti, & rerum, quarum est sacramentum, esse oportere.* Exẽpli nimirum gratia: quemadmodũ aqua corpora nostra lauat ac reficit: ita quadam

quadam ſimilitudine baptiſmi aqua nos admonet, Chriſti ſanguine noſtras lauari reficiq; animas. Atque vt pane naturali noſtra corpora aluntur: ſic etiam ſimilitudine quadam ſacroſancta nos Euchariſtia docet animas noſtras Chriſti corpore paſci. Hæc illa eſt conuenientiſſima inter ſacramentum, & rem, quæ ſacramento deſignatur, ſimilitudo. Verùm quam hic Hardingus conuenientiam aut ſimilitudinem inueniat, quam ſuo commento accommodet? Quid habent accidentia ſua Chriſti corpori ſimile? Chriſti verò corpori quid tandem eſt cùm Accidentibus commercij? Num panis accidentibus noſtrorum corporum ſuſtentari atque augeri, aut ita animas noſtras è Chriſti corpore vitam haurire, vt corpora noſtra accidentibus aluntur defendet? Si hanc paſcendi ac nutriendi ſimilitudinem miſerit, quam aliam inuenerit?

Quàm verò Hardingo conſultius foret ſimpliciter atque ingenuè confiteri, cùm in hoc, tum in cæteris Articulis, ſe non modò ſcripturis, ſed Conciliis etiam generalibus, & antiquis patribus defici: nec ei quicquam omnino præter quaſdam inaniſſimas coniecturas, quod proferat, ſuppetere?

Hardingus. 4. Sectio.

De ſacramenti reſurrectione. Exod.12.

Hic autem quandoquidem multi eorum, qui ſe diſciderunt ab eccleſia, ſacramenti reſeruationem damnant, corpúſque Chriſti tantiſper duntaxat in ſacramento remanere contendunt, dum ſumatur, contráque reſeruationem adducunt exemplum Paſchalis agni in vetere lege, cuius nullam partem in craſtinum reſeruari oportuit, quemadmodum nec Mannæ: placet illuſtrem & tritū Cyrilli Alexandrini locum recitare. Eius verba ſic habent: Audio quod dicant myſticam benedictionem, ſi ex ea remanſerint in ſequentem diem reliquiæ, ad ſanctificationem inutilem eſſe. Sed inſaniunt hæc dicentes. Non enim alius fit Chriſtus, neq; ſanctū eius corpus immutabitur: ſed virtus benedictionis, & viuifica gratia manet in illo. *Ex hac ſententia animaduertimus, Cyrillum noſtrorū in hoc articulo aduerſariorum errorem nihil aliud eſſe, quàm meram inſaniam ſtatuere. Corpus Chriſti, inquit, quod ille myſticam benedictionem appellat, quandoquidem ſanctiſſimum eſt myſterium conſecratione confectum, ſemel conſecratum non immutatur, ſed virtus benedictionis & viuifica gratia (quibus verbis carnem à verbo aſſumptam intelligit) manet in hoc ſacramento, etiam quando reſeruatur:* [a] *quouſque nimirum externæ formæ manent incorruptæ.*

Ad Caloſyrium Arſenoiten. Epiſcop. citat Thomas parte. 3.q.76.

[a] Falſum: In vitioſa & captioſa interpretatione ſitum.

Epiſcopus Sariſburienſis.

Veritas nullis conuiciorum, contumeliarúmque tragœdijs perturbatur. Nos ipſi à catholica Dei eccleſia minimè diſſociauimus atque diſiunximus, pernicioſum quidem eorum hominum cœtum ac ſocietatem fugimus, qui Dei eccleſiam in ſpeluncam latronum conuerterunt: quorum vt vitaremus conſuetudinem Deus ipſe diſertè mandauit. Sic enim Deus Opt. Max. iubet, *Exite ex ea popule mi, ne participes ſitis peccatorum eius, & ex plagis eius accipiatis.*

Apocal.18.

Reſeruationis autem mentio alieno loco conglutinata eſt, nec quicquam ad hanc cauſam pertinet. Quanquā niſi hanc Hardingus captaſſet digreſſionē, hunc omnē articulum ſine cuiuſquam doctoris appellatione concluſiſſet. Reſeruatum olim quidem in quibuſdam eccleſiis fuiſſe ſacramentum fateor: non tamen, quò diuina veneratione afficeretur, ſed quò à populo in ſacra communione ſumeretur. Eam verò conſuetudinem Origenes ex alijs pijs patribus improbare videtur. Sic enim ſcribit: *Dominus panem, quem diſcipulis dabat, non diſtulit, nec ſeruari iuſſit in craſtinum.*

Orig. in Leuit. hom.5.

Quòd autem ad huius articuli ſummam attinet, nullum Cyrillus verbum habet, neque de corporali præſentia, neque de formis, neque de accidentibus, neque de micis, neque de quantitatibus aut qualitatibus, neque de corruptione, neque de acceſſione corporis Chriſti, neque de manſione diſceſſionéue eiuſdem, aut omnino de quouis eiuſmodi Hardingiano myſterio. Quare noſtram defenſionem hic ſanctiſſimus pater nec reprehendit, nec vllam nobis inſaniam objicit, quemadmodum Hardingus fingit. Eum verò iterum atque iterum inſanum, ſi reuiuiſceret, iudicaret, qui tam inſanè illius verba ad ſententiam tam inſanam torqueret.

De ſacramenti autem reſeruatione, cuius Cyrillus meminit, ſic ſe res habet. Contigit nonnunquam vt poſtquam populus ſacra myſteria percepiſſet, quędam particulæ ſacramenri intactæ relinquerentur. Eas autem ſancti patres, qui illo tempore extiterunt, ad vſum profanum minimè duxerunt eſſe conferendas: verùm in proximum potiùs diem reſeruandas eſſe iudicarunt, quas in communione populus acciperet. Nondum enim priuata Miſſa vel cognita in omni eccleſia Dei per vniuerſum terrarum orbem fuerat.

Monachi Meſſaliani fremere cœperunt, & dicere, ſacramentum non poſſe tam diu ſanctū durare. Cyrillus reſpondet, non carnem quam de virgine Chriſtus ſumpſit incluſam in ſacramento remanere, quemadmodum Hardingus falſiſſimè ſcribit, ſed Chriſti inſtitutionē, myſticámque benedictionem, quam gratiam viuificam vocat, manere ſaluam: ídque ea ratione comprobat quandoquidem ſacramenta omnia ſuam integram vim atque efficacitatem non à ſe, ſed à Chriſto duntaxat hauriunt. Quare cùm Chriſtus vnus ſit, ſempérque maneat ab omni mutatione vacuus, gratia etiam, quam in nobis Chriſtus per ſacramenta ſua efficit atque exercet, vna ſemper remaneat eſt neceſſe. Quemadmodum verò in aqua baptiſmi nulla, niſi tum quando adhibetur, vis ineſt: ſic nullam panis Euchariſticus efficientiam habet, niſi quando ſumitur.

Ambro. de ſacram. li.1. ca.5.

Viuifica autem gratia in altero ſacramento perinde oſtenditur, atque in altero. Ambroſius habet: *Aqua baptiſmatis habet gratiam Dei, & præſentiam Trinitatis.* In Niceno etiā Concilio ſic habetur:

πλήρη τῦ θείυ πυρὸς νόει τὰ ὕδατα.

Cogita aquas plenas ignis cœlestis. Hæc verò gratia non ad vnam duntaxat alterámue horam, sed in perpetuum durat. Sic enim Augustinus scribit: *Arca testamenti quamuis ab hostibus capta, Virtutem tamen suæ sanctificationis non amisit.* Non tamen Hardingum proinde vel existimare, vel dicere oportet hanc gratiam re, & substantia in alterutro sacramento inclusam contineri. Bonauentura ait: *Non est aliquo modo dicendum, quòd gratia continetur in sacramentis essentialiter, tanquam aqua in vase. Hoc enim dicere, est erroneum. Sed dicuntur continere gratiam, quia eam significant.*

August. contra Gauden. lib. 3.

In 4. senten. dist. 1 quæ. 3.

Hîc ea, quam Hardingus tueri videtur, sententia erroris arguitur: nostráque contrà defensio, tanquam vera & catholica stabilitur, *Quòd sacramenta continere gratiam dicantur, quia eam significant.* Denique sic scribit: *Gratia est in animis, non in signis visibilibus.*

FINIS.

NVM MVS, &c.

ARTICVLVS VIGESIMVSTERTIVS.

Episcopus Sarisburiensis.

VEl murem, aliumue vermiculum, aut bestiã Christi copus comedere: ita enim aliqui ex aduersariis nostris affimarunt atque docuerunt.

Hardingus. 1. Sectio.

QVòd hanc Iuellus indignissimam assertionem quibusdam tantùm aduersarijs suis attribuit, in eo doctrinam minimè esse publicè traditam atque receptam confiteri videtur. Idem de proximo articulo statuere licet. Iam verò si à quibusdam tantùm defensa sit, neque ab omnibus generaliter tradita, tanquam vera doctrina Christianis hominibus credenda: quî tum secum ipse consentit, quando post suam articulorum omnium recitationem, illos vniuersos, nullo excepto, nostræ religionis summa mysteria maximásque claues esse dixit. Nam si id verum esset, quod est pro maxima parte falsum, [a] tum articulus iste ab vniuersis defensus traditúsque fuisset. Sũma enim & maxima religionis catholicæ capita nõ priuatim sunt à paucis, sed vniuersim ab omnibus proposita.

Iuellus sibi ipsi contrarius.

a Hac ratione præcipua Hardingianæ catholicæ religionis capita in dubiũ vocari possunt.

Episcopus Sarisburiensis.

CATHOLICOS Hardingo magistros minùs probari suos, dictúque nunc ei falsum videri, murem Christi corpus edere, ex his intelligi potest. Quare hanc religionis suæ partem *vilem atque indignam assertionem* appellat. Verùm si ista doctorum Hardingianorum assertio, vilis ita indignáque sit, tum viles atque turpes fuerint ij, qui eam primi inuenerunt, est necesse. Quanquam non sanè video, quemadmodum eam, in qua natus atque educatus est, religionẽ tam facilè excutere atque abiicere, suósque collegas indignissimi ac turpissimi sceleris damnare possit, quin in iustam hominum reprehensionem incurrat.

Vna tamen egregia defensione vti videtur, quòd istuc religionis suæ caput nunquam esset communi totius ecclesiæ consensu approbatum, & pro catholico habitum. Proinde ait *Hanc non esse religionis suæ clauem.* Si cæteras cunctas suæ religionis partes ad hãc normã exigere voluerit Hardingus, admodum profectò paucas pro catholicis comprobatas fore suspicor. Verùm huius προβλήματος primi authores atque vindices principem semper hanc esse clauem iudicarunt, sine qua reliqua ipsorum doctrina consistere non posset. Tamen nec minùs aut eruditione cumulati, aut religione catholici, aut in eadem constantes vnquam habiti sunt, quàm noster Hardingus.

Veteres certè quidem illi sanctitate clarissimi patres, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, inauditam hanc doctrinam nunquam vel auditione acceperunt: sique accepissent, eam nunquam vel pro claue, vel pro sera suæ religionis habuissent, sed illos potiùs concludendos tanquam furiosos iudicassent, qui aut eam defenderent & persuaderent, quemadmodum innumeri fecerunt, aut de ea omnino dubitarent, quemadmodum facit Hardingus. Iam ergo, à quibus hæc doctrina propugnata fuerit videamus: ex quo num catholica habita sit, nécne facilè constabit. Primùm autem testor atque profiteor, horum hominum hac in causa orationem ita esse blasphemam & sceleratè turpem, vt propter eam, qua Christi gloriosum corpus colo, reuerentiam, quæ ab illis dicuntur neque audire, neque referre possim, quin totus cohorream.

Primùm Thomas Aquinas sic scribit: *Quidam dixerunt, quòd cùm primùm sacramentum sumitur à mure,*

Thom. par. 3. de Eucharist. quæ 79. art. 3.

à mure, vel à cane, desinit ibi esse corpus, & sanguis Christi: sed hoc derogat veritati huius sacramenti. His verbis Hardingi sententia, tanquam & veritati inimica, & sacramento iniuriosa damnatur.

Non debet in dubium vocare Hardigus, hic doctor catholicúsne fuerit, an minùs. Christus enim ei dixit per visum in somnio, *Bene scripsisti de me Thoma.* Inde verò appellatus est, *Doctor Angelicus,* quòd eruditione ac iudicio cæteris omnibus doctoribus tanto interuallo præcurreret, & catholicus inprimis videretur. In Arelatensi Concilio sic habetur: *Qui non bene custodierit sacrificium, & mus vel aliquod animal comederit illud, quadraginta dies pœniteat.* Ioannes de Burgo ait? *Mus comedens hostiam, suscipit corpus Christi.* Alexander Halesius habet: *Quidam dicunt vbicunque ponantur species, siue in mundo loco, siue in immundo, siue in ventre muris, ibi est corpus Christi. Et in hoc non derogatur corpori Christi, nec sacramento.* Iterum habet: *Si canis, vel porcus deglutiret hostiam consecratam integram, non video quare corpus Domini non simul traijceretur in ventrem canis, vel porci.* Gerson scribit: *Brutum sumit corpus Christi per accidens, quia sumit illud, in quo est.*

Con. Arelaten. 3. can. 6.
Ioan. de Burgo de custodia. Eucha. cap. 10.
Alexan. par. 4. quæ. 45. m. 1.
Gerson contra Floret. lib 4.

Bonauenturæ verò contraria sententia multò magis probatur, vtpote quæ & honestati, & rationi magis conueniat. Sic enim ait: *Hæc opinio est honestior & rationabilior.* Petrus Lombardus Catholicarum omnium sententiarum magister, homo vnus, qui aliorum se omnium doctorem fore profitetur, quando ad hanc causam accedit, hæret totus ac titubat, nec se docere ipse potest. Sic enim de re ista scribit: *Quid igitur sumit mus, vel quid manducat?* Respondet Lombardus: *Deus nouit.* Tamen ita statuit ad extremum, *Sanè dici potest, quòd corpus Christi à brutis animalibus non sumitur.* Verùm ista sententia reuocatur, & parum catholica iudicatur. Magna enim Facultas illa Parisiensis sic de ea iudicium interposuit: *Hìc magister non tenetur.*

Bonauen. in 4. sent. dist. 13. q. 1. e.
4. senten. dist. 13.

Quare quicquid Hardingus contrà senserit hactenus summè catholica hæc doctrina videtur.

De occasionibus autem, quæ in hæc re incidere possunt, Anthonius Archiepiscopus Floretinus sic scribit: *Si mus, aut alıud animal propter negligentiam species sacramenti comederit, ille per cuius negligentiam hoc accidit, debet quadraginta diebus pœnitere. Et debet mus capi, si potest, & comburi, & cinis iuxta altare reponi. Sed Petrus de Palude dicit, quòd mus exenterari debet (& mus quidem comburi, & cinis in piscinam proijci) pars autem hostiæ si homo eam horret sumere, debet in tabernaculo reuerenter poni, & tamdiu ibi dimitti, quousque naturaliter consumetur. Ipsa autem hostia nequaquam debet in piscinam proijci: sicut fecit quidam sacerdos, de musca reperta post consecrationem in calice. Et siquidem homo esset tanti feruoris, quòd huiusmodi non horreret, sed sumeret, commendandus esset, si tamen esset ieiunus. Sic B. Hugo Cluniacensis commendauit Goderanum sumēdo portiunculas hostiæ, quas leprosus cùm vilissimo sputo euomuerat, dicens craticulam Laurentij fuisse tolerabiliorem.* Hactenus Antoninus.

Antoninus de defectib. Miss. 3. par. Sum. 3.

Atque vt ista omnia probabilia magis videantur, hoc illi tanquam catholicum axioma tenent, *Corpus Christi potest euomi.*

Hìc iterum testor, ipsam horum verborum blasphemam impudentiam, atque turpissimam fœditatem pio pectori intolerandam videri. Neque verò hanc iniucundam & insuauissimam orationem adhibuissem, nisi necessarium esse duxissem, vt omnes, quàm miserè atque indignè populo impositum fuerit, intelligerent.

De conse. dist. 2. Si quis. In glosa.

Hæc sententia propagata defensáque fuit in scholis, in ecclesijs à scholasticis doctoribus, à Canistis, à prædicatoribus, ab episcopis, à generalibus Conciliis, denique ab eo adeo, qui castellum & *fortalitium* fidei conscripsit. Non tamen Hardingus veritus est dicere, *Eam esse vilem turpémque assertionem,* nec vnquam pro catholica habitam fuisse.

Fortalitium fidei. lib 3.

Hi sunt illi suæ trāssubstantiationis fœtus. Quemadmodū enim Ixion cum nube, quā sibi Iunonem esse persuaserat, congrediens, ex ea Centauros, monstra quædam partim ex homine, partim ex equo conflata, genuit: sic hi homines pro sacrosanctis Dei mysteriis, cum suo lumine & obscuris phantasmatis commercium habentes nouas suas religionis ac horrendas informésque species procrearunt & cogitatu turpes, & aspectu prodigiosas.

Hardingus. 2. Sectio.

QVod ad huiusce articuli materiam attinet, quicquid vel mus, vel vermis, vel quæuis bestia comedit, Christi corpus, quod nūc impatibile atque immortale est, nullam aut violentiam, aut iniuriam, aut indignitatem patitur. Quod verò vel roditur, vel mordetur, vel editur à verme aut bestia, siue sit substantia panis, quemadmodum sensibus apparet, & à Catholicis negatur, [a] *quandoquidem ea consecrationis vi tollitur: siue externa tantùm sacramenti forma, quemadmodum multi defendunt,* [b] *quæ sola etiam frangitur, & manditur à sumente, Accidentibus miraculo subsistentibus sine subiecto: in huiusmodi occasionibus, quæ cōtra scopum & fidem, propter quem sacramentum institutum & seruatum est, incidunt, non debet nobis incredibile videri, Dei potentia considerata, Deum corpus suum illis externis formis surripere, atque permittere, vt* [c] *vel panis natura reuertatur, qualis ante consecrationem fuit, vel vt accidentia vires & effecta substantiæ panis suppleant: quemadmodum virgæ naturam, quæ fuerat in serpentem mutata, redire ad id quod priùs fuit præcepit, cùm eam Deus ijs vsibus inseruire ampliùs nollet, quibus ab ea destinata fuerat.*

[d] *Grauissima Cypriani authoritas ad hanc expendendam & iudicandam causam magnum momentum affert, & quasi lanci pondus imponit, qui in sermone* De lapsis, *miracula quædam narrat, quibus Christi corpus se subduxisse nonnullis ostendit, qui idolorum sacrificijs contaminati, ad communionem per summam audaciam accederent, antequam legitima pœnitentia defuncti essent. Quidam (vt*

a Falsum: panis enim remanet: quemadmodum ex antiquis catholicisque patribus constat.
b Falsum: id quod luculente in decimo articulo euicimus.
c Hardingianæ disciplinæ firmitudo.
d Cyprianus neque de muribus neque de bestiis meminit.

refert) putans se tenere sanctū illud corpus, quod cum alijs sumpserat, apertis manibus cinerem se ferre inuenit. Inde Cyprianus ait: Documento vnius ostensum est, Dominum recedere, cùm negatur. *Neque impium, neque illius sancti mysterij maiestate indignum est, si Dominicū corpus similiter recedere censeamus, quando huiusmodi aliqua negligentia, aut indignitas, aut profanatio contingit.*

Episcopus Sarisburiensis.

HVi, quas artes adhibent isti, vt huic deplorato incommodo medeantur? Innocentius non esse consultissimū duxit, vt *Murem Christi corpus edere in sacramēto* diceret: sed potiùs adducitur, vt dicat, Christum quando venientem murem animaduertit, fuga sibi consulere, & sacramentum deserere. Huius doctoris sententia Hardingus omnibus, quæ feruntur, reliquis anteponit, & rationi coniunctissimam esse iudicat.

Innocen. 3. de officio Miss. cap. 11.

Quid ergo comedit mus? Panis quidem esse non potest, quandoquidem panem, vt aiunt, consecratio sustulit. Reliquum est, vt mus formis & accidentibus panis necessariò vescatur. Quanquā hoc mirificum vescendi genus videatur. Sed nihil Hardingo nouum esse potest. At species & accidentia nutrire nequeunt: quid ergo esse dicemus, quo mus nutritur? Fortè, inquit Hardingus, *Deus miraculo permittit, vt panis reuertatur ad nutriendum murem:* Aut si istuc non sufficiat, deinde ait: *Fortè Deus alio miraculo, & virtute sua immensa ipsis accidentibus panis vim tribuit nutriendi, & augendæ substātiæ, quasi panis esset.* Adeo isti homines præclarā viam excogitarūt pascēdorū miraculis muriū.

Thomas in 1. Corin 11.

Thomas Aquinas scribit, si quis fortè plus æquo vini consecrati hauserit, licèt ipsa vini substantia perierit, ipsis tamen accidentibus tentari posse, atque ita forsan inebriari miraculo.

Hîc autem Hardingum coniecturis duntaxat quibusdam niti, nec explorati aliquid, quod respondeat, habere perspicimus. Ex quo eius incertam & dubiam esse sententiā constat. Quare quicquid ille dicat, non magna verbis fides adhibenda, nec eius sententia pro catholica habenda est.

B. Cyprianus, cuius hîc meminit, nullum vel de formis, vel de accidentibus verbum facit: neque murem Christi corpus deuorare posse confirmat: neque Christum aufugere, & sacramentum derelinquere scribit: neque remigrare panis substantiam, aut accidendibus insitam esse nutriendi facultatem defendit: neque vllum huiusmodi portentum fingit. Tantùm ait, *Illud miraculum improbo illi homini documento fuisse, diuinam gratiam perfidiæ & idololatriæ suæ ergo ipsum sic deseruisse, quemadmodum sacramentum ex eius manibus euanuisset.* Itaque nihil iste locus ad causam Hardingianam omnino facit. Verùm scitè admodum fecit, vt in hoc articulo Cypriani nomen ita vsurparet, quemadmodum in superiore Cyrillum adhibuerat, ne quem fortè articulum sine doctore præteriisse videretur. B Cypriani verbis illud quidem præcipuè colligitur impios non percipere corpus Christi. Quod cùm verissimum est, tum vniuersam Hardingianæ defensionis constructionem euertit.

Cyprian. serm. 5. de lapsis.

Iam verò, Christiane Lector, vt quàm doctores Hardingiani inter se egregiè consentiant perspicias: quanquam ex ijs permulti dicant & pro certissimo defendant, murē Christi corpus ipsum comedere posse, & totum Christum Deum atque hominem in ventrem transmittere: quidam tamen eorum contrà statuunt, & verissimum etiam esse contendunt, hominem Christianum, quatumuis fidelem & pium, tamen Christi corpus in ventrem sumere nullo modo posse. Sic enim scribunt: *Certum est, quòd quàm citò species teruntur dentibus, tam citò in cœlum rapitur corpus Christi.* Neque vt Hardingus, *fortè* ait, sed *certum est*, & minimè dubium, ideóque catholicum.

De Conf. dist. 2. Tribus gradib. in glossa.

Præterea Hugo Cardinalis, summus quidam scholasticus doctor, quocum Hardingus non potest iusto sacramento contendere, sic habet: *Quando in manibus sacramentum tenes, corporaliter tecum est Christus: quando ore suscipis, corporaliter tecum est, postquam autem corporalis sensus in percipiendo deficit, deinceps corporalis præsentia quærenda non est.* Itaque murem posse Christi corpus in ventrem traijcere fatentur, hominem verò posse negant. Ea huius est disciplinæ certa constens que ratio.

Hugo de Sacram. lib. 1. par. 8. ca. 13. Bonauen. in 4. Senten. dist. 13. quæst. 2. Durand. lib. 4.

Verùm, vt concludamus, & certi aliquid in hac incerta dubiáque causa statuamus, illud inprimis tenendum est, quod Augustinus docet, multùm inter corpus Christi, & sacramentum interesse. Sacramentum enim corrumpitur: Christi corpus gloriosum est, & corruptionis expers: sacramentum in terra est: Christi corpus in cœlo est: Sacramentum ore corporis sumitur: Christi corpus sola mentis os est percipitru. Qui hoc discrimen fide, quæ ignorat, sacramenti cuiusque vim ignorat.

Vt ista nunc ad præsentem causam accommodemus, mus, aut quæuis bestia panis substantiam, quæ est externa corruptibilisque sacramenti natura, corrodere potest: ipsum verò Christi corpus, quod in cœlo est, non alia ratione, quàm sola fide sumitur.

Augustinus in Christi persona sic loquitur: *Ego sum cibus grandium: cresce, & mādućabis me.* Rursus: *Hoc est manducare illā escam, & illū potum bibere, in Christo manere, & Christum manentem in se habere.*

August. Confession. lib. 7. cap. 10. Augu. in Ioan. tracta. 26.

Chrysostomus habet: *Magnus iste panis replet mentem, non ventrem: iste panis & noster est & Angelorum* Vt Angeli eum percipiunt, ita nos percipimus.

Chrysosto. ex variis locis in Matth. hom. 9.

Denique sic scribit Hilarius: *Panis qui descendit de cœlo, non nisi ab eo accipitur, qui Dominum habet, & Christi membrum est.*

Hilarius de Trinita. lib. 8.

Hanc vnicam veteres satísque patres Christi vescendi rationem esse sentiunt: in qua murium, expertium rationis animantium, & hominum vitijs nefarijs coopertorum, qui quibusuis brutis animantibus deteriores sunt, nullæ partes existunt. Si verò hi sanctissimi patres reuiuiscerent, profectò Hardingo, suisque collegis dicerent.

Ocurui in terras animi, & cœlestium inanes.

FINIS.

DE

DE INDIVIDVO VAGO.

ARTICVLVS VIGESIMVSQVARTVS.

Episcopus Sarisburiensis.

VEl quando Christus dixit *Hoc est corpus meum*, pronomen, *Hoc*, non panem, sed *Indiuiduum vagum* demonstrare, vt aliqui eorum affirmant.

Hardingus. I. Sectio.

2. Thess. 2.

Geneuensis communionis fructus.

QVICQVID tandem, Hoc, *in his Christi verbis opinione tua demonstret, Iuelle, rectè sentientes Christiani homines (qui diuino munere amorem veritatis acceperunt, non efficaciã deceptionis, vt mendacio crederent) sibi certissimè persuadent, in hoc sacramento post consecrationem verum adesse Christi corpus, ipsius adeo verborum authoritate subnixi,* Hoc est corpus meum. *Qui vestram hac in re Geneuensem doctrinam sequuntur, eo decepti, quod docetis,* Hoc, *panem designare, alijsq́; innumeris falsis in fraudem inducti pro vero Christi corpore in hoc sacramento, si legitimè administretur, præsente, nihil accipient in vestra communione nisi nudam panis buccellam, ne teruntio dignam. Quod autem attinet ad illud tuum,* Aliqui affirmant, *qui,* Hoc, *indiuiduum vagum demonstrare contendunt, primùm disce quid illi sentiant, siq́; prauè sentiant, eos tu, vt libitum erit, tractato: eo nos quidem omnino non grauabimur. Quemadmodum pronomen,* Hoc, *in illis Christi verbis sumendum sit, & quid demonstret, nos intelligimus,* [a] *qui hanc rem & doctiùs, & certiùs, & veriùs tractauimus, quàm Lutherus, quàm Zuinglius, quàm Caluinus, quàm Cranmerus, quàm Petrus Martyr, denique quàm quisquam ex illorum posteris.*

[a] Hardingi præclara de se opinio.

Episcopus Sarisburiensis.

IN hoc articulo bilis quidem nonnihil Hardingus euomuit in eos, quos illi Geneuenses appellare collibuit: & suam magnoperè scientiam, id quod docti minùs sæpe solent, cùm aliorum contumelia atque despectione venditat: atque ad extremũ de re nihil omnino explicat, fere tamen nullus scrupulus est, qui doctissimum quẽque suarum partium magis conturbet atque cruciet, quàm hîc vnus. Nam vt suum Transsubstantiationis commentum ad tempus valere fingamus, si dixerint, *Christũ hoc pronomine Hoc, panem demonstrasse, quem manibus tenebat*, tum ex eo consequatur est necesse, ipsam panis substantiam verum fuisse Christi corpus. Hoc enim posito eam esse verborum sententiam, atque sensum oportet.

Si dixerint, Christum eodem pronomine *Panis accidentia ac species demostrasse*, tum illa panis accidentia & species, Christi corpus fuisse consequetur. Ita verò accidens esset substantia: qui quidem error multò esset deterior atque absurdior, quàm superior. Si pronomen hoc, *Ipsum Christi corpus significare* dixerint, tum horum verborum, *Hoc est corpus meum*, hic sensus erit, *Corpus meum est corpus meum. Hoc autem*, inquit Holcotus, *inane dictu esset, atque ineptum.* Deinde, si hæc interpretatio constaret, Christi corpus antè adesset, quàm verba consecrationis pronunciarentur: atque ita consecratio nihil valeret, aut potiùs consecratio consecrationi præcurreret, atque ita consecratio sine consecratione fieret.

Holcot. in 4. Sent. quæst. 3.

His verbis non ita multis omnem suam religionem extruxerunt. Hæc sunt totius fundamenta. Quare hunc locum Hardingus ita leuiter, & quasi fastidiosè præterire minimè debuit: Alioquin enim cùm hæc tanta sit mutatio, quantam fingunt, nec quid mutetur, nec ex qua re Christi corpus præsens fiat, certò sciemus.

Neque verò causæ aliquid erat, quamobrem adeo Hardingus Geneuensibus hoc nomine succenseret. Satis quippe nouit recens istud *indiuidui vagi* portentum, nullam esse Geneuensis disciplinæ particulam.

Verùm vt quàm miserè doctissimi quique Hardingianarum partium magistri in hac causa hæserint, atque laborarint, paucis exponamus, primùm Gerson sic scribit: *Dicendum est, quòd, Hoc, demonstat substantiam panis*: Ex hoc doctore substantiam panis, esse Christi corpus constat.

Occamus ait: *Hoc refertur ad corpus Christi*: Ex hoc doctore, Corpus Christi esse corpus Christi consequitur.

Petrus autem Alliacenses habet: *Hoc, demonstrat corpus Christi: alioqui falsa est propositio.*

Thomas Aquinns argutè atque subtiliter causam explicat hod modo: *Hoc, id est, hoc contentum*

Gerson contra Floret. lib 4. Occam. in 4. Senten. dist. 13. Petrus Alliacen. in 4. Senten. dist. 13. quæst. 5. Thomas in 4. Senten. dist. 8. arti. 16.

sub istis speciebus , est corpus meum.

Verùm istæ omnes interpretationes nonnihil difficultatis ostendere videntur: ex his enim colligi posset , panem transsubstantiari, atque, vt illi fingunt, Christi corpus antè verba consecrationis præsens fieri.

Ioan. de Burgo. de forma verbor. requisita, &c. cap. 4.

Quare Ioannes de Burgo disiunctiuam induxit, vt huic absurdo succurreret, isto modo: *Hoc sub hac specie præsens, vel de propinquo futurum, est corpus meum.*

Horum omnium Doctorum sententijs, Christi verborum non alius sensus erit, quàm hic, Corpus meum est, aut erit corpus meum. Quæ quidem interpretatio ab Holcoto tanquam puerilis inanis , phantastica, atque inepta reprehenditur. Quare ipse Holcotus ait : *Hoc significat quiddam vtrique termino commune: & termino, à quo, & termino, ad quem:* quid autem illud commune sit, non facilè suspicari licet.

Holcot. in 4. Senten. quæ. 3. Holcot. eodem loco.

Durandus li. 4.

Doctor Durandus cùm has omnes ἀπορίας atque difficultates animo præuideret , nec quemadmodum se explicare posset, animaduerteret, ad extremum sic statuit: *Super hoc dicunt quidam , quòd per pronomen, Hoc, nihil significatur: sed illud materialiter ponitur.*

Ex hoc autem alia ostenditur dubitatio cæteris omnibus infestior. Etenim si pronomen , *Hoc*, nihil omnino demonstret, quam tum ad efficiendam consecrationem vim habet?

Innocen. 3. de offi. Miss. par. 3. cap. 6. & ca. 14. Scotus in 4. Senten. dist. 8. quæst. 3.

Innocentius hasce omnes dissidentium doctorum discrepantes sententias diligenter expendens, Christum non his verbis *Hoc est corpus meum*: sed præcedente benedictione sacramentum consecrasse contendit.

Similiter Ioannes Scotus de hac causa scribere coactus est : *Illa propositio , hoc est corpus meum, non est consecratiua, nec vt vera, nec vt falsa: sed vt est propositio neutra.*

Quæ quanquam ita sunt , tamen Stephanus Gardinerus istorum doctorum non magni æstimans authoritatem, in primo suo de sacramento libro, quem diabolicam sophisticam inscripsit, sic habet: *Christus perspicuè loquutus est , cùm diceret, hoc est corpus meum, demonstrans panem.* Quæ postrema si vera sit sententia , sique pronomen, *Hoc*, illum ipsum cibarium panem demonstraret , quem Christus manu tenebat, tum verò ille idem cibarius panis reipsa & verè corpus Christi fuit , modò Hardingiana sibi disciplina constet. Sin autem pronomen, *Hoc*, eum, quem Christus accepit, communem panem minimè designaret , tum ille communis panis in corporis Christi substantiam mutatus non est.

Ita nimirum summus quisque illius sectæ author in hac causa attonitus quodammodo hæret, & sua quadam ac solitaria via cursat, nec quid omnino statuat, intelligit.

Hardingus autem satis se officio functũ esse putauit, si quidem paulò audaciùs, & quasi Thrasonicè, concluderet, hoc pacto: *Quemadmodum pronomen,* Hoc, *sumendum sit, & quid demonstret, nos intelligimus, qui & doctiùs, & certiùs, & veriùs hanc causam egimus, quàm Lutherus, Zuinglius, Caluinus, Cranmerus, Petrus Martyr , vel horum posteri.* Si quidem Hardingus suíque collegæ tantam rerum scientiam consequuti sint , quantam hîc sibi assumere videtur, habet quod Deo gratias maiores agat: quicquid habet, certè accepit. Faxit Deus, vt eo rectè & piè vtatur.

D. Steph. Gardiner.

Videri iam vult Hardingus nescire, quinam ij sint, qui nobis istuc *Indiuidui vagi* monstrum obtrudere conentur. Quare ait, *Si prauè sentiunt, eos, vt lubet, tractato.* Etsi non ita profectò harum rerum rudis esse potest, ac præ se fert. Quanquam enim non ita fortè magnam habeat doctrinę notitiam, doctorem tamen omnino noscat est necesse: illum nempe dico, à quo luculentam materiam, integras interdum paginas, ad libri sui constructionem est mutuatus.

Is autem, etsi Christum pro nomine, *Hoc*, panem demonstrasse fuerat aliquando persuasus, postea tamen illud totum repudiauit , suámque penitus mutauit sententiam, satiúsque esse duxit , vt Christum eo pronomine, non panem, quem tenebat , sed *vagum duntaxat indiuiduum* designasse diceret. Illud autem, vt Lectori suo certiùs constaret, appellat *indiuiduum in genere, indiuiduum entis, vnum substantiæ, vnum entis, indiuiduum insignitum, indiuiduum indiuidui.* Hoc ille figmentum ita iactat atque vrget, ac si Christi verba nullam paterentur aliam interpretationem.

Mar. Anton. Cõstantius.

Sic ergo Christum dicentem facit: *Hoc quod me manu tenere cernitis, non est duo : sed vnum aliquid certum est. Quid autem certi sit, nescio: panem modò non esse, scio.*

Ita quasdam insulsissimas futilitates consectari , & peregrinas ac prodigiosas loquendi formulas, quales prisci doctores nescierunt, excogitare atque introducere coguntur , ne ingenuè & apertè dicant, quemadmodum doctissimus Tertullianus dixit *Hoc est corpus meum, hoc est figura corporis mei*: vel vt in decretis ipsorum scribitur: *Vocatur corpus Christi, id est, significat corpus Christi.*

Tertull. contra Marcion. lib. 4. De conse. dist. 2. Hoc est in glossa Hieronym. in Esai. lib. 2. cap. 5.

Hieronymus ait: *Tam diu quærunt hæretici noua veteribus adiungere, & eadem recentioribus immutare, donec eos & sensus humanus, & verba deficiant.*

Hîc autem obseruabis, Lector, in omni hoc Articulo nullum esse ab Hardingo appellatum, nec veterem, nec recentem doctorem. Causa ea fuit , quòd veterem quidem, quem citaret , neminem reperiret: recentium verò ipsum etiam puderet.

NVM

FINIS.

NVM FORMAE SINT SACRAMENTA,

ARTICVLVS VIGESIMVSQVINTVS.

Episcopus Sarisburiensis.

VEl accidentia, aut formas, aut species panis & vini esse corporis & sanguinis Christi sacramenta: nec ipsum potiùs panem & vinum.

Hardingus. 1. Sectio.

Quandoquidem omnipotente diuini verbi à sacerdote in huius sacramenti consecratione pronunciati potentia, corpus & sanguis Christi præsentia [a] *realiter fiunt, substantiaque panis in substantiam corporis, & vini substantia in substantiam sanguinis mutatur: panis (qui absumptus est igni diuinæ substantiæ, vt Chrysostomus scribit, & iam panis ille factus est, qui formatus fuit manu spiritus sancti in vtero Virginis, & decoctus est igne passionis in ara crucis, quemadmodum Ambrosius ait) non potest esse sacramentum corporis, nec vinum sanguinis. Neque verò dicere licet panem & vinum, quæ antè fuerunt, esse sacramenta, quandoquidem panis factus est corpus, & vinum sanguis, neque iam existunt: si non existunt, sacramenta non sunt. Quare externas panis & vini formas, quæ remanent, esse corporis & sanguinis Christi sacramēta, non ipsum panē & vinū, ipsa rationis seu potiùs intelligētiæ cōsequentia cōcluditur, ducta à prima veritate, quæ à Basilio in epistola quadā ad Sozopollitas, insectante quosdā, qui veterē Valentini hæresim renouare conabantur, vocabatur τὸ ἐν διανοίαις ἀκόλουθον. A qua rationis consequutione, in hac sacramenti causa, multæ rationes sumi possunt, si manifestæ scripturæ deficiunt. Quo quidem argumentandi genere cùm Basilius, tùm alij complures patres contra hæreticos vsi sunt, quando manifestæ scripturæ non suppeterent.*

a Falsum: Semper assumptū, nunquam probatum.

In Hom. Paschali.

De Cons. dist. 2. cap. Omnia.

Epist. 65. In Latino codice.

Episcopus Sarisburiensis.

SVMIT illud Hardingus, suum hoc nouum Transsubstantiationis commentum, omnino ratum esse oportere. Itaque cùm panem & vinum penitus interiisse, nec posse quidē esse Sacramentū finxisset, ex eo se iure quodā suo cōcludere posse arbitratur, formas atque species, quæ reliquæ solæ supersunt, sacramentum esse necessariò debere. Hic autem error grauissimo veterum omnium catholicorum ecclesiæ doctorum consensu facilè refellitur. Augustinus habet: *Quod videtis, panis est.* Chrysostomus, Theodoretus, Gelasius, aliíque doctissimi patres perspicuis & disertis verbis veram in sacramento remanere panis viníque naturam & substantiam confitentur. Quare hæc doctrina fluxo fundamento nititur, nec consistere potest.

August. ad Infantes. Chrysosto. ad Cæsarium. Gelasius contra Eutychen. Theodor. Dialog. 1. & 2.

At Chrysostomus ait: *Panis absumptus est vi diuinæ præsentiæ.* Idipsum etiam Ambrosius statuit, inquit Hardingus. Summæ quidem peruersitatis est, quicquid patrum aliquis, orationis quasi æstu quodam abreptus atque elatus, dixerit aliquando, hoc arripere, atque ipso dicendi genere celato, ad verborum momenta violenter trahere & torquere.

Paulus iurisconsultus ait: *In fraudem legis facit, qui saluis verbis legis, sententiā eius circunuenit.* Cyprianus habet: *Passio Christi est sacrificium, quod offerimus.* Chrysostomus scribit: *Baptisma Christi sanguis eius est.* Rursus habet: *In mysterijs sanguis ex Christi latere hauritur.* Gregorius inquit: *Christus iterum in hoc mysterio moritur.*

Non hîc, opinor, Hardingus tam restrictè nobiscum aget, vt ex ipsa horum verborum nuda simplicique sentētia omnino persuasos esse velit, vel sacrosanctam Eucharistiam esse Christi mortem, vel aquam baptismatis Christi esse sanguinem, vel Christum interim trucidari atque necari, dum sacramenta procurantur, vel Christi sanguinem eo tempore ex eius latere hauriri atque, deriuari, idque verè ac realiter, & sine figura.

De, LL. & Senatuscon. & lon. Con. contra. Cyprian. lib. 2. epist. 3. Chrysostom. in epist. ad Hebr. Hom. 16. Chrysostom. in Encæniis. De Conse. dist. 2. Quid sit sanguis.

Huiusmodi ad exaggerandum cooperato dicendi genere, Chrysostomus *absumptum esse panem* scripsit: non quòd in sacramento nullus omnino remaneret panis, sed quòd cùm Christi morte, quæ in eo proponitur atque repræsentatur, collatus, nihil esse videtur. Alioquin enim apertissimè Chrysostomus panis in sacramento superstitem esse naturam confitetur: *In sacramento manet natura panis.*

Chrysosto. ad Cæsarium. In Encæniis.

Quemadmodum autem, *Panem esse absumptum* ait, ita etiam in eodem loco *absumptum esse sacerdotem* scribere videtur. Hæc ipsius sunt verba: *Ne putes, te accipere diuinum corpus ab homine.* Idem etiam de sacramento baptismi habet: *Non baptizaris à sacerdote: Deus ipse tenet caput tuum.*

Chrysostom. in Matth. hom. 51.

Chrysostom. in 1. Cor. cap. 2. Chrysostom. in Matth. hom. 83.

Hoc pacto sancti patres de sacramentis differentes mentes nostras ab aspectabilibus atq; fluxis elementis, ad rerum cœlestium & æternarum, quæ illis significantur, contemplationem abducere atque auocare conãtur. Propterea Chrysostomus ait, *Mysteria omnia interioribus oculis videnda sunt.* Qui profectò interni oculi nihil caducum atque externum intuentur.

Ex his Hardingianæ argumentationis infirmitas facilè apparebit.

August. de doctrina Christiana lib. 3. c. 28.

Quòd deinde ait, *Quando scripturis deficimur, ad naturam aliquando confugere nobis, eiúsque ductum sequi licere*, verum id quidem est. Quanquam Augustinus ait: *Hæc consuetudo periculosa est.* Hac autem in causa Hardingus neque scripturis neque priscorũ patrum testimoniis deficitur. Ex ipsis enim manifestissimis verbis & D. Pauli, & Chrysostomi, & Augustini, & Theodoreti, & Gelasij, & aliorum frequentium sanctorum patrum Græcorum simul & Latinorum, in sacramento post perfectam consecrationem, veram remanere panis naturam atque substantiam, liquidissimè constat. Iniquus sit Hardingus est necesse, si istis omnibus spretis atque contemptis, ad inanem, nescio quam, rationem confugiendum esse censeat.

Hardingus. 2. Sectio.

August. epist. 22. ad Bonifaciũ episcopum.

QVod autem similitudo quædam esse debet inter sacramentum & rem sacramenti (nisi enim sacramenta similitudinem quandam haberent earum rerum, quarum sunt sacramenta, propriè rectéque sacramenta dici non possent, vt sacramentum baptismatis, hoc est externa lotio carnis, similitudinem habet internæ lotionis animæ) neque tamen vlla hìc similitudo apparet inter formas, quæ remanent, & rem sacramenti: neque enim illæ consistũt alteræ ex multis granis, alteræ ex vuis, quando ex his non accidentia gignũtur, sed substantia: ad hoc respondere licet satis esse, vt sacramenta hæc similitudinem habeant corporis & sanguinis Christi, quandoquidem alterum panis similitudinem præ se fert, alterum vini, quam Augustinus a visibilem speciem elementorum vocat.*

Mirifica similitudo.
a Falsum: Augustinus enim his verbis ipsã panis substantiam intellexit.

De conse. dist. 2. cap. Hoc est quod dicimus.

Episcopus Sarisburiensis.

Aug. epist. 23. ad Bonifacium.

QVorsum Hardingus his vanissimis & miserãdis ineptiis conflictatur? Augustinus scribit, *Sacramentum eius rei, cuius est sacramentum, similitudinem quandam habere oportere: absque hac autem similitudine sacramentum non esse sacramentum.*

Quare suum nunc Hardingus commentum inducit, aítque formas & species similitudinem corporis Christi continere. At enim bone deus, in qua tandem re similitudinis huius ratio consistit? quídue Christi corpus accidentibus Hardingianis simile habet? Equidem verò ne ipse Hardingus, etsi multa proiecta quadam licentia dicit, verè tamen dicere possit, Christi corpus aut rotundum esse, aut planum, aut album, aut tenue, aut vllo modo eius accidentibus consimile.

Tamẽ effectuum similitudo quædam inter sacramentum & rem ipsam, cuius est sacramẽtum, esse debet. Quorum alter sensibus percipitur, corporísque functione perficitur: alter spiritualis est, & mentis actione continetur. Exemplo esse potest sacramentum circuncisionis cuius externa aspectabilísque amputatio carnis, internam ac spiritualẽ cordis refectionem designabat. In baptismatis sacramento, externa corporis lauatio internam animæ & spiritualem purgationem significat.

Similiter in ipso sacrosanctæ Eucharistiæ mysterio, quemadmodum panis corpora nostra naturaliter pascit, ita Christi corpus mentes nostras spiritualiter sustentat. Itaque pascendi munus vtrique commune est, in eóque sacramenti similitudo versatur. Quare Rabanus Maurus habet: *Quia panis corporis cor confirmat, ideo ille congruenter corpus Christi nominatur: Et quia vinum sanguinem operatur in carne, ideo illud refertur ad sanguinem.*

Raban. Maur. lib. 1. cap. 31.

Iam verò si in ista pascendi facultate sua Hardingus accidentia cùm Christi corpore conferre voluerit, tum dicat est necesse, nos & accidentibus vesci, & accidentia bibere, & accidentibus nutriri, & accidentibus viuere, quemadmodum noster internus homo Christum comedit, Christum bibit, Christo alitur, & Christo viuit. Cæteróquin enim accidentia sua hac quidem in parte nihil habere cum Christi corpore commune, ac proinde sacramenta dici nullo modo posse fateatur oportet.

At verò, inquit Hardingus, *Accidentia similitudinem panis referunt, & panis, qui fuit corpus Christi repræsentat.* Alterum hoc est callidum rationis Hardingianæ sophisma: ab accidentibus ad panem atque à pane ad corpus Christi conclusum. Atque ita figmentum figmento, & similitudinem similitudine cumulatam ostendit: sed nec scripturam, nec concilium, nec doctorem, vel Græcum, vel veterem, vel recentem, quibus ista confirmet adducit.

Hìc autem mirifica quædam apparet naturæ peruersitas. Etenim ex Hardingianis hisce strophis consequitur, vt neque panis significet Christi corpus, quousque panis natura penitus deleta fuerit & nihil, quod ad significandum valeat, remanserit: nec ista accidentia panem significent, nisi sublato iam priùs pane, qui significetur. Sic nimirum Hardingiani *ductus atque similitudinis* exitus à nihilo ducitur ad nihilum, & in nihilum desinit.

Hìc quidem incommodis, quæ consequi potuerunt, prospexisset Hardingum oportuit: si enim accidentia panis sacramentum constituant, ex eo necessariò sequitur, vt quandoquidem in vno fragmento panis plura insunt accidentia, sacramenta etiam in vno pane multa, atque ita plura sacramenta in vno sacramento reperiantur. Hoc Innocentius ipse vidit, & proinde quæsiuit: *Cùm sint multæ species, quomodo non sunt multa sacramenta?*

Innocent. de officio Miss. cap. 38.

Verùm

Verùm hanc similitudinem Augustinus visibilem speciem elementorum appellat, quibus verbis,inquit Hardingus, solas species & accidentia panis significauit. Augustini quidem verba vera sunt: Hardingi autem falsa interpretatio est. Hoc enim *Speciei* vocabulo non externas formas atq; species Augustinus,vti fingitur,sed veram panis substantiam atque naturam intellexit.

Ambrosius habet: *Ante benedictionem verborum cœlestium, alia species nominatur: Post consecrationẽ corpus Christi significatur.* Quod etiam ex Augustino ipso luculenter in eodem loco constat. Sic enim scribit: *Panis, qui corpus Christi est, suo modo vocatur corpus Christi, cum reuera sit sacramentum corporis Christi &c. vocatúrq; ipsa immolatio carnis Christi, quæ sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors crucifixio: non rei veritate, sed significante mysterio.*

Ambrosi. de illis qui initian. mysteriis. ca. 9. De cons. dist. 2. Hoc est quod dicimus.

Hardingus. 3. Sectio.

QVare formæ panis & vini sacramenta sunt corporis & sanguinis Christi, non modò propter rem, quæ significatur, id est, ecclesiæ vnitatem, sed etiam propter rem, quæ continetur, hoc est, verum corpus & sanguinem Christi, de quo veritas ipsa dixit, Panis quem ego dabo, est caro mea, pro vita mundi.

Episcopus Sarisburiensis.

IN exitu Hardingus non modò repugnante scripturarum,& conciliorum,& doctorum authoritate,sed etiam omni rationis fuco prorsus deficiente,hoc modo concludit: *Quare formæ panis & vini sacramenta sunt corporis & sanguinis Christi.* Ita Hardingus conclusionem absque præmissis inducit. Hardingi autem opinione non satis attendebat Augustinus, cùm sacrosanctum mysterium appellaret *sacramentum panis & vini: formarum potiùs & specierum sacramentum* vocasset, si hæc interpretatio valeat. Quod etiam Augustinus habet, *Accedat verbum ad elementum, & fit sacramentũ*: quibus verbis ex pane ipso fieri sacramentum indicat: illam sententiam sic potiùs interpretabitur Hardingus: *Accedat verbum ad elementum, aut creaturam panis, & eius accidentia fiunt sacramentum.* Vinũ quidem ipse Christus, non accidentia aut formas, *sed fructum*, seu, vt Cyprianus appellat, *creaturam vitis* vocat. Panem Cyprianus perfecta consecratione vocat *Panem ex multorum granorum adunatione congestum.* Cyrillus ait: *Credentibus discipulis fragmenta panis dedit.* Ireneus ait: *Ex eodem pane ac vino post consecrationem augetur & consistit carnis nostræ substantia.*

De fide ad Petrum cap. 19. Augu. in Ioan. tractat. 8.

Matthæ. 26. Cyprian. lib. 2. epist. 3. Cypria. in oration Dominic. Cyrill. in Ioan. lib. 4. cap. 24. Irenæus. lib. 5.

Hìc Hardingus dicat necesse est, quod Marcus Constantius iam priùs dicere non dubitauit, accidentia esse fructum vitis: grana itidem & vuas esse accidentia: fragmẽta panis nihil aliud esse, quàm accidentia: corporis nostri substantiam accidentibus & sustineri, & augeri, & consistere: ita erunt illorum accidẽtia, *fuga miserorum.* Omnia accidentibus & probare & improbare possunt: absque autem accidentibus nihil omnino efficere valent. Denique, quemadmodum imperiti chirurgi solent, omnibus vulneribus emplastrum vnum adhibent.

Ad obiectum 27. Grego. in Iob. lib. 18. cap. 14.

D. Gregorius habet: *O Timothee, depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates quia cum laudari hæretici, tanquam de excellenti ingenio, cupiunt, quasi noua quædam proferunt, quæ in antiquorum patrum libris veteribus non tenentur. Sicque fit, vt dum videri desiderant sapientes, miseris suis auditoribus stultitiæ semina spargant.*

Equidem verò Hardingus, suíque collegæ, cùm ex formis sacramenta constituerunt, tum ex augustissimis sacramentis, totáque Christi religione nihil indoctæ simplicíque plebi, præter quandã formarum pompam, reliqui fecerunt.

FINIS.

DE OCCVLTANDO ET LATENDO,

ARTICVLVS VIGESIMVS SEXTVS.

Episcopus Sarisburiensis.

VEl sacramentum esse signum corporis Christi in eo latenter iacentis.

Hardingus.

a Falsum: Externam enim formam nullus vnquam antiquus pater sacramentum appellauit.

In libro sent. prosper.

EXternam panis formam, quæ [a] *propriè sacramentum est, esse signum corporis Christi fatemur, imò eius corporis, quod sub illa latenter continetur, quódque Augustinus* Carnem Domini forma panis opertã vocat. *Quid autem isto vocabulo, iacentis, significetur nescimus. Quemadmodum fide Dei verbo fundata Christi corpus esse in sacramento intelligimus, sic in eo vel sub eo iacere (quod verbum scommatis loco positum ab eo fuisse suspicor, vt doctrinam catholicam in contemptum adduceret) vel sedere, vel stare, id verò negamus. Etenim iacere, stare, sedere, corporis in loco situm arguunt, iuxta membrorum distinctionem, & loci circunscriptionem, ita vt corporis partes loci partibus apto quodam ordine respondeant. Eo autem modo corpus Christi non est in sacramento, sed tantùm sine circunscriptione, ordine, & habitudine partium ad corporis locíue continentis partes. Qui profectò modus existendi omnem humani ingenij captum superat, mirificus, inusitatus, & singularis non naturæ legibus ac limitibus, sed immensa Dei potestate definitus. Denique quod Christus in sacramento insit certum est, quonam autem modo insit: nobis quidem ignotum est, Deo soli cognitum est.*

Episcopus Sarisburiensis.

HVius articuli aditus cum superioris exitu coniunctus est. Adeo nimirum implicitè Hardingianæ falsitates contexuntur. *Panis*, inquit, *externa forma est sacramentum.* Quin autem etiam adiungit, hanc formam, & hunc dicendi modum sibi duntaxat, & suis quibusdam collegis esse peculiarem: à nullis vnquam veteris ecclesiæ doctoribus atque patribus, vel Græcis, vel Latinis, vel doctis, vel indoctis, vel catholicis, vel hæreticis, vel his, vel illis adhibitam atque vsurpatam.

In Artic. 12. sectione 14.

Hæc Augustini verba antè & obiecta, & diluta sunt. Ille pietate & doctrina singularis pater, nec formas, atque accidentia sacramentum esse, nec Christi corpus sub eo realiter latere dixit vnquam, nec in isto loco verbum adeo vllum de accidentibus fecit.

Philippen. 2.

Verba autem, quæ Hardingo imponunt, ea sunt, *Forma panis.* Quæ profectò non externas formas atque accidentia significant, quemadmodum ille falsissimè interpretatur, sed veram panis naturam atque substãtiam indicant. Sic Paulus ait: *Christus cum in forma Dei esset: formam serui accepit,* Quibus sanè verbis Christum Paulus, & veram Dei substantiam habuisse, & veram hominis naturam suscepisse scribit. Sic eadem hæc verba Hieronymus interpretatur, quando in persona Christi sic loquitur: *Declinaui ad eos deserens regna cœlorum, vt cum eis vescerer, assumpta forma serui.* Christum sibi corpus assumpsisse è formis & accidentibus conflatum, in quo cum hominibus degeret & versaretur, non defenderit, opinor, Hardingus. Sic Augustinus habet: *Secundùm hanc formam, non est putandus vbique diffusus.* Ita D. Paulus, Augustinus, Hieronymus alijque doctissimi patres, formę vocabulo, naturam & substantiam, non accidentia nudásque species intelligunt.

Hieronym. in Osee. lib. 3. cap. 2.

August. ad Dardan. epist. 57.

Quod autem ad alterum verbum attinet, *Operta*, non id vult Augustinus, Christi corpus eadem panis siue forma, siue substantia realiter contineri atque occultari: sed in ea tantùm, vt in sacramento, & mysterio inesse. Hoc modo scribit Augustinus: *Gratia Dei in veteri testamento velata latebat.* Rursus etiam: *In veteri testamento occultabatur nouum, id est, occultè significabatur.*

August. de spiritu & litera: c. 15.

August. de baptism. contra Donat. lib. 1. cap. 15.

Hîc autem, ne fortè Hardingus, ista verba tam peruersè, vt solet, atque malitiosè interpretaretur, nouúmque testamentũ reuera ac realiter in veteri velatum latuisse defenderet, hoc ipsum Augustinus anteuertit, suámque disertè explicauit sententiam hoc modo, *Occultabatur, id est occultè significabatur.* Ex qua interpretatione, quæ ipsius est Augustini, admonitum Hardingum oportuit, vt hęc etiam verba simili ratione intelligeret, *Caro operta forma panis, id est, occultè significata.*

Hardingus autem consultissimum esse iudicauit, vt causa deserta de verbis litigaret. Verbum illud *iacentis*, siue *latentis*, *scomma habet*, inquit, *quo ipsius catholica doctrina in contemptum adducatur.* Teneram quidem hanc esse miserámque doctrinam est necesse, quæ nullo modo sine ludibrij suspicione attingi potest. Quid autem est quamobrem nobis magis succenseat, quod istuc, *latendi*, verbum vsurpemus, quàm suis doctoribus, qui eodem vsi sunt?

In

In Glossa decretorum, sic habetur: *Species panis, sub qua latet corpus: species vini, sub qua latet sanguis:* hæc collegæ sui, non nostra verba sunt.

De consf. dist. 2. Hoseft in gloss.

VVillihelmus Hasfliginensis recens quidam doctor Hardingianus sic scribit: *Quærite dominum, dum inueniri potest: in templo inuenitur materiali: ibi latet sub specie panis.*

VVillih. Hasfli. ginensis in sermone de aduentu vixit anno. 1300. Ludolphus in vita Christi. par. 2. cap. 56.

Alius eiusdem farinæ doctor sic ait: *Ibi est corpus Christi in tanta quantitate, sicut fuit in cruce. Vnde mirum est, quomodo sub tam modica specie tantus homo lateat.* Si *latendi* vocabulum irrisionem despectúmque necessariò arguat, tum suis se doctoribus esse ludibrio existimet Hardingus est necesse. Iniquum certè est, cum verba eadem sint, illa in suis scriptis tam boni consulere, in alienis tam acerbè reprehendere.

Dixerit forsan parum esse catholicum & vsitatum loquendi genus, vt Christus in sacramento *iacere* dicatur, Neque tamen aliquid causæ video, quamobrem minùs cum disciplina catholica conueniat, vt iacere Christus, quàm sedere in sacramento censeatur. Tamen Ioannes à S. Andrea summus doctor, & singularis illius defensionis patronus siue vlla vel vituperatione, vel illusionis suspicione scripsit hoc pacto: *Id temporis contentio nulla erat, vtrùm corpus Christi insideret Eucharistiæ.* Sic illi scribere fuit integrum, eiúsque scripta pro legitimis, & catholicis habentur.

Ioã. à S. Andrea in epist. ante liturgias.

At Hardingus ait, *Christi corpus est in sacramento sine circunscriptione, locíue vlla ratione, mirifico quodam, & extraordinario, & singulari modo, & immensæ Dei potestatis vi, qui quidem modus Deo soli cognitus est.* Egregios hercle, & floridos, & elegantes colores agnosco, sed nihil planè solidi subesse animaduerto. Atque vt propriis Hardingianæ religionis vocabulis vtar, nihil præter accidentia, atque expertes subiecti species video.

Stupendum profectò atque incredibile videatur, vt hanc Christi sacramentalem præsentiam, quã Hardingus tam certam atque singularem esse statuit, vel vniuersi veteres & docti catholicíque patres silentio prætereirent, & quasi mentione omni indignissimam tacerent: vel vt eam Hardingus tam certò cognitam haberet, Deus ipse aut penitus ignoraret, aut vt sciret, tamen eam, præsertim rem per se magnificam, & cognitu omnino necessariam, nulli vnquam vel doctissimorum patrum vel sanctissimorum Apostolorum patefaceret, atque hanc cum illis scientiam communicaret.

Est quidem modestiæ nostræ diuina miracula suspicere, & summa veneratione prosequi. Sed quódque commentum Hardingianum miraculi authoritatem non habet. Idem hæreticus Praxeas, quod nunc Hardingus contendit, Deo nihil esse difficile. Tertullianus autem eruditissimus ille pater sic tum Praxeę respondit, vt nos nunc Hardingo respondemus: *Si tam abruptè in præsumptionibus nostris vtamur hac sententia, quiduis de Deo confingere poterimus.*

Tertull. contra Praxeam.

B. Stephanus stantem in cœlo Christum vidit. D. Paulus Christum nunc ad dexteram Dei sedere affirmat, quod etiam nos in symbolo profitemur. In sacramento autem præsens adest Christus, inquit Hardingus, sine omni circunscriptione, aut circunstantia, aut loci ratione, hoc est, eadem prorsus magnitudine, qua in cruce penderet, tamen nec stat, nec sedet, nec iacet, nec inclinatur, nec in genua prouoluitur, nec ambulat, nec quiescit, nec mouetur, nec vllam denique corporis proportionem atque situm habet, vel sursum, vel deorsum, vel ante, vel retro: verum corpus est, sed non vt corpus: in loco est, non tamen tanquam in loco.

Actor. 7. Colossen. 3.

Hæc est Hardingiana catholica religio, nulla vel scripturæ, vel conciliorum, vel doctorum, vel rationis authoritate atque iudicio stabilita: eam tamen nobis Hardingus tanquam præcipuum quoddam, & inusitatum, & extraordinarium diuinæ potentiæ miraculum obtrudit.

Postremò, Christi corpus in mystico sacrosanctæ communionis pane, non, quemadmodum fingit Hardingus, realiter, aut corporaliter continetur, sed tanquam in sacramento ac mysterio inest: eodem nempe modo, quo Christi sanguis in aquam baptismatis fusus esse dicitur.

FINIS.

DE IGNORANTIA.

ARTICVLVS VIGESIMVS SEPTIMVS.

Episcopus Sarisburiensis.

VEl ignorantiam esse veræ pietatis atque obedientiæ parentem atque causam.

Hardingus.

MAgna inopia articulorum laborauit Iuellus, quibus catholicam ecclesiam vrgeret, cum hunc articulum numerandum esse duceret. Equidem nullum hoc est ex summis mysteriis, & maximis nostræ religionis clauibus, quemadmodum esse ipse statuit, sed falsò, & reclamante conscientia. Etenim hoc dictum D. Colo, in suis aduersus illum rescriptis, tanquam inauditum, atque ab eo in disputatione VVestmonasteriensi, stupente toto procerum, & omnium huius regni ordinum consessu, editam sententiam adscribit, quæ si summum esset mysterium, & præcipua quædam catholicæ religionis clauis, non eam, credo, patritij nobilésque huius regni mirarentur. Rem ipsam D. Colo integram relinquo ac remitto: ætatem habet, ipse pro se respondeat: dixeritne, an minimè dixerit, equidem nescio: si dixerit, non dubito, quin, qua est doctrina, & sapientia, & pietate, rectè in eo ac præclarè senserit, & egregiam dicti sui rationem exponere posfit, si suæ sibi mentis interpretandæ potestas fieret, quemadmodum leges ex mente legislatoris intelligendas, non ad verba rigidè exigendas esse, sapientes statuunt.

Ioan. 9.

κατὰ τὴν διάνοιαν, καὶ μὴ κατὰ τὸ ῥητόν.

Episcopus Sarisburiensis.

HOc loco nullum Hardingus doctorẽ meminit, præterquam doctorẽ Colum. Quod autem ad ipsam causam attinet, huius erroris egregiam in eo positam esse defensionẽ putat, quod ea minimè sit princeps quædam religionis suæ clauis. Quanquam qui in celeberrimo amplissimorum atque honoratissimorum virorum conuentu hanc vocem palam & apertè mittere non dubitauit, *Edico vobis, ignorantia est mater pietatis,* eam haud in minimis suæ religionis clauibus numerasse videatur. Illos verò ex ipsa quidem perpetua consuetudine, & legitimis disciplinæ suæ institutis, in ea iam esse sententia planè constat, vt sine cœca penitus & profunda populi ignorantia suam nullo modo consistere posse ecclesiam arbitrentur. Quare vulgus imperitum à scripturarum lectione prohibent, & in miserabilem rerum omnium ignorantiam immergunt, & nihil omnino scire patiuntur, nec quam in baptismo susceperunt professionem, nec sacrorum mysteriorum institutionem, nec sanguinis Christi pretium, nec quemadmodum, aut à quo seruari possint, nec quid à Deo postulent, quando vel in ecclesia publicè, vel priuatim domi precantur.

Matthæ. 23. Esaias. 30. Esaias. 24. Matthæ 15.

Occludunt regnum cœlorum coram hominibus, & neque ipsi ingrediuntur, neque eos qui volunt ingredi patiuntur. Atque Esaias scribit: *Dicunt videntibus, nolite videre: qualis populus, talis sacerdos, & qualis sacerdos, talis populus: cæcus cæcum ducit.*

Sapient. 14. Irenæus lib. 2. cap. 19.

Ita nimirum in tenebris atque in vmbra mortis volutantur: tamen quemadmodum in libro sapientiæ habetur, *Non satis est illis errare circa scientiam Dei: sed in magno viuentes inscitiæ bello, tot & tanta mala pacem appellant:* populóque persuadent, eam esse obedientiam, & fidem, atque pietatem catholicã, seu potius, sicut Irenæus contra Valentinianos scribit, *Veritatis ignorantiã cognitionẽ vocãt.*

Iudic. 16. Ioan. 12.

His artibus confisi, in Dei ecclesiam dominantur, & plebem in officio obedientiáque continent, quemadmodum olim Philistæi Samsonem, detonso capillo, & oculis euulsis, quouis circunducere, quantumuis & validum, & procerum pro arbitratu suo potuerunt. *Qui enim in tenebris ambulat, nescit quò vadit.*

Concil. Tolet. 4. can. 24. August. in psal. 33. Concion. 1. Distinct. 38. Si iuxta. Gregor. in pastorali. lib. 1. cap. 1. Origen. in Numer. hom. 27.

In concilio Toletano apud Hispanos hoc modo sancitur: *Mater omnium errorum ignorantia.* Quẽadmodum Augustinus habet: *Erat in illis regnum ignorantiæ, id est, regnum erroris.*

Hieronymus ait: *Scripturarum ignorantia, Christi ignorãtia est.* Et Gregorius scribit, *Qui ea, quæ sunt Domini nesciunt, à Domino nesciuntur.*

Maximè autem hæc Origenis illius antiqui doctissimíque patris verba animaduertenda, obseruandáque sunt: *Dæmonibus est super omnia genera tormentorum, & super omnes pœnas, si quem videant verbo Dei operam Dare, scientiam diuinæ legis, & mysteria scripturarum intentis studiis perquirentem, In hoc eorum omnis flamma est: in hoc vtuntur incendio, possident enim omnes, qui versantur in ignorantia.*

Numer. 11. 1. Thess. 4. 1. Cor. 14. Ioan. 5. Ephe. 4.

Denique, Moses vniuerso populo scientiam, & vaticinandi facultatem exoptat. Paulus luculẽtiorem in dies cumulatiorémque toti populo Dei cognitionem precatur, eúmque, qui in ignorantia versatur, ignoratum iri confirmat.

Deus lucis & veritatis, ignorantiam omnem atque tenebras ex animis nostris pellat, vt erroris spiritum fugiamus, & magni pastoris vocem agnoscamus: vt in virum in Iesu Christo confirmatum ac perfectum adolescamus, nec quouis inanis doctrinæ flatu impellamur ac vacillemus: vt vnicum, verum, viuúmque Deum, & eius vnigenitum filium IesumChristum cognoscere valeamus, cui cum patre, & spiritu sancto, omnis honor, & gloria in sempiterna secula tribuatur. *Amen.*

FINIS.

APOLOGIA ECCLESIÆ ANGLICANÆ.

Autore Ioanne Iuello.

VETUS illa est querela à primis vsque Patriarcharũ & Prophetarum ducta temporibus, & omnis memoriæ literis & testimoniis confirmata, Veritatem in terris peregrinam agere, & inter ignotos facilè inimicos & calumniatores inuenire. Id etsi aliis incredibile fortasse videri possit, si qui sunt, qui ista minùs attentè obseruauerint, præsertim cùm hominum vniuersum genus ipso naturæ ductu, sine magistro, sua sponte sit appetens veritatis: & Christus ipse Seruator noster, cùm inter homines versaretur, quasi nomine ad exprimendam omnem vim diuinam, aptissimè voluerit appellari Veritas: nos tamen qui in sacris Scripturis versati sumus, quíque legimus & vidimus, quid omnibus piis omnium ferè tẽporum, quid Prophetis, quid Apostolis, quid sanctis Martyribus, quid Christo ipsi acciderit, quibus illi probris, maledictis, cõtumeliis, cùm viuerent, Veritatis vnius causa vexati fuerint, videmus, id non tantùm non esse nouum aut incredibile, sed etiam receptum iam & omnibus temporibus vsitatum. Imò illud multò potius mirum atque incredibile videri posset, si pater mendaciorum & hostis omnis veritatis Diabolus, nunc tandem repentè mutaret ingenium & speraret veritatem aliter, quàm mentiendo posse opprimi, aut aliis nunc artibus, quàm quibus ab initio semper vsus est, inciperet regnum suum stabilire. Ex omni enim memoria vix vllum tempus inuenire possumus, vel crescentis, vel constante vel renascentis religionis, quo non veritas atque innocentia indignis modis ab hominibus, & contumeliosissimè acciperetur. Videt, scilicet Diabolus, veritate incolumi, se incolumem esse, & sua tueri non posse.

Tert. in Apologetic.

Nam, vt ne quid de veteribus Patriarchis & Prophetis commemoremus, quorum vti diximus, nulla pars ætati fuit à contumeliis & probris libera, scimus fuisse olim quosdam qui dicerent, & publicè prædicarent, veteres Iudæos, quos non dubitamus fuisse cultores vnius & veri Dei, numinis loco aut suem, aut asinũ coluisse, & omnem illam religionem nihil aliud fuisse, quàm Sacrilegium, & contemptum omnium numinum. Scimus Filium Dei & seruatorem nostrum Iesum Christum, cum doceret veritatem, habitũ fuisse pro præstigiatore, pro malefico, pro Samaritano, pro Beelzebub, pro seductore populi, pro homine bibulo & vorace. Et quis nescit, quæ dicta olim fuerint in acerrimum præconem atque assertorem veritatis Diuum Paulum: illum modò hominem seditiosum esse, militem conscribere, secessionem facere: modò esse hæreticum, modo insanire, modò contentionis atque animi causa in legem Dei blasphemũ esse, & Patrum instituta contemnere? Quis nescit Diuum Stephanum statim, cum penitus intimis animi sensibus veritatem accepisset, & eam cœpisset liberè, sicut debuit, & fortiter prædicare, & prę se ferre, statim vocatum esse in iudicium capitis, quasi qui contumelias nefariè dixisset in Legem, in Mosen, in Templum, in Deum? Aut quis nescit fuisse olim, qui Sacras scripturas arguerent vanitatis, quòd in illis dicerẽt contraria, & planè pugnantia contineri: & Apostolos Christi singulos inter se, Paulum verò ab omnibus dissensisse? Et ne longum sit omnia colligere (id enim esset infinitum) quis nescit, quæ olim cõuitia iacta fuerint in Patres nostros, qui primi cœperunt agnoscere

Cornel. Tacitus. Tertul. in Apologet. cap. 7.

Ioã. 7. 9. 10. Mar. 11.

Act. 26. Epiphani.

Marcion. Tertullian. Ælius à Lactantio.

Eusebius lib.5.cap.1. Tert. 3. Apolo. 1.2.3. & 7.8.9.

& profiteri nomen Christi: illos inter se conspirare, & occulta consilia mirè contra Remp. & ea causa antelucanis horis inter se in tenebris cōuenire, occidere pueros infantes: explere se humanis carnibus, & ferali ritu bibere humanum sanguinem: postremò extinctis luminibus, adulterium inter se, & incestum promiscuè perpetrare, & fratres cum sororibus, filios cum matribus sine reuerentia sanguinis, sine pudore, sine discrimine cōcumbere homines impios, sine religione vlla, sine Deo: hostes humani generis, indignos luce, indignos vita.

Tert. in Apolog. ca3.

Ista tum omnia dicebantur in populum Dei, in Christum Iesum, in Paulum, in Stephanum, in eos omnes, quicunque primis temporibus amplexi sunt veritatem Euangelij, & se passi sunt odioso tum in vulgus nomine, appellari Christianos. Et quamuis ea non essent vera, id tamen diabolus satis putabat sibi fore, si effecisset saltem, vt crederentur esse vera, vtque Christiani publico omnium odio laborarent, & ab omnibus ad exitium quærerentur. Itaque reges & principes huiusmodi tum persuasionibus inducti, occidêre Prophetas Dei ad vnum omnes, Esaiam ad serram: Hieremiam ad lapides: Danielem ad leones: Amos ad vectem: Paulum ad gladium: Christum ad crucem: Christianos omnes ad carceres, ad equuleos, ad furcas, ad rupes, ad præcipitia, ad bestias, ad ignes comdemnare: & rogos ingentes ex illorum viuis corporibus, tantùm ad vsum nocturni luminis, & ad ludibrium inflammare, eósque non alio loco numerare, quam quo sordes vilissimas, & catharmata ac ludibria totius mundi: Sic videlicet semper accepti sunt authores, & professores veritatis.

Sueton. Trāquil. in Nerone.

Quo nos animo æquiore ferre debemus, quicunque professionem Euangelij Iesu Christi suscepimus, si in eadem causa ad eundem tractamur modum, vtque olim patres nostri, ita nos quoque hodie, nullo nostro merito, tantùm quia docemus & profitemur veritatem, conuitiis, contumeliis, mendaciis exagitamur.

1.Timot. 4.

Clamant hodie passim nos omnes esse hæreticos, discessisse à fide, & nouis persuasionibus atque impiis dogmatis, Ecclesiæ consensum dissipauisse: nos veteres & iam olim damnatas hæreses ab inferis rediuiuas restituere, & nouas sectas, atque inauditos furores disseminare: iam etiam in contrarias factiones & sententias distractos esse, nec vllo pacto potuisse vnquam inter nos ipsos conuenire: esse homines impios, & Gigantum more Deo ipsi bellum facere & prorsus sine omni numinis cura, cultúque viuere: Nos omnia rectè facta despicere, non virtutis disciplina vti vlla, non legibus, non moribus, non fas, non ius, non æquum, non rectum colere: Ad omnia flagitia laxare frena, & populum ad omne genus licentiæ atque libidinis prouocare: nos id agere & quærere, vt Monarchia & regnorum status euertantur, & omnia ad popularem temeritatem & imperitæ multitudinis dominationem redigantur: Nos ab Ecclesia Catholica tumultuosè defecisse, & nefario schismate orbem terrarum concussisse, & pacem communem atque otium Ecclesiæ publicum conturbasse: vtque olim Dathan & Abiron ab Aarone & Mose, ita nos hodie à Rom. Pontifice sine vlla satis iusta causa secessionem fecisse: Priscorum Patrum & veterum cōciliorum autoritatem pro nihilo putare: Ceremonias antiquas à Patribus & proauis nostris multis iam seculis, bonis moribus, & melioribus temporibus approbatas, temere & insolenter abrogasse: & nostra tantùm priuata autoritate, iniussu sacri & Oecumenici Concilij, nouos in Ecclesiam ritus inuexisse: atque ista nos omnia non religionis causa, sed contentionis tantùm studio fecisse: Se autem nihil prorsus immutasse: omnia verò vt ab Apostolis tradita, & antiquissimis Patribus approbata fuerint, ad hunc vsque diem per tot secula retinuisse.

Num.16.

Neue res calumniis tantùm agi, & ad inuidiam nostram in angulis solùm iactari videretur, subornati sunt à Romanis Pontificibus homines quidā satis diserti, & non indocti, qui ad causam desperatam accederent, & eam libris & longis orationibus exornarent: vt cùm eleganter & copiosè ageretur, homines imperiti possent in ea aliquid esse suspicari. Videbant scilicet, vbique terrarum causam suam inclinare, artes suas iā videri, & minoris putari, & præsidia sua in singulos dies labefactari: & omnino causam magnoperè egere patrocinio. Eorum autem, quæ ab illis in nos dicuntur, partim manifestè falsa sunt, & ipsorum, à quibus dicuntur, iudicio cōdemnata: partim, & etsi falsa sunt illa quoque, tamen specie veri aliquam & similitudinem præ se ferunt, vt in illis incautus lector, maximè verò, si accedat istorum composita & elegans oratio, facile

cilè circumueniri,& errare possit, partim verò sunt eiusmodi, vt ea nos non tanquam crimina refugere, sed tanquam rectè, atque optima ratione facta, agnoscere, & profiteri debeamus. Nam, vt vno verbo quod res est dicamus isti omnia nostra, etiã ea, quæ ne ipsi quidem negare possunt rectè, atque ordine esse facta, calũniantur, & quasi nihil à nobis aut fieri aut dici recte possit, ita dicta nostra, factaque omnia malitiosè deprauant. Simpliciùs quidem & cãdidiùs agendum erat, si verè agere voluissent. Nũc autẽ nec verè, nec ingenuè, nec Christiano more, modóque, sed obscurè & veteratoriè, mẽdaciis nos oppugnant: & cæcitate populi & inscitia, atque ignorãtia Principũ, ad odiũ nostri & ad opprimendã veritatẽ abutuntur. Est hæc potestas tenebrarum & hominũ stupore magis imperitæ multitudinis, & tenebris, quàm veritate aut luce fidentium, vtque Hieronymus ait clausis oculis veritati perspicuè contradicentium.

Nos verò Deo Optimo Maximo gratias agimus, eam esse causam nostrã, in quam isti cum cuperent, nullam contumeliam possent dicere, quæ non eadem in sanctos Patres in Prophetas in Apostolos, in Petrũ, in Paulum, in Christũ ipsum torqueri posset.

Iam verò si istis ad maledicendum disertis & eloquentibus esse licet, nos in optima nostra causa, ad verè respondendum, haud sanè conuenit esse mutos. Negligere enim quid de se, suáque causa, quamuis falsè & calumniosè dicatur: præsertim cum id eiusmodi sit, vt in eo Dei Maiestas & Religionis negotium violetur, hominum est dissolutorum, & ad iniurias Diuini nominis securè atque impiè conniuentium. Etsi enim aliæ sæpe magnæ ab homine modesto & Christiano ferri ac dissimulari possint: tamen hæreseos notam qui dissimulet, eum Ruffinus negare solebat esse Christianum. Faciemus ergo nunc id, quod omnes leges, quod vox naturæ ipsa iubet fieri, quodque Christus ipse in simili causa contumeliis appetitus fecit, vt istorum criminationes propulsemus, vt causam innocentiámque nostram modestè & verè tueamur. Nam Christus quidem cum à Pharisæis accusaretur veneficij, quasi cõsuetudinem haberet cum Dæmonibus, & illorum ope multa faceret: Ego (inquit) Dæmonium non habeo, sed glorifico Patrem meum: vos autem affecistis me ignominia. Et Paulus cùm à Festo procõsule contemneretur vt insanus: Ego, inquit, optime Feste, non insanio vt tu putas, sed veritatis & sobrietatis verba loquor. Et Christiani veteres cum pro homicidis, adulteris, incestis, rerum publicarum perturbatoribus ad populum traducerentur, & viderent huiusmodi criminationibus in dubium vocari posse Religionem quam profitebantur: maximè verò, si tacere viderentur & quodammodò crimen agnoscere: ne ea res Euangelij cursum impediret, habuerunt orationes, scripserunt libros supplices, apud Imperatores & Principes verba fecerunt, vt sese suósque publicè defenderent.

Ioan. 8.

Act. 26.

Quadratus. Iustinus. Melito. Tertull. aliique.

Nos verò cum proximis istis viginti annis, tot millia nostrorum fratrũ inter exquisitissimos cruciatus testimonium dixerint veritati, & Principes, cum frenare cuperẽt Euangelium, multa moliendo nihil egerint, & totus iam prope terrarum orbis ad aspiciendam lucem oculos incipiat aperire, satis iam dictam & defensam putamus esse causam nostram: cumque res ipsa satis pro se loquatur, non multum opus esse verbis. Nam si Pontifices ipsi vellent, aut etiamsi possent, rem ipsam secum, & initia progressusque Religionis nostræ cogitare, quemadmodum sua penè omnia nullo impellente, sine vlla humana ope ceciderint: nostra verò inuitis ab initio Imperatoribus, inuitis tot Regibus, inuitis Pontificibus, inuitis propè omnibus, incrementa ceperint & paulatim in omnes terras propagatæ fuerint, atque etiam postremò in Regũ iam Aulas & Palatia peruenerint, vel hęc ipsa satis illis magna indicia esse possent, Deũ ipsum pro nobis propugnare, & ipsorum conatus de Cælo ridere, & eam esse vim veritatis, quam nec humanæ vires, nec inferorũ portę possunt conuellere. Non enim insaniunt hodie tot Ciuitates liberæ, tot Reges, tot principes, qui à Sede Romana defecerunt, & se potius ad Christi Euangelium adiunxerunt.

Neque tamen si Pontificibus otium hactenus nunquam fuit de istis rebus attentè & seriò cogitandi, aut si nunc aliæ illos curæ impediunt, & diuersè distrahunt, aut si ista studia vulgaria & leuia esse putant, & nihil ad dignitatem Pontificiam pertinere, idcirco causa nostra debet videri deterior? aut si illi quod vident, videre fortè nolunt, & veritatem agnitam potius oppugnant, idcircò nos habendi statim sumus pro hæreticis, qui illorum voluntati non obsequimur? Quod si Pius Pontifex is esset, non dicimus, quem se tantoperè dici cupit: sed si is omninò esset, qui nos vel fratres suos,

Pius 4.

vel omninò homines esse duceret,rationes prius nostras, & quid à nobis, quid contra nos dici posset,diligenter expendisset:ac non ita temerè cæcis tantùm præiudiciis, bonam partem orbis terrarum, tot doctos & pios viros, tot respublicas, tot Reges,tot Principes in Bulla illa sua,qua nuper simulabat Concilium, inauditos, indicta causa, condemnasset.

Verùm, ne, quia ad hunc modum publicè ab illo notati sumus, tacendo videamur crimen confiteri,& presertim quia in Publico Concilio,in quo illi nemini mortalium ius esse vult ferendi suffragij, sententiæque dicendæ, nisi iurato addictoque potestati suæ,audiri nullo modo possumus(id enim proximis Comitiis Tridentinis nimiùm experti sumus,cum Principum Germaniæ,& liberarum Ciuitatum legati, & Theologi prorsus ab omni conuentu excluderentur,neque adhuc obliuisci possumus Iuliũ Tertium ante decem annos diligenter cauisse rescripto suo, ne quis nostrorum hominum in Concilio audiretur,nisi si quis fortè esset, qui vellet palinodiam canere, & mutare sententiam:) vel ea maximè causa visum est nobis rationem Fidei nostræ scripto reddere,& ad ea quę nobis publicè obiecta sunt,verè,ac publicè respondere,vt Orbis terrarum videre possit, partes & fundamenta eius doctrinæ, cui tot boni viri postposuerunt vitam suam,vtque omnes intelligant cuiusmodi tandẽ homines illi sint,quidque de Deo & religione sentiant,quos Romanus Episcopus, antequam vocarentur ad dicendam causam,non satis consideratè,nullo exemplo, nullo iure, tantùm quod illos audiret à se suisque in aliqua parte Religionis discrepare, condemnauit pro hæreticis.

Et quamuis D. Hieronymus in suspitione hæreseos neminem velit esse patientem: nos tamen nec acerbè,aut dicaciter agemus,nec efferemur iracundia. Quanquã nec acerbus,nec dicax videri debet, qui vera dicit. Istam eloquentiam libentiùs relinquimus aduersariis nostris,qui quicquid in nos dicunt, quantumuis id acerbè aut contumeliose dictum sit tamen satis modestè & appositè dictum putant:veréne an falsò, nihil curant. Nobis his artibus opus non est,qui veritatem defendimus.

Quòd si docemus Sacrosanctum Dei Euangelium, & veteres Episcopos, atque Ecclesiam Primitiuã nobiscum facere: nosque nõ sine iusta causa & ab istis discessisse, & ad Apostolos,veterésque Catholicos patres rediisse, idque non obscurè, aut vafrè, sed bona fide coram Deo, verè,ingenuè,dilucidè,& perspicuè facimus si illi ipsi qui nostrã doctrinam fugiunt,& sese Catholicos dici volunt, apertè videbunt omnes illos titulos antiquitatis,de quibus tantopere gloriantur,sibi excuti de manibus,& in nostra causa plus neruorum fuisse quàm putarint:speramus,neminem illorum ita negligentem fore salutis suæ, quin vt velint aliquando cogitationem suscipere, ad vtros potiùs se adiungat.Certè quidem,nisi quis planè animo obdurauerit, & audire nolit eum non pœnitebit,animum ad defensionem nostram aduertere,& quid à nobis,quámque ad Religionem Christianam conuenienter,apteque dicatur,attendere.

Nam quod nos appellant hæreticos, est illud crimen ita graue, vt nisi videatur, nisi palpetur, nisi manibus digitisque teneatur, credi facilè de homine Christiano non debeat. Est enim hæresis destitutio salutis, abiectio gratiæ Dei, discessio à corpore & spiritu Christi.Sed fuit hoc semper istis,& illorum patribus familiare ac solenne, vt si qui essent, qui de illorum erroribus quererentur, & religionem cuperent restitutam,eos statim quasi nouatores rerum &homines factiosos,condemnarent pro hæreticis.Christus enim non alia causa dictus est Samaritanus,quàm quòd ad nouam quandam Religionem, & ad hæresim defecisse putaretur. Et Paulus Apostolus Christi vocatus est in iudicium, vt causam diceret de hæresi.Ego quidem(inquit)iuxta hãc viam quam isti vocant hæresim, colo patrium Deum, credens omnibus quæ scripta sunt in Lege,& in prophetis.

Hæresis quid.

Act.24.

Breuiter,vniuersa ista Religio, quam hodiè profitentur homines Christiani, primis temporibus ab Ethnicis hominibus Secta dicta est,& hæresis. His isti vocibus semper impleuerunt aures Principum,vt cum illi opinione præiudicata nos odissent, & quicquid à nobis diceretur,haberent pro factione & hæresi à re ipsa, & à cognitione causæ abducerentur.Sed quantò crimen illud grauius est & atrocius, tantò argumentis maioribus,& clarioribus probari debuit,hoc præsertim tempore postquàm homines cœperunt minùs istorũ oraculis habere fidei, & in illorum doctrinam diligẽtiùs inquirere,quàm solebãt.Aliter enim nũc institutus est populus Dei,atque olim fuit,cũ omnia

Tertul.in Apologet.

Pon-

Pontificum Romanorum dictata haberentur pro Euangelio,& omnis religio ab illorum tantùm authoritate penderet. Extant hodie Sacræ Literæ, extant scripta Apostolorum & Prophetarum, ex quibus & omnis Veritas, & doctrina Catholica probari possit,& omnis hæresis refutari.

2. Tim. 3.

Cum nihil horum ab istis proferatur, tamē nos hæreticos appellari, qui nec à Christo, nec ab Apostolis, nec à Prophetis defecerimus, iniuriosum est & peracerbum. Hoc gladio Christus reiecit diabolum, cum ab illo tentaretur: his armis euertenda & profliganda est omnis altitudo, quæ sese attollit aduersus Deum. Omnis Scriptura, inquit Paulus, diuinitùs inspirata, vtilis est ad docendum, ad refutādum, ad instituendum, ad arguendum, vt vir Dei perfectus sit,& ad omne opus bonum instructus. Sic semper pij patres contra hæreticos non aliundè, quàm è Sacris Scripturis pugnauerunt. Augustinus cum disputaret aduersus Petilianum hæreticum Donatistam, Ne, inquit, audiantur inter nos hæc verba, Ego dico, aut Tu dicis: Sic potius dicamus, Hæc dicit Dominus: ibi quæramus Ecclesiam: ibi discutiamus causam nostram. Et Hieronymus. Omnia, inquit, ea, quæ absque testimonio Scripturarum quasi tradita ab Apostolis asseruntur, percutiuntur gladio Dei. Ambrosius etiam ad Gratianum Imperatorem, Interrogentur, inquit, Scripturæ: interrogentur Apostoli, Interrogentur Prophetæ, Interrogetur Christus. Non dubitabant, videlicet, tum temporis Catholici Patres & Episcopi, Religionem nostram satis è diuinis Scripturis probari posse: nec vnquàm illi quenquam habere ausi sunt pro hæretico, cuius errorem non possent ex iisdem illis Scripturis perspicuè,& liquidò coarguere. Nos quidem, vt cum D. Paulo respondeamus, Iuxta hanc viam quam isti appellant hæresim, colimus Deum,& Patrem Domini nostri Iesu Christi,& recipimus omnia, quæ aut in lege, aut in Prophetis, aut in Apostolorum libris scripta sunt.

2 Cor. 10.
2. Timot. 3.
De vnitate Eccle. ca. 3.
Eadem sententia habetur contra Maximum Arrianorū Episcopum lib. 3. ca. 14.
In primum cap. Aggei.
Act. 24.

Quare si nos sumus hæretici, si isti sunt quòd appellari volunt Catholici, cur nō faciunt id quod vidēt Patres Catholicos viros, semper fecisse? Cur nos è Sacris Scripturis non conuincunt? Cur nos ad illarum examen non reuocant? Cur nos non ostēdūt à Christo, à Prophetis, ab Apostolis, à Sāctis Patribus discessisse? Quid hæret? Quid fugiunt? Est Dei causa, Cur eam dubitant permittere verbo Dei? Quod si nos sumus hęretici, qui omnes nostras controuersias referimus ad Sacras literas, quique ad illas ipsas voces, quas scimus à Deo ipso consignatas esse, prouocamus,& illis alia omnia quęcunque possunt ab hominibus excogitari postponimus: quid istos, quos tandem homines aut quales conuenit appellari, qui Sacrarum Scripturarum, hoc est Dei ipsius iudicium reformidant,& sua illis somnia & frigidissima commenta anteponunt, & traditionum suarum causa, Christi, atque Apostolorum instituta aliquot iam secula violarunt? Aiunt: Sophoclem Poëtam tragicum, cum iam senex esset,& accusaretur apud Iudices à filiis suis pro deliro,& fatuo, quasi qui rem suam familiarem temerè profunderet,& opus iam habere videretur curatore vt se purgaret eo crimine, venisse in iudicium,& cum pronunciasset, Oedipum Coloneum, Tragediam à se illis ipsis diebus, cùm accusaretur, valde elaboratè & perelegāter scriptam, vltrò interrogasse Iudices, num illud carmen videretur esse hominis delirantis.

Sophocles Poëta.

Ita nos quoque quoniam istis furere videmur, & ab illis traducimur pro hæreticis, quasi quibus nihil iam rei sit nec cum Christo nec cùm Ecclesia Dei, non alienum aut inutile fore existimauimus, si apertè,& liberè proponamus fidē nostrā in qua stamus, & omnē illam spem, quam habemus in Christo Iesu: vt omnes videre possint, quid nos de quaque parte Religionis Christianæ sentiamus,& statuere secum ipsi possint, an ea Fides, quā videbūt & verbis Christi & Apostolorū Scriptis,& Catholicorum patrū testimoniis,& multorum seculorum exemplis confirmatam, tantùm sit rabies quædam hominum furentium,& conspiratio hæreticorum.

CREDIMVS ergo, vnam quandam naturam esse & vim diuinam, quā appellamus Deum, eamque in tres personas æquales distinctam esse, in Patrem, in Filium, in Spiritum sanctum eiusdem omnes potestatis, eiusdem maiestatis, eiusdem Æternitatis, eiusdem Diuinitatis, eiusdem substātiæ. Et quamuis tres illæ personæ ita distinctę sint, vt nec Pater sit filius, nec Filius sit spiritus Sanctus aut Pater: Deum tamen esse vnum & illum vnum creasse cœlum,& terram,& omnia quæ cæli complexu continentur.

CREDIMVS Iesum Christū filium vnicum æterni Patris, quemadmodum iam o-

Gal. 4.

lim antè omnia initia decretum fuerat, cum venisset plenitudo tẽporis, suscepisse carnẽ & omnẽ naturam humanã, Ex Beata illa & pura Virgine, vt indicaret hominibus arcana, & reconditam voluntatem Patris sui, quæ abdita fuerat à seculis & generationibus, vtque in humano corpore perageret Mysteriũ redemptionis nostræ, & peccata nostra, & Syngrapham illam quæ erat scripta contra nos affigeret ad crucem.

Eum credimus nostra causa esse mortuum, sepultum, descendisse ad inferos, tertia die vi diuina rediisse ad vitam, & resurrexisse, post quadraginta dies spectantibus discipulis, ascendisse in Cœlum, vt impleret omnia, & corpus illud ipsum, in quo natus, in quo versatus, in quo ludibrio habitus, in quo grauissimos cruciatus, & dirum genus mortis passus fuerat, in quo resurrexerat, in quo ascenderat ad Patris dexteram, supra omnem principatum & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomẽ quod nominatur, non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro, in Maiestate & gloria collocasse: Ibi eum nunc sedere, & sessurum esse, donec omnia perficiantur. Et quamuis Maiestas & Diuinitas Christi vbique diffusa sit, tamen Corpus eius, vt Augustinus ait, in vno loco esse oportere: Christum corpori suo Maiestatem dedisse, naturam tamen corporis non ademisse: Neque ita asserendum esse Christum Deum, vt eum negemus esse hominem. Vtque ait martyr Vigilius: Christum humana sua natura nos reliquisse: diuinitate autem non reliquisse: Eumque cùm absit à nobis per formam serui, tamen semper esse nobiscum per formam Dei.

Aug. tract. 50. in Ioan.

Act. 3.
Aug. tract. 30. in Ioan.

Ad Dardanum.

Contra Eutichen. Li. 1.

Ab illo loco credimus Christum rediturum esse ad exercẽdum publicum illud Iudicium, tam de illis quos inueniet adhuc in corpore superstites, quàm de mortuis.

Fulgentius. ad Regem Trasimundum.

Credimus Spiritum S. qui est tertia persona in sacra Triade, illum verum esse Deum: Non factum, non creatum, non genitum, sed ab vtroque, Patre scilicet & Filio ratione quadã mortalibus incognita, ac ineffabili, procedentẽ. Illius esse duritiẽ humani cordis emollire, quũ aut per salutiferã prædicationẽ Euangelij, aut aliaquaq; ratione in pectora hominũ recipitur: Illum eos illuminare, & in agnitionẽ Dei, atque in omnem viam veritatis & in totius vitæ nouitatem, & perpetuã salutis spẽ perducere.

Credimus vnam esse Ecclesiam Dei, eamque non vt olim apud Iudæos, in vnũ aliquem angulum aut Regnum, conclusam: sed Catholicam atque vniuersalem esse, & diffusam in totum terrarum orbem, vt nulla nunc natio sit quæ possit verè conqueri, se exclusam esse, & non posse ad Ecclesiam, & Populum Dei pertinere. Eam Ecclesiam esse Regnum, esse corpus, esse Sponsam Christi: Eius Regni Christum solum esse Principem: Eius corporis Christum solum esse caput: Eius Sponsę, Christum solum esse Sponsum. Varios in Ecclesia esse ordines Ministrorum: Alios esse Diaconos, alios Presbyteros, alios Episcopos, quibus institutio populi & Religionis cura & procuratio commissa sit: Neminem tamen vnum nec esse posse, qui summæ rerum vniuersæ præsit: Nam & Christum semper adesse Ecclesiæ suæ, & Vicario homine, qui ex asse in integrum succedat, non egere: & neminem mortalem posse existere, qui vniuersam Ecclesiam, hoc est, omnes partes orbis terrarum vel animo cõplecti, nedum ordine collocare, & rectè ac cõmodè administrare possit: Apostolos, vt Cyprianus ait, pari omnes inter se fuisse potestate: atque hoc quidem fuisse alios quod Petrus fuit: Omnibus ex æquo dictum fuisse, Pascite: Omnibus, Ite in mundum vniuersum: Omnibus, Docete Euangelium: Et vt ait Hieronymus, Omnes Episcopos vbicunque tandẽ sint, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij, eiusdem esse meriti, eiusdẽ Sacerdotij. Vtque Cyprianus ait: Episcopatum vnum esse, & eius partem insolidum teneri à singulis: Et de sententia Niceni cõcilij, Romanum Episcopũ nihilo plus iuris in Ecclesiã Dei obtinere, quàm reliquos Patriarchas Alexandrinũ, & Antiochenũ: Romanum verò Episcopũ, qui nunc ad se vnũ omnia reuocat, nisi officiũ faciat, nisi administret Sacramẽta, nisi instituat populũ, nisi moneat, nisi doceat, ne Episcopũ quidẽ aut omnino Presbyterum iure dicendum esse. Episcopum enim, vt Augustinus ait, nomẽ esse operis, non honoris: vt ille se intelligat non esse Episcopũ qui velit præesse, & non prodesse. Caput verò Ecclesiæ totius, aut Vniuersalẽ Episcopũ: non magis aut illũ, aut aliũ quemuis mortalẽ esse posse, quàm Sponsum, quàm Lucẽ, quàm Salutẽ, quàm vitam Ecclesiæ. Hęc enim esse Christi vnius priuilegia, & nomina, & illi vni propriè atq; vnicè conuenire: Neq; vnquã quenquam Romanũ Episcopũ ante Phocã Imperatorẽ, quem scimus (interfecto Imperatore Mauritio domino suo) per nefariũ scelus ad Imperium

De simplicitate prælatorum.

Ad Euagrium.

De simplicitate prælatorum.

1. ad Tim. 3

perium

perium aspirasse, hoc est, ante sexcentesimum decimum tertium annum à Christo nato, vnquàm passum fuisse sese tam superbo nomine salutari: Concilium etiam Carthaginense disertè cauisse, nequis Episcopus aut summus Pontifex, aut Primus sacerdos diceretur: Episcopum verò Romanum, quoniam ita hodie dici vult, & alienam potestatem sibi vendicat: pręterquam quòd apertè facit cótra vetera Concilia, contráque Patres si Gregorio suo velit credere, nomen arrogans, prophanum, sacrilegum, Antichristianum sibi imponere: esse Regem superbiæ: esse Luciferum, qui se fratribus suis anteponat abiecisse fidem: esse præcursorem Antichristi.

Cap.47.

Greg. lib.4. Epist.76.78 80. Et lib.7. Epist.69.

Ministrum legitimè vocari oportere, & rectè atque ordine præfici Ecclesiæ Dei: neminem autem ad Sacrum ministerium pro suo arbitrio, & libidine posse se intrudere. Quo maior nobis ab istis fit iniuria, quibus nihil sæpius in ore est, quàm apud nos nihil ordine, nihil decenter, omnia confusè ac perturbatè fieri: omnes apud nos esse Sacerdotes, omnes esse Doctores, omnes esse interpretes.

Ministris à Christo datum esse dicimus ligandi, soluendi, aperiendi, claudendi potestatem. Ac soluendi quidem munus in eo situm esse, vt Minister, vel deiectis animis & verè resipiscentibus per Euangelij prædicationem merita Christi, absolutionémq; offerat, & certam peccatorum condonationem ac spem salutis æternæ denunciet: aut vt eos qui graui scandalo; & notabili publicóque aliquo delicto fratrem animos offenderint, & sese à communi societate Ecclesiæ, & à Christi corpore quodammodò abalienarint, resipiscentes, reconsiliet, & infidelium cœtum atque vnitatem recolligat ac restituat. Ligandi verò illum claudendíque potestatem exercere dicimus, quoties vel incredulis & contumacib. regni cœlorum ianuam occludit, illísque vindictam Dei, & sempiternũ suppliciũ edicit, vel publicè excõmunicatos Ecclesiæ gremio excludit. Sententiam autem, quamcunque ministri Dei ad hunc modum tulerint, Deus ipse ita comprobat, vt quicquid illorum opera soluitur & ligatur in terris, idem ipse soluere & ligare velit, & ratum habere in Cælis. Clauis autem quibus aut claudere regnum cœlorum, aut aperire possint, vt Chrysostomus ait, dicimus esse scientiam Scripturarum: vt Tertullianus, esse Interpretationem Legis: vt Eusebius, esse verbum Dei. Accepisse autem Discipulos Christi hanc potestatem, non vt audirent arcanas populi confessiones, aut captarent murmura, quod Sacrificuli nunc omnes passim faciunt: atque ita faciunt quasi in eo solo sita sit omnis vis atque vsus Clauium: sed vt irent, vt docerent, vt publicarent Euangelium: vt essent credentibus odor vitæ ad vitã: vt essent incredulis atque infidelibus odor mortis ad mortẽ: vt piorum animi conscientia superioris vitæ & errorum consternati, postquàm aspicere cœpissent lucem Euangelij, & in Christũ credere, vt fores claue, ita illi verbo Dei aperirẽtur: Impij autem & contumaces, quíque nollent credere & redire in viã, quasi obserati & clausi relinquerentur, & proficerent, vt Paulus ait, in deterius: Hanc esse rationem clauium: Hoc pacto aut aperiri aut claudi hominum conscientias: Sacerdotem quidem esse Iudicem, nullius tamen cũ potestatis, vt ait Ambrosius, ius obtinere: Idcirco Christum his verbis increpuisse Scribas & Pharisæos, vt coargueret illorũ in docẽdo negligentiã: Væ, inquit vobis Scribę & Pharisæi, qui abstulistis claues scientiæ, & clausistis regnũ cœlorũ corã hominib. Cúmque clauis qua aditus nobis aperitur ad Regnum Dei sit verbũ Euãgelij, & interpretatio Legis & Scripturarum, vbi non sit Verbũ, ibi dicimus non esse Clauẽ: Et cũ vnum omnibus datum sit Verbum, vnaque sit omnium Clauis, vnam esse Ministrorũ omnium, quod quidẽ ad aperiendum, aut claudendum attinet, potestatẽ: Imò etiã Põtificem ipsum, quãuis illi suauiter cãtillẽtur illa verba à parasitis suis, Tibi dabo claues Regni cœlorum, ac si eæ illi vni, & præterea mortalium nemini cõuenirent: nisi id agat, vt hominum flectãtur cõsciẽtiæ, & succumbãt verbo Dei, negamus aut aperire: aut claudere, aut omnino habere claues. Et quãuis doceat, & instituat populũ, ꝙ vtinã aliquãdo & verè faciat, & inducat aliquãdo animũ, esse eã aliquã saltẽ partem officij sui: tamẽ eius Clauẽ nihilo aut meliorẽ aut maiorẽ esse, quàm aliarũ. Quis enim illum discreuit? Quis illum docuit doctiùs aperire, aut meliùs absoluere, quàm fratres suos?

2. Tim.3.

De pœn. dist.1. ca. verbum Dei.

Luc.11.

Matth.23.

Matt.16.

Matrimonium in omni genere & statu hominum, in Patriarchis, in Prophetis, in Apostolis, in sanctis Martyribus, in Ministris Ecclesiarum, in Episcopis, sanctum & honorificum esse dicimus: Et vt Chrysostomus ait, fas & ius esse cum eo ad cathedram Episcopalem ascendere: vtque Sozemenus ait de Spiridione, & Nazianzenus de patre

In Tit.1. homil 11. Theoph. ad Titum 10. cap.5.

no cultu adorandum, ſed etiam illum in equo gradiario, quocunque ipſi iter faciunt, vt olim ignem Perſicum, aut Iſidis ſacra circunferunt, & Chriſti ſacramenta ad Cœnam iam, & pompā traduxerunt, vt in ea re, in qua mors Chriſti inculcanda & celebranda erat, & in qua myſteria Redemptionis veſtræ ſanctè ac reuerenter erant agitanda, hominum oculi nihil aliud quàm iuſanis ſpectaculis, & ludicra leuitate paſcerentur. Quòd autem dicunt, & interdum etiam ſtultis perſuadent, ſeſe Miſſis ſuis poſſe diſtribuere atque applicare hominibus, (ſæpe etiam nihil de ea re cogitantibus, nec quid agatur intelligentibus) omnia merita mortis Chriſti, & ridiculum, & Ethnicum & ineptum eſt. Fides enim noſtra mortem & crucem Chriſti nobis applicat, non actio ſacrificuli: Fides (inquit Auguſtinus) ſacramentorum, iuſtificat non ſacramentum. Et Origenes, Ille, inquit, eſt ſacerdos, & propitiatio, & hoſtia, quæ propitiatio ad vnumquemque venit per viam fidei. Atque ad hunc modum ſine fide, ne viuis quidem prodeſſe dicimus ſacramenta Chriſti: mortuis verò multò minus. Nam quòd de Purgatorio iſti ſuo iactare ſolent, etſi illud ſcimus non ita nouum eſſe, tamen non aliud quā fatuum & anile commentum eſt. Auguſtinus quidem, modò huiuſmodi quem locum eſſe ait, modo poſſe eſſe non negat, modò dubitat, modò prorſus pernegat, & in eo homines humana quadam beneuolentia putat falli. Tamen ab hoc errore vno, tāta creuit ſeges ſacrificulorum, vt cum in omnibus angulis Miſſæ palam & publicè vēderentur: Templa Dei facta fuerint tabernæ meritoriæ, & miſeris mortalib. perſuaſum fuerit, nihil prorſus eſſe vendibilius: iſtis quidem certè nihil erat vtilius.

Libro de ceremoniis eccleſiæ Rom.

Ad Rom. cap. 3. lib. 3.

Aug. in pſal. 85. in enchiridio ca. 67.

De ciuitate Dei lib. 21. ca. 26. cōtra Pelagianos libro hipognoſticō. 5.

De multitudine otioſarum cerimoniarum, ſcimus Auguſtinum grauiter ſuo tempore conqueſtum eſſe. Itaque nos magnum earum numerum reſecauimus, quòd illis ſciremus affligi conſcientias hominum, & grauari Eccleſiam Dei.

Ad Ianuarium epiſt. 119.

Retinemus tamen & colimus non tantùm ea, quæ ſcimus tradita fuiſſe ab Apoſtolis, ſed etiam alia quædam, quæ nobis videbantur ſine Eccleſiæ incommodo fieri poſſe: quòd omnia cuperemus in Sacro cœtu, vt Paulus iubet, decenter, atque ordine adminiſtrari. Ea verò omnia, quæ aut valde ſuperſtitioſa, aut frigida, aut ſpurca, aut ridicula, aut cum Sacris literis pugnantia, aut etiam ſobriis hominibus indigna eſſe videbamus, qualia infinita ſunt hodie in Papatu, prorſus ſine vlla exceptione repudiauimus: quod nollemus Dei cultum eiuſmodi ineptiis longiùs contaminari.

Precamur ea Lingua, quam noſtri, vt par eſt, omnes intelligant: vt populus, quemadmodum Paulus monet, à communibus votis vtilitatem communem capiat: quemadmodum omnes pij patres, & Catholici Epiſcopi, non tantùm in Veteri, verumetiam in Nouo Teſtamento & precati ſunt, ipſi, & populum precari docuerunt: ne, vt Auguſtinus ait, tanquàm pſittaci, & merulæ videamur ſonare quod neſcimus.

Mediatorem & præcatorem per quem accedendum ſit ad Deum patrem, non alium habemns quàm Ieſum Chriſtum, cuius vnius nomine, omnia à Patre impetrantur. Turpe autem & planè Ethnicum eſt, quod in iſtorum Eccleſiis videmus paſſim fieri, non tantùm quod initium numerum habere volunt precatorum, idque prorſus ſine authoritate verbi Dei, vt quemadmodum Hieremias ait, Diuorum numerus æquet nunc, vel potiùs ſuperet numerum ciuitatum, & miſeri mortales neſciant, ad quem ſe potiſſimùm debeant vertere: quódque cùm tot ſint vt numerati non poſſint, illis tamen ſingulis ſuum cuique ab illis munus & officium, quid impetrare, quid dare, quid efficere debeant, deſcriptum eſt: ſed etiam quòd ita non tantùm impiè ſed etiam impudenter appellant virginem Matrem, vt ſe matrem eſſe meminerit, vt imperet Filio, vt in illum vtatur iure ſuo.

Hiere. 2. & 11.

Bernardus.

Dicimus hominem natum eſſe in peccato, & in peccato vitam agere: Neminem poſſe verè dicere, mundum eſſe inutilem: Legem Dei perfectam eſſe, & à nobis requirere perfectam & plenam obedientiam. Illi à nobis in hac vita ſatisfieri non poſſe vllo modo: Neque eſſe mortalium quenquam qui poſſit in conſpectu Dei propriis viribus iuſtificari: Itaque vnicum receptum noſtrum & perfugium eſſe ad miſericordiam Patris noſtri per Ieſum Chriſtum, vt certò animis noſtris perſuademus illum eſſe propitiationem pro peccatis noſtris: eius ſanguine omnes labes noſtras deletas eſſe: illum pacificaſſe omnia ſanguine crucis ſuæ: Illum vnica illa Hoſtia, quam ſemel obtulit in cruce, omnia perfeciſſe, & ea cauſa cùm animam ageret, dixiſſe, Conſummatum eſt: quaſi ſignificare vellet, perſolutum iam eſſe pretium pro peccato humani generis.

Hoc

Hoc sacrificium, si qui sunt qui non putant esse satis, eant sanè & quærãt aliud melius. Nos quidem & quia illud vnicum esse scimus, vno contenti sumus, nec expectamus aliud, & quia semel tantùm offerendum erat, nõ iubemus repeti: & quia plenum & omnibus numeris, & partibus perfectum erat, non substituimus continentes hostiarum successiones.

Quamuis autem dicamus nihil nobis esse præsidij in operibus & factis nostris, & omnem salutis nostræ rationem constituamus in solo Christo, non tamen ea causa dicimus laxè & absolutè viuendum esse, quasi tingi tantùm & credere, satis sit homini Christiano, & nihil ab eo aliud expectetur. Vera fides viua est, nec potest esse otiosa.

Sic ergò docemus populum, Deum vocasse nos, non ad luxum & libidinem: sed, vt Paulus ait, ad opera bona, vt in illis ambulemus: Deum eripuisse nos à potestate tenebrarum, vt seruiamus Deo viuenti: vt rescindamus omnes reliquias peccati: vt in timore & tremore operemur salutem nostram: vt appareat spiritum sanctificationis esse in membris nostris & Christum ipsum per fidem in cordibus nostris habitare. *Ephe. 3. Col. 1. Ephe. 3.*

Postremò credimus hanc ipsam carnem nostram, in qua viuimus, quamuis mortua abierit in puluerem, tamen vltimo die redituram esse ad vitam, propter spiritum Christi qui habitat in nobis. Tum verò quicquid hic interim patimur eius causa, Christum abstersurum esse omnem lachrymam ab oculis nostris: & nos propter illum fruituros esse æterna vita, & semper futuros cum illo in gloria. Amen. *Apo. 7. 12.*

Istæ sunt horribiles illæ Hæreses, quarum nomine bona pars orbis terrarum hodie à Pontifice inaudita condemnatur. In Christum potius, in Apostolos, in sanctos Patres lis intendenda fuit: Nam ab illis ista non tantum profecta, sed etiam constituta sunt. Nisi isti forte velint dicere, quòd etiam fortasse dicent, Christum non instituisse sacram cõmunionem, vt inter fideles distribueretur: aut Apostolos Christi, veteresque Patres dixisse priuatas Missas in omnibus angulis Templorum, modò denas, modò vicenas, vno die: aut Christum & Apostolos abegisse omnem plebem à sacramento Sanguinis, aut id quòd ab ipsis hodie vbique fit, vt eum condemnent pro hæretico, qui secus faciat, à Gelasio suo non appellari Sacrilegium: aut non esse ista verba Ambrosij, Augustini, Gelasij, Theodoreti, Chrysostomi, Origenis, panem & vinum in Sacramentis manere eadem quæ fuerant: Illud, quod videtur in Sacramentis manere eadem quæ fuerant: Illud, quod videtur in Sacra mensa, esse Panem: non desinere esse substantiam panis, & naturam non mutari: aut illum ipsum panem, quòd quidem ad materiam attinet, abire in ventrem, & in secessum eiici: aut Christum, Apostolos, & sanctos Patres non precatos esse ea lingua, quæ à populo intelligeretur: aut Christum vnica illa hostia, quam semel obtulit, non omnia perfecisse: aut illud Sacrificium fuisse imperfectum, vt nunc nobis opus sit alio. Hæc illis omnia dicenda sunt, nisi fortè malint hoc dicere, omne ius & fas esse conclusum in scrinio pectoris Pontificij: quódque olim quidam ex eius asseclis & parasitis non dubitauit dicere, illum posse dispensare contra Apostolum, contra Concilium, contra Canones Apostolorum: & istis exemplis atque institutis, & legibus Christi non teneri. Ista nos dicimus à Christo, ab Apostolis, & sanctis Patribus, & eadem bona fide docemus populum Dei: atque ea causa hodie ab Antistite sc. Religionis, appellamur Hæretici. *Dist. 34. Lector in Glossa. Dist. 82. presbiter.*

O Deum immortalem: ergo Christus ipse, & Apostoli, & tot Patres vnà omnes errauerunt? Ergò Origenes, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Gelasius, Theodoretus erant desertores fidei Catholicæ? Ergò tot veterum Episcoporum & doctorum virorum tanta consensio nihil aliud erat quàm cõspiratio hęreticorum? Aut quod tũ laudabatur in illis, id nunc damnatur in nobis? Quódque in illis erat Catholicum, id nunc mutatis tantùm hominum voluntatibus, repentè factum est schismaticum? Aut quod olim erat verũ, nunc statim, quia istis nõ placet, erit falsum? Proferãt ergò aliud Euangeliũ: aut causas ostendãt, cur ista quæ tãdiu in Ecclesia Dei publicè obseruata, & approbata fuerint, nũc demũ oportuerit reuocari. Nos quidẽ illud verbũ quòd à Christo patefactũ & ab Apostolis propagatũ est, scimus & ad salutẽ nostrã, & ad omnẽ veritatem propugnandã, & ad omnem hęresim conuincendam esse satis. Ex illo nos solo omne genus veterum hæreticorum, quos isti nos aiunt ab inferis reuocasse, condẽnamus: & Arrianos, Eutychianos, Marcionitas, Ebionęos, Valẽtinianos, Carpocratianos,

Tatianos,Nouatianos,eósque vno verbo omnes,qui vel deDeo Patre,vel de Christo, vel de S. Spiritu, vel de vlla alia parte religionis Christianæ impiè senserunt,quia ab Euangelio Christi coarguuntur,impios & perditos pronuntiamus,&vsque ad inferorum portas detestamur:nec id solum,sed etiam,si fortè erumpant vspiam, & sese prodant,eos legitimis & ciuilibus suppliciis seuerè,& seriò coërcemus.

Fatemur quidem nouas quasdam,& anteà non auditas sectas, Anabaptistas,Libertinos,Mennonios,Scuenkfeldianos statim ad exortum Euangelij extitisse. Verùm agimus Deo nostro gratias,satis iam orbis terrarum videt,nos nec peperisse, nec docuisse,nec aluisse ista mon.straLege sodes,quisquis es,libros nostros: prostant vbique venales. Quidvnquam scriptum est à quoquam nostrorum hominum,quod posset apertè istorũ fauere insaniæ?Imò nulla hodie Regio ita libera est ab istis pestibus,atque illę sunt,in quibus liberè & publicè docetur Euangelium. Quod si rem ipsam attentè & rectè putare velint,magnũ hoc argumentũ est,esse hanc Euãgelij veritatẽ,quã nos docemus. Nam nec lolium facilè sine frumento nasci solet,nec palea sine grano. Statim ab Apostolorum ipsorum temporibus,cum primùm propagaretur Euangelium, quis nescit quot hæreses vna exortæ fuerint? Quis vnquam anteà audierat Simonem, Menandrum,Saturninum,Basilidem,Carpocratem, Cherintum,Ebionem,Valentinum, Secundum,Marcosium,Colorbasium,Heracleonem,Lucianum,Seuerum? Et quid istos commemoramus?Epiphanius numerat 80. Augustinus plures etiam distinctas hęreses,quæ vnà creuerint cum Euangeliũ. Quid ergo? Au Euangelium,quòd vnà cum illo hæreses nascerentur, non erat Euangeliũ?aut Christus ea causa non erat Christus?

Neque tamẽ apud nos,vti diximus,pullulat ista seges, qui publicè & liberè docemus Euangelium. Apud aduersarios,in cæcitate ac tenebris istæ pestes exordiuntur, & incrementa ac vires capiunt, vbi veritas tyrãnide sæuitiáque opprimitur, nec nisi in angulis & occultis congressibus audiri potest. Faciant periculum: dent cursum liberum Euangelio,luceat veritas Iesu Christi,& radios in omnes partes porrigat,statim videbunt,vt nocturnam caliginem ad aspectum Solis, ita istas vmbras ad lucem Euangelij protinus euanuisse. Nam nos quidem omnes illas hæreses, quas isti nos alere, & fouere calumniantur,illis interim sedentibus atque aliud agentibus, quotidie repellimus & propulsamus. Quod autem dicũt nos in varias sectas abiisse, & velle alios Lutheranos,alios Zuinglianos appellari, neque adhuc potuisse satis inter nos ipsos de summa doctrinæ conuenire, quid illi dixissent, si primis illis temporibus Apostolorum, & S. Patrum extitissent?cum alius diceret,Ego sum Pauli:alius,Ego sum Cephæ: alius,Ego sum Apollo:cum Paulus Petrum reprehenderet: cùm simultatis causa Barnabas à Paulo discederet:cùm,vt autor est Origenes, Christiani in tot iam factiones distracti essent,vt nomen tãtùm Christianorum commune,aliud autem præterea nihil, Christianorum simile retinerẽt: vtq; Socrates ait, dissensionum & sectarum causa in theatris à populo publicè riderentur. Cúmque,vt ait Imp. Constantinus, tot essent dissensiones,& rixæ in Ecclesia,vt ea calamitas videri possit omnem aliam superiorem calamitatẽ superasse:Cum Theophilus,Epiphanius,Chrysostomus, Augustinus, Rufinus, Hieronymus,omnes Christiani,omnes Patres,omnes Catholici,acerbissimis atque etiam implacabilibus inter se contentionibus conflictarentur? Cùm, vt Nazianzenus ait,eiusdem corporis membra inter se consumerentur: Cum Oriens ab Occidẽte de fermentato, & de Paschate, non ita magnis de rebus scinderetur. Cum in omnibus Conciliis noua subinde Symbola,& nouaDecreta cuderẽtur: Quid isti tum dixissent? Ad quos se potissimũ applicuissent?Quos fugissent?Cui Euangelio credidissent? Quos pro Hæreticis, quos pro Catholicis habuissent? Nunc duo tantum nomina Lutherus & Zuinglius,quas istis tragœdias excitant? Vt quoniam illi duo de re aliqua nondum cõsentiunt,idcirco vtrumque errasse,neutrum habuisse Euangelium,neutrum verè ac rectè docuisse arbitremur?

Verum ô Deus bone,quinam isti tandem sunt,qui dissensiones in nobis reprehendunt?An verò omnes isti inter se consentiunt?An singuli satis habent constitutũ quid sequantur?An inter illos nullæ vnquam dissensiones,nullæ lites extiterunt? Cur ergo Scotistæ & Thomistæ de Merito congrui & condigni: De Peccato originis in beata Virgine,de Voto solenni & simplici,non melius inter se conueniunt? Cur Canonistæ Auricularem confessionem de iure humano,& positiuo esse aiunt, Scholastici contra de iure

de iure

de iure diuino? Cur Albertus Pighius à Caietano: Thomas à Lombardo: Scotus à Thoma: Occamus à Scoto: Alliensis ab Occamo: Nominales à Realib. dissentiunt? Vtq; taceã tot dissensiones fraterculorũ, & monachorũ, quod alij in piscibus, alij in oleribus, alij in calceis, alij in crepidis, alij in linea veste, alij in lanea, sanctitatem costituunt? alij albati, alij pullati, alij latius, alij angustius rasi, alij sole i, alij nudipedes, alij cincti, alij discincti ambulant. Meminisse debent esse aliquos ex suis qui dicãt Christi Corpus adesse in Cœna naturaliter: contra ex iisdem illis suis esse alios qui negent: Esse alios qui dicant, Corpus Christi in sacra Communione dentibus nostris lacerari & atteri: Rursus esse alios, qui negent: Esse alios qui scribãt corpus Christi in Eucharistia esse Quantum, esse alios contra, qui negẽt: Esse alios qui Christum diuina quadam potentia: alios qui benedicendo: alios qui quinque conceptis verbis, alios qui eadã illa quinq; verba repetendo dicãt cõsecrasse. Esse alios qui in illis quinq; verbis, Hoc, pronomine demõstratiuo putent Panem triticeum: alios qui malint Vagum quoddã indiuiduũ indicari: Esse alios qui dicant canes & mures posse verè & re ipsa comedere corpus Christi: esse alios qui id constanter pernegent: esse alios qui dicant, accidẽtia ipsa panis vinique nutrire posse: esse alios qui dicãt redire substantiã. Quid plura? Prolixũ & permolestũ esset omnia numerare. Ita vniuersa forma horũ religionis & doctrinę, adhuc apud illos ipsos à quib. nata & ꝑfecta est, prorsus incerta, & cõtrouersa est. Vix .n. vnquã inter se cõueniũt, nisi fortè, vt olim Pharisęi & Sadducęi, aut Herodes & Pilatus cõtra Christũ.

Ste. Gardinerus in Sophistica Diaboli.
Richard. Faber.
Recantatio Berengarij, Scholę, & Glosa.
Guimũd. 9.
Dd con. dist. 2. Ego Beren.
Thomas.
Gardinerus.
De cons. dist. 2. Species in Glosa.

Eant ergò sanè & pacem potiùs inter suos domi sanciant. Vnitas quidem & consensio maximè conuenit Religioni. Nõ tamẽ est ea certa & propria nota Ecclesię Dei. Summa enim erat consensio inter eos qui adorabant aureũ Vitulũ, & inter eos qui cõiunctis vocibus in Seruatorẽ nostrũ Iesum Christũ clamabãt, Crucifige. Neq; quia Corinthii dissentionib. inter se laborabãt, aut quia Paul. à Petro, aut Barnabas à Paulo, aut Christiani statim sub ipsis initiis Euangelii aliqua de re à se mutuò dissidebãt, idcirco nulla erat inter eos Ecclesia Dei? Illi quidem quos isti cõtumeliæ causa appellant Zuinglianos & Lutheranos, re autem vera sunt vtrique Christiani, & inter sese amici, ac fratres non de principiis aut fundamentis religionis nostræ, non de Deo, non de Christo, nõ de S. Spiritu, nõ de ratione iustificationis, nõ de æterna vita: tantum de vna, nec ea ita graui aut magna quæstione, inter se dissentiunt. Nec desperamus, vel potius nõdubitamus, breui fore concordiã: & si qui sunt, qui aliter sentiãt q̃ par est, positis aliquando affectionibus, & nominibus, Deũ id illis esse patefacturum, vt re meliùs animaduersa atque explorata, quod olim in Chalcedonẽsi concilio factum est, omnes dissentionum causæ, & fibræ ab ipsis radicib. extirpentur, & ἀμνηστία sepeliantur sempiterna. Amen.

Grauissimũ verò est, quod nos dicunt esse homines impios, & omnẽ religionis curã abiecisse: quanquam nõ debet id multum nos mouere quod illi ipsi à quibus obiicitur, sciunt contumeliosum & falsum esse. Nã Iustinus Martyr author est, cumprimùm Euãgelium cœptum esset publicari, & Christi nomen patefieri, Christianos omnes dictos fuisse ἀθέους. Cúmque Polycarpus staret pro iudicio, populus his vocibus incitauit Proconsulem ad cędem & internecionem eorum omnium, qui Euangelium profiterẽtur, αἶρε τοὺς ἀθέους: Hoc est, tolle de medio istos homines impios, qui Deũ non habent. Nõ q̀ Christiani Deum reuera non haberent, sed quòd saxa, & stipites, quæ tũ pro diis colebantur, non adorarent. Verùm orbis terrarum satis iam videt, quod nos, nostríque ab istis religionis, & vnius Dei nostri causa perpessi simus. In carceres, in aquas, in ignes nos abiecerunt, & in nostro sanguine volutati sunt, non quod aut adulteri essemus, aut latrones, aut homicidæ, sed tantũ quòd agnosceremus Euangelium Iesu Christi, & speraremus in Deum viuum: quódq; nimiũ, ô Deus bone, iustè, veréque quereremur, traditionum inanissimarum causa violari ab istis legem Dei: & aduersarios nostros, qui scientes & prudentes Dei iussa ita obstinatè contemnerent, esse hostes Euangelij, & inimicos crucis Christi.

Euseb. lib. 4.

Verùm isti quum viderent doctrinam nostram non posse rectè accusari, maluerunt in mores nostros inuehere: nos omnia rectè facta damnare: ad licentiam & libidinem fores aperire: & populum ab omni studio virtutis abducere. Et certè ea est, sempérque fuit hominum omnium etiam piorum & Christianorum vita, vt semper etiam in optimis, & castissimis moribus tamen aliquid posses desiderare: eáque propensio omnium ad malum, eaque omnium procliuitas ad suspicandum, vt quæ nec facta, nec cogitata vnquam fuerint, audiri tamen, & credi possint. Vtq; in candidissima veste

facilè exigua notatur labes, ita in vita candidissima, facilè leuissima nota turpitudinis deprenditur. Neque nos, aut omnes qui amplexi sunt hodie doctrinam Euangelij, Angelos esse arbitramur, & prorsus sine macula vlla rugáque viuere: aut istos vel ita cæcos, vt si quid in nobis notari queat, nō possint id vel per tenuissimam rimam animaduertere: vel ita candidos, vt quicquam velint in meliorem partem interpretari, vel ita ingenuos, vt oculos suos velit in se reflectere, & mores nostros de suis morib. æstimare. Quòd si rem ipsam rb initiis velimus repetere, scimus temporibus ipsis Apostolorum fuisse homines Christianos propter quos nomen domini blasphemaretur, & malè audiret inter Gentes. Queritur apud Sozomenum Imp. Constantius multos postquam ad Christianam religionem accessissent, euasisse deteriores. Et Cyprianus lugubri oratione describit corruptelam sui temporis. Disciplinam, inquit, quam Apostoli tradiderant, ocium iam & pax longa corruperat. Studebant augendo patrimonio singuli, & obliti quid credentes, aut sub Apostolis antefecissent aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant.

De lapsis.

Non in sacerdotibus religio deueta, non in ministris fides integra, non in operibus « misericordia, non in moribus disciplina. Corrupta barba in viris, in fœminis forma « fucata. Et ante illum Tertullianus, O miseros, inquit, nos, qui Christiani dicimur, hoc « tempore. Gentes agimus sub nomine Christi.

« Postremò ne omnes commemoremus, Gregorius Nazianzenus de mirabili statu suorum temporum ita loquitur: Vitiorum, inquit, nostrorum causa odio iam laboramus inter Gentes. Spectaculum etiam iam facti sumus non solum Angelis & hominibus, sed etiam omnibus impiis. Hoc loco erat Ecclesia Dei, cum primùm lucere cœpisset Euangelium, cum nondum rabies Tyrannorum refrixisset, aut gladius à Christianorum hominum ceruicibus ablatus esset. Scilicet, non est nouum homines, esse homines, etiamsi appellantur Christiani.

Sed isti cum ita odiosè nos accusant, nihilne interim de se cogitant? An illi quibus tam procul spectare, & quid in Germania, quídque in Anglia agatur videre otiū est, aut obliti sunt aut videre non possunt quid agatur Romæ? An nos ab illis accusamur, de quorum vita nemo potest satis honestè & verecundè commemorare?

Nos quidem non sumimus id nobis hoc tempore, vt ea quæ vnà cum ipsis sepulta esse oportebat, in lucem & in conspectum proferamus. Non est id religionis, non est verecundiæ, non est pudoris nostri. Ille tamen qui se Christi vicarium & Ecclesiæ Caput dici iubet, qui audit ista Romæ fieri, qui videt, qui patitur, nihil enim aliud addimus, qualia ea sint, facilè potest cum animo suo cogitare. Redeat enim ille sane in memoriā cogitet Canonistas illos suos esse, qui populum docuerunt simplicem fornicationem non esse peccatum, quasi illam doctrinam ex Mitione comico didicissent. Non est peccatum, mihi crede, adolescentulum scortari. Cogitet, suos illos esse, qui decreuerunt, sacerdotem fornicationis causa non esse summouendum. Meminerit Cardinalem Campegium, Albertum Pighium, aliosque complures suos docuisse, sacerdotem, illum multò sanctiùs & castiùs viuere, qui alat concubinam, quam qui vxorem habeat in matrimonio. Nondum ille, spero, oblitus est, multa esse Romæ publicarum meretricum millia, & se ex illis in singulos annos, vectigalis nomine colligere ad triginta millia ducatorum. Obliuisci non potest, se Romæ lenocinium publicè exercere, & de fœdissima mercede fœdè ac nequiter deliciari. An omnia tum Romæ satis aut salua aut sancta erant, cum Ioanna fœmina integræ ætatis magis quam vitæ, esset Papa, & sese gereret pro capite Ecclesiæ: & cum se biennium totum in illa sancta sede aliorum libidini exposuisset, postremò in lustranda Ciuitate, inspectantib. Cardinalibus & Episc. palàm pareret in publico?

Ioannes de Magistris de Tēperantia. 3. quæst. 7. lata. Extra de Bigamis Quia circa.

Statua eiusdem fœminæ parturiētis adhuc Romę est.

Sed quid opus erat concubinas & lenones commemorare? vulgare. n. iā illud Romę & publicū, & non inutile peccatum est. Meretrices enim ibi iam sedent, non vt olim extra Ciuitatem obnupto, & obuoluto capite sed in Palatiis habitant, per forum vagātur aperta fronte, quasi id non tantùm liceat, sed etiam laudi esse debeat. Quid plura? Illorum iam libidines terrarum orbi sunt satis notæ. D. Bernardus, de Pontificis familia, ipsóque adeò Pontifice, liberè & verè scribit. Aula, inquit, tua, bonos recipit? non facit: Mali tibi proficiunt, boni deficiunt. Et quicunque ille fuit, qui scripsit opusculum Tripartitum quod adiunctum est ad concilium Lateranense Tantus, inquit, hodie est luxus, non tantùm in clericis & sacerdotibus, sed etiam in Prælatis & Episco-

Genes. 38. In Concilio delectorum Cardinaliū. De consideratione ad Eugenium.

Episcopis, vt horribile sit auditu.

Atqui ista non tantùm vsitata sunt, & ea, causa consuetudinis & temporis gratia approbata, vt certa sunt istorum ferè omnia, sed etiam antiqua, iam & putida. Quis enim nõ audiuit quid Petrus Aloisius, Pauli tertij filius, designarit in Cosinum Cherium Episcopum Fanensem? quid Iohannes Casus Archiep. Beneuentanus, Legatus Pontificis apud Venetos, scripserit de horrendo scelere, & quod ne fando quidem audiri debeat, id verbis spurcissimis & scelerata eloquentia commendarit? Quis non audiuit N. Diasium Hispanum cum ea gratia Roma missus fuisset in Germaniam, innocentissimum & sanctissimum virum Ioannem Diazium fratrem suum, tantùm quod amplexus esset Euangelium Iesu Christi, & Romam redire nollet, nefariè atque impiè interfecisse? Sed ista inquient, in Rep. optimè constituta, etiam inuitis magistratib. possunt interdum accidere: & bonis legibus vindicantur.

Esto sanè. Sed quib. bonis legib. animaduersum est in istas pestes? Petrus Aloisius cum ea flagitia, quæ diximus, designasset, semper fuit in sinu atque in deliciis apud Patrem suum Paulum tertium. Diazius, interfecto fratre suo, Pontificis ope ereptus est, ne in eum animaduerteretur bonis legib. Iohannes Casus Archiep. Beneuentanus adhuc viuit: imò etiam Romæ, & in Sanctissimi oculis & conspectu viuit. Occiderunt fratrum nostrum infinitos numeros, tantùm quod verè ac purè crederent in Iesum Christum. At ex illo tanto numero Meretricum, Scortatorum, Adulterorum, quem vnquã non dico, occiderunt, sed aut excommunicauerunt aut omninò attigerunt? An verò Libidines, Adulteria, Lenocinia, Scortationes, Parricidia, Incestus, & alia nequiora Romæ peccata non sunt? Aut si sunt in vrbe Roma, in Arce sanctitatis, à vicario Christi, à successore Petri, à sanctiss. Patre ita facilè & leniter, quasi peccata nõ sint, ferri possũt?

O sancti Scribæ & Pharisæi, quibus ista sanctitas nota non fuit! O sanctitatẽ & fidem Catholicam! Non ista Petrus Romæ docuit, Paulus non ita Romæ vixit. Non illi lenocinium publicè exercuerunt. Non illi vectigal & censum à Meretricibus exegerunt. Non illi adulteros & parricidas palam & impunè tolerarunt: non eos in sinum, non in concilium, non in familiam, non in Christianorum hominum cœtum receperunt. Non debebant isti tantopere exaggerare vitam nostram. Consultiùs multò fuit vt prius vel approbarẽt hominibus, vel certè occultiùs aliquantò tegerent vitã suam.

Nam nos quidem vtimur priscis & auitis legibus, & quantùm his moribus & temporibus, in tanta corruptela rerum omnium potest fieri, disciplinam Ecclesiasticam diligenter & serio administramus. Prostibula quidem Meretricum, & Concubinarum aut Scortatorum greges non habemus: Nec adulteria matrimoniis anteponimus: nec lenocinium exercemus: nec de fornicibus stipendia colligimus: nec incesta, & flagitiosas libidines, nec Aloisios, nec Casos, nec Diazios parricidas impunè ferimus. Nam si ista nobis placuissent, nihil opus erat, vt ab istorum societate, vbi ea vigent & habentur in precio, discederemus, & ea causa in odia hominum, & in certissima pericula incurreremus. Habuit Paulus quartus ante non ita multos menses Romæ in carcere aliquot fratres Augustinianos & complures Episcopos, & magnum numerum aliorum piorum hominum, Religionis causa. Habuit tormenta: exercuit in illos Quæstiones: nihil reliquit intentatum. Ad extremum ex illis omnibus, quot potuit mœchos, quot scortatores, quot adulteros, quot incestos inuenire? Sit Deo nostro gratia: etsi illi non sumus, quos esse oportebat, quósque profitemur: tamen, quicunque sumus, si cum istis conferamur, vel vita nostra atque innocentia, facilè has calumnias refutabit. Nos .n. non tantùm libris & concionibus, sed etiam exemplis & moribus populum ad omne genus virtutis, & rectè factorum cohortamur. Euangelium docemus non esse ostentationem scientiæ, sed legem vitæ: vtque Tertull. ait, Christianum hominem non loqui magnificè oportere, sed magnificè viuere. Nec auditores sed factores legis, iustificari apud Deum. Ad hæc omnia hoc etiam solent addere, idque omni conuitiorum genere amplificare, nos esse homines turbulentos, Regibus sceptra de manibus eripere, populum armare, tribunalia euertere, Leges rescindere, possessiones dissipare, Regna ad popularem statum reuocare, sursum deorsum omnia confundere: breuiter in Rep. nihil integrum esse velle. O quoties his verbis inflammauerunt animos Principum, vt illi in herba extinguerent lucem Euangelij, priusque illud odisse inciperent, quàm nosse possent: vtq; Magistratus, quoties aliquẽ videret nostrũ, toties se putaret hostẽ videre suũ?

In Apologetico. 45.

Rom. 2.

Tertull. in Apolog. 1. & 2. 3.

Molestum quidem nobis esset, ita odiose accusari grauissimo crimine Maiestatis, nisi sciremus Christum ipsum aliquando & Apostolos, & infinitos alios homines pios & Christianos, vocatos fuisse in inuidiam, eodem ferè crimine. Nam Christus quidem quamuis docuisset dandum Cæsari, quod esset Cæsaris: tamen accusatus est seditionis quod res nouas moliri, & regnum appetere diceretur: Itaque occlamatum est pro Tribunalibus publicè aduersus eũ: Si hunc dimittis, non es amicus Cæs. Et Apostoli, quãuis semper & constanter docuissent obtemperandum esse Magistratibus omnem animã superioribus potestatib. esse subditam: idque non tantùm propter iram & vindictã sed etiam propter conscientiam: tamen dicti sunt commouere populum & multitudinem ad rebellionem incitare. Hamanus hoc maximè pacto genus, & nomen Iudæorum adduxit in odium apud regem Assuerum, quod illos diceret esse populum rebellẽ & contumacem, & Principum edicta contemnere. Impius rex Achab Eliæ Prophetæ Dei, Tu, inquit, conturbas Israel: Amasias sacerdos Bethel, apud Hieroboam, accusat Amos Prophetam conspirationis: Ecce, inquit, Amos coniurationem fecit contra te, in medio Israel. Breuiter Tertull. ait, aduersus Christianos, hanc suo tempore accusationem fuisse publicam: esse illos proditores, esse perduelles, esse hostes humani generis. Quare si nunc quoque veritas malè audiat, &, eadem cum sit, iisdem nunc contumeliis afficiatur, quibus affecta est olim, & si id molestũ & ingratum est, nouum tamen aut insolens videri non potest. Facilè istis fuit ante ann. 40. ista maledicta, & alia grauiora in nos confingere, cum in mediis illis tenebris exoriri primum cœpisset & lucere radius aliquis ignotæ tum, & inauditæ veritatis, cum M. Luth. & Zuing. prę̃stantiss. viri, & ad illustrandum orbem terrarum à Deo dati, primũ accessissent ad Euang. cùm & res adhuc noua esset, & euentus incertus, & animi hominum suspensi atque attoniti, & aures apertæ ad calumnias, & nullum in nos tam graue flagitium fingi posset, quod non propter rei ipsius nouitatem, atque insolentiam, facile à populo crederetur. Ita enim veteres hostes Euangelij, Symmachus, Celsus, Iulianus, Porphyrius, olim aggressi sunt accusare omnes Christianos seditionis, & Maiestatis, antequã aut princeps, aut populus, quinam illi Christiani essent, aut quid profiterentur, aut quid crederent, aut quid vellent, scire possent. Nunc verò postquã etiam hostes nostri vident & negare non possunt, nos semper omnibus dictis nostris, scriptisque diligenter admonuisse populum officij sui, vt Principibus suis & Magistratib. quamuis impiis, obtemperarẽt, idque & vsus ipse, & experientia satis docet, & omnium hominum, quicunque atque vbicunque sunt, oculi vident, & contestantur: putidum erat ista obiicere, & cũ noua & recentia crimina nulla essent, obsoletis tantũ mendaciis nobis inuidiã facere voluisse.

Rom. 13. *Hester.* *3. Reg. 18.* *Amos 7.* *In Apolog. cap. 37.*

Agimus enim Deo nostro, cuius hæc solius causa est, gratias, in omnibus Regnis, Ditionib. Rebuspub. quæ ad Euãgelium accesserũt, nullum vnquã adhuc huiusmodi exẽplum extitisse. Nullum enim nos regnum euertimus: nullius ditionem aut iura minuimus: Remp. nullam turbauimus: Manent adhuc suo loco, & auita dignitate Reges Angliæ nostræ, Daniæ, Suetiæ: Duces Saxoniæ: Comites Palatini: Brandeburgici: Lantgrauij Hassiæ: Respub. Heluetiorum & Rhætorum: & liberæ Ciuitates, Argentina, Basilæa, Francfordia, Vlma, Augusta, Norimberga, omnes eodem iure, eodẽmque statu quo fuerunt anteà, vel potiùs, quia propter Euangelium, populum habẽt obsequentiorem, multò meliore. Eãt sanè in illa loca, vbi nunc Dei beneficio auditur Euangelium, vbi plus Maiestatis? vbi minus fastus & Tyrãnidis? vbi Princeps magis colitur? vbi populus minus tumultuatur? vbi vnquam fuit publica res, vbi Ecclesia tranquillior?

At Rustici, inquies, à principio huius doctrinæ passim cœperunt furere, & tumultuari per Germaniam. Estò. At in illos promulgator huius doctrinæ Lutherus vehementissimè atque acerrimè multa scripsit, eósque ad pacem & ad obedientiam reuocauit.

Quod autem obiici solet interdum ab hominibus imperitis rerum, de mutato statu Heluetiorum, & interfecto duce Austriæ Leopoldo, & patria in libertatem vindicata, factum est id, vti ex omnibus historiis satis constat, ante ann. 260. sub Bonifacio 8. cum maximè vigeret potestas, Pontificum, ducentos circiter annos antequam Huldericus Zuinglius, aut docere inciperet Euangelium, aut omninò natus esset. Ex eo verò tempore semper illi omnia pacata, & tranquilla habuerunt, non tantùm ab hoste externo, sed etiam à tumultu intestino.

Quod si peccatum fuit patriam suam ab externa dominatione, præsertim cum insolenter & tyrannicè opprimerentur, liberare: tamen vel nos alienis, vel illos auitis criminibus onerare, & iniquum & absurdum est.

Sed ô Deum immortalẽ: an Romanus Episcopus accusabit nos perduellionis? An ille docebit populum obtemperare, atque obsequi Magistratib? Aut omninò rationẽ Maiestatis habet vllam? Cur ergò nunc ille, quod nullus veterum Episcoporum Romanorum vnquam fecit, quasi omnes Reges & principes, quicunque atq; vbicunque sint, velit esse seruos suos, patitur à suis parasitis, Dominum Dominantium appellari? Cur ille se iactat esse Regem Regum, & habere ius regium in subditos?

Aug. Steuchus. Anton. de Rosellis.

Cur omnes Impp. & Monarchas iureiurando adigit in verba sua? Cur Maiestatem Imp. septuagies septies se inferiorẽ esse gloriatur: idque ea maximè causa, quod Deus duo lumina in Cœlo fecerit: quódque cœlum & terra non in duobus principiis, sed in vno principio creata fuerint? Cur ille, eiúsque sectatores, Anabaptistarum & Libertinorum more, quo licentiùs & securiùs grassarentur, iugum excusserunt, & se ab omni ciuili potestate exemerunt?

De Maior. & obed. Solite. De Maior. & obed. Vnam sanctã.

Cur ille legatos suos, h.e. callidissimos exploratores habet tanquam in insidiis, in aulis, in conciliis, in cubiculis Regum omnium? Cur ille, vbi visum est, Principes Christianos inter se committit, & pro sua libidine turbat seditionib. orbem terrarum? Cur proscribit, & pro Ethnico & Pagano haberi vult, si quis Princeps Christianus ab imperio suo discesserit: & indulgẽtias ita liberaliter pollicetur si quis quacũq; ratione interficiat hostẽ suũ? An ille cõseruat imperia & regna, aut omninò consultũ cupit otio publico? Ignoscere nobis debes, pie lector, si ista videmus acrius & vehemẽtius agere, quã deceat homines Theologos. Tanta enim est rei indignitas, tantaque in Põtifice, támq; impotens libidò dominandi, vt aliis verbis, aut tranquillius proponi non possit. Ille enim in publico concilio ausus est dicere, omne ius Regnum omnium à se pendere. Ille ambitionis, & regnandi causa distraxit Romanum Imperium, & commouit, ac lacerauit orbem Christianum. Ille Romanos atque Italos, séq; adeò ipsum iureiurando, quo Imp. Græco obstringebatur, perfidè liberauit: & subditos ad defectionem solicitauit: & Carolum Martellum è Gallia in Italiam euocauit: & eum nouo more Imp. fecit. Ille Gallorum Regem Chilperichum, non malum principem, tantùm quod ipsi non placeret, de Regno deiecit, & in eius locũ Pipinum surrogauit. Ille eiecto, si id efficere potuisset, Philippo Rege, decreuit atque adiudicauit regnum Galliæ Alberto regi Rom. Ille florẽtissimæ ciuitatis, & Reipublicæ Florentiæ patriæ suæ opus fregit, eamque è libro & tranquillo statu, vnius libidini in manum tradidit. Ille cohortatione sua effecit, vt tota Sabaudia hinc ab Imp. Carolo V. inde à Gallorum Rege Francisco miserè discerperetur, & infœlici Duci, vix vna ciuitas quò se reciperet, relinqueretur. Tædet exẽplorum, & molestum esset omnia Romanorum Pontificum egregiè facta commemorare. Quarum obsecro, partium erant illi, qui Henricum Imp. veneno sustulerunt in Eucharistia? Qui Victorem Papam in sacro Calice? Qui Iohannem nostrum Regem Angliæ in mensario populo? Quicunque illi tandem & quarumcunque partium fuerint, Lutherani certè, aut Zuingliani non fuerunt. Quis hodiè summos Reges & Monarchas admittit ad oscula beatorum pedum? Quis Imp. iubet sibi astare ad frenũ: & Gallorum Regem ad ferrum illud pensile quo in equum ascenditur? Quid Franciscũ Dandalum, Ducem Venetiarum, Regem Cretæ ac Cypri, catenis vinctum abiecit sub mensam suam, vt ossa liguriret inter canes? Quis Imp. Henrico VI. Romæ diadema nõ manu, sed pede imposuit & eodem pede rursus deiecit, atque etiam addidit, habere se potestatem & creandi Imp. & summouendi? Quis Henricum filium armauit in Imp. Henricum IIII patrem suum: effecitque vt pater à filio suo caperetur, & detonsus atque ignominiosè habitus, conijceretur in monasterium, & inedia, ac mœrore contabesceret? Quis ceruices Imp. Friderici subiecit fœdum in modum pedibus suis: & quasi id non esset satis, addidit etiam insuper ex Psalmis Dauidis, Super aspidem & basilicũ ambulabis, conculcabis leonem & draconem: quale exemplum spretæ & contemptæ Maiestatis, nunquam anteà vlla memoria auditum fuerat: nisi fortè vel in Tamerlane Scytha, homine fero & barbaro, vel in Sapore Rege Persarum.

Clemens 5. in Concil. Viennensi. Leo Papa. Zacharias Papa. Clemens Papa 7. Idẽ Clemẽs. Sabellicus. Cœlestinus Papa. Hildebrandus Papa. Innocẽt. 3.

Omnes isti fuerunt Papæ: omnes successores Petri: omnes sanctissimi, quorum singulas voces, singula nobis oporteat esse Euangelia?

Si nos rei sumus Maiestatis, qui Principes nostros colimus, qui illis omnia, quãtum

quidem per verbum Dei fas est, deferimus, qui pro illis precamur, quid ergo isti sunt, qui non tantùm hæc fecerunt omnia, quæ diximus, sed etiam ea quasi optimè facta cõprobarunt? An verò illi aut ad hunc modum docent populum reuereri Magistratum: aut satis verecundè possunt nos, tanquam homines seditiosos, & perturbatores pacis publicæ, & Maiestatis contemptores accusare? Nam nos quidem nec iugum excutimus, nec regna mouemus, nec Reges aut facimus, aut deiicimus, nec Imperia transferimus, nec Regibus nostris venena propinamus, nec illis pedes osculãdos porrigimus, nec pedibus nostris illorum ceruicibus insultamus. Hæc potius est professio, hæc est doctrina nostra: Omnem animã, quæcunque tandem ea sit, siue sit Monachus, siue Euangelista, siue Propheta, siue Apost. oportere Regib. & Magistratibus esse subditam: & Pontificem adeò ipsum, nisi Euangelistis, nisi Prophetis, nisi Apostolis maior videri velit, quod veteres Episcopi Romani melioribus temporibus semper fecerunt, oportere Imp. Dominum suum & agnoscere, & appellare. Nos publicè docemus, ita obtemperandum esse Principibus, tanquam hominibus à Deo missis: quique illis resistit, illum Dei ordinationi resistere. Hæc sunt instituta nostra: hæc in libris, hæc in concionibus nostris: hæc in moribus, & modestiæ populi nostri elucescunt.

Chrysost. 13 ad Rom.

Gregor. sæpe in Epist.

Illud verò, quod nos dicunt discessisse ab vnitate ecclesiæ catholicæ, non tantùm est odiosum: sed etiam, etsi verum non est, tamen speciem aliquam & similitudinem habet veri. Apud populum verò & imperitam multitudinem, non tantùm vera, & certa fidem faciunt, sed etiam si quæ sunt, quæ videri possint verisimilia. Itaque videmus vafros homines, & callidos, quibus vera non suppeterent, semper verisimilibus pugnauisse, vt qui rem ipsam penitus intueri non possent, specie saltem aliqua & probabilitate caperentur. Olim quod veteres Christiani, Patres nostri, cum preces Deo adhiberẽt ad Orientem solem conuerterentur, erãt qui dicerent, eos solem venerari, & habere pro Deo. Cúmque illi dicerent se quod ad æternam & immortalem vitam attinet, non aliunde viuere, quàm de carne & sanguine eius Agni, qui non haberet labem, hoc est, seruatoris nostri Iesu Christi, inuidi & inimici crucis Christi, quibus id tantùm erat curæ, vt religio Christiana quacunque ratione malè audiret, persuaserunt populo, esse eos homines impios, mactare humanas hostias, & sanguinem humanum bibere. Cúmque illi dicerent apud Deum nec marem esse nec fœminam, nec omninò, quod ad iustitiam adipiscendam attinet, distinctionem esse vllam personarum, seq; omnes inter se sorores fratrésque salutarent non deerant, qui calumniarentur, Christianos nullum habere inter se discrimen aut ætatis, aut generis: sed omnes bestiarum ritu promiscuè inter se concumbere. Et cum precationis & Euangelij audiendi causa sæpè inter se in crypta, & abdita quædam loca conuenirent, quod idem interdum ab hominibus coniuratis soleret fieri, rumores publicè spargebantur, eos conspirare inter se, & habere consilia vel de occidendis magistratibus, vel de euertenda Repub. Quodque ad agitãda sacra mysteria de instituto Christi, adhiberent Panem & Vinum, putabantur à multis non Chistum colere, sed Bacchum & Cererem: quòd illa numina ab Ethnicis hominibus profana superstitione, simili ritu, Pane & Vino colerentur.

Terr. in Apolog. c. 7. 8. 9.

Idẽ cap. 39.

August.

Credebantur ista à multis, non quod vera essent, quid enim esse posset minus: sed quod essent verisimilia, & specie aliqua veri possent fallere.

Ita isti nos calumniantur esse hæreticos, ab Ecclesia & Christi communione discessisse: non quòd ista vera esse credant, neque enim id illis curæ est, sed quòd ea hominibus imperitis, possint aliqua fortè ratione videri vera. Nos enim discessimus, non vt hæretici solent, ab Ecclesia Christi, sed, quod omnes boni debent, à malorũ hominum & hypocritarum contagione. Hic tamen isti mirificè triumphant: Illam esse Ecclesiã. Illam esse sponsam Christi: Illam esse columnam veritatis: Illam esse arcam Noë, extra quam nulla salus sperari possit: Nos verò discessionem fecisse: Christi tunicam lacerasse: à corpore Christi auulsos esse, & à fide Catholica defecisse. Cúmque nihil relinquãt indictum quod in nos, quamuis falsò, & calumniosè dici possit, hoc tamen vnum non possũt dicere: nos vel à verbo Dei, vel ab Apost. Christi, vel à primitiua Eccl. desciuisse.

Atqui nos Christi & Apostolorum, & sanctorum Patrum, primitiuam Ecclesiam, semper iudicauimus esse Catholicam: Nec eam dubitamus arcam Noë, sponsam Christi, columnam & firmamentum veritatis appellare, aut in ea omnem salutis nostræ rationem collocare.

Odiosum

Odiosum quidem est,à societate,cui assueueris, discedere, maximè verò illorũ hominum,qui quamuis non sint,tamen videantur saltem, atque appellentur Christiani. Et certè nos istorum Ecclesiam,qualiscunque tandem ea nunc est, vel nominis ipsius causa, vel quòd in ea Euangelium Iesu Christi aliquando verè,ac purè illustratum fuerit,non ita contemnimus: nec ab ea nisi necessariò, & perinuiti discessionẽ fecissemus. Sed quid si in Ecclesia Dei idolum excitetur, & desolatio illa, quam Christus futuram prædixit,stet palàm in loco sancto? Quid si arcam Noë prædo aliquis,aut pirata occupet? Certè isti,quoties Ecclesiam nobis prædicant,se ipsos solos eam faciunt: & omnes illos titulos sibi ipsis adscribũt:atque ita triumphant,vt olim illi,qui clamabant, Templum Domini,Templum Domini: aut vt Pharisæi & Scribæ, cùm iactarent se esse filios Abrahami. Ioan.8.

Ita inani splendore imponunt simplicibus,nósque nomine ipso Ecclesiæ quærunt obruere: vt si latro,occupata domo aliqua aliena,& vel vi exturbato,vel interfecto domino, eam postea ascribat sibi, & herilem filium de possessione deiiciat: Aut si Antichristus postquam occupabit templum Dei, dicat postea illud iam esse suum, & nihil ad Christum pertinere. Nam isti quidem cùm in Ecclesia Dei nihil Ecclesiæ simile reliquerint, Ecclesiæ tamen patroni & propugnatores videri volunt: prorsus vt Gracchus olim defendebat ærarium,cum largitionibus faciendis,& insanis sumptibus ærarium funditus effudisset. Nihil autem vnquam tam impium aut absurdum fuit, quin Ecclesiæ nomine facilè tegi & defendi posset. Faciunt enim etiam vespæ fauos, & impij cœtus habent similes Ecclesiæ Dei.

At non,quicunque dicuntur populus Dei,sunt statim populus Dei: Nec quicunque sunt ex patre Israële,sunt omnes Israëlitæ. Hæretici Arriani se solos iactabant esse Catholicos: cæteros omnes modò Ambrosianos,modò Athanasianos, modò Iohannitas appellabant. Nestorius, vt ait Theodoretus, cùm esset hæreticus, tamen tegebat se τῷ τῆς ὀρθοδοξίας προσχήματι,hoc est,specie quadam,ac velo Orthodoxæ fidei. Ebion quãuis sentiret cum Samaritanis,tamẽ,vt Epiphanius ait appellari volebat Christianus. Mahometani hodie,quamuis eos ex omnibus historiis satis constet, idque ipsi negare non possint, ab Agara ancilla ducere originem, tamen quasi oriundi sint à Sara muliere libera, & vxore Abrahami, nominis ipsius & stirpis causa, malunt appellari Sarraceni. Aug. Ep. 48 ad Vincen.

Ita pseudoprophetę omnium temporum qui sese Prophetis Dei,qui Iesaię,qui Hieremiæ,qui Christo, qui Apostolis opponebant, nihil vnquam æquè crepabant, atque nomen Ecclesiæ. Neque eos alia de causa ita acerbè lacerabant,aut perfugas & apostatas appellabant,quàm quòd à sua societate discessissent, & instituta maiorum, non obseruarent. Quod si nos hominum tantùm illorum, à quibus tum Ecclesia regebatur,iudicium sequi,aliud autem nihil,nec Deum, nec eius verbum spectare volumus, negari prorsus non potest,Apostolos,quod à Pontificibus & Sacerdotibus, hoc est,ab Ecclesia catholica defecissent, & illis inuitis & reclamantibus, multa in religione innouassent,rectè fuisse ab illis, & secundum leges condemnatos. Itaque vt Antæũ aiũt olim ab Hercule tollendum fuisse à terra matre, antequam ab eo posset vinci: ita aduersarij nostri, ab ista matre sua, hoc est,ab ista inani specie atque vmbra Ecclesiæ, quam prę se gerunt,leuandi sunt: alioqui non possunt cedere verbo Dei. Itaque Hieremias,Nolite,inquit,tantopere iactare,esse apud vos templum Domini: vana ea fiducia est. Sunt enim ista,inquit,verba mendacij. Et Angelus in Apocalypsi: Dicunt, inquit,se Iudæos esse,at sunt Synagoga Satanæ. Et Christus, cùm Pharisæi iactarent genus & sanguinem Abrahami: Vos,inquit,ex Diabolo patre estis. Abrahamum enim patrem non refertis. Ac si illis ita diceret,Non estis id quod tantopere dici vultis. Imponitis populo inanibus titulis, & ad euertendam Ecclesiam abutimini nomine Ecclesiæ. Quare hoc istos primùm liquidò & verè probasse oportuit: Ecclesiam Romanam esse veram & orthodoxam Ecclesiam Dei, eámque vt hodie ab ipsis administratur, cum primitiua Christi,Apostolorum,& sanctorum Patrum Ecclesia, quam non dubitamus fuisse Catholicam, conuenire. Nos quidem si inscitiam,si errorem, si superstitionem,si cultum idolorum, si hominum inuenta, eáque sæpe pugnantia, cum sacris Scripturis iudicassemus,aut placere Deo aut ad æternam salutem esse satis: aut si statuere potuissemus,verbum Dei,ad aliquot tãtùm annos fuisse scriptum, postea opor- Ioan. 8.

tuisse abrogari: aut omninò, dicta & iussa Dei subiicienda esse voluntati humanæ, vt quidquid ille dicat,aut iubeat, nisi Romanus Episcopus idem velit & iubeat, pro irrito & indicto habendum sit:si hæc in animum nostrum inducere potuissemus credere: fatemur nihil fuisse causæ,cur istorum societatem relinqueremus. Quod autem nunc fecimus, vt discederemus ab illa Ecclesia cuius errores testati, ac manifesti essent: quæque iam apertè discessisset à verbo Dei, neque tam ab ea, quàm ab eius erroribus, idque non turbulentè aut improbè, sed tranquillè ac modestè faceremus: nihil aut à Christo,aut ab Apostolis fecimus alienum. Neque enim ea est Ecclesia Dei, quæ infuscari labe aliqua non possit,aut non interdum egeat instauratione: alioqui quid tot coitionibus & Conciliis opus est:sine quibus,vt ait Ægidius,stare fides Christiana nō potest.Quoties enim,inquit,Concilia intermittuntur, toties Ecclesia à Christo derelinquitur.Aut si nihil periculi est,ne quid Ecclesia detrimenti accipiat: quid opus est, vt nunc quidem est apud istos,inanibus nominibus Episcoporū? Cur enim illi Pastores appellātur,si oues nullæ sunt,quæ possint errare?Cur vigiles,si ciuitas nulla est,quę possit prodi?Cur columnæ,si nihil est quòd possit ruere?Statim ab initio rerum Ecclesia Dei cœpta est propagari,eaque instructa cœlesti verbo,quòd Deus ipse fuderat ab ore suo:instructa sacris ceremoniis,instructa Spiritu Dei,instructa Patriarchis & Prophetis:atq; ita continuata est ad ea vsque tēpora,cum Christus sese ostēderet in carne.

In Laterane.concil. sub Iulio.

Sed,ô Deū immortalē,quoties ea interim,&quā horribiliter,obscurata atq; imminuta est? Vbi enim ea tū fuit,cum omnis caro contaminasset viā suam super terrā? Vbi ea fuit,cū ex omni mortalium numero, octo tantùm essent homines, & ne illi quidē omnes casti,ac pii,quos Deus à cōmuni clade, atq; interitu vellet esse superstites? Cū Elias Propheta ita lugubriter &acerbè quereretur,se solū ex omni terrarū orbe relictū esse,qui Deū verè,& ritè coleret.Cūque Esaias diceret:Argentum populi Dei,hoc est, Ecclesiæ factū esse scoriā:& ciuitatē eā,quæ aliquando fidelis fuerat,factā esse meretricē,& in ea à capite vsque ad calcē,in toto corpore nihil esse integrū:aut cum Christus diceret,Domū Dei à Pharisæis & Sacerdotibus factā esse speluncā latronum?Scilicet Ecclesia,vt ager frumētarius,nisi exaretur,nisi subigatur,nisi colatur,nisi curetur,pro tritico carduos & loliū,& vrticas proferet:Itaque Deus subinde misit Prophetas & Apostolos,postremò etiā Christū suū,qui populū in viā reducerent,&Ecclesiā vacillātē in integrū instaurarēt. Neue quis dicat hæc in lege tantū, in vmbra atque in infantia cōtigisse,cū figuris &ceremoniis veritas tegeretur,cū nihil adhuc ad perfectū adductū esset,cū lex nō in cordibus hominū,sed in lapidibus incideretur (etsi ridiculū est illud quoque) idē enim omnino erat etiā tum Deus,idē spiritus,idē Christus,eadē fides,eadē doctrina,eadē spes,eadē hæreditas,idē fœdus,eadem vis verbi Dei.Et Euseb.ait,Omnes fideles vsque ab Adamo,re quidē ipsa Christianos fuisse(quāuis nō ita dicerētur) ne quis inquā ita dicat,Paulus Apostolus iā tum in Euāgelio,in perfectione,in luce,similes errores & lapsus deprehēdit,vt ad Galatas quos iā anteà instituerat,necesse habuerit ita scribere: Vereor ne inter vos frustra laborauerim & vos frustra audiueritis Euangelium.Filioli mei,quos iterū parturio,donec Christus formetur in vobis. Nā de Corinthiorū Ecclesia,quā illa fœdè fuerit inquinata,nihil est necesse dicere.Iam verò an Galatarum & Corinthiorum Ecclesiæ labi potuerunt, sola Romana Ecclesia errare,& labi non potest? Certè Christus tantò antè prædixit de Ecclesia sua,fore aliquando tempus,cum desolatio staret in loco sancto.Et Paulus Antichristum ait,aliquando positurum esse tabernaculum suum in templo Dei:& futurum vt homines sanam doctrinam non sustinerent,sed in ipsa Ecclesia ad fabulas conuerterentur. Et Petrus,futuros ait,in Ecclesia Christi,magistros mendaciorum.Et Daniel Propheta,de vltimis Antichristi, Veritas inquit,eo tempore prosternetur, & conculcabitur in terra. Et Christus,tantam ait fore calamitatem & confusionem rerum,vt etiam electi, si possit fieri,abducendi sint in errorem:Atque ista omnia futura, non apud paganos aut Turcas, sed in loco sancto, in templo Dei, in Ecclesia, in cœtu ac societate illorum, qui professuri sint nomen Christi.

3.Reg.19. Esa.1. Matth.21. Lib.1.c.1. Matt.24. 2.Thess.2. 2.Tim.4. 2.Pet.1. Dan.8. Matt.24.

Et, quamuis ista vel sola posint homini prudenti esse satis, ne temerè patiatur imponi sibi nomine Ecclesiæ, vt ne quid in eam ex verbo Mei velit inquirere, tamen multi etiam sæpè Patres, viri docti & pij, vehementer questi sunt, hæc omnia suis temporibus accidisse. Deus enim in media illa caligine tamen voluit

esse aliquos,qui,& si non lucem ita conspicuam & illustrem darent: tamen quasi scintillam aliquam,quam homines in tenebris notare possent,accenderent.

Certè Hilarius,cum res adhuc incorruptæ quodammodò essent, & integræ tamē, Male ,inquit,vos parietū amor cepit : Malè Ecclesiam Dei in tectis ædificiisque veneramini : Malè sub iis pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum est, in iis Antichristum esse sessurum?Montes mihi & syluæ,& lacus,& carceres,& voragines sunt tutiores:in illis enim Prophetæ,aut manentes,aut demersi Dei spiritu prophetabant.

Contra Auxentium.

Gregorius,quasi videret,atque animo prospiceret ruinam rerum , ad Ioannem Episcopum Constantinopolitanum,qui primus omnium,se nouo nomine salutari iusserat,Vniuersalem Episcopum totius Ecclesiæ Christi, ita scripsit:Si Ecclesia pendebit ab vno,tota corruet.Et quis est, qui non hoc iam olim factum viderit? Iam olim Episcopus Romanus Ecclesiam totam à se vno pendere voluit:quare mirum non est,si ea iam olim tota corruerit.Bernardus Abbas,ante annos quadringētos,Nihil,inquit,iam integrum est in clero : Superest vt reueletur homo peccati. Idem in conuersione D. Pauli:Videtur,inquit,iam cessasse persecutio: Imò iam incipit persecutio ab illis , qui in Ecclesia primâs obtinent. Amici tui & proximi tui aduersus te appropinquarunt & steterunt. Aplanta pedis vsque ad verticem capitis,non est vlla sanitas. Egressa est iniquitas à senioribus iudicibus vicariis tuis,qui videntur regere populum tuum.Non possumus iam dicere,Vt est populus,sic est Sacerdos,quoniam non ita est populus , vt Sacerdos. Heu,heu,Domine Deus:Ipsi sunt in persequutione tua primi , qui videntur in Ecclesia tua Primatum diligere,& gerere Principatum. Idem in Cantica , Omnes amici,omnes inimici:omnes necessarij,omnes aduersarij:serui Christi, seruiunt Antichristo.Ecce in pace mea amaritudo mea est amarissima, Rogerus Bacon , magni nominis vir,cùm acri oratione perstrinxisset miserabilem statum sui temporis : Isti, inquit,tot errores,Antichristum requirunt.

In registro Epistolæ ad Mauritium Li.4.Ep.32.

Sermon.33.

In libello de Idiomate linguarum.

Gerson quæritur,suo tempore omnem vim Sacræ Theologiæ, ad ambitiosum certamen ingeniorum,& meram Sophisticam fuisse reuocatam.

Fratres Lugdunenses,homines, quod quidem ad vitæ rationem attinet , non mali, Romanam Ecclesiam,à qua tum vna,oracula omnia petebantur,fidenter solebant affirmare,esse meretricem illam Babylonicam,(de qua tam perspicuę extent prędictiones in Apocalypsi,)& cœtum inferorum.

Scio horum hominum authoritatem apud istos leuem esse. Quid ergo,si illos testes aduoco,qui solent ab ipsis adorari?

Quid si dico Adrianum Episcopum Romanum ingenuè confessum esse, omnia ista mala à Pontificio culmine cœpisse ruere?

Platina.

Pighius in eo fatetur erratum esse,quod in Missam,quam alioqui videri vult sacrosanctam,abusus complures inuecti sint:Gerson, quòd multitudine leuissimarum cerimoniarum vis omnis Spi.Sācti,quam in nobis vigere oportuit, & vera pietas sit extincta:Græcia tota atque Asia,quòd Pontifices Romani Purgatorium suorum , & Indulgentiarum nundinis, & vim hominum conscientiis attulerint, & illorum loculos expilauerint.

De Tyrannide verò Episcoporum Romanorum & fastu Persico(vt alios taceamus) quos illi,quòd vitia sua liberè & ingenuè reprehendant,hostium fortasse suorum loco numerabunt,illi ipsi,qui Romæ,in vrbe sancta, in oculis sanctissimi Patris egerunt vitam,& omnia eius intima videre potuerunt,& nunquàm à Catholica fide discesserūt, Laurentius Valla,Marsilius Patauinus,Frāciscus Petrarcha, Hieronymus Sauonarola,Abbas Ioachimus,Baptista Mantuanus,& ante istos omnes,Bernardus Abbas,sæpe multúmque conquesti sunt:ipsúmque interdum Pontificem, veréne,an falsò,nihil dicimus,certè non obscurè significabant esse Antichristum.

Neque verò est,quod quisquā obiiciat,fuisse illos Lutheri discipulos , aut Zuinglij. Extiterunt enim non tantùm annis,sed etiam sæculis aliquot, antequam illorum nomina audirentur. Videbant illi etiam tum errores irrepsisse in Ecclesiam, eósque cupiebant emendatos. Et quid mirum, si Ecclesia erroribus abducta fuerit,illo præsertim tempore,cum nec Episcopus Romanus,qui summę rerum solus præerat,nec alius ferè quisquam aut officium suum faceret,aut omnino officium suum intelligeret?Vix enim est credibile,illis otiosis & dormientibus, Diabolum toto ille tempore, aut dor-

miuisse perpetuò,aut fuisse otiosum. Quid enim illi interim fecerint, quaque fide curauerint domum Dei,vt nos taceamus,audiant saltem Bernardum suum:

Ad Eugenium. " Episcopi,inquit,quibus nũc commissa est Ecclesia Dei,non doctores sunt,sed seductores:non Pastores,sed impostores:non Prælati,sed Pilati.

Hæc Bernardus de Pontifice,qui se summum appellabat, deque Episcopis qui tum sedebant ad gubernaculum.Non erat ille Lutheranus?non erat hęreticus?ab Ecclesia non discesserat:tamen Episcopos illos,qui tum erant,non dubitauit seductores,impostores, Pilatos appellare. Iam verò cum populus palàm seduceretur,& oculis hominum Christianorum imponeretur, & Pilatus sederet pro tribunalibus, & Christum Christique membra ferro flammæque adiudicaret, O Deus bone, quo tum loco erat Ecclesia Christi? Ex tot autem tamque crassis erroribus, quem vnquam isti errorem repurgauerunt?aut quem omnino errorem agnoscere & confiteri voluerunt.

Sed quoniam isti suam esse affirmant vniuersam possessionem Ecclesiæ Catholicæ, & nos,quòd cum ipsis non sentiamus,appellant hæreticos, vide sanè, Ecclesia ista quã tandem habeat notam aut significationem Ecclesia Dei. Neque verò Dei Ecclesiam, si eam velis seriò & diligenter quærere, est adeò difficile deprehendere. Est enim excelso,& illustri loco,in vertice montis posita,ædificata videlicet in fundamentis Apostolorum,& Prophetarum. Ibi(inquit Augustinus)quæramus Ecclesiam: ibi decernamus causam nostram. Vtque alibi idem ait, Ecclesia ex Sacris & Canonicis Scripturis ostendenda est:quæque ex illis ostendi non potest,non est Ecclesia.

De vnitate Ecclesiæ cap.3. Cap.4.

Nescio tamen quo pacto,reuerentiáne,an conscientia,an desperatione victoriæ, vt latro crucem, ita isti semper horrent & fugiunt Verbum Dei. Neque id sanè mirùm. Vtenim cantharum aiunt in opobalsamo odoratissimo alioqui vnguento facillimè extingui atque emori,ita illi causam suam in verbo Dei tanquam in veneno,extingui vident,& suffocari.

Itaque Sacrosanctas Scripturas quas,Seruator noster Iesus Christus non tantùm in omni sermone vsurpauit,sed etiam ad extremum sanguine suo consignauit,quò populum ab illis tanquam à re periculosa & noxia,minore negotio abigant, solent literam frigidam,incertam,inutilem, mutam, occidentem, mortuam appellare: quod nobis quidem perinde videtur esse, ac si eas omnino nullas esse dicerent. Sed addunt etiam simile quoddam:non aptissimum eas esse quodammodò nasum cereum,posse fingi flectique in omnes modos,& omnium instituto inseruire. An Pontifex ista à suis dici nescit?aut tales se habere patronos non intelligit?

Pighius in Hierarchia.

Audiat ergo quam sanctè,quamque piè de hac re scribat Hosius quidam Polonus, vt ipse de se testatur Episcopus,certè homo disertus,& non indoctus, & acerrimus ac fortissimus propugnator eius causæ.Mirabitur,opinor,hominem pium de illis vocibus quas sciret profectas ab ore Dei,vel tam impiè sentire potuisse, vel iam contumeliosè scribere,ita præsertim,vt eam sententiam non suam vnius propriam videri vellet,sed istorum communem omnium.

Hosius de expresso verbo Dei.

Nos, inquit, ipsas Scripturas, quarum tot iam non diuersas modo, sed etiam contrarias interpretationes efferri videmus, facessere iubebimus, & Deum loquentem potius audiemus,quàm,vt ad egena ista elementa nos conuertamus,& in illis salutem nostram constituamus.Non oportet legis Scripturæ peritum esse, sed à Deo doctum. Vanus est labor qui Scripturis impenditur. Scriptura enim creatura est, & egenum quoddam elementum,Hęc Hosius.Eodem prorsus spiritu atque animo,quo olim Mõtanus,aut Marcion, quos aiunt solitos esse dicere, cum Sacras Scripturas contemptim repudiarent,se multò & plura,& meliora scire, quàm aut Christus vnquam sciuisset, aut Apostoli.Quid ergo hic dicam?O culmina Religionis: O præsides Ecclesiæ Christi.An hęc ea reuerentia vestra est,quam adhibetis verbo Dei? An nos Sacras Scripturas quas D.Paulus ait diuinitùs afflatas esse, quas Deus tot miraculis illustrarit, in quibus Christi ipsius certissma vestigia impressa sint, quas omnes sancti Patres, quas Apostoli,quas Angeli,quas Christus ipse filius Dei,cum opus esset,pro testimonio citarit, an eas,vos,quasi indignæ sint,quæ à vobis audiantur,facessere iubebitis? hoc est, Deo ipsi,qui vobis in Scripturis clarissimè loquitur,silentium imponetis?aut illud verbum, quo vo,vt Paulus ait,reconciliamur Deo: quodque propheta Dauid ait sanctum, & castum esse,& in omne tempus esse duraturum,egenum tantùm, & mortuum elemẽtum

tum appellabitis? Aut in eo, quod Christus nos diligenter scrutari, quódque in oculis assiduè habere iussit, omnem nostram operam dicetis frustra collocari? Et Christum, Apostolósque, cum hortaretur populum ad Sacras literas, vt ex illis abundarent in omnium sapientia, & scientia, voluisse hominibus fucum facere? Non est mirum, si isti nos, nostráque omnia contemnant, qui Deum ipsum, eiusque oracula ita parui faciant, Insulsum tamen erat, vt nos læderent, iniuriam eos tam grauem facere verbo Dei.

Tamen quasi hoc parum esset, comburunt etiam sacrosanctas Scripturas, vt olim impius rex Aza, aut Antiochus, aut Maximinus, easque solent hæreticorum libros appellare: Omninóque id videntur velle facere, quod olim Herodes, obtinendę potentiæ suæ causa, in Iudæa fecit. Is enim, cum esset Idumæus, alienus à stirpe & sanguine Iudæorum, haberi tamen cuperet pro Iudæo, quo magis Regnum illorum, quòd ab Augusto Cæsare impetrauerat, sibi posterísque suis confirmaret, omnes Genealogias, quę apud illos in Archiuis ab Abrahamo vsque diligenter fuerant asseruatæ, & ex quibus facilè nullo errore deprehendi posset, è quo quisque genere oriundus esset, iussit incēdi & aboleri, videlicet, ne quid superesset in posterum, quo ipse notari posset alieni sanguinis. Ita prorsus isti cum omnia sua quasi ab Apostolis, aut à Christo tradita, velint haberi in pretio, ne quid vspiam supersit, quòd huiusmodi somnia & mendacia posśit coarguere, aut incendunt, aut populo interuertunt Sacras Scripturas. Eusebius.

Rectè sanè, & valde in istos appositè scribit Chrisostomus: hæretici, inquit, claudunt ianuas veritati. Sciūt enim, si illæ pateant, Ecclesiam nō fore suam. Et Theophilactus, Verbum, inquit, Dei, est lucerna, ad quā fur deprehenditur. Et Tertullianus, Sacra, inquit, Scriptura hæreticorum fraudes, & furta conuincit. Cur enim celant, cur supprimunt Euangelium, quod Christus de tecto sonare voluit? Cur illud lumen abdunt sub modium, quòd stare oportuit in candelabro? Cur multitudinis imperitæ cæcitate, atque inscitia magis, quàm causæ bonitati confidunt? An putant, artes iam suas non videri: aut se nūc, quasi Gygis annulum habeant, posse ambulare incōspicuos? Satis iam omnes, satis vident, quid sit in illo scrinio pectoris Pontificij, vel hoc ipsum argumēto esse potest, non rectè ab illis, non verè agi. Suspecta meritò videri debet ea causa, quæ examen & lucem fugitat. Nam qui malè facit, vt Christus ait, quærit tenebras & odit lucem: Animus benè sibi conscius vltrò venit in conspectum, vt opera, quę à Deo profecta sunt, videri possint. Illi autem non vsque adeo cæci sunt, quin vt hoc satis videāt, si Scripturæ semel obtineant, actum esse statim de regno suo: vtque olim aiunt Idola Dæmonum, à quibus omnia tum oracula petebantur, repentè obmutuisse ad aspectum Christi, cum ille venisset in terras: ita nunc omnes artes suas ad aspectum Euangelij statim esse ruituras. Antichristus enim non abiicitur, nisi claritate aduentus Christi. In opere Imperfecto. 2. Thess. 2.

Nos quidem non vt isti solent, ad flammas confugimus, sed ad Scripturas: nec illos ferro obsidemus, sed verbo Dei. Ex illo, vt Tertullianus ait: Fidem alimus: ex illo spem „ erigimus: ex illo, fiduciam firmamus. Scimus enim, Euangelium Iesu Christi esse vim „ Dei ad salutem, & in illo esse æternam vitam: vtque Paulus monet, ne Angelum quidē de cælo venientem audimus, si nos ab aliqua parte huius doctrinæ conetur auellere. Imò, vt vir sanctissimus Iustinus Martyr de se loquitur: ne Deo quidem ipsi fidem haberemus, si aliud nos doceret Euangelium. Nam quod isti sacras Scripturas, quasi mutas, & inutiles, missas faciunt, & ad Deum potius ipsum in Ecclesia, & in conciliis loquentem, hoc est, ad suos ipsorum sensus, & sententias prouocant: est ea ratio inueniēdæ veritatis & admodum incerta, & valdè periculosa, & quodammodò fanatica & à S. Patribus non approbata. Chrysostomus quidem ait, multos esse sæpe, qui iactent „ Spi. Sanctū. At enim qui loquuntur de suo, falsò se illum habere gloriantur. Quemad- „ modum enim, inquit, Christus negabat se loqui à seipso, cum loqueretur ex Lege & è „ Prophetis: Ita nunc si quid præter Euangelium nomine S. Spiritus nobis obtrudatur, „ non est credendum. Vt enim Christus est impletio Legis & Prophetarum, ita Spiritus „ est impletio Euangelij. Hæc Chrysostomus. „ Rom. 1. Gal. 1.

Isti verò quamuis non habeant sacras literas, habent tamen fortasse D. veteres, & sanctos Patres. Id enim semper magnificè iactauerunt, omnem antiquitatem & perpetuum omnium temporum consensum à se facere: Nostra verò omnia noua esse & recentia, ante paucos istos annos nunquam audita.

Certè in religionem Dei nihil grauiùs dici poteſt,quàm ſi ea accuſetur nouitatis. Vt enim in Deo ipſo,ita in eius cultu nihil oportet eſſe nouum. Neſcimus tamen, quo pacto ab initio rerum ita vidimus ſemper fieri,vt quotieſcunque Deus quaſi accenderet, & hominibus patefaceret veritatem ſuã, quamuis ea non tantùm antiquiſſima, ſed etiam æterna eſſet,tamen ab impiis hominibus &hoſtibus,recẽs & noua diceretur. Impius & ſanguinarius vir Haman,vt Iudæos in odiũ adduceret,ſic eos apud regẽ Aſſuerum accuſauit:Habes hic,inquit Rex,populum nouis quibuſdã vtentem legibus,ad omnes autem tuas leges contumacẽ,& rebellem. Paulus etiã Athenis cum primùm tradere cœpiſſet atque indicare Euangelium,dictus eſt nouorũ Deorũ,hoc eſt,nouæ Religionis annuntiator. Et an non poſſumus,inquiunt,ex te ſcire, quæ ſit iſta noua doctrina? Et Celſus cum ex profeſſo ſcriberet aduerſus Chriſtum, vt eius Euangelium nouitatis nomine per contẽptum eluderet: An, inquit, poſt tot ſecula nunc tandem ſubiit Deum tam ſera recordatio? Euſebius etiam autor eſt, Chriſtianã religionem ab initio contumeliæ cauſa dictam fuiſſe νέαν, καὶ ξένην, hoc eſt,peregrinam,& nouã. Ita iſti,noſtra omnia,vt peregrina & noua condẽnant:ſua autem omnia quæcunque ea ſunt,laudari volunt vt antiquiſſima:vt hodie Magi,& Malefici,quibus cum diis inferis res eſt, dicere ſolent,ſe habere libros ſuos,atque omnia ſacra &recondita myſteria ab Athanaſio, à Cypriano,à Moſe,ab Abelo,ab Adamo,atque etiã ab Archangelo Raphaële, quò ars illa excelſior,& diuinior iudicetur,quæ ab huiuſmodi patronis,& inuentoribus profecta ſit. Ita iſti,quò illa ſua Religio,quàm ipſi ſibi,idque non ita pridẽ pepererũt,vel ſtultis hominibus,vel parum quid agant, quidque agatur cogitantibus, faciliùs & magis commendetur,eam ſolent dicere ad ſe ab Auguſtino,ab Hieronymo, à Chryſoſtomo, ab Ambroſio,ab Apoſtolo,à Chriſto ipſo perueniſſe.

Eſt.5. *Actor.17.*

Satis enim ſciunt,nihil iſtis nominibus populariùs eſſe,aut in vulgus gratius. Verùm quid ſi ea quæ iſti noua videri volunt,inueniantur eſſe antiquiſſima? Rurſus quid ſi ea ferè omnia,quæ iſti antiquitatis nomine tantoperè prædicant,vbi ea probè ac diligenter excuſſa fuerint,ad extremum inueniantur recentia & noua?

Profectò Iudęorum leges,& cerimonię,quamuis eas Hamanus accuſaret nouitatis, non poterant hominum cuiquam verè & rectè cogitanti videri nouæ. Erant enim antiquiſſimis tabulis conſignatæ. Et Chriſtus quamuis eum multi putarent ab Abrahamo,& priſcis patribus diſceſſiſſe,& nouam quandam religionem ſuo nomine inuexiſſe:tamen reſpondit:Si crederetis Moſi,crederetis mihi quoque. Nam doctrina mea nõ eſt ita noua. Moſes enim antiquiſſimus author,cui vos omnia tribuitis,de me loquutus eſt. Et D. Paulus Euangeliũ Ieſu Chriſti,etſi à multis nouum eſſe iudicetur, tamen habet,inquit,antiquiſſimũ teſtimoniũ legis & Prophetarũ. Noſtra verò doctrina, qui rectiùs poſſumus Chriſti Catholicã doctrinã appellare,ita nõ eſt noua, vt eam nobis antiquus dierũ Deus & Pater D. noſtri Ieſu Chriſti monumẽtis vetuſtiſſimis in Euãgelio & in Prophetarũ atque Apoſt. libris cõmendarit:eaque nũc noua nemini videri poſſit, niſi ſi cui aut Prophetarũ fides,aut Euangeliũ,aut Chriſtus ipſe videatur nouus. Iſtorũ verò religio,ſi ita antiqua & vetus eſt,vti eam ipſi videri volũt: cur eã ab exemplis primitiuæ Eccleſiæ ex antiquis Patribus & Cõciliis veterib⁹ nõ probãt? Cur tã vetus cauſa tã diu deſerta iacet ſine patrono? Ferrũ quidẽ,& flãmam ſemper habuerunt ad manum:de cõciliis verò antiquis,& Patribus,magnũ ſilentiũ. Atqui abſurdũ erat ab iſtis ita cruentis & feris rationibus incipere, ſi potuiſſent alia argumẽta leuiora & mitiora inuenire. Quod ſi illi ita prorſus fidunt vetuſtati,& nihil ſimulant:cur ante nõ ita multos annos, Ioan. Clemens Anglus, aliquot folia vetuſtiſſimi Patris & Græci Epiſcopi Theodoreti,in quibus ille perſpicuè ac luculenter docebat, naturam Panis in Euchariſtia non aboleri, cum putaret, nullum aliud exemplar poſſe vſpiam inueniri, inſpectantibus aliquot bonis viris,& fide dignis, lacerauit & abiecit in focum? Cur negat Albertus Pighius,veterem patrem Auguſtinum rectè ſenſiſſe de peccato originis? aut de matrimonio,quod poſt votum nuncupatum ſit initum,quod Auguſtinus aſſerit eſſe Matrimonium,nec poſſe reſcindi, illum errare, & falſum eſſe dicit, nec proba vti dialectica? Cur nuper cum excuderent veterem patrem Origenem in Euangelium Ioannis, ſextum illud caput,vbi illum credibile,vel potius certum eſt,contra ipſos de Euchariſtia multa tradidiſſe,integrum omiſerunt: & librum mutilum potius quàm integrũ,qui errores ſuos coargueret, dare maluerunt? An hoc eſt antiquitati confidere,

Ioan.5.

Diſt.27. quidam. De bono viduitatis. cap.10. Cauſ.27. 4. c. nuptiarũ bonum. In controuerſiis. Liber hodie circunfertur mutilus.

dere, antiquorum Patrum scripta lacerare, supprimere, truncare, comburere? Operæpretium est videre, quàm pulchrè isti cum illis Patribus quos iactare solent esse suos, de religione conueniant. Vetus concilium Eliberinum decreuit, ne quid, quod colitur à populo, pingeretur in Templis. Vetus pater Epiphanius ait, esse horrendum nefas, & non ferendum flagitium, si quis vel pictam, quamuis Christi ipsius imaginem, excitet in templis Christianorum. Isti imaginibus & statuis, quasi sine illis religio nulla sit, omnia Templa sua, atque omnes angulos compleuerunt. Veteres patres, Origenes & Chrysostomus, hortantur populum ad lectionem sacrarum literarum, vt libros coëmant, vt de rebus sacris inter se, vxores cum viris, parentes cum liberis domi dispută: Isti Scripturas condemnant tanquam mortua elementa, & ab illis quantum maximè possunt, arcent populum. Veteres patres Cyprianus, Epiphanius, Hieronymus, si quis fortè vouerit se velle viuere vitam cœlibem, & postea viuat impurè, nec possit incendia cupiditatum cohibere: satius esse dicunt, vt ducat vxorem, & sese castè gerat in matrimonio: Atque illud ipsum matrimonium vetus pater Augustinus ratum & firmum esse iudicat, nec oportere reuocari: Isti eum, qui se voto semel obstrinxerit, quātumuis vtatur postea, quantumuis scortetur, quantumuis flagitiose, & perditè contaminetur, tamen illum non sinunt vxorem ducere: aut si fortè duxerit, tamen negant illud esse matrimonium, & satius multò ac sanctius esse docent, Concubinam aut scortum alere, quàm ita viuere. Augustinus vetus pater querebatur de multitudine inaniū Cerimoniarum, quibus iam tum videbat hominum animos & conscientias opprimi: Isti, quasi aliud nihil Deo curæ sit, ita cerimonias auxerunt in immensum, vt nihil iam penè aliud in illorum Templis, & sacris relictum sit. Vetus pater Augustinus negat fas esse, Monachum ignauum in otio degere: & specie ac simulatione sanctitatis, ex alieno viuere: & illum qui ita viuat, vetus pater Apollonius ait, latroni esse similem. Isti Monachorum habent armenta, ne dicam, greges, qui cum prorsus nihil agant, & ne simulent quidem, aut præ se ferant speciem vllam sanctitatis, tamen non tantùm viuant, sed etiam luxurientur ex alieno. Vetus concilium Romanum decreuit, ne quis intersit sacris, quæ dicantur ab illo sacerdote, quem certum sit, alere concubinam: Isti & Concubinas locant mercede Sacerdotibus suis, & ad illorum sacrilegia homines inuitos per vim adigunt. Veteres Canones Apostolorum illum Episcopum, qui simul & ciuilem Magistratum, & Ecclesiasticam functionem obire velit, iubent ab officio summoueri: isti vtrunque Magistratum & obeunt, & obire omninò volunt, vel potius alterum, quem ab illis maximè obiri oportuit, non attingunt: nemo tamen est qui illos iubeat summoueri. Vetus concilium Gangrense iubet, ne quis ita distinguat Sacerdotem cœlibem à marito, vt cælibatus causa alterum putet altero sanctiorem: Isti eos ita distingunt, vt à pio & probo viro qui vxorem duxerit, omnia sua sacra statim putēt profanari. Vetus Imp. Iustinianus, iussit in sacro ministerio omnia clara, & quàm maximè arguta & expressa voce pronuntiari, vt fructus ex ea re aliquis ad populum redire posset: Isti, ne quid populus intelligat, omnia sua non tantùm obscura & summissa voce, sed etiam aliena, & Barbara lingua mussitant. Vetus concilium Carthaginense iubet, ne quid in sacro cœtu legatur præter Scripturas Canonicas: Isti ea legunt in Templis suis, quæ ne ipsi quidem dubitant esse mera mendacia, & inanes fabulas. Quod si quis ista infirma putat esse, ac leuia, quòd ab Impp. & minutis quibusdam Episcopis, & non ita plenis conciliis decreta fuerint, & Papæ magis autoritate ac nomine delectatur: Iulius Papa disertè vetat, ne Sacerdos, dum peragit sacra mysteria, Panem immergat in Calicem: isti contra decretum Iulij Papæ, Panem diuidunt & immergunt. Clemens Papa negat fas esse Episcopo gerere vtrūque gladium & si vtrumque, inquit, habere vis, & teipsum decipies, & eos qui te audient. Iam Papa gladium vtrumque sibi vendicat, & vtrumque gerit: quare minus mirum videri debet, si illud sequutum sit, quòd Clemens ait, vt ille & seipsum deceperit, & illos, qui eum audierint. Leo Papa in vno Templo vnam tantùm ait fas esse Missam dicere vno die: Isti in vno Templo quotidie, sæpe denas, sæpe vicenas, sæpe tricenas, sæpe etiam plures Missas dicunt, vt miser spectator vix scire possit, quò se potissimùm debeat vertere. Gelasius Papa: si quis diuidat Eucharistiam, & cùm alteram partem suscipiat, abstineat ab altera: eum ait, improbè facere: & sacrilegium committere, Isti contra verbū Dei,

Cap. 3.

Origenes in Leuiticū c. 16. Chris. in Mat. primum hō. 2. In Ioh. ho. 31.

Epist. 11. Li. 1. Cōr. App. hære. 61. De virginitate seruanda. ad Demetriadem.

Ad Ianuarium.

De opere Monachorum.

Can. 3.

Can. 8.

In Nouellis const. 123. & 142.

Tertium Carth. ca. 47.

contraque Gelasium Papam, alteram tantùm partem Eucharistię populo dari iubent, & in ea re, sacerdotes suos alligant sacrilegio. Quod si illi hæc omnia vsu iam ipso antiquata esse dicent, & mortua, & nihil ad ista tempora pertinere: tamen vt omnes intelligant, quæ fides istis hominibus habenda sit, quaque spe concilia ab illis conuocentur, videamus paucis, quàm probè curent ea, quæ proximis istis annis, recenti adhuc memoria, in publico concilio legitimè indicto, ipsi sanctè obseruanda esse decreuerunt. In concilio proximo Tridentino, vix ante annos 14. sancitum est communibus suffragiis omnium ordinum, ne cui vni committerentur duo sacerdotia vno tempore. Vbi nunc est illa sanctio? An ea quoque tum citò antiquata est, & mortua? Nam isti quidē non tantùm duo sacerdotia, sed etiam cōplura sæpe Monasteria, & Episcopatus modò binos, modò ternos, modò quaternos vni tribuunt, eique non tantùm indocto, sed etiam sæpe homini militari. In eodē concilio decretū est, oportere omnes Episcopos docere Euangelium: Isti neque docent, neque in pulpitū vnquam ascendunt, neque id putant quicquam ad munus suum pertinere. Quæ ergo est ista pōpa vetustatis? Quid de priscorum Patrum, quid de conciliorum nouorum, veterumque nominibus gloriantur? Quid videri volunt niti autoritate illorū, quos cum visum est pro libidine contēnunt?

Sed gestit animus cum Pontifice potiùs ipso agere, & hæc illi corā in os dicere. Dic ergo nobis, pie Pontifex, qui omnia antiqua crepas, & omnes tibi vni addictos esse gloriaris, ex omnibus Patribus quis vnquam te vel summum Pontificem, vel vniuersalem Episcopum, vel caput Ecclesiæ appellauit? Quis tibi traditum esse dixit vtrumque gladium? Quis te habere autoritatem & ius conuocandi concilia? Quis vniuersum mundum esse diocœsim tuam? Quis de tua plenitudine Episcopos omnes accipere? Quis tibi datam esse omnem potestatem tam in cœlo, quam in terra? Quis te nec à Regibus nec à toto clero, nec vb vniuerso populo posse iudicari? Quis Reg. & Imp. de iussu & voluntate Christi, à te accipere potestatem? Quis te ita exquisita, & Mathematica ratione, septuagies septies maiorem esse maximis Regibus? Quis tibi potestatem ampliorem tributam esse quam reliquis Patriarchis? Quis te D. Deum esse, aut non purū hominem, aut quiddam coagmentatum & concretum ex Deo & homine? Quis te vnū fontem esse omnis iuris? Quis te imperium habere in purgatorium? Quis te pro tuo arbitrio imperare posse Angelis Dei? Quis te esse Regem Regum, & dominum dominātium vnquam dixit? Possumus alia quoque eodem modò, ex omni numero veterum Episcoporum & Patrū, Quis vnquam vnus te docuit, vel inspectante populo, missam priuatam dicere, vel Eucharistiam supra caput attollere, qua in re omnis nunc religio tua continetur: vel Christi sacramenta truncare, & contra eius institutū, atque expressa verba, altera parte populū fraudare? vtque semel finē faciamus, ex omnibus patrib. quis vnus te docuit Christi sanguinem, & sanctorum Martyrum merita dispensare, & indulgentias tuas, vtque omnia spatia purgatorij, ceu merces in foro vendere?

De Maior. & obed. vnā sanctam. In extraua. Bonifacij 8. Durandus. Concil. Lat. sub Iulio. 2. Dis. 9. Innocentij. De maior. & obedient. solite. In extraua. Ioan. 22. c. Cum inter nonnullos In glosa finali. In edi. impressa Parisiis 1503. Antonius de Rosellis.

Soliti sunt isti sæpe reconditam quandam doctrinam suam & multiplices variasque lectiones prædicare. Proferant ergo nunc aliquid si possunt, vt aliquid saltem legisse ac scire videantur.

Clamarunt sæpe fortiter in omnibus circulis, omnes partes religionis suæ antiquas esse: & non tantùm multitudine, sed etiam consensu & continuatione omnium nationum & temporum approbatas. Ostendant ergo aliquando antiquitatem istam suam: faciant, vt appareat ista, quæ tantoperè prædicant, esse tam latè propagata. Doceant omnes nationes Christianas in suam istam religionem concessisse: sed fugiunt, vt iam ante diximus, à decretis ipsi suis: eáque quæ ante ita paucos annos ab ipsis in omnem ęternitatem sancita erant, tam breui tempore resciderunt. Quid ergo illis fidēdum est in Patribus, in veteribus conciliis, in verbis Dei? Non habent, ô Deus bone, non habent ea, quæ se habere gloriantur, non antiquitatem, non vniuersalitatem: non locorum, non temporum omniū consensum. Idque ipsi, etsi dissimulatum potiùs cuperent, tamen non ignorant: imò etiam interdum non obscurè confitentur. Itaque veterum conciliorum, & Patrum sanctiones, aiunt eiusmodi esse, vt interdum mutari possint: aliis enim temporibus Ecclesiæ, alia atque alia decreta conuenire. Atque ita sese abdūt sub nomine Ecclesiæ, & inani fuco miseris mortalibus illudunt. Et mirum est, aut ita cęcos esse homines, vt ista videre non possint: aut si videant, ita esse patientes, vt ea tam facilè, tamque æquo animo possint ferre.

Sed

Sed cùm illa tanquam nimium iam vetera,& obsoleta iuberent esse irrita:alia quędam fortasse meliora,atque vtiliora reposuerunt.Solét enim dicere,ne Christum quidem ipsum,aut Apostolos,si reuiuiscant,meliùs aut sanctiùs administrare posse Ecclesiam Dei,quàm quomodò nunc administretur ab ipsis. Reposuerunt illi quidem alia: sed quemadmodum Hieremias ait,Paleam pro tritico: eaque vt ait Esaias, quæ Deus ab illis non requisiuit.Obturarunt omnes venas aquæ viuæ,& exciderunt populo Dei cisternas ruinosas,& lutulentas,plenas limo & sordibus,quę nec habet aquam puram, nec eam poterant continere.Eripuerunt populo sacram communionem : verbũ Dei, vnde omnis consolatio petenda erat:verum cultum numinis:rectum vsum sacramentorum & Precum:dederunt autem nobis de suo,quibus nos interim oblectaremus,sales,aquas,ampullas,sputa,ramusculos,bullas,iubilea, indulgentias, cruces, suffitus, & infinitum numerum cerimoniarum, & ludos, vt Plautus ait, ludificabiles. In his illi rebus omnem Religionem collocarunt; his rebus docuerunt Deum ritè placari posse: his abigi Dæmones: his confirmari hominum conscientias. Hæc videlicet sunt pigmenta,& myrothecia religionis Christianæ.Hęc Deo videnti,grata & accepta sunt: hæc oportuit in honorem venire,vt Christi & Apostolorum instituta tollerentur. Atque,vt olim Rex impius Hieroboam,cùm cultum Dei sustulisset, & Populum ad aureos vitulos adduxisset,ne fortè posteà mutarent voluntatem,& à se delibarentur, & redirent Hierosolymam ad Templum Dei, eos longa oratione cohortatus est ad constantiã:Hi,inquiens,Israël suntDij tui:Hoc pacto Deus vester iussit se à vobis coli:Grauè autem vobis,& molestum erit iter tam longinquum suscipere, & quotannis ad salutandum & colendum Deum ascendere Hierosolymam : Ita prorsus isti, cum semel traditionum suarum causa irritam fecissent legem Dei, ne populus posteà oculos aperiret,& alio dilaberetur,atque aliũde peteret certiorem aliquam rationem salutis suę, O quoties acclamarunt hunc esse illum cultum,qui Deo placeat,quemque ille à nobis exigat,quoque iratus flecti velit?His rebus Ecclesiæ consensum contineri:his rebus omnia peccata expiari & tranquillari conscientias:qui discesserit ab his, eum sibi nihil spei ad æternam salutem reliquisse? Graue autem ac molestum populo esse ad Christum,ad Apostolos,ad veteres Patres respicere quidque illi velint aut iubeant,perpetuò attendere?Hoc,videlicet,est populum Dei ab infirmis mundi elementis, à fermẽto Scribarum,Pharisæorum,& ab humanis traditionibus abducere? Christi, atque Apostolorum iussa loco moueri oportuit,vt ista succederẽt?O iustam causam, cur vetus & multis sæculis probata doctrina,antiquaretur,& in Ecclesiam Dei noua forma religionis inueheretur:Tamen,quicquid est,clamant isti,nihil oportere immutari, his rebus hominum animis satisfieri:Romanã Ecclesiam ista decreuisse:eam errare nõ posse.Syluester enim Prierias ait,Ecclesiam Romanã esse normã & regulam veritatis:sacras Scripturas ab illa & autoritatẽ & fidem accipere. Doctrina,inquit, Romanæ Ecclesiæ,est regula fidei infallibilis,à qua sacra Scriptura robur accipit. Et indulgentiæ, inquit,autoritate Scripturæ non innotuerunt nobis, sed innotuerũt autoritate Romanæ Ecclesiæ,Romanorumque Pontificum, quæ maior est. Pighius etiam non dubitat dicere,iniussu Romanæ Ecclesiæ,ne clarissimæ quidem Scripturæ credendũ esse. Prorsus,vt si quis istorum,qui Latinè rectè ac purè loqui non possit,aliquid tamen in ea lingua pro forensi cõsuetudine celeriter & expeditè balbutiat,omnino dicat,ad eũ nunc modum aliis etiam omnibus loquendũ esse,quo ante multos annos Mametrectus aut Catholicõ loquuti sint,quoque adhuc ipsi vtãtur in foro: sic enim satis intelligi posse quid dicatur,& hominum voluntati satisfieri. Ridiculum autem esse, nunc tandẽ nouo dicendi genere,turbare orbem terrarum,& Ciceronis aut Cæsaris, veterem in dicendo puritatem atque eloquentiam, reuocare.

Tantùm,scilicet,isti debent inscitiæ,ac tenebris superiorum temporum. Multa, vt ait quidam, habentur sæpè in pretio,tantùm quod dicata aliquando fuerint Deorum templis:Ita nos videmus multa hodie probari ab istis,& magni fieri,non quòd ea tanti esse iudicent,sed tantùm quod recepta fuerint consuetudine,& quodammodò dicata templo Dei. *Plinius.*

At Ecclesia,inquiunt,nostra errare non potest,id opinor,ita dicunt, vt olim Lacedæmonij solebant dicere,in tota sua repub.nullum posse inueniri adulterum, cum reuera omnes potius essent adulteri, & incertis nuptiis, & vxoribus inter se commu-

nibus vterentur: aut vt hodie Canonistæ, ventris causa, solent de Papa dicere: Illum cũ sit Dominus omnium beneficiorum, etsi pretio vẽdat Episcopatus, Monasteria, Sacerdotia, & nihil à se gratis abire sinat: tamen cum ea omnia dicat esse sua, etiamsi maximè velit, non posse committere Simoniam. Quam autem id firmum sit, quamque cõsentanea ratione dicatur, nos adhuc videre non possumus: nisi forte, vt olim veteres Romani victoriæ, ita isti veritati, postquàm ea semel ad illos peruenisset, alas, quibus aduolauerat, detraxerint, ne posset in posterùm auolare. Sed quid si illis Hieremias dicat, vt suprà commemorauimus, Hæc esse verba mendacij? Quid si idem rursus dicat, Illos ipsos, quos vinitores esse oportuit, dissipasse, ac perdidisse vineam Domini? Quid si Christus dicat: Illos quibus maximè Templum oportuit esse curæ ex Templo Domini fecisse speluncam latronum? Quòd si errare Ecclesia Romana non potest, fœlicitatem eius oportet maiorem esse, quam istorum prudẽtiam. Ea enim est illorum vita, doctrina, diligentia, vt per eos quidem non tantùm errare Ecclesia, sed etiam funditus interire & extingui possit. Profectò si errare Ecclesia ea potest, quæ à verbo Dei, quæ à iussis Christi, quæ ab Apostolorum institutis, quæ à primitiuæ Ecclesiæ exemplis, quæ à veterum Patrum & conciliorum sanctionibus, quæ à suis ipsius decretis discesserit, quæ nullis nec veteribus nec nouis, nec suis, nec alienis, nec humanis, nec diuinis legibus teneri velit: certum est Ecclesiam Romanam non tantùm potuisse errare, sed etiã flagitiosè & turpiter errauisse.

Summa Angelica. Dis Papa.

Matt. 21.

At de nostris, inquient, fuistis: nunc autem Apostatę facti estis, & à nobis discessistis. Discessimus quidẽ ab illis, & ea de re, Deo Opt. Maximo gratias agimus, & nobis magnoperè gratulamur. At à primitiua Ecclesia, ab Apostolis, à Christo non discessimus. Educati quidem sumus apud istos in tenebris & ignoratione Dei, vt Moses in disciplinis, & in sinu Aegyptiorum: De vestris fuimus, inquit Tertullianus: fateor, nec mirum: fiunt enim, inquit non nascuntur Christiani. Sed cur ipsi de suis illis septem montibus, in quibus olim Roma stetit, descenderunt, vt in planicie potius, in campo Martio habitarent? Dicant fortasse, qui iam aquarum ductus, sine quibus non possent commodè viuere, in illis Montibus defecissent. Dent isti sanè eam nobis veniã de aqua æternæ vitæ, quàm volunt sibi dari de aqua puteali. Aqua iam apud istos defecerat: Seniores, vt Hieremias ait, mittebant paruulos suos ad aquas at illi, cum nihil inuenirent, miseri & siti perditi, retulerunt vasa inania. Egeni, inquit Esaias & pauperes quærebant aquas, sed eas nullas vspiam inuenerũt. Lingua illorum siti iam aruerat. Isti omnes canales & ductus perfregerant: Isti obstruxerant omnes venas, & cœno, lutóq; oppleuerant fontem aquæ viuæ: vtque olim Caligula occlusis omnibus horreis, publicam populo inediam, & famẽ: ita illi obturatis omnibus fontibus verbi Dei, sitim populo miserabilem induxerant. Illi hominibus famem, vt ait Amos Propheta, sitimque attulerant: non famẽ panis: non sitim aquæ, sed audiendi verbi Dei. Circumibant miseri quærẽtes scintillam aliquam diuinæ lucis, ad quam exhilararent conscientias: ac ea iam prorsus extincta erat: nihil potuerunt inuenire. Hæc erat conditio, hæc erat miserabilis forma Ecclesiæ Dei. Miserè in ea sine Euangelio, sine luce, sine consolatione vlla viuebatur.

Amos 8.

Quare etsi discessio illis nostra molesta est: tamen cogitare debent, quàm iusta fuerit causa discessionis. Nam si dicent, ab ea societate, in qua fueris educatus, nullo modo fas esse discedere: facilè possunt in nostro capite & Prophetas, & Apostolos, & Christũ ipsum condemnare. Nam cur hoc etiam non queruntur, Lothum è Sodoma: Abrahamum è Chaldæa: Hebræos ex Aegypto: Christum à Iudæis: Paulum à Pharisæis discessisse? Nisi enim iusta aliqua possit esse causa discessionis, nihil videmus, cur non illi quoque possint eodem modo, factionis & seditionis accusari.

Quod si nos damnandi sumus pro hæreticis, qui istorum imperata omnia non facimus: quid illi qui tandem, aut quales videri debent, qui Christi & Apostolorum imperata contemnunt? Si nos sumus Schismatici, qui discessimus ab istis: quo tandem illos nomine appellabimus, qui à Græcis, à quibus fidem acceperunt, ab Ecclesia primitiua, à Christo ipso, ab Apostolis tanquam à Parentibus discesserunt? Nam Græci quidem, qui hodie profitentur religionem & nomen Christi, etsi multa habeant contaminata: magnam tamen adhuc partem retinent eorum, quæ acceperant ab Apostolis. Itaque nec priuatas habent Missas, nec truncata Sacramenta, nec Purgatoria, nec Indulgentias Pontificios verò titulos, & magnifica nomina tanti faciunt, vt quicunque eos imponat

ponat sibi,seque vel vniuersalem Episcopum,vel Ecclesiæ totius caput velit appellari, cum illi non dubitent,& superbum hominem,& in omnes alios Episcopos fratres suos contumeliosum,& hæreticum esse dicere.

Iam verò cum perspicuum sit,& negari non possit, istos ab illis à quibus Euangeliũ, à quibus Fidem,à quibus Religionem,à quibus Ecclesiam acceperunt, defecisse: quid causæ est,cur nunc ad eosdem,tanquam ad fontes nolint reuocari?Cur quasi Apostoli omnes, Patresque nihil viderint, ita illorum temporum similitudinem reformidant? An enim isti plus vident,aut Ecclesiã Dei pluris faciunt,quàm illi, qui ista tradiderũt? Nam nos quidem discessimus ab illa Ecclesia, in qua nec verbum Dei purè audiri potuit,nec Sacramenta administrari,nec Dei nomen,vt oportuit,inuocari:quam ipsi fatentur multis in rebus esse vitiosam:in qua nihil erat, quod quenquam posset prudentem hominem,& de sua salute cogitantem,retinere. Postremò ab Ecclesia ea discessimus,quæ nunc est,non quæ olim fuit:atque ita discessimus, vt Daniel è cauea leonum, vt tres illi pueri ex incendio:nec tam discessimus quàm ab istis diris, & deuotionibus eiecti sumus.

Accessimus verò ad illam Ecclesiam,in qua ne ipsi quidem, si verè atque ex animo loqui volunt,negare possunt,omnia castè ac reuerenter,& quantùm nos maximè assequi potuimus,proximè ad priscorum temporum rationem administrari.Conferant enim Ecclesias nostras suasque inter se:videbunt & se turpissimè ab Apostolis,& nos ab ipsis iustissimè discessisse.Nos enim cum Christo, Apostolis,& sanctis Patribus Eucharistiam populo damus integram:Isti, contra omnes Patres,contra omnes Apostolos, contra Christum ipsum,cum summo,vt Gelasius ait,sacrilegio,Sacramenta diuidunt, & alteram partem populo eripiunt.

Nos cœnam Dominicam ad Christi institutionẽ reuocauimus, eámque quàm maximè,quamque plurimis communem vtque appellatur,ita reipsa communionem esse volumus.Isti contra institutum Christi omnia immutarunt, & ex sacra communione Priuatam fecerunt Missam: atque ita nos Cœnam præbemus Populo, isti inane spectaculum.

Nos cum antiquissimis Patribus affirmamus, Corpus Christi non comedi, nisi ab hominibus piis & fidelibus, & imbutis spiritu Christi: ita docent ipsissimum corpus Christi re ipsa, vtque ipsi loquuntur Realiter, & substantialiter, non tantùm ab impiis & infidelibus, sed etiam, quod horrendum dictu est, à muribus & canibus posse comedi.

Nos ita precamur in templis,vt,quemadmodum Paulus monet,populus scire possit quid precemur,&communibus votis respondere,Amen:Isti vt ęs tinniens, voces in tẽplis ignotas & peregrinas,sine intelligentia,sine sensu,sine mente fundunt:& omninò id agunt,ne populus quicquam possit intelligere. 1.Cor.14.

Et ne omnia discrimina commemoremus(sunt enim propè infinita) nos Scripturas sacras conuertimus in omnes linguas:isti eas vix extare patiuntur in vlla lingua. Nos inuitamus populum ad legendum, & audiendum verbum Dei:isti abigunt. Nos causam ab omnibus cognosci volumus:isti fugiunt iudicium. Nos scientia nitimur: isti inscitia.Nos luci fidimus:isti tenebris.Nos colimus,vt par est,voces Apostolorum &Prophetarum:isti comburũt.Postremò nos in Dei causa Dei vnius iudicio stare volumus: isti stare volunt suo.Quòd si illi hæc omnia tranquillo animo,& ad audiendum discendumque comparato spectare velint:non tantùm probabunt institutum nostrum, qui relictis erroribus Christum,eiusque Apostolos sequuti sumus: sed ipsi etiam à se deficient,seque vltrò aggregabunt ad partes nostras.

Atqui sine sacro Oecumenico concilio nefas,inquient,fuit ista tentare.Ibi enim esse omnem vim Ecclesiæ : ibi Christum pollicitum esse sese semper præstò adfuturum. Atqui ipsi mandata Dei,& Apostolorum decreta violarũt,vtque iam diximus, omnia propè,non tantum instituta,sed etiam dogmata primitiuæ Ecclesiæ dissipauerunt, nihil expectato sacro concilio.

Verùm quòd aiunt,nihil cuiquam fas esse innouare sine concilio:quis tandem scripsit nobis istas leges?Aut vnde isti hoc Edictum habuerunt?

Ridiculè quidem fecit ille Rex,qui cum Oraculo certus esset de sententia & volũtate summi Iouis,posteà rem integrã retulit ad Apollinem:vt sciret,an idẽ illi videretur, Agesilaus.

quod patri. Nos autem multò ineptiùs faceremus si, cum Deũ ipsum nobis in sacrosanctis Scripturis apertè loquentẽ audiamus, eiusque voluntatem,& mentẽ intelligamus, posteà, quasi id nihil sit, rem integrã referre velimus ad conciliũ: quòd non aliud est, quàm quęrere, an idẽ hominibus videatur quod Deo:& an homines velint mãdata Dei autoritate sua comprobare. Quid enim? Nisi conciliũ velit & iubeat, verum nõ erit verũ? aut Deus non erit Deus? Si Christus ab initio ita facere voluisset, vt nihil doceret, aut diceret inuitis Episcopis: omnem autem doctrinam suam ad Annam,& Caipham retulisset: vbi nunc esset fides Christiana? aut quis vnquam audisset Euangeliũ? Petrus quidem, quẽ Pontifex sæpius, magisque prædicare solet, quàm Iesum Christũ, fidenter restitit sacro concilio: Et satius, inquit, est obtemperare Deo, quàm hominibus. Et Paulus, cũ semel animo hausisset Euangeliũ, idq; nõ ab hominibus neq; per hominẽ, sed per solam voluntatem Dei, nõ deliberauit cum carne & sanguine, nec retulit ad cognatos, aut fratres suos: sed statim abiit in Arabiam, vt diuina mysteria Deo authore publicaret.

Nos quidem concilia,& Episcoporum, doctorumque hominum conuentus & colloquia non contemnimus. Neque ea, quæ fecimus, prorsus sine Episcopis aut sine concilio fecimus. Plenis Comitiis res acta est, longà deliberatione, frequenti Synodo. De isto verò concilio, quod nunc à Pio Pontifice simulatur, in quo homines non appellati, non auditi, non visi, ita facilè condemnãtur, quid nobis expectandum, aut sperandum sit, non est difficile diuinare.

Nazianzenus olim, cum suo tempore videret homines in huiusmodi conuentibus ita esse cæcos & obstinatos, vt abducerentur affectibus,& victoriam magis quęrerent quàm veritatem: disertè pronuntiauit, se nullius concilij vnquam exitum vidisse bonum. Quid ille nunc diceret, si hodiè viueret, & istorum conatus intelligeret? Nam tum quidem, etsi studebatur partibus: tamen & causæ cognoscebantur, & errores manifesti omnium partium suffragiis communibus tollebantur. Isti verò nec causam disceptari liberè volunt, nec quantumcunque sit errorum, quicquam patiuntur immutari.

Ecclesia nõ errat. Id enim illi sæpe,& sine fronte iactare solent, Ecclesiam suam errare non posse: Nihil esse in ea vitij, nihil esse nobis concedendum. Aut, si quid sit, tamen Episcoporum & Abbatum esse hoc iudicium: illos esse moderatores rerum: illos esse Ecclesiam Dei. Aristoteles ait: Spurios nõ posse facere ciuitatem: An autẽ ex istis effici possit Ecclesia Dei, ipsi videant. Certè nec legitimi sunt Abbates, nec genuini Episcopi.

Sed sint sanè Ecclesia: audiantur in conciliis: soli habeant ius suffragandi. Olim tamen cum Ecclesia Dei, si ad istorum quidem Ecclesiam conferatur, satis commodè regeretur, vt Cyprianus ait, aduocabantur ad Ecclesiasticarum causarum cognitionem & Presbyteri,& Diaconi,& nonnulla etiam pars plebis.

Sed quid si isti Abbates,& Episcopi nihil sciant? Quid si, quid sit Religio, quidque de Deo sentiendum sit, non intelligant? Quid si lex perierit à sacerdote, & consiliũ à Senioribus? *Mich. 3.* Quid si, vt ait Micheas, Nox illis sit pro visione, & tenebræ pro diuinatione? *Matt. 5.* Quid si, vt Esaias ait, omnes speculatores ciuitatis facti sunt cæci? Quid si sal vim suam & saporem amiserit? vtque Christus ait, ad nullum vsum sit accõmodus, ne ad id quidem vt abiiciatur in sterquilinium?

Ad Papam, scilicet omnia deferent, qui errare nõ potest. At illud primùm ineptum est, Spiritum sanctum à sacro concilio curriculo auolare Romam, vt si quid dubitet aut hæreat, sese explicare non possit, ab alio nescio quo spiritu doctiore consilium capiat. Nam si ita est quid opus erat tot Episcopos tantis impensis, tam longinquis itineribus, Tridentum hoc tempore conuocari? Consultius multò erat,& satius, certe multò & breuius & commodius vt ad Papam potius omnia reiicerent, & statim ad illius sacri pectoris oraculum deuenirent. Deinde etiam iniquum est causam nostram à tot Episcopis & Abbatibus ad vnius hominis iudicium deuoluere, eius præsertim qui à nobis grauissimis criminibus accusetur, nec adhuc causam suã dixerit,& nos, antequã vocaremur ad iudicium, sine iudicio condemnarit. An ergò nos ista fingimus? Aut ista hodie non est ratio conciliorum? Aut non omnia à sacro concilio ad vnum Pontificem deferuntur: vt, quasi tot sententiis, & subscriptionibus nihil sit actum, ille vnus possit addere, mutare, minuere, abrogare, approbare, relaxare, restringere quicquid velit?

Quo-

Quorum ergo hominum sunt hæc verba?cur Episcopi & Abbates, non ita pridem in proximo concilio Tridentino ita ad extremum decreuerunt: Salua semper in omnibus sedis Apostolicæ authoritate? Aut cur Paschalis papa ita insolenter de se scribit? Quasi,inquit,Romanæ Ecclesiæ legem concilia vlla præfixerint: cum omnia concilia per Romanæ Ecclesiæ authoritatem & facta sint,& robur acceperint,& in illorum statutis Romani pontificis patenter excipiatur authoritas? Si ista rata esse volunt, cur concilia indicuntur?sin ea iubent esse irrita, cur in istorum libris, quasi integra relinquuntur?

De electione & electi potestate. ca. Signific.

Sed sit sanè Pontifex vnus supra omnia concilia,hoc est,sit pars aliqua maior quàm totum:plus possit,plus sapiat quàm omnes sui:& vel inuito Hieronymo,sit vrbis vnius autoritas maior quàm orbis terrarum. Ad quid si ille de his rebus nihil viderit: & nec sacras Scripturas,nec veteres Patres,nec concilia sua vnquam legerit? Quid si ille, vt olim Papa Liberius,deficiat ad Arrianos,aut,vt nō antè ita multos annos, Ioannes Papa,de futura vita,& animarum immortalitate impiè & nefariè sentiat:aut vt olim Papa Zosimus concilium Nicenum,ita ille nunc potestatis suę augendę causa alia concilia corrumpat,& quæ ne cogitata quidem vnquam fuerint, ea à sanctis patribus deliberata & constituta esse dicat:vtque Camotensis ait, Pontifices solitos esse sæpè facere,vim adhibeat Scripturis,vt habeat plenitudinem potestatis? Quid si abiiciat fidem Christianam,& efficiatur Apostata,quales Lyranus ait,multos fuisse Papas? Tamē ne Spiritus sanctus statim illi pulsabit pectus, atque etiam nolenti, & inuito accendet lumen,ne possit errare? Aut ille erit fons omnis iuris?& omnis Thesaurus sapientiæ atque intelligentiæ in illo,tanquam in scrinio,inuenietur? Aut,si ista in illo non sunt,poté stne de rebus tantis rectè & commodè iudicare? Aut si iudicare non potest, petit,vt ista ad se vnum omnia referātur? Quid si aduocati Pontificum, Abbates, & Episcopi, nihil dissimulent, sed apertè se gerant pro hostibus Euangelij, & quod vident, videre nolint,& vim faciant Scripturis,& videntes ac scientes deprauent,atque adulterent verbum Dei:& ea quæ perspicuè ac propriè dicta sunt de Christo, nec possunt cuiquam mortalium alij conuenire,impurè atque impiè ad Papam transferant? Quid si dicant Papam esse omnia & super omnia: Aut illum ea posse omnia, quæ Christus potest: & Papæ Christique vnum esse tribunal & vnum consistorium? Aut illum esse Lucem illam,quæ venerit in mundum, quod Christus de se vno pronuntiauit, cúmque qui male agit odisse ac fugere illam lucem:aut alios Episcopos omnes de eius accipere plenitudine? Postremò quid si non dissimulanter, aut obscurè,sed perspicuè & apertè decernant,contra expressum verbum Dei? An quicquid isti dicunt, statim erit Euangelium? An iste erit exercitus Dei? An ibi Christus præsto erit? An in istorum linguis natabit Spiritus sanctus,aut illi possunt verè dicere, Visum est spiritui Sancto, & nobis? Petrus quidem à Scoto,& eius astipulator Hosius,nihil dubitant affirmare concilium illud ipsum,in quo Christus Iesus adiudicatus est morti, habuisse spiritum Propheticum,spiritum sanctum,spiritum veritatis: Nec falsum aut vanum fuisse, quod Episcopi illi dixerunt: Nos habemus Legem,& secundum legem debet mori: Illos iudicasse(sic enim scribit Hosius)iudicij veritatem: Omninóque iustum fuisse illud decretum,quo ab illis pronuntiatum est, Christum dignū esse,qui moreretur. Mirùm verò est, non posse istos pro se dicere, & propugnare causam suam, nisi vnà etiam Annæ, Caiphæque patrocinentur. Nam qui illud ipsum concilium, in quo Filius Dei ad crucem ignominiosissimè condemnatus est,legitimum dicent fuisse ac probum, quod tādem illi concilium decernent esse vitiosum? Tamen qualia sunt istorum concilia fere omnia,necesse illis fuit,vt ista Caiphæ,Annæque concilio pronuntiarent. Verùm,an isti Ecclesiā nobis instaurabunt,iidē ipsi Iudices, iidemque rei? An isti minuent ambitionem factumque suum? An ipsi seipsos eiicient,aut contra se ferent sententiam? ne Episcopi sint indocti,ne ventres pigri,ne cumulent sacerdotia, ne gerant se pro principibus ne bella gerant? An dilecti Pontificum filioli Abbates decernent, Monachum, qui suo sibi labore victum non quærat, latronem esse? Aut fas illi non esse, nec in ciuitatibus, nec in turba, nec ex alieno viuere: oportere Monachum humi cubare: olusculo & ciceribus tueri vitam,incumbere literis,disputare,orare,opus facere,ad Ecclesiæ ministerium se parare? Eadem opera Pharisæi & Scribæ instaurabunt templum Dei,& ex spelunca latronum,restituent nobis domum orationis.

Hostien. ca. Quanto. Abbas de Electione. cap. Venerabili. Cornelius Episcopi. in concilio. Tridētino. Ioh. 1. Ioh. 3. Durandus. Hosius contra Brentium lib. 2.

Fuerunt ex ipsis aliqui,qui errores in Ecclesia complures deprehẽderint: Adrianus Papa, Æneas Syluius,Polus Cardinalis,Pighius,aliíque,vti iam diximus. Habuerunt postea concilium Tridenti, eodem loco, quo nunc indicitur. Conuenerunt Episcopi complures,& Abbates,& alij quos oportuit.Erant soli: quicquid ageretur, nemo erat qui obstreperet.Nostros enim homines ab omni conuentu prorsus excluserant.Sederunt ibi magna expectatione sex annos. Primis sex mensibus, quasi id magnoperè opus esset,multa de sacrosancta triade,de Patre,de Filio,de Spiritu sancto, pia quidem, sed non ita illo tempore necessaria,decreuerant. Interim tamen ex tot erroribus tam perspicuis,tam confessis,tam manifestis,quem vnum errorem correxerunt? A quo genere idololatriæ populum reuocarunt? Quã superstitionem sustulerunt? Quam partem tyrannidis & pompæ suæ minuerunt? Quasi verò iam orbis terrarum non videat conspirationem istam esse,non concilium,& istos Episcopos, quos nunc sibi Pontifex aduocauit,prorsus iuratos & addictos esse eius nomini: nec vnquam quicquam facturos,nisi quòd illi placere,& ad eius potentiam augendam facere,&illum velle videãt: Aut non ibi numerari sententias potius quàm appendi: aut non meliorem partem sæpè à maiore superari. Itaque scimus multos sæpe bonos viros, & Catholicos Episcopos, cum huiusmodi concilia indicerentur, & apertè factionibus & partibus inseruiretur,&scirent se tantùm lusuros esse operam,aduersariorum animos prorsus esse obfirmatos,nihil posse promoueri,mansisse domi. Athanasius,cum vocatus esset ab Imperatore ad concilium Cæsariẽse, & videret se ad infesta aduersariorum suorum odia venturum esse,adesse noluit: Idem postea cum venisset ad concilium Syrmianum, & ex hostium suorum ferocia,atque odio,animo rei euentum præsagiret,statim sarcinas collegit,atque abiit. Ioan. Chrysomus, quamuis quaternis literis ab Imperatore Constantio vocatus esset ad concilium Arrianorum: tamen domi se continuit. Cum Hierosolymorum Episcopus Maximus sederet in concilio Palæstino,eum senex Paphnutius manu apprehensum eduxit foras: Non est fas inquiens,nobis consultare de iis rebus,cum hominibus impiis.

Theodore. Lib. 1. c. 28.

Tripar. lib. 10. cap. 13.

Euseb. li. 1. cap. 17.

Ad concilium Syrmianum,à quo se subduxit Athanasius, Occidentis Episcopi venire noluerunt. Cyrillus ab illorum,qui Patropassiani dicebantur, concilio, per literas appellauit. Ad Mediolanense concilium Episcopus Treuerẽsis Paulinus, aliíque complures,cùm viderent conatus & potentiam Auxentij,venire recusarunt. Frustra enim videbant se ituros eò,vbi non ratio,sed factio audiretur, & vbi causæ non iudicio, sed studio discreparentur.

Tripar. Sozome. li. 5. cap. 15.

Atque illi quantumuis habebant infestos & obstinatos aduersarios,tamen si venissent,audiri saltem in concilio liberè potuissent.

Nunc autem cum nemo nostrum ne sedere quidem, aut omninò videri in istorum consessu, nedum liberè audiri possit,cum Pontificum legati,Patriarchæ,Archiepiscopi,Episcopi,Abbates omnes coniurati,omnes eadem culpa constricti, omnes eodem sacramento obstricti, soli sedeant, & soli ius habeant ferendi suffragij: & postremò quasi ipsi nihil egerint,omnia sua iudicia Papę vnius voluntati,libidinique subiiciant: videlicet,vt ille quem oportuit potius causam dicere,de seipso pronunciet: cum vetus illa, & Christiana libertas, quàm æquum erat in Christianis conciliis esse maximam, prorsus de concilio sublata sit: mirari hodie non debent homines prudentes ac pij, si nos id nunc facimus,quòd olim in simili causa, à tot Patribus & Catholicis Episcopis factum vident: vt quoniam audiri in concilio non possumus,& principum legati habẽtur ludibrio,& nos omnes,quasi res iam antea confecta, & constituta sit, ante iudiciũ condemnamur,domi manere malimus,& rẽ omnem Deo cõmittere, quàm eò proficisci,vbi nec locũ habituri simus,nec quicquam possimus promouere. Verùm nostrã iniuriã patienter,& sedatè ferre possumus. Sed cur Reges Christianos,& pios principes excludunt à concessu suo? Cur eos vel ita inciuiliter à se,vel ita cõtumeliosè dimittunt,vt quasi homines Christiani non sint,aut iudicare non possint, nolint eos religionis Christianæ causam cognoscere,& Ecclesiarũ suarum statũ intelligere: aut si autoritatẽ suam interponant,& faciant id quod possunt quod iubẽtur,quòd debẽt,quodq́; & Dauidẽ,& Salomonẽ,& alios bonos principes fecisse scimus,vt ipsis aut dormientibus aut nefariè resistẽtibus Sacerdotũ libidinem coërceant,eósque & ad officiũ faciẽdũ adigant, & in officio contineant: vt idola euertãt: vt superstitiones minuãt: vt Dei cultum

cultũ instaurent:cur statim clamant,illos omnia turbare, in alienũ officiũ irrumpere, & improbè atque immodestè facere?Quæ Scriptura Principem Christianum ab huiusmodi causarum cognitionem vnquam repulit? Quis præter istos solos vnquam ista iura decreuit?

At ciuiles,inquient, principes Remp.atque arma tractare didicerunt: religionis Mysteria non intelligunt. Quid ergo Papa hodiè aliud est, quàm Monarcha aut Princeps? Quid Cardinales? Quos nunc vix alios esse fas est,quàm Principum & Regum filios. Quid Patriarchæ,quid magna ex parte Archiepiscopi, quid Episcopi,quid Abbates in Regno Pontificio aliud hodie sunt, quàm ciuiles Principes, quàm Duces, quàm Comites,quocunque incedant,magnificè stipati,sæpe etiã torquati,& catenati.

Amictum quidem habent illi interdum aliquem, cruces, columnas,galeros,tiaras,pallia, quam pompam veteres Episcopi, Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius, nõ habebant.Præter ista verò quid docent,quid dicunt,quid faciunt,quid viuũt,quod deceat non tantùm Episcopum,sed etiam hominem Christianum? An tanti est titulũ inanem gerere,& mutata solùm veste,appellari Episcopum?

Certè illis solis,qui ista nec sciunt,nec scire omnino volunt,nec,nisi quod ad culinam & ventrem attinet,partem vllam Religionis teruntij faciunt, permitti rerum omnium summam,illos solos iudices fieri,& tanquam cæcos in specula collocari:Principem verò Christianum,rectè sentientem, stare truncum & stipitem, non suffragari, non sententiam dicere,tantùm quid illi velint aut iubeant, obseruare,sine auribus, sine oculis,sine animo,sine pectore:quicquid ab istis imponatur,sine exceptione recipere,& cæco iudicio imperata facere,quantumuis ea blasphema sint atque impia,etiam si eos iubeant Religionem vniuersam extinguere, & Christum ipsum in crucem tollere,& superbum,& contumeliosum,& iniquum est,& à principibus Christianis, & prudētib.non ferendũ.Quid enim? An Caiphas & Annas ista videre possunt?Dauid,& Ezechias non possunt?& an Cardinali,homini militari & sanguinem spiranti,in cõcilio sedere licet? Impp.aut Regi Christiano nõ licet? Nã nos quidem, nihil nostris magistratib.tribuimus aliud, quàm quod illis & ex verbo Dei tributum scimus,& optimarum Rerumpub.exemplo comprobatum, Præterquam .n. quod Principi fideli à Deo mandata est cura vtriusque tabulæ, vt intelligat ad officium suum non ciuilem tantũ rem,sed etiam sacram & Ecclesiasticam pertinere: præterquam quòd Deus sæpè Regē, ac disertè iubet lucos succidere. Idolorum statuas & aras euertere, librum Legis sibi describere,quódque illũ Esaias ait,Ecclesiæ patronum,& nutritium esse oportere: Præter inquam, hæc omnia ex historiis,& optimorum temporum exemplis videmus, pios,principes procurationem Ecclesiarum ab officio suo nunquam putasse alienam.

Moses,ciuilis Magistratus,ac Ductor populi,omnem religionis,& sacrorum rationem,& accepit à Deo,& populo tradidit: & Aaronem Episcopum de aureo vitulo,& de violata Religione,vehementer & grauiter castigauit.Iosue,etsi non aliud erat, quã magistratus Ciuilis,tamen cum primum inaugurararetur, & præficeretur populo accepit mandata nominatim de Religione,déque colendo Deo. *Exod.32.* *Iosu.1.*

Dauid Rex,cum omnis iam religio ab impio rege Saule prorsus esset dissipata,reduxit arcam Dei,hoc est,Religionem restituit:nec tantùm adfuit vt admonitor aut hortator operis,sed etiam Psalmos & Hymnos dedit,& classes disposuit, & pompam instituit,& quodammodò præfuit Sacerdotibus. *1.Par.13.*

Salomon Rex ædificauit templum Domino, quod eius pater Dauid animo tantùm destinauerat: & postremò orationem egregiam habuit ad populum de religione, & cultu Dei: & Abiatharum Episcopum posteà summouit, & in eius locum Sadocum surrogauit: Cúmque postea templum Dei fœdum in modum esset Sacerdotum vitio & negligentia contaminatum,Ezechias illud Rex iussit,à rudeibus & sordibus repurgari, accendi lumina,suffitus adoleri, & veteri ritu sacra fieri: Æneum etiam serpentem,qui tum à populo impiè colebatur,tolli, & in puluerem redigi.Iosaphat Rex,excelsa & lucos, quibus impediri videbat cultum Dei,& populum à communi Templo,quod erat Hierosolymis, ad quod ex omni parte Regni quotannis eundem erat,priuata superstitione retineri,euertit & sustulit. Iosias Rex, diligenter admonuit Sacerdotes & Episcopos officij sui. Ioas Rex,repressit luxum & insolentiam Sacerdotum.Iehu,impios Prophetas neci dedit. Et, ne plura ex Sacris scripturis *2.Par.6.* *3.Reg.8.* *2.Par.29.* *4.Reg.18.* *2.Par.17.* *4.Reg.23.* *4.Reg.12.* *4.Reg.10.*

exempla commemoremus, ac potius à Christo nato quemadmodum in Euangelio Ecclesia administrata sit, cōsideremus: olim Impp. Christiani indicebāt Episcoporum Concilia: Constantinus Nicenum: Theodosius I. Constantinopolitanum: Theodosius II. Ephesinum: Martianus Chalcedonēse: Cúmque Ruffinus allegasset Synodum, quasi quæ pro se faceret: eius aduersarius Hieronymus, vt eum refutaret, Doce, inquit, quis eam imperator iusserit conuocari. Idem in epitaphio Paulę citat literas Imperatorum, qui Episcopos Latinos, Græcósque Romam accersiri iusserint.

Omninò per ann. 50. Imp. solus agebat conuentus sacros, & Episcoporum Concilia celebrabat. Quò magis nunc miramur importunitatē Episcopi Romani, qui, quod sciat, integris rebus, fuisse ius Impp. nunc autem postquam Reges in partem Cęsareæ Maiestatis deuenerunt, esse ius commune omnium Principum, id ita temerè vni adscribat sibi, & satis esse putet voluntatem suam de habendo Concilio cum Principe orbis terrarum viro, tanquam cum famulo suo communicare.

Vt Pius 4. in Bulla sua ad Imp. Ferdinandum.

Quod si Imperatoris Ferdinandi modestia tanta est, fortasse, quòd artes Pontificias non satis norit, vt hanc iniuriam ferre possit Pontifex tamen pro sua sanctitate, iniuriam illi facere, & ius sibi alienum arrogare non debebat.

At conuocabat quidem tum, inquiet aliquis Imp. Concilia, quòd Romanus Episcopus nondum ad istam magnitudinem peruenisset: tamen ne tum quidem aut vnà sedebat cum Episcopis in Concilio, aut omninò in deliberatione autoritatem suam vllā in partem interponebat. Imò verò, vt Theodoretus ait, Imp. Constantinus, in Concilio Niceno non solùm vnà sedebat, sed etiam Episcopos, quemadmodum causa ex Apostolicis, Propheticísque literis cognoscēda esset, admonebat. In disputationibus inquit de rebus diuinis, propositam nobis habemus, quā sequamur, doctrinam Spi. Sancti. Euangelici enim & Apostolici libri, & Prophetarum oracula satis ostendunt, quid nobis de voluntate Dei sit sentiendum. Theodosius Imp. vt ait Socrates, non solùm sedit inter Episcopos, sed etiam causæ disceptationi. præfuit, & Hæreticorum scripta lacerauit, & Catholicorum sententiam comprobauit.

Hist. Eccl. li. 1. cap. 5.

Lib. 1. c. 5.

In Chalcedonensi Concilio magistratus ciuilis Dioscorum, Iuuenalem, Thalassium, Episcopos sua sententia pro hæreticis condemnauit, eósque de illo gradu Ecclesiæ deiiciendos esse censuit.

Socrates. li. 5. cap. 10.

In Constantinopolitano concilio. 3. ciuilis magistratus Constantinus, non solùm sedit inter Episcopos, sed etiam subscripsit cum Episcopis: Legimus, inquit, & subscripsimus. In Concilio Arausicano. 2. Legati principum viri Patritij non tantùm sententiam de religione dixerunt, sed etiam inter Episcopos subscripserunt. Sic enim in illo concilio scribitur ad extremum: Petrus Marcellinus, Felix, Liberius vir clarissimi, & illustres præfecti Prætorij Galliarum, atque patritij consentientes, subscripserunt. Syagrius, Pantagatus, Deodatus, Cariattho, Marcellus viri clarissimi, subscripserunt.

Actione. 2.

Quòd si præfecti prætorii, & viri Patritii subscribere in Concilio potuerunt, Imperatores & Reges non potuerunt? Non sanè opus erat, rem ita perspicuam, tot verbis & tam prolixè prosequi, nisi nobis res cum illis esset, qui omnia clarissima, etiam ea, quæ vident, quæque oculis vsurpant: tamen, contentionis & vincendi studio negare solēt. Imp. Iustinianus legem tulit de corrigendis moribus, & de frenanda insolentia Sacerdotum, & quamuis esset Christianus & catholicus Imp. tamen duos Papas successores Petri, vicarios Christi, Syluerium & Vigilium, de Paqatu deiecit.

Iam verò qui authoritatem sumunt in Episcopos: qui à Deo accipiunt mandata de Religione: qui reducunt arcam Dei: componunt sacros Psalmos, præsunt Sacerdotib. ædificant Templa, habent conciones de cultu Dei, qui templa repurgant, demoliuntur excelsa, incendunt lucos, qui Sacerdotes admonent officii, & illis scribunt leges vitæ: qui Prophetas impios occidunt: qui Episcopos summouent: qui cogunt concilia Episcoporum: qui cùm Episcopis vnà sedent, eosque quid agendum sit, instituunt: qui Episcopum hæreticum adiudicant supplicio: qui de Religione cognoscunt: qui subscribunt: qui pronunciant, atque hæc omnia, non alieno iussu, sed nomine suo, & rectè & piè faciunt, an ad eos dicemus Religionis curam non pertinere? Aut magistratū Christianum, qui hisce rebus sese admisceat, aut improbè, aut immodestè, aut impiè facere? His reb. Impp. & Reges antiquissimi, & Christianissimi sese admiscuerunt: non tamen ea causa vnquam notati sunt aut impietatis, aut immodestiæ. Et quis quærat, vel Principes

cipes magis catholicos vel exempla illustriora?

Quod si hoc illis licebat, cum essent ciuiles tantùm Magistratus, & præessent reb. publicis, quid hodie peccauerunt nostri Principes, quibus, cum eo loco sint, idē tamen nō liceat? Aut quæ tāta vis doctrinæ, iudicij, sanctitatis est in istis, vt præter consuetudinem omnium veterum, & catholicorum Eporum, qui cum Principibus viris de Religione deliberarunt, nunc principes Christianos à causæ cognitione, & à suo congressu reiiciant? Sed rectè illi cauent sibi, regnóque suo: quod alioqui vident breui esse ruiturum. Nam si illi, quos Deus in altissimo gradu collocauit, viderent atque intelligerent istorum artes: contemni ab illis iussa Christi: obscurari & extingui lucem Euangelij: sibi fucum fieri: imprudentib. illudi, atque obstrui aditum ad regnum Dei, nunquam illi se vel ita superbè despici, vel ita contumeliosè haberi ludibrio, ita facilè paterentur. Nunc autem illi eos inscitia & cæcitate obstrictos sibi habent atque obnoxios.

Nos quidē, vti diximns, de mutāda Religione, nihil temerè aut insolēter, nihil nisi cunctanter, & magna cū deliberatione fecimus: neq; id vnquā animum induxissemus facere, nisi nos & manifesta, atque indubitata voluntas Dei, nobis in sacrosanctis Scripturis patefacta, & salutis nostræ ratio coēgisset. Etsi .n. discessimus ab illa Ecclesia, quā isti appellant Catholicam, & ea re, nobis apud illos, qui iudicare non possunt, inuidiam faciunt: tamen id satis est nobis, satisque esse debet homini prudenti & pio, & de æterna vita cogitanti, nos ab ea Ecclesia discessisse, quæ errare potuerit, quàm Christus, qui errare non potest, tantò ante prædixerit erraturam, quámque nos ipsi oculis perspicuè videbamus à sanctis patrib. ab Apostolis, à Christo ipso, à primitiua, & Catholica ecclesia discessisse. Accessimus autem quantùm maximè potuimus, ad ecclesiam Apostolorum, & veterum Catholicorum Episcoporum, & Patrum, quam scimus adhuc fuisse integram, vtque Tertullianus ait, incorruptam Virginem, nulla dum nec Idololatria, nec errore graui, ac publico contaminatam: nec tantùm doctrinam nostram, sed etiā Sacramenta, precúmque publicarum formam, ad illorum ritus & instituta direximus: vtque Christum ipsum & omnes ferè pios fecisse scimus, religionem ab istis turpiter neglectam & deprauatam, ad originem, & ad primordia reuocauimus. Inde .n. putauimus instaurationem petendam esse, vnde prima Religionis initia ducta essent. Hæc .n. ratio, inquit, antiquissimus pater Tertullianus, valet aduersus omnes hæreses: Id esse verū, quodcunque primum, id esse adulterum, quodcunque posterius. Irenęus sæpe ad antiquissimas Ecclesias prouocauit, quæ Christo fuissent viciniores, quásq; credibile vix esset errauisse. Iam verò, cur ea hodie ratio non initur? Cur ad antiquarum Ecclesiarū similitudinem non redimus? Cur id à nobis hodie audiri non potest, quod olim in Concilio Niceno, à tot Episcopis, & Catholicis Patrib. nullo refragante, pronunciatū est, Ἔθη ἀρχαῖα κρατείτω: Esdras cùm reficere vellet ruinas templi Dei non misit Ephesum, quamuis ibi esset Dianæ templum pulcherrimum, & ornatissimum: cúmque vellet sacra & ceremonias restituere, non misit Romam, quamuis fortasse audisset ibi esse Hecatombas, Solitaurilia, Lectisternia, Supplicatioees, & libros Numæ Pompilij rituales. Satis ille sibi putauit fore, si exemplar veteris Templi, quod ab initio Salomon ad Dei præscriptum excitauerat, & ueteres illos ritus ac ceremonias, quas Deus ipse Mosi nominatim scripserat, haberet ante oculos & sequeretur.

Aggæus Prophæta, cùm iam Templum ab Esdra refectum esset, & populo causa oblata satis iusta videri potuisset, sibi de tanto Dei Optimi maximi beneficio gratulandi: tamen excussit omnibus lacrymas, quòd qui erant adhuc superstites, & priora Templi ædificia antequam à Babyloniis diriperetur, viderant, meminissent, multùm adhuc ab ea pulchritudine abesse, quæ olim fuerat. Tum enim demum putassent, Templum egregiè instauratum, si ad pristinum exemplar, & veterem templi maiestatem respondisset.

Diuus Paulus vt Cœnam Domini, quam Corinthii iam tum cœperant corrumpere, repurgaret, proposuit illis institutionem Christi, quam sequerentur: Id inquit, ego vobis tradidi, quod acceperam à Domino. Et Christus, vt Pharisæorum errorem refelleret: Ad initia, inquit, redeundum est: Ab initio non fuit sic. 1. Cor. 10.

Vtque Sacerdotum sordes, & auaritiam coargueret, & templum purgaret. Hæc inquit, ab initio, domus orationis fuit, vbi populus omnis piè & castè precaretur: atque ita vos oportebat nunc quoque eam instituere. Non enim ea causa extructa fuit, vt

esset spelunca latronum.

Sic omnes in Sacris scripturis pii,& laudati Principes,eo maximè nomine laudati sunt,quod ambulassent in viis Dauid patris sui,videlicet quod ad primordia,& ad fontes rediissent,& religionem in integrum restituissent.

Itaque nos cum videremus omnia ab istis prorsus esse pessumdata,& in tẽplo Dei præter miseras ruinas nihil esse reliqui. consultissimum esse duximus,vt illas nobis Ecclesias proponeremus,quas certò sciremus,& non errasse,& Missas priuatas,& preces ignotas,ac barbaras,& istã Sacrorum corruptionẽ,atque alias ineptias non habuisse.

Et cum Templum Domini cuperemus in integrum restitutum:non aliud fundamẽtum quærere voluimus,quàm quod iam olim ab Apostolis sciremus esse iactum,quod est seruator noster Iesus Christus.

1.Cor.3.

Cúmque audiremus Deum ipsum nobis loquentem in verbo suo, & videremus exempla illustria Veteris & Primitiuæ Ecclesiæ : incerta autem esset Concilij generalis expectatio,& euentus multò incertior:maximè verò cum certi essemus de voluntate Dei,& nefas esse duceremus nimium solicitos esse,atque anxios de sententiis hominum:non potuimus amplius cum carne & sanguine deliberare : illud potius fecimus, quod & rectè posset fieri,& à piis hominibus,& Catholicis Episcopis sæpè multis factũ esset:vt Prouinciali synodo nostris Ecclesiis prospiceremus. Sic enim Veteres Patres scimus solitos esse experiri,antequam ad publicum orbis terrarum Concilium veniretur.Extant hodie Canones scripti, in Cõciliis municipalibus Carthagini sub Cypriano Ancyræ,Neocæsariæ,Gangræ etiam in Paphlagonia,vt quidam putant, antequam Niceni Cõcilij Oecumenici nomen auditum esset.Ad hunc modum olim sine Concilio generali statim domi priuata disceptione occursum est Pelagianis,& Donatistis.Sic cum Imperator Constantius apertè studeret Auxentio Arrianorum partium Episcopo,Ambrosius Episcopus Christianus, non ad Concilium generale, in quo videlicet propter Imperatoris potẽtiam,& studium partium videbat nihil posse fieri,sed ad clerum populúmque suum,hoc est,ad Prouincialem Synodum prouocauit. Sic decretũ est in Concilio Niceno,vt in singulos annos bis,in Carthaginensi,vt minimùm semel, Episcoporum conuentus in singulis prouinciis haberentur:quod Chalcedonense Concilium ait ea causa fuisse factum,vt si qui errores,aut abusus vspiam emersissent,statim in ipso vestigio,vbi natæ fuissent,extinguerẽtur.Ita,cum Secundus,& Palladius Aquileiense Concilium quod non esset generale ac publicum,repudiarent : Ambrosius Episcopus Mediolanensis respondit,Non debere illud nouum cuiquam videri,aut peregrinum, si Occidentis Episcopi conuocent Synodos, & agant conuentus Prouinciales:id.n.anteà & ab Occidentalibus Episcopis non rarò, & à Græcis sæpe factum esse. Ita Carolus Magnus Imperator Concilium habuit prouinciale in Germania contra concilium Nicenum secundum, De tollendis imaginibus. Ne nobis quidem prorsus inaudita,aut noua est ea ratio.Nos enim habuimus aliquando in Anglia synodos Prouinciales,& domesticis legibus Ecclesias nostras ordinauimus.Quid multis?Certè cõcilia illa plenissima & maxima,de quibus isti solent tãtoperè gloriari, si cum omnibus Ecclesiis,quæ per totum orbem terrarum agnoscunt, & confitentur nomen Christi, conferantur,quid obsecro aliud videri possunt, quàm priuata quædam Episcoporum Cõcilia, & synodi Prouinciales?Nam etsi fortè Italia,Gallia,Hispania,Anglia,Germania,Dania,Scotia conueniant:absit autem Asia,Græcia,Armenia,Persia,Media,Mesopotamia,Ægyptus, Æthiopia,India,Mauritania,quibus in locis omnibus, & Christiani homines multi sunt,& Episcopi:quomodo potest cuiquam sano huiusmodi Concilium videri Generale?Aut cum tot partes orbis absint, quomodò possunt verè dicere, se habere consensum orbis terrarum? Aut quale tandem erat illud Concilium proximum Tridentinum,aut quomodo dici potuit Generale,cum ad illud ex omnibus Regnis & regionibus Christianis 40.tantùm Episcopi conuenissent,& ex illis aliqui ita diserti,vt remittendi esse viderentur ad Grammaticos:ita verò docti,vt nunquam perlegerint sacras literas.Quicquid est,veritas Euangelij Iesu Christi non pendet à Conciliis,aut,vt Paulus ait,ab humano die.Quod si illi,quibus Ecclesiam Dei curę esse oportuit,sapere nolint,& officio suo defuerint,atque animos suos contra Deũ & eius Christum obfirmauerint & rectas vias domini peruertere perrexerint:Deus lapides excitabit,& pueros infantes disertos faciet:vt semper existant aliqui, à quibus istorum men-

dacia

dacia refutentur. Potest.n. Deus, non solùm sine Conciliis, sed etiam inuitis Conciliis & tueri, & promouere regnum suum. Multæ, inquit Salomon, sunt cogitantes in huma no corde: sed Domini consilium manet firmum. Non.n.est sapientia, non est prudẽtia, non est Cõcilium contra Dominum. Humanis operibus, inquit Hilarius, extructa nõ durant: aliter ædificanda, aliter conseruanda Ecclesia est. Ea enim posita est in fundamentis Apostolorum & Prophetarum, & continetur vno angulari lapide, Christo Iesu. Multò verò clarissimè & ad hæc tempora appositissimè D. Hieronymus: Quoscúnq; inquit, Diabolus deceperit, & quasi suaui & pernicioso carmine Sirenarum illexerit ad dormiendũ, eos excitat sermo diuinus, & dicit: Surge, qui dormis, eleuare, & illuminabit te Christus. In aduẽtu ergo Christi, & sermonis Dei, & doctrinæ Ecclesiasticæ, & consummationis Niniuæ, & speciosissimæ Meretricis, eleuabitur populus & properabit, qui sub magistris anteà fuerat sopitus: & ibit ad montes Scripturarum: ibi inueniet montes, Mosen, Iesum filium Naue: montes Prophetas, montes Noui Testamenti, Apostolos & Euangelistas. Et cum ad tales montes confugerit, & in huiusmodi montium fuerit lectione versatus: si non inuenerit qui eum doceat, messis.n.erit multa, operarij pauci: tamen & populi studium comprobabitur, quòd confugerint ad huiusmodi mon tes, & magistrorum negligentia coarguetur. Hæc Hieronymus ita perspicuè, vt nihil opus sit interprete: ita ad ea, quæ nos iam oculis videmus euenisse: accõmodatè: vt nobis quidẽ videatur, vniuersum statũ temporũ nostrorũ, & ornatissimę illius meretricis Babylonicæ ruinam, & ecclesiæ Dei instaurationem, & cæcitatem, atque ignauiam Episcoporum: & studium atque alacritatem populi, quasi spiritu prophetico prædicere, & ante oculos nostros constituere voluisse. Quis.n.tam cæcus est, vt non videat istos illos Magistros esse, à quibus populus, vt Hieronymus ait, in errorem inductus sit, & cõ sopitus: aut Niniuen istorum Romam pulcherrimis aliquandò fucatam coloribus nũc detracta persona, & melius videri, & minoris fieri, aut homines pios excitatos tãquam è graui somno, ad lucem Euangelij, & ad voces Dei, nihil expectatis huiusmodi magistrorum Conciliis, contulisse se ad montes Scripturarum?

Eph.2.

In Prophetã Naũ cap.3.

At saltem (inquiet aliquis) in iussu Romani Pontificis ista tentari non oportuit: illum enim vnum esse nodum, & vinculum societatis Christianæ: Illum vnum esse sacer dotem illum Leuitici generis, quem Deus significauerit in Deuteronomio, à quo consilium in rebus arduis & veritatis iudicium petendum sit: si quis illius iudicio non obtẽ peret, illum in conspectu fratrum suorum oportere interfici: Illum, quicquid agat, non posse à quoquã mortalium iudicari, Christum in cœlis regnare, illum in terris: Illũ unũ posse, quicquid Christus, aut Deus ipse potest: illius.n. & Christi vnum esse consistoriũ: sine illo nullam esse fidem, nullam spem, nullam Ecclesiam: Qui ab illo discedat, eum abiicere & repudiare salutem suam: Hæc Canonistæ parasiti Pontificum, non nimium modestè illi quidem. Vix enim plura, certè non ampliora potuissent de Christo ipso dicere.

Nos quidem non voluptatis vllius humanæ, aut commodi causa à Pontifice discessimus. Atque vtinam potius ille ita se gereret, ne opus esset discessione. Verùm ita res erat: Nos, nisi illo relicto, non potuimus ad Christũ peruenire. Neq; ille nunc aliud fœdus nobiscum ferire vult, quàm quale olim rex Ammonitarum Naas ferire voluit cum Iabensibus, vt illis omnibus dextros oculos effoderet. Eripere enim vult nobis Sacras scripturas, Euangelium salutis nostræ, & omnem illam spem quam habemus in Christo Iesu. Aliis enim conditionibus pacem non posse conuenire.

1.Reg.11.

Nam quod quidam tantoperè solent prædicare, Papam solum esse successorẽ Petri, quasi ea causa Spiritum sanctum in sinu gerat, & errare non possit, leue ac nugatorium est. Animo pio, ac Deum timenti promissa est Dei gratia, non cathedris & successionibus. Diuitiæ, inquit, Hieronymus, potentiorum Episcopum facere possunt: omnes tamen Episcopi, quicunque sunt, sunt successores Apostolorum. Quod si locus & inauguratio sola satis est, & Manasses successit Dauidi, & Caiphas Aaroni, & Idolum sæpe stetit in Templo Dei. Archidamus olim Lacedæmonius, multa de se prædicabat, quod esset ex Hercule oriũdus: eius insolentiam ita refutabat Nicostratus: Atqui tu ex Hercule oriũdus nõ videris: nã ille malos homines interfecit, tu ex bonis malos facis. Cúmq; Pharisæi iactarẽt successiones suas, & genus, & sanguinẽ Abrahami, vos, inquit Christus, quæritis me interficere, hominem qui veritatem vocis loquutus sum, quam

audiui à Deo. Hoc Abraham nunquam fecit: vos ex patre Diabolo estis, & eius voluntati vultis obsequi.

Tamen vt aliquid successioni largiamur, An solus Papa successit Petro? Qua ergo in re: qua in religione: in qua functione: in qua parte vitæ illi successit? Quid vnquàm aut Petrus Papæ simile habuit, aut Papa Petro? Nisi hoc fortè velint dicere: Petrum, cum esset Romæ, nunquam docuisse Euangelium: nunquam pauisse gregem: abstulisse claues regni cœlorum, abscondisse thesauros domini sui: tantùm sedisse in Laterano, & omnia spatia Purgatorij, & suppliciorũ genera digito descripsisse: Animas miseras, alias in cruciatum relegasse: alias, accepta mercede, repentè pro arbitrio exemisse: Missas priuatas, quæ in omnib. angulis dicerentur, tradidisse: sacra mysteria summissa voce, & aliena lingua mussitasse: Eucharistiam in omnibus templis & altarib. collocasse: eámque ante se, quocunque incederet in asturcone gradario cum luminibus & tintinnabulis circumtulisse: oleum, ceram, lanam, campanas, calices, templa, altaria, sacro anhelitu consecrasse: iubilea, gratias immunitates, expectationes, præuentiones, annatas, pallia, vsum palliorum, bullas, indulgentias, diplomata vendidisse, sese caput Ecclesiæ, & summum Pontificem & Episcoporum Epũm & solum sanctissimum appellasse: in alienas Ecclesias ius & autoritatem sibi vsurpasse: Ab omni se ciuili potestate exemisse: Bella gessisse: Principes inter se commisisse: in aurata sella, corona lemniscata, apparatu Persico, regali sceptro, aureo diademate, lucentibus gemmis in hominum nobilium ceruicibus equitasse. Hæc scilicet Petrus olim Romæ fecit, eáque successoribus suis quasi per manus tradidit. Hæc enim à Papis hodie Romæ fiunt: atq; ita fiunt, quasi aliud fieri nihil debeat. Aut, nisi hoc malint fortasse dicere, Papam ea nunc facere omnia, quæ olim scimus fecisse Petrum, discurrere in omnes terras, docere Euangelium, non tantùm publicè, sed etiam priuatim, per singulas domos: instare opportunè, importunè, tempestiuè, intempestiuè, opus facere Euangelistę, implere ministerium Christi, esse speculatorem domus Israel: accipere oracula & voces Dei, eásque vt acceperit, ita populo reddere: esse sal terræ: esse lucem mundi: non seipsum pascere, sed gregem: non implicare se ciuilibus negotiis huius vitæ: non exercere dominium in populum Domini, non id quærere, vt sibi ab aliis ministretur, sed ipsum potius aliis ministrare: omnes Epos putare socios esse suos, & pares: subiectum esse Principibus tanquam à Deo missis: reddere, quod Cæsaris est, Cæsari. quódque veteres Epi Romani sine exceptione fecerunt, Imperatorem Dominum suum appellare. Hæc nisi nunc Papæ faciant, & nisi ea, quæ diximus, Petrus fecerit, nihil est quòd de nomine Petri, & de ista successione tantoperè glorientur, quod autem de secessione nostra querantur, & nos ad societatẽ & fidem suam reuocent, multò minus. Cobilonem, aiunt, quendam Lacedæmonium, cum fœderis feriendi causam missus esset legatus ad regem Persarum, & aulicos fortè inuenisset ludentes alea, statim re infecta, rediisse domum: Rogatum cur neglexisset ea facere, quæ publicè acceperat in mandatis, respondisse, quod ignominiosum existimasset id fore Reipublicæ si fœdus percussisset cum aleatoribus. At, si nos ad Pontificẽ pontificiósque errores redire animum induceremus, & fœdus non tantùm cum aleatoribus, sed etiam cum hominibus longè nequioribus feriremus, esset in nobis non tantùm ad famam ignominiosum, sed etiam ad inflammandam aduersus nos iram Dei, & ad opprimendam extinguendámque conscientiam nostram, perniciosum. Nam nos quidem discessimus ab illo, quem videbamus multa iam sæcula cæcasse orbem terrarum: Ab illo qui nimium insolenter dicere solebat, se errare non posse, & quicquid ageret, non posse se à quoquam mortalium, non à Regibus, non ab Imperatoribus, non à toto clero, non ab vniuerso populo iudicari, non si mille animas secum abduceret ad inferos. Ab illo, qui sibi imperium sumebat, non tantùm in homines, sed etiam in Angelos Dei vt irent, redirent, ducerent animas in Purgatorium, & easdem reducerent, cum ipse vellet, quem Gregorius clarissimè dicebat esse præcursorem & antesignanũ Antichristi, & á fide Catholica defecisse. A quo coryphæi nostri illi, qui Euangelio, atque agnitæ veritati se opponunt, ad vnum omnes iampridem vltrò & libenter discesserunt, & nunc etiam ab eodem non inuiti discesserunt, nisi eos inconstantiæ nota, & pudor & populi de se existimatio impediret. Postremò ab illo discessimus, cui obstricti non eramus, quíque præter Genium quendam loci, & successionem, quod pro se diceret, nihil habuit. Et nos quidem ab illo longè omnium iustissimè discessimus. Nostri

enim

enim Reges,illi etiam,qui autoritatem, & fidem episcoporum Romanensium obseruantissimè sequebantur, satis iam olim senserunt iugum & Tyrannidem regni pontificij.Romani enim Episcopi & Henrico Regi nostro, eius nominis secundo diadema de capite detraxerunt,eúmque abiecta omni maiestate priuato tantùm habitu,vt esset suis omnib.ludibrio,ad Legatum suum venire demissum,& supplicem voluerunt. Et in regem nostrum Ioannem, Episcopos, & monachos & nonnullam etiam partē Nobilitatis armauerunt & populum omnem iureiurando,quo illi erant obstricti, liberarunt,eúmque postremò nefariè per summum scelus,non tantùm regno, sed etiam vita exuerunt: Et Henricum eius nominis octauum: nobilissimum principem, diris & fulminibus defixerunt:& in illum modò Cæsarem,modò Gallum cōmouerunt,quódque in ipsis erat,regnum nostrum prædæ ac direptioni exposuerunt:homines insani ac fatui qui aut tantùm Regem,laruis,&crepitaculis perterrefieri posse crederent,aut tātùm Regnum tam facile,vno quasi bolo deuorari. Et quasi hęc omnia non essent satis, vniuersam etiam prouinciam vectigalem habere voluerunt:& ex ea quotannis census iniustissimos exegerunt. Tanti,videlicet,nobis constitit amicitia vrbis Romæ.Quòd si illi nobis ista imposturis,& malis artibus extorserunt,nihil causæ est,cur non illis eadē legitimis rationibus,& bonis legibus possint eripi. At si ea illis reges nostri in illa caligine superiorum temporum,inducti opinione aliqua simulatæ illorum sanctitatis,Religionis ergo,vltro,& liberaliter donauerunt,posteà animaduerso errore,à posteris Regibus,qui eadem potestate sunt,possunt auferri.Irrita enim est donatio, nisi donatoris voluntate comprobetur. Voluntas autem videri non potest, quam error obfuscat atque impedit.

Conclusio huius Apologiæ.

Habes Christiane lector,non esse nouum,si hodie postliminio restituta, & quasi renascens religio Christiana contumeliis,& conuitiis accipiatur.Id enim & Christo ipsi, & Apostolis accidisse.Tamen ne tu te istis aduersariorum nostrorum clamoribus abduci,& tibi imponi patiaris:exposuimus tibi vniuersam rationē religionis nostræ:quid de Deo patre,quid de eius vnico filio Iesu Christo,quid de spiritu Sancto,quid de Ecclesia,quid de Sacramentis,quid de Ministerio,quid de sacris Scripturis,quid de Ceremoniis,quid de omni parte persuasionis Christianæ sentiamus.Diximus nos omnes antiquas hæreses,quas aut Sacrosanctæ Scripturæ,aut vetera Concilia condemnarunt, vt pestes & pernities animorum detestari:nos disciplinam Ecclesiasticam, quam aduersarij nostri prorsus eneruarunt, quantùm maximè possumus reuocare: & omnem vitæ licentiam & dissolutionem morum,priscis & auitis legib.& ea qua par est, quàq; possumus seueritate vindicare:Nos regnorum statum,eo,quo accepimus,loco,sine imminutione vlla,aut mutatione retinere:& principib.nostris Maiestatem,quantùm maximè possumus,incolumem,conseruare:Nos ab illa Ecclesia,quā isti speluncam latronum fecerant,& in qua nihil integrum,aut Ecclesiæ similē reliquerant, quàmque ipsi fatebantur multis in rebus errauisse, vt Lothum olim è Sodoma, aut Abrahamum è Chaldæa,non contentionis studio, sed Dei ipsius admonitu discessisse: & ex sacris libris,quos scimus non posse fallere,certam quandam religionis formam quæsiuisse, & ad veterum patrum,atque Apostolorum primitiuam Ecclesiam,h.e.ad primordia atque initia,tanquam ad fontes rediisse: Authoritatem autem in ea re, aut consensum Concilij Tridentini,in quo videremus nihil rectè, atque ordine geri, vbi ab omnibus in vnius nomen iuraretur,vbi legati principum nostrorum contemnerentur, vbi nemo nostrorum Theologorū audiretur, vbi apertè partib.atque ambitioni studeretur, non expectasse:Sed quod olim sancti patres,quódq; maiores nostri sæpe fecerunt,prouinciali cōuentu nostras Ecclesias restituisse: Episcopi uerò Romani,cui obstricti non eramus,quíque nihil habebat nec Christi,nec Petri,nec Apostoli,nec omnino Episcopi simile,iugum & tyrānidem pro eo,ac debuimus,excussisse:Postremò, nos inter nos, de omnibus dogmatibus & capitibus religionis Christianæ conuenire, & vno ore, vnóque spiritu colere Deum,& Patrem D.nostri Iesu Christi.

Quare Christiane & pie lector,cum videas rationes & causas, & restitutæ apud nos religionis,& secessionis ab istis nostræ:mirari non debes,si Christo nostro obtemperare maluimus,quam hominibus.Paulus nos admonuit,ne variis istis doctrinis,nos abduci pateremur:vtque illos inprimis fugeremus,qui sererent dissentiones præter illam doctrinam,quam à Christo & Apostolis accepimus. Iamdudū, vt noctua ad Oriē-

tem solem, ita istorum imposturæ dilabantur, & fugiunt ad aspectum, & lucem Euangelij: & quamuis ad cœlum vsque extructæ atq; exaggeratæ sint, tamen leui momento, & quodammodo sua sponte corruunt. Non enim putare debes ista omnia temerè, aut casu accidisse. Dei hæc voluntas fuit, vt inuitis propè omnibus, Euangelium Iesu Christi in orbem terrarum his temporibus spargeretur. Itaque diuinis vocibus admoniti homines, sese vltrò ad Christi doctrinam contulerunt. Nos quidem non gloriam ex ea re quæsiuimus, non opes, non voluptates, non otium. Hæc enim isti habent abundè omnia: & nos ea, cùm apud illos essemus, multò largius & prolixius habebamus. Neque nos consentionem & pacem fugimus: sed pacis humanæ causa, cum Deo belligerari nolumus. Dulce quidem, inquit Hilarius, est nomen pacis: sed aliud est inquit Pax aliud seruitus: Nam vt, quod isti quærunt, Christus tacere iubeatur: vt prodatur veritas Euangelij: vt errores nefarij dissimulentur: vt Christianorum hominum oculis imponatur: vt in Deum apertè conspiretur, non ea pax est, sed iniquissima pactio seruitutis. Est quædam, inquit Nazianzenus, pax inutilis: est quoddam vtile dissidium. Nam paci cum exceptione studēdum est, quantum fas sit, quantumque liceat. Alioqui Christus ipse, non pacem in mundum attulit, sed gladium. Quare si nos Papa secum in gratiam redire velit: ipse prius in gratiam redire debet cum Deo. Hinc enim inquit Cyprianus, schismata oriuntur, quia caput non quæritur, & ad fontem sacrarum Scripturarū non reditur: & cœlestis Magistri præcepta non seruantur. Non enim inquit, pax ea est, sed bellum: nec Ecclesiæ iungitur, qui ab Euangelio separatur. Isti verò cauponarij tātùm solent nomen pacis. Pax enim illa, quam tantoperè quærunt, otiosorum tantùm est vētrum tranquillitas. Nam hæc omnia inter nos facilè cōponi possent, nisi ambitio, venter, luxus impedirent: hinc illæ lachrymæ: animus est in patinis. Id scilicet, clamant, atque obstrepunt, vt malè parta, fœdius & nequius tueantur. Queruntur enim hodie de nobis indulgentiarij, Datarij, quæstores, lenones aliique qui quæstum putant esse pietatem, nec Iesu Christo seruiunt, sed suo ventri. Olim enim isti generi hominū fuit quæstus vberrimus apud sæculum prius. Nunc autem quicquid Christo accedit, id omne sibi detractum putant. Id hodie Pontifex ipse queritur, refrixisse, videlicet pietatem, reditus suos angustiores iam esse, quàm solebant. Itáque nos in odium rapit, quantum potest, & onerat contumeliis, & condemnat pro hæreticis: vt qui causam non intelligunt, putent nullos homines esse nequiores. Nos tamen interim ea causa nec pudet, nec certè pudere debet Euangelij. Dei enim gloriam pluris facimus, quàm existimationem hominum. Scimus ista vera esse omnia, quæ docemus: nec possumus aut vim facere conscientiæ nostræ, aut testimonium dicere contra Deum. Nam si nos negamus partem aliquam Euangelium Iesu Christi corā hominibus, ille nos vicissim negabit coram Patre suo. Quòd si qui sunt, qui offendi velint, & Christi doctrinam non ferant, cęci sunt, & duces cæcorum: Veritas tamē prædicanda, & præ nobis ferenda est, & patienter expectandum est tribunal Dei. Interim isti videant, quid agant, & de salute sua cogitent, & desinant odisse atque persequi Euangelium filij Dei, ne illum aliquando sentiant vindicem, & vltorem causæ suæ. Deus se haberi ludibrio non sinet. Iamdudū homines vident, quid agatur. Ista flamma quantò magis reprimitur tantò magis, magísque erumpit, atque euolat. Infidelitas istorum non frustrabitur fidem Dei. Quod si duritiam istam animorum ponere, & Christi Euangelium recipere recusabunt: Publicani & peccatores anteuertent illis in Regno Dei.

Math.10.

Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi illis omnibus oculos aperiat, vt videre possint beatam illam spem, ad quam vocati sunt: vt vnà omnes glorificemus vnū illum & verum Deum, eúmque quem de cœlo ad nos demisit, Iesum Christum: Cui vnà cum Patre, & S. Spiritu reddatur omnis honor & gloria in omnem æternitatem.

AMEN.

INDEX RERVM ET VERBORVM.

Monitum voluimus Lectorem singulis numeris nos apposuisse literas (quas signaturas vocant) vt facilius quæsita inuestigaret.

A

B.

Thomæ

Index.

C.

D.

E.

Index.

F.

G.

H.

Hippo

Index.

N.

Natura

O.

P.

Series chartarum huius libri.

¶ ternio.

Prolegomena siue Iuelli vita. α β γ δ ε ζ η θ ι κ λ omnes terniones, præter ι. duernio.

Iuelli ipsius liber cōtra Hardingum. a b c d e f g h i k l m n o p q r omnes terniones. A B C D E F G H I K L M N O P Q. omnes terniones. Præter Q qui est duernio.

Apologia ecclesiæ Anglicanæ. A B terniones C quaternio.

Index. * * j. ij. iij. * *. j. ij.